BIBL. NAZ
VIII Emanuele III.
RACCOLTA
VILLAROSA
C
47/1
NAPOLI

Nace V.11 C. 47

Digitized by Google

Thuscor ducente Cantus
TITUS
LIVIUS

TITI LIVII
PATAVINI
HISTORIARUM LIBRI
QUI EXTANT.

INTERPRETATIONE ET NOTIS ILLUSTRAVIT

JOANNES DUJATIUS

JUSSU CHRISTIANISSIMI

REGIS,

IN USUM SERENISSIMI

DELPHINI.

Et Librorum omnium deperditorum integra supplementa

JOANNIS FREINSHEMII.

ACCESSERE IN HAC NOVA EDITIONE

JOANNIS CLERICI Notæ.

VENETIIS, MDCCXIV

Apud CAROLUM BONARRIGUM.
SUPERIORUM PERMISSU.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

Illustr.mo atque Excell.mo D. D.

LAURENTIO THEUPOLO

Equiti & D. M. Procuratori Amplissimo.

Um ea sit præclaræ indolis, eximięque virtutis præstantia atque excellentia, ut in sui admirationem ac

cultum unumquemque facile trahat, ſi Livius meus, quoad fieri potuit, nitidior, atque expolitior, tibi ſacer dicitur; non eſt, quod mirere, Ampliſſime Procurator. Equidem ut primum ſolemni, feſtoque tui in patriam publici reditus die, quem jampridem fama præeunte cognoveram, præſentem mihi licuit intueri: hiccine, ajebam, eſt vir ille, qui avita gloria minime contentus, ad hos ſibi viam honores ſtravit virtute duce, non adverſante fortuna? Hic, qui tamdiu apud exteras, eaſque inter ſe moribus diſſonas gentes fœdis difficillimiſque temporibus Reipublicæ ſuæ majeſtatem, qua decuit, amplitudine conſtanter exhibuit; amicitias, qua oportuit, dexteritate vel leniter fovit, vel auſpicato reſtituit; res quibus conduxit, præſentibus conſiliis ſartas tectas proſpere, feliciterque ſervavit? Quem purior ſanguinis claritas, vel fumoſæ tot Majorum imagines non inflant ſingulari æquitate moderatum, non arguunt degenerem, nec ſtimulant ad ultimam gloriæ metam jam ſatis properantem? Quem auguſta rei familiaris opulentia non inſolentem, ſed ultra quaſi privatas vires munificum reddit; ſummi honores, atque præcipuæ dignitates innata humanitate lenem non mutant, quin ſuaviorem efficiant? Neque medius fidius falſus eſt index animi vultus habitus. Nonne veluti per nubes erumpit, ac ſeſe prodit in hujus ore optimæ, frugis indolis, virtutiſque in animo penitus habitantis inſigne nonne in hujus facie veluti præ foribus eluceſcit?

Quid

Quid ſibi vult frontis illa ſerenitas, oculorum ſplendor, blandus in ore inſidens ſermo, totiuſque denique habitus corporis illa modeſtia, menti optimè compoſitæ ſemper inhærens nota? Hæc & alia muſſitantem mecumque reputantem tot præclariſſimarum dotium, in uno viro congeſtarum primò cepit admiratio; inde ſubiit animum religio, quæ me tibi totum, meaque, perenniter addixit. Hinc Livium meum, cui per hoſce typos renaſci contigit, tanti Patroni reverentia reluctantem licet, & obnitentem, obſervantiæ tamen in te meæ nexu veluti devotum ad te trahi obtorto collo, tibique dedi omninò oportuit. Excipe igitur, Ampliſſime Procurator, ea, qua præſtas, clementia atque benignitate hunc meæ in te religionis oblidem: & æquo patiare animo, ut hujus operis in fronte tuum atque familiæ tuæ clariſſimum nomen legatur conſpicuum. Eveniet fortaſſe, ut qui ad hanc hiſtoriam acceſſerit, non minora ſeu prudentiæ, ſeu fortitudinis, ſeu temperantiæ aliarumque virtutum, quæ ſequatur, exempla; non minora qua belli qua pacis artibus parta, quæ admiretur, decora in una familia tua, quam in populo totius orbis olim domino reperiat. Norunt omnes Jacobos, Laurentioſque Theupolos hujus Reipublicæ duces: norunt Joannes, Marinos, Stephanos, norunt Hermolaos, Matthęos, Petros, Antonios, Nicolaos (quam grandia nomina!) teque ipſum denique, ut alios omittam, optime norunt. Quem porro ut D. O. M.

M. Orbi , tuis , Patriæ quam diutiſſime ſuperſtitem ſervet, ex animo vovet , atque enixe precatur

Virtutibus tuis Addictiſſimus

Carolus Bonarrigus Typographus.

Ty-

TYPOGRAPHUS LECTORI.

Ujus operis in limine ut te paucis convenîam, patiare, benigne Lector; Tibi enim de hac mea T. Livii editione ferendum eſt judicium, cum mihi ratio reddenda. Equidem ut primùm principis Romanæ hiſtoriæ ſcriptoris novis Typis mandandi provinciam ſuſcepi, nemini dubium fuit, quin editionem illam, quam in uſum Sereniſſimi Delphini Jo: Doujatius adornavit, utpotè cæteris tum operis integritate, tum ubertate notarum præſtantiorem, recudendam ſeligerem. Nec defuerunt, qui Oxonienſem Thomæ Hearne, vel qui Jo: Clerici Amſtelodamenſem nuperas editiones mihi commendarent, ſi non omninò ſequendas, cum altera Freinshemianis ſupplementis, utraque locupletioribus notis careat: inſpiciendas ſaltem, ſi Doujatiana noſtra poſſet inde in lucem edi cumulatior, ac ornatior. Nec conſilio deſuit diligentia; ex editione namque Amſtelodamenſi in hanc meam transferendas curavi paucas quidem, ſed minime ſpernendas Jo: Clerici notas, quas in unum collectas in calce cujuſque tomi ſepoſui: ſignatis tamen in textu, ne legentes effugerent, Græco alphabeto locis, quæ vir doctiſſimus obſervavit. Præterea cum indicem rerum, alioſque Doujatius ſcidiſſet in partes, ſinguliſque Decadibus peculiares indices attexuiſſet maximo ſtudioſorum incommodo, & aliquando faſtidio, cum invenienda per plures ſæpe, quandoque etiam per omnes tomos, indicesque perquirenda, integrumque iſtis reſtituendum, totiuſque operis completos indices in ultimum tomum rejeci. Cumque apud eruditos jampridem ob rerum indicem parum accuratum male audiret Doujatiana editio, longe accuratiorem, ditioremque novum Clerici rerum indicem Doujatiano ſuffeci: indicem quoque verborum locupletiſſimum, quem Latini ſermonis elegantiam, puritatemque amantes viri in auctore poſt Ciceronem facilè principe, tamdiu expectant, fortaſſe additurus. Quædam etiam Livii fragmenta, quæ Doujatius omiſerat, è Clerici editione deſumpta poſt præfationem imprimenda duxi. Atque hactenus ſuppetias tulit Clericus. Oxonienſem verò Thomæ Hearne editionem, cujus exemplum à doctiſſimo viro impetrare diu fruſtra ſum conatus, mihi videre non contigit: parvo tamen, ut ajunt, profectus literarii detrimento, cum præter aliquot notulas, variantesque lectiones nulla ibi ſeges demetenda. Cæterum, quod reliquum fuit, in Doujatiana editione expoliendâ curæ non parum inſumpſi. Et primò quidem celebriorum Livii editionum hiſtoriam ex Alberti Fabricii viri cl. bibliotheca Latina ſupplevi, additis in operis præfatione, quæ ad pleniorem hiſtoriæ illius notitiam deſiderabantur. Dein virorum maximè illuſtrium effigies, quas in prima tantum decade Doujatius exhibuit, ex optimæ notæ Auctoribus depromptas aliis etiam Livii Decadibus addidi. Tum aliquot in Decadis ſecundæ epitomas annotationes, nominaque Auctorum, & locos, quibus fuerat uſus ad ejuſdem Decadis ſupplementa conficienda Freinshemius, cum ſimul collecta in tomi ſecundi fine legerentur, ſuis locis, hæc quidem in margine, illas autem in inferiori parte paginæ appoſui. Supplementa denique lacunarum, quas à Freinshemio neglectas Doujatius ex ingenio replerat, adque calcem tomi quarti rejecerat, ne in hac mea editione ullus relinqueretur hiatus, Liviano textui inſerui: additis tamen in margine lineolis, quibus Doujatii à Livii verbis diſtinguerentur. Porrò errores, quibus Pariſina editio ſcatebat, quique in hac mea correcti ſunt, quid commemorem? Quadringenti ferè in primo tantùm tomo fuerunt emendati. At non dubito, quin & alii correctorem effugerint, novique irrepſerint: (nam & magnus quandoque dormitat Homerus) ſed hi, & leves, & pauci, & primo intuitu corrigendi. Hæc ſunt, optime Lector, quæ in hac nova T. Livii editione præſtanda operæ pretium duxi, quæque te omninò ignorare nolebam. Cæterum in reliquis à Pariſina Doujatii editione ne hilo quidem diſceſſum eſt. Tu, quod ſuperest, boni conſule, hoſque meos conatus amicè excipiendo majora mente volutanti animos adde.

To-

Teſtimonia de Livii editione in Uſum

SERENISSIMI DELPHINI,

Thomas Pope-Blount Cenſura celebr. Auct. in Livio.

ELegans eſt editio illa quæ cum perpetuis Joan. Fric. Gronovii, & variorum notis in 3. tomos diviſa Amſtel. apud Ludov. & Daniel. Elzevirios in 8° Annis 1664. & 65. excuſa fuit. Præferenda vero eſt illa editio, quæ cum notis Joan. Doujatii prodiit juſſu Chriſtianiſſimi regis in uſum Delphini tomis quinque Paris. 1679. 1680, & 1681. in quarto.

Acta Eruditorum Lipſiæ A. 1683. Menſis Martii.

Centum & quinque Livii libros deperditos Freinshemio ſuppletos debemus; Doujatio autem acceptum ferendum eſt, quod poſtremi eorum quadraginta & quinque, qui ab annis bene multis in obſcuro delituerant, nunc eruditorum manibus volvantur: ipſius etiam induſtriæ lacunas adhuc extantes, quas Freinshemius ſupplere neglexerat, ipſe autem reſtitutas exhibet, expletas debemus: ejuſque beneficio integritatem Livio redditam, & in unum corpus redactum hunc totum ſcriptorem literario orbi gratulamur.

Albertus Fabricius Bibl. Lat. in Livio.

In uſum Delphini prodiit Livius cum notis Jo: Doujatii, & 95. præclaris ſupplementorum libris Jo: Freinshemio auctore Paris. 1679. 1682. ſex voluminibus. Doujatius ipſe ex ingenio ſupplevit lacunas ſexdecim quæ in lib. 41. 43. 44. & 45. adhuc occurrebant.

Idem ibidem.

Perditos Livii libros ex ingenio ſupplevit vir doctus Jo: Freinshemius; argumento ex epitomis petito, & adhibitis Græcis & Latinis antiquis, quæ extant, monumentis, tanta induſtria ut ipſe non dubitet profiteri, *ſe neutiquam metuere, ne quis ex omnibus his ſcriptoribus, qui ſunt in hominum manu, aliquid efficiat in hoc genere concinnius, copioſius, verius.* Primi decem libri Reginæ Chriſtinæ dicati viderunt lucem Holmiæ 1649. 12. Libri ſexaginta deinde Argentorati A. 1654. 4. quos Gallicè etiam reddidit Petrus Ryerus. Denique adjunctis 35. poſthumis, quos ab hæredibus Galli redemerunt, univerſi libri 95. ſupplementorum vulgati ſunt à Jo: Doujatio in editione Livii ad uſum Delphini.

PRÆ-

PRÆFATIO.

ETSI plures jam doctorum virorum in T. Livium Præfationes exſtant: non tamen abſurdum aut ſupervacaneum futurum mihi eſt viſum, ſi monita quædam neceſſaria, etiam ex parte ab aliis tradita, huc conferrem; & ſtudioſæ juventuti aliqua velut fundamenta præſtruerem, quibus præparata & quaſi ſubnixa, ad legendum auctorem eximium majori cum facilitate fructúque accederet.

Videtur autem hæc univerſa tractatio in partes maximè tres diſtribuenda, quarum alia ad Auctoris notitiam, atque ad opus ipſum referetur; alia ad generalia quædam Romanæ politiæ capita, quorum omnino cognoſcenda ratio eſt; tertia ad noſtrum in eo illuſtrando inſtitutum indicandum pertinebit.

I.

DE TITI LIVII PATRIA, ÆTATE, OPERE.

EJUSQUE PARTIBUS, AC STYLO.

NEMO unus de his luculentiùs ſcripſit Jo. Gerardo Voſſio. Quamobrem, ne actum agere nullo operæ pretio videar, quæ hac de re ab eo literis conſignata ſunt, hîc, exemplo Gronovii, attexere; & quæ hîc, accuratè jam ante congeſta veterum de Auctore noſtro Elogia Judiciaque exſcripſit, ea tum ſecunda, tum minùs æqua, ſervato temporum ordine, ac nonnullis etiam additis, ſubjicere non dubitavi.

PRÆFATIO.

IOANNIS GERARDI VOSSII

Lib. I. de Hiſtoricis Latinis.

CAP. XIX.

DE TITO LIVIO.

1. Titi Livii Patria.

TITUS LIVIUS *Patavinus* quin fuerit, nemo ambigit. Sed non æquè apertum, utrùm natus ſit in Apono vico, qui hodie *Abano*: ut eo modo dicatur Patavinus, quo Maro dictus *Mantuanus*, quia Andibus natus, qui vicus in agro erat Mantuano. Qui Aponenſem Livium faciunt, adferunt Martialis lib. 1. epigr. LXII.

Cenſetur Apona Livio ſuo tellus.

Et ſanè unus hic locus prora & puppis iis videtur, qui in vico eo natum fuiſſe Livium crediderunt. Qua in ſententia, ut intelligo ex Clariſſimo Pignorio, etiam eſt Guilielmus Ongarellius hiſtoricus Patavinus necdum editus. Sed ſi Livius Aponi natus a Martiale dicatur, idem dixiſſe credendus de Stella, & Flacco. Atqui obſtare videtur illud ejuſdem libri epigram. LXXVII.

Flacce Antenorei ſpes & alumne laris.

Ubi in Antenoreo, hoc eſt Patavino, lare natum non obſcurè ait. Quare videndum, an non ab Apono fonte, qui celebratiſſimus erat inter aquas Patavinas, Aponam terram generatim dixerit pro Patavina: non pro Apono vico, cujus Martialis temporibus nullum fuiſſe nomen videtur. Eſtque in hac etiam ſententia ὁ μακαρίτης Cluverius noſter in Italia ſua. Scripſit Livius poſt quidem Auguſti triumphum de bello Actiaco, qui incidit in annum Urbis IↃCCXXV, ſive conſulatum Auguſti V. ante verò Cantabros ductu L. Antiſtii domitos, quod fuit anno IↃCCXXX, ſive conſulatu Auguſti X. Hoc liquet ex verbis illis ipſius Livii lib. 1. c. 19. *Bis deinde poſt Numæ tempora Janus clauſus fuit; ſemel T. Manlio Cos. poſt Punicum primum perfectum bellum, iterùm quod noſtræ ætati Dii dederunt, ut videremus, poſt bellum Actiacum, ab Imperatore Cæſare Auguſto pace terrâ marique partâ.* Satis conſtat ter ab Auguſto clauſum eſſe templum Jani, ſecundò quidem anno Urbis IↃCCXXX, Cantabris devictis. Ter-

---

1. Io: Maſſon hiſtoriæ, & Chronologiæ peritiſſimus lib. de Jani templo Chriſto naſcente reſerato p. 51. 109. & 165. ſerius Livium in Hiſtoriam ſcribendam incubuiſſe non abſurdis contendit argumentis. Anno urbis 715 cœpiſſe ſcribere Livium, & Anno 745. ultimam Hiſtoriæ ſuæ manum impoſuiſſe Henr. Dodvvelli conjectura eſt in Annalibus Velleianis. p. 65. Fabricius.

tio autem anno ſequenti, ſive conſulatu Auguſti XI. Cùm verò Livius ſemel duntaxat ſuâ ætate clauſum dicat, quid apertius quàm ſcripſiſſe iſta, antequàm ſecundò tertioque clauderetur. Quanquam verò ſub Auguſto quidem hiſtoriam ſuam edidit, tamen eo diutiùs vixit. Quarto enim obiit Tiberii [2] anno ætatis ſuæ LXXVI, quo & Ovidius deceſſit Tomis: ut de utroque Euſebius in Chronicis teſtatur. Scripſit hiſtoriarum libros CXL, vel potiùs [3] CXLII, ut jam olim agnovit Petrarcha. Iis complectebatur res Romanas ab U. C. uſque ad [4] bellum in Germania geſtum à Druſo, ejuſque mortem. Ex illis ſoli ſuperſunt XXXV. Nam ſecunda periit decas, & quicquid ſequebatur librum quadrageſimum quintum. [5] Cæterorum nihil habemus, præter argumenta, quæ epitome Livianâ (ſi argumentum libri CXXXVI & CXXXVII exceperis) continentur, ſive ejus Florus, ſive alius eſt auctor. Libri CIII meminit Serenus Sammonicus, quo loco agit de carbone medendo:

Tertia namque Titi ſimul & centeſima Livî
Charta docet ferro talem candente dolorem
Exſectum, aut pote raparum ſemine pulſum,
Infecti dicens vix ſeptem poſſe diebus
Vitam produci, tanta eſt violentia morbi.

Nihil hoc ſcriptore eſt grandius, atque uberius: Vir diſertiſſimus à Seneca in primo *de Ira* vocatur. Lacteam quidem ubertatem ejus prædicat Fabius *lib.* 10. *cap.* 1. Ibidem arbitratur, ut Thucydidi Salluſtium, ita Herodoto Livium æquiparari poſſe. Quanto ille candidius, quam Caligula Imperator, qui, Tranquillo teſte *c.* 34. verboſum vocabat. Sed de ſtylo etiam litem intentabat olim Aſinius Pollio. [6] Patavinitatem in eo animad. vertere ſe ajebat, ut Fabius teſtatur *lib.* 8. *cap.* 1. Nimirùm delicatum Romani hominis palatum videbatur ſibi aliquid ſentire, quod non uſquequaque ſaperet genium Romani ſermonis. At

2 Urbis 770. poſt Chriſtum natum 17. Fabricius.

3. Cum habeamus Epitomas 140. librorum, & librorum 136., & 137. Epitomæ deſiderentur, ut obſervatum Sigonio, qui in MS. Codice vacuum intervallum deprehendit, neceſſe eſt affirmare non 140. ſed 142. libros à Livio ſcriptos. Fabr.

4. Hoc eſt ad annum 744. V. C. Fabricius.

5. Scripta Livii etiam alia apud veteres memorantur, ut Dialogi, quos non magis philoſophiæ quam Hiſtoriæ annumerari potuiſſe ait Seneca Epiſt. 100. Libri philoſophici ſive ex profeſſo philoſophiam continentes. Idem. Epiſtola ad Filium qua Demoſthenem atque Ciceronem illi legendos unice ſuaſit, breviſſima, & tutiſſima ad eloquentiam via. Quintil. X. Fabricius.

6. Dan. Georgius Morhofius librum ſingularem ſcripſit de Patavinitate Liviana. Kilon. 1685. denuò inter alias ejus diſſertationes editum Hamburgi 1699. 4. Fabricius.

non audiendus eſt Keckermannus, quando hinc colligit, repre-henſum ab Aſinio eſſe ſublimem Livii ſtylum. Uti & cum à Seneca propterea culpari putat lib. 1. *de Ira* cap. ult. & *de Tranquillitate* cap. 9. Nam longe aliud & Fabium & Senecam velle nemo diffitebitur, qui verba eorum attendat. Nec probare illa Lipſii poſſum, viri ingenii ab elegantia, & varia eruditione, quàm dictione laudatioris: *Nos quoque ſupinum eum alibi, aut frigidum, imò & ταυτολόγον agnoſcimus, derivaturi tamen libenter in exſcriptores hanc culpam.* Cui & ſubſcribere videtur Poſſevinus bibliothecæ ſelectæ *lib.* 16. Ubi & judicium eorum ſequitur improbantium, quòd ſuperſtitiosè referat prodigia tam multa: ut boves locutos, infantes ſemeſtres triumphum clamaſſe. Quæ ſanè in gentili laudem magis merentur, cum qualemcumque numinis cultum ἀθεότητι oporteat præferre. Sed quid de iſtis dicemus, quibus ne bonæ quidem fidei videtur? Hi firmatum eunt ſententiam ſuam verbis Antonini Cæſaris in Itinerario ſuo, ubi hæc legas, *Fano Volturnæ, cujus claris geſtis invidit Livius.* Eum verò ad locum hæc annotavit Annius Viterbienſis: *Quid ſibi velit, quod ait, Cujus præclaris geſtis invidit Livius, equidem alii alia exiſtimant. Dicam & ipſe opinionem meam. Suetonius Tranquillus in vita C. Caligulæ ſcribit, paululum abfuiſſe, quin ab omnibus bibliothecis ſtatuas & ſcripta Livii deleret, qui illum, uti verboſum, & negligentem in hiſtoria carpebat. Eſt autem negligens is, qui ſupprimit, quæ referenda ſunt, & verboſus, qui abſque probatione contradicit afferenti rationes, & auctores. Et his duobus peccavit Livius in multis, ut patet. Sed ex multis, quò ad fanum Volturnæ hæc exempla ſint. Cælius Thuſcus Lartes Fani juvit Romulum implorantem ab eo auxilium contra Cæninenſes, Cruſtuminos & Latinos, & retulit triumphum. Et id idem fecit contra Sabinos Galeritus Lucumo. Et ob id ipſe primus poſuit Prætoria Romæ, & divisa Roma in tres tribus, impoſuit nomina, & tertiam partem dedit Thuſcis. Ut clarè tradunt Propertius in elegia ad Vertumnum, & alterà paululum præcedente, & Varro in* 1. *de lingua Latina, & Fabius Pictor de origine urbis Romæ, & Dionyſius Halicarn. in* 11. *lib. & Mythici ſub fabula Jani ejaculantis aquas ſulphureas in Sabinos, ut Macrobius in* 1. *Saturnal. & Ovidius in* 1. *de Faſtis indicant. At lividus fuit Livius, ut hîc notat Antoninus, qui, ut funditùs extingueret Thuſcorum fulgorem, & triumphos obnubilaret ab ipſis partos, non ab Romulo geſtos, omnino etiam ſcribere unum verbum neglexit. Quod profectò invidiſſimi hominis eſt officium, & negligentis veritatem in hiſtoria. Similiter fuit verboſus, quia abſque certo auctore, & probatione, dicit contra Varronem, quod Lucerum nomen incertæ originis. Fabius enim Pictor, antiquior eo, oſtendit ab hiſtoria eſſe Etruſcæ originis atque certiſſimæ.*

Rurſus Livio antiquior & doctior Varro in 1. *de L. L. dicit eſſe certæ originis; à Lucumone Luceres dictos: idque probat vetuſtiſſimis auctoribus, Junio, & Tolumnio, Thuſcarum Tragœdiarum ſcriptore. Et item inexpugnabili argumento, quod Luceres eſt derivatio Etruſca à Lucumone, & non Latina à luco Aſyli, ut Pedianus, & Plutarchus in vita Romuli, turpiter in Grammatica Latina aberrantes, dicunt, quia lucus Latinè à luceo verbo per antiphraſim derivatur, & à luco Lucii, & Lucani, Latina derivatio eſt, & non Luceres, ut linguæ Latinæ peritiſſimus Varro oſtendit. Non eſt igitur mirum, ſi Cæſar excanduit irâ contra ſcripta Livii, negligentia, & ſupprimentia, quæ clariſſima erant: & eum appellavit jure verboſum, qui contra Varronem afferentem teſtes antiquiſſimos, & invincibilem rationem, verboſâ ſolùm & anili loquacitate dixit, Lucerum nomen eſt incertæ originis. Et ideo, ut utamur regulâ B. Hieronymi, eâdem facilitate Livius, & omnes alii ſimiles, contemnantur, quâ ſine ratione, ac certo auctore, contra doctiores ſolâ verboſitate uſi proferunt. Quum verò conſtet Livium non ignoraſſe, quæ Varro, & Fabius Pictor, & alii referunt, conſtat equidem illum non ignoratione ſcientiæ, ſed malignitate naturæ in hiſtoria neglexiſſe dicenda, & verboſè dixiſſe ſubticenda. Et ob id, uti Caius, ita & Antoninus Cæſar, eum arguit invidiæ, dicens: Volturnæ præclaris geſtis invidit Livius.* Hactenus, nimis profectò patienter, latrantem audivimus caniculam iſtam. Cujus omnia ſingulatim refellere velle, planè ſit otio ſuo abuti. Sed mirari ſatis non poſſum, in ſententiam ſuam pertrahere potuiſſe viros aliquot eruditos: eoſque inter L. Joannem Scoppam Parthenopæum, qui Collectaneorum lib. 1. cap. 18. ſic ſcribit: *Livius hiſtoricus luculentiſſimus, in primo ab urbe condita*: Eodem, inquit, tempore & centuriæ tres equitum conſcriptæ ſunt: Ramnenſes à Romulo: à Tito Tatio Titienſes appellati; Lucerum nominis, & originis cauſa incerta eſt. *Hæc Livius. Non quod (ut mea eſt ſententia) Lucerum originem ignoraret; ſed perinde ac Gallus Ciſalpinus, & Hetruſcæ, Italiæque gloriæ invidens, conſcripſit: quod Antoninus Cæſar in ſuo itinerario his verbis arguit:* Vulturna, cujus claris geſtis invidet Livius. *Et Caius Caligula, Tranquillo in Caligulæ vita ſcribente paulum abſuit, quin ſtatuas & ſcripta Livii ab omnibus bibliothecis amoveret, tanquam verboſi & in hiſtoria mendacis. Scius ergo erat Livius, ſed ut invidus omiſit.* Hactenus Scoppa. Sed quid in mentem venit Scoppæ, ut ſe tueretur auctoritate Cæſaris Caligulæ? quem ignorare non potuit ſimiliter de Virgilio ſenſiſſe: imò & Homerum contemſiſſe. Sunt enim iſta Tranquilli verba: *Cogitavit etiam de Homeri carminibus abolendis. Cur enim ſibi non licere dicens, quod Platoni licuit, qui cum è civitate quam conſtituebat, ejecerit? Sed & Virgilii, & T. Livii ſcripta, &*

imagines, paulum abfuit quin ex omnibus bibliothecis amoverit, quorum alterum, ut nullius ingenii, minimæque doctrinæ: alterum, ut verboſum in hiſtoria, negligentemque carpebat. Ex eodem ſcimus, quid de abolendis juriſconſultis ſæpè jactarit: ac quale ejus de L. Seneca fuerit judicium. Quamobrem ſanum neminem movebit auctoritas Caligulæ, qui, ut ejuſdem Tranquilli verbis utar, *non minore livore ac malignitate, quàm ſuperbiâ ſævitiâque, pænè adverſus omnis ævi homines graſſatus eſt.* Quod verò ad Antoninum imperatorem, quo & ipſo ſe tuetur Scoppa, nuſquam leguntur ea de Livio verba in genuino ſeu Antonii, ſeu Antonini, ſeu Æthici itinerario, quod primum edidit Joſias Simlerus, poſteaque ex antiquis codicibus correxit, & commentario illuſtravit Hieronymus Surita Cæſarauguſtanus. Sed ſunt ea verba in itinerario iſto, quod Annius Viterbienſis commentus fuit, ac cunctis obeſæ naris, ut germanum obtruſit. Sanè iſto *ἀποβολιμαίου* Antonini itinerario nihil indoctius, atque inſulſius. Quod & res clamat, & ubertim oſtenſum ab eruditiſſimo, ac dum viveret, amiciſſimo mihi Philippo Cluverio in Italia ſua. Quare, cur vel propter Caligulam, vel ſuppoſititium Antoninum, ſuſpectior nobis ſit Livius, nihil ſanè cauſæ eſt. Nec magis movere debet Henricus Glareanus, vir variæ eruditionis, cum Livium bellicoſæ Gallorum gentis res geſtas odioſè tractare, virtuteſque eorum malignè elevare, conqueritur. Quod etiam Barthius facit Adverſariorum lib. LX. in Auguſtini de Civitate Dei lib. 1. cap. 6. Quam enim Livius veritati ſtuduerit, vel ex eo conjecturam capere poſſumus, quod in deſcriptione belli civilis ne Auguſto quidem in tantum voluerit gratificari, ut aliter res narraret, quàm factum ſciret. Audiamus, quæ Cremutius Cordus apud Tacitum dicat Annalium lib. 4. *Titus Livius eloquentiæ ac fidei præclarus imprimis Cn. Pompeium tantis laudibus tulit, ut Pompeianum eum Auguſtus appellaret: neque id amicitiæ eorum offecit. Scipionem, Afranium, hunc ipſum Caſſium, hunc Brutum, nuſquam latrones & parricidas, quæ nunc vocabula imponuntur, ſæpè ut inſignes viros nominat.* Verùm aliud alii telum intentant. Malevolentiæ enim eò reum agunt, quòd Polybium, quem *κατὰ πόδας* ſæpè excribit, non alio dignetur elogio, quam *haud quaquam ſpernendi auctoris.* Quam frigidam ſanè laudationem eſſe Fulvius Urſinus annotavit. Petrus Victorius eo putabat crimine liberari Livium, quòd parciores olim in tribuendis fuerint elogiis Quod non negarim. Sed non id ſatis eo comparet, quod putabat id etiam ex Apuleio parere in Apologia: ubi quæſtorem publicum, qui coram aderat, non *ornatiſſimum* appellat, ſed *virum ornatum* vocare eſt contentus. Fortaſſe ut Scipio Gentilis putabat, ordinis & dignitatis

habuit rationem; quia, ut notum omnibus, primus in Senatum veniendi gradus erat quæſtura. Livii verò locus omnino intelligi debet κατ' ἐξοχήν, ut nequaquam aſpernandus auctor idem valeat, ac ſi ſcriptorem dixiſſet ſummæ fidei & auctoritatis. Cui rei probandæ multa adferrem, niſi fusè hanc Livianorum eſſe verborum mentem docuiſſet Caſaubonus in collectis à ſ. Polybii fragmentis. Eloquentiæ ſtudioſo, præſertim tenella ætate, magis Livium profore, quàm Salluſtium, Quintiliani judicium eſt, lib. 2. cap. 6. ubi ait: *Livius à pueris magis legendus quàm Salluſtius, & hic hiſtoriæ majoris eſt auctor: ad quem tamen intelligendum jam profectu opus ſit.* Quod Fabii judicium carpit Barthius Adverſar. XLVIII. cap. 19. Putat Salluſtium dici majoris hiſtoriæ auctorem: cùm ea non ſit annorum XXV. Ergo, inquit, legendum, *ſit hic hiſtoriæ: major is eſt auctor*. imò omnino Τὸ *hic* ad Livium refertur. Et penè quæcumque eo capite adverſus Fabium diſſerit idem Barthius, ſunt ἀφ' ἑστίας ἀμαίνω. Quantum ejus fuerit nomen cùm viveret, etiam docent hæc Plinii verba lib. II. epiſt. III. ad Nepotem: *Nunquamne legiſti, Gaditanum quemdam, Titi Livii nomine gloriaque commotum, ad viſendum eum ab ultimo terrarum orbe veniſſe, ſtatimque ut viderat abiiſſe?* Nempè, ut hac ipſa de re B. Hieronymus ad Paulinum ait: *Quos ad contemplationem ſui Roma non traxerat, minus fama perduxit*. ac poſteà idem ait: *Habuit illa ætas inauditum, & omnibus ſæculis celebrandum miraculum, ut tantam urbem ingreſſi, aliud extra urbem quærerent*. At mirificus zelus fuit S. Gregorii, qui ut S. Antoninus, & ex eo Jo. Heſſelius, ex utroque Raderus ad Martialem tradit, Livium propterea[7] combuſſit, *quod in ſuperſtitionibus, & ſacris Romanorum perpetuo verſetur*. Sepulchrum Livii, ut quidem Blondus, eoque ex auctore Leander refert, Patavii fuit, ubi olim Junonis templum, ac nunc Monaſterium B. Juſtinæ, quod tenent Monachi Benedictini. At hodie oſſa Livii magno in honore aſſervantur ſublimi loco curiæ majoris, ſive prætorii ab Henrico Imperatore extructi, ſed poſt incendium à Venetis ſplendidius refecti. Seorſim verò oſtenduntur lingua & maxilla ejus. Sed Brachium alterum non item, cujus cauſam hæc inſcriptio ibidem oſtendit: *Inclito Alphonſo Arragonum Regi, ſtudiorum fautori, Reipublicæ Venetæ fœderato, Antonio Panormita Poeta legato ſuo orante, & Matthæo Victurio hujus urbis prætore conſtantiſſimo intercedente, ex Hiſto-*

---

7. Quoſcumque nanciſci potuit Livii codices combuſſit D. Gregorius, unde Livianorum librorum jacturam ortam eſſe non dubitat Rich. Montacutius præf. ad Analecta. Licet hanc Antonini narrationem in dubium vocet Jacobus Gretſerus l. 1. de iure prohib. libr. malos c. 30. Fabricius.

riarum parentis T. Livii ossibus, quæ hoc tumulo conduntur, Brachium Patavi cives in munus concessere anno Christi millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo XIV. Calendas Septembris.

Addantur Inscriptiones duæ monumentorum, quæ Livio, vel à Livio posita feruntur.

Patavii in Prætorio.

V. F.
T. LIVIUS
LIVIÆ. T. F.
QUARTÆ L.
HALYS
CONCORDIALIS
PATAVI
SIBI. ET. SUIS
OMNIBUS.

Ex Gruteri inscript. fol. DCCCLXXVII.

Alia Inscriptio.

OSSA
TITI LIVII PATAVINI UNIUS
OMNIVM MORTALIUM JUDICIO DIGNI, CUIUS PROPE INVICTO CALAMO POPULI ROMANI RES GESTÆ
CONSCRIBERENTUR.

ELOGIA AUCTORUM
ac judicia de TITO LIVIO,
cum Fragmentis aliquot.

Seneca pater Suasoria 6.

QUOTIES magni alicujus mors ab Historicis narrata est, toties ferè totius consummatio vitæ, & quasi funebris laudatio redditur. Hoc semel atque iterum à Thucydide factum: idem in pauciſſimis personis usurpatum à Sallustio. *Livius* benignus, omnibus magnis viris præstitit. Sequentes Historici multò id effusiùs fecerunt.

Mox eadem.

Ut est naturâ candidissimus omnium magnorum ingeniorum æstimator *T*; *Livius*, plenissimum testimonium Ciceroni reddidit.

Procem-

Proœmio lib. 5. Controverſ.

Pertinere ad rem non puto, quomodo Lucius Magius genet *Titi Livii* declamaverit, quamvis aliquo tempore ſuum populum habuit; cum illum homines non in ipſius honorem laudarent, ſed in ſoceri.

Controverſ. 24.

Titus Livius tam iniquus Salluſtio fuit, ut hanc ipſam ſententiam *(Res ſecundæ mirè ſunt vitiis obtentui)* & tanquam tranſlatam, & tanquam corruptam dum transfertur, obijceret Salluſtio. Nec hoc amore Thucydidis facit, ut illum præferat. Laudat quem non timet, & faciliùs putat poſſe à ſe Salluſtium vinci, ſi antè à Thucydide vincatur.

Controverſ. 25.

Titus Livius, de Oratoribus, qui verba antiqua & ſordida conſectantur, & orationis obſcuritatem, ſeveritatem putant, aiebat, Miltiadem Rhetorem eleganter dixiſſe, Ἐπὶ τῷ φλαυρότατα μαίνονται

Velleius Paterculus lib. 1.

Hiſtoricos (ut & *Livium* quoque priorum ætati adſtruas) præter Catonem & quoſdam veteres & obſcuros, minus octoginta annis circumdatum ævum tulit, &c.

Idem lib. 2.

Pene ſtulta eſt inhærentium oculis ingeniorum enumeratio: inter quæ maximè noſtri ævi eminent, princeps carminum Virgilius, Rabiriuſque, & conſecutus Salluſtium *Livius*, Tibulluſque & Naſo, &c.

Valerius Maximus lib. 1. cap. ult.

Quia ſupra uſitatam rationem excedentia attigimus; ſerpentis quoque à *T. Livio* curiosè pariter ac facundè relatæ fiat mentio. is enim ait in Africa apud Bagradam flumen, tantæ magnitudinis anguem fuiſſe, ut Atilii Reguli exercitum uſu amnis prohiberet: multiſque militibus ingenti ore correptis, compluribus caudæ voluminibus eliſis; cum telorum jactu perforari nequiret, ad ultimum balliſtarum tormentis undique petitam, ſilicum crebris & ponderoſis verberibus procubuiſſe: omnibuſque & cohortibus & legionibus ipſa Carthagine viſam terribiliorem. atque etiam cruore ſuo, gurgitibus imbutis, corporiſque jacentis peſtifero afflatu vicinâ regione polluta, Romana inde ſubmoviſſe caſtra. Dicit belluæ etiam corium centum viginti pedes longum, in Urbem miſſum.

Seneca filius. lib. 1. cap. 16. de Ira.

Non eſt quod exiſtimes verum eſſe, quod apud diſertiſſimum virum *Livium* dicitur. *Vir ingenii magni magis quàm boni*. Non poteſt illud ſeparari: aut & bonum erit, aut nec magnum, &c.

Idem lib. de Tranquillitate cap. 9.

Quadringenta millia librorum Alexandriæ arſerunt ; pulcherrimum regiæ opulentiæ monumentum . Alius laudaverit , ſicut *Livius*, qui elegantiæ regum curæque egregium ait opus fuiſſe. Non fuit elegantia illud aut cura , ſed ſtudioſa luxuria .

Idem epiſtola 100.

Adfer quem Fabiano poſſis præponere . Dic Ciceronem, cujus libri ad Philoſophiam pertinentes, penè totidem ſunt quot Fabiani . Cedam , ſed non ſtatim puſillum eſt, ſi quid maximo minus eſt . Dic Aſinium Pollionem . Cedam , ſed ut reſpondeam , In re tanta eminere eſt & poſt duos eſſe . Nomina adhuc *Livium* ſcripſit enim & Dialogos, quos non magis Philoſophiæ annumerare poſſis, quàm Hiſtoriæ : & ex profeſſo Philoſophiam continentes libros . huic quoque dabo locum . Videtamen quam multos antecedat, qui à tribus vincitur , & tribus eloquentiſſimis .

Idem lib. 5. Natur. quæſt. cap. 18.

Nunc quod de Cæſare olim majore vulgò dictitatum eſt , & à *Tito Livio* poſitum *In incerto eſſe, utrum illum magis naſci reipublicæ profuerit , an non naſci*; dici etiam de ventis poteſt .

Idem epiſtola 46.

Librum tuum , quem mihi promiſeras , accepi , & tanquam lecturus ex commodo , adaperui , ac tantùm deguſtare volui . Deinde blanditus eſt ipſe , ut procederem longiùs . Qui quàm diſertus fuerit , ex hoc intelligas licet : brevis mihi viſus eſt ; cum eſſet nec mei nec tui corporis , ſed qui primo aſpectu aut *T. Livii* aut Epicuri poſſet videri . Tantâ autem dulcedine me tenuit & traxit , ut illum ſine ulla dilatione perlegerem.

Fabius Quintil. lib. 1. Inſtit. Orat. c. 9.

Peregrina porrò ex omnibus propè dixerim gentibus , ut homines , ut inſtituta etiam multa , venerunt. Taceo de Tuſcis & Sabinis & Prænestinis quoque. nam ut eorum ſermone utentem Vectium Lucius inſectatur , quemadmodum Pollio deprehendit in *Livio* Patavinitatem : licèt omnia Italica pro Latinis habeam.

Idem lib. 8. cap. 1.

Attica anus Theophraſtum , hominem alioqui diſertiſſimum , annotata unius affectatione verbi , hoſpitem dixit : nec alio ſe id deprehendiſſe interrogata reſpondit , quàm quòd nimium Atticè loqueretur . Et in *T. Livio* , miræ facundiæ viro , putat ineſſe Pollio Aſinius quandam Patavinitatem , &c.

Lib. 9. cap. 2.

Apud Hiſtoricos reperiuntur obliquæ allocutiones . ut in *T. Livii* primo ſtatim libro , *Urbes quoque , ut cætera , ex infimo naſci* .

Lib. 9. cap. 4.

T. Livius hexametri exordio cœpit: *Faciuntne operæ pretium sim.* Nam ita edidit: estque melius quàm quomodo emendatur.

Lib. 2. Instit. cap. 4.

Sæpè etiam quæri solet, de tempore, de loco, quo gesta res dicitur, nonnunquam de persona quoque: sicut *Livius* frequentissimè dubitat, & alii ab aliis Historici dissentiunt.

Lib. ejusdem cap. 6.

Ego optimos quidem, & statim & semper, sed tamen eorum candidissimum quemque, & maximè expolitum, velim: ut *Livium* à pueris magis quam Sallustium. & hic historiæ majoris est auctor: ad quem tamen intelligendum jam profectu opus sit. Cicero, ut mihi quidem videtur, & jucundus incipientibus quoque, & apertus est satis: nec prodesse tantùm, sed etiam amari potest. tum (quemadmodum *Livius* præcipit) *ut quisque erit Ciceroni simillimus.*

Lib. 10. cap. 1.

Fuerit igitur brevitas illa tutissima, quæ est apud *Livium*, in epistola ad Filium scripta; *Legendos Demosthenem atque Ciceronem; tum ita ut quisque esset Demostheni & Ciceroni simillimus.*

Eodem capite.

Neque illa Sallustiana brevitas, qua nihil apud aures vacuas atque eruditas potest esse perfectius, apud occupatum variis cogitationibus judicem, neque plus ineruditum, captanda nobis est. neque illa *Livii* lactea ubertas satis docebit eum, qui non speciem expositionis sed fidem quærit.

Post multa ibidem.

At historia non cesserit Græcis; nec opponere Thucydidi Sallustium verear. Nec indignetur sibi Herodotus æquari *T. Livium*; cum in narrando miræ jucunditatis, clarissimique candoris; tum in concionibus supra quam enarrari potest, eloquentem. ita dicuntur omnia cùm rebus, tum personis accomodata. Sed affectus quidem, præcipuè eos qui sunt dulciores, ut parcissimè dicam, nemo Historicorum commendavit magis. ideoque immortalem illam Sallustii velocitatem diversis virtutibus consecutus est. Nam mihi egregiè dixisse videtur Servilius Nonianus, pares eos magis quàm similes.

Plinius Avunculus Præfat. Natur. Hist. ad Vespas. Imp.

Equidem ita sentio, peculiarem in studiis causam eorum esse, qui difficultatibus victis, utilitatem juvandi prætulerunt gratiæ placendi. idque & in aliis operibus ipse feci, & profiteor mirari me *T. Livium*, auctorem celeberrimum, in Historiarum suarum, quas repetit ab origine Urbis, quodam volumine sic orsum: Sa-

tis jam ſibi gloriæ quæſitum, & potuiſſe ſe deſinere, ni animus inquies paſceretur opere. Profecto enim populi gentium victoris, & Romani nominis gloriæ, non ſuæ, compoſuiſſe illa decuit. Majus meritum eſſet, operis amore, non animi causâ perſeveraſſe; & hoc populo Romano præſtitiſſe, non ſibi.

Cornelius Tacitus Oratione Cremutii Cordi, lib. 4. Annal.

Brutum & Caſſium laudaviſſe dicor. quorum res geſtas cùm plurimi compoſuerint, nemo ſine honore memoravit. *Titus Livius*, eloquentiæ ac fidei præclarus im primis, Cn. Pompeium tantis laudibus tulit, ut Pompeianum eum Auguſtus appellaret. neque id amicitiæ eorum offecit. Scipionem, Afranium, hunc ipſum Caſſium, hunc Brutum, nuſquam latrones & parricidas, quæ nunc vocabula imponuntur, ſæpè ut inſignes viros nominat.

Suetonius Tranquillus, in Caligula.

Sed & Virgilii & *T. Livii* ſcripta & imagines, paulum abfuit, quin ex omnibus Bibliothecis amoverit. quorum alterum, ut nullius ingenii minimæque doctrinæ; alterum, ut verboſum in hiſtoria negligentemque carpebat.

Idem Claudii cap. 41.

Hiſtoriam in adoleſcentia, hortante *T. Livio*, Sulpicio verò Flavio etiam adjuvante, ſcribere aggreſſus eſt.

Idem Domitiani cap. 10.

Metium Pompoſianum quod habere imperatoriam geneſin vulgò ferebatur; & quod depictum orbem terræ in membranis, concioneſque regum ac ducum ex *T. Livio* circumferret, interemit.

Plutarchus.

Auctoritatem *Livii* adducit in vita Camilli, Marcelli, Catonis Majoris, Flaminii, Sullæ, Luculli, Cæſaris. item quæſtione Romana 25. ſed ſine elogio.

Martialis lib. 14. Epigr. 190. de Livio in membranis.

Pellibus exiguis arctatur *Livius* ingens,
Quem mea non totum Bibliotheca capit.

Plinius Junior lib. 2. epiſt. 3.

Nunquamne legiſti, Gaditanum quemdam *T. Livii* nomine gloriaque commotum, ad viſendum eum ab ultimo terrarum orbe veniſſe, ſtatimque, ut viderat, abiiſſe?

Statius Papinius, lib. 4. Sylv. 7. ad Maximum Junium.

Sed tuas artes puer antè diſcat;
Omne quis mundi ſenium remenſus,
Orſa Salluſti brevis, & *Timavi*.
Reddis *alumnum*.

---

2. Ex his verſibus Junium Maximum Statii æqualem Salluſtii Liviique hiſtorias in epitomen contraxiſſe obſervant viri docti. Fabricius.

Justinus, qui Trogum contraxit, lib. 38. Histor. cap. 6.

Quam orationem dignam duxi, cujus exemplum brevitati hujus operis insererem; quam obliquam Pompeius Trogus exposuit: quoniam in *Livio* & in Sallustio reprehendit, quòd conciones directas pro sua oratione operi suo inserendo, historiæ modum excesserint.

Ausonius de Staphylio Rhetore.

Grammaticè ad Scaurum atque Probum, promptissime Rhetor;
Historiam callens *Livii* & Herodoti.

Flavius Vopiscus in Aureliano.

Asserente Tiberiano, quòd Pollio multa incuriosè, multa breviter prodidisset; me contra dicente, neminem scriptorum, quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentitum; prodente quinetiam, in quo *Livius*, in quo Sallustius, in quo Cornelius Tacitus, in quo denique Trogus, manifestis testibus convincerentur.

Idem in Probo.

Cn. Pompeium tribus fulgentem triumphis, belli Piratici, belli Sertoriani, belli Mithridatici, multarumque rerum gestarum majestate sublimem, quis tandem nosset, nisi eum M. Tullius, & *T. Livius* in literas retulissent? &c.

Mox eodem capite.

Et mihi quidem id animi fuit, non ut Sallustios, *Livios*, Tacitos, Trogos, atque omnes disertissimos imitarer viros, in vita Principum & temporibus dirigendis; sed Marium Maximum, Suetonium Tranquillum, Fabium Marcellinum, Gargilium Martialem, Julium Capitolinum, Ælium Lampridium, cæterosque, qui hæc & talia, non tam disertè quàm verè memoriæ prodiderunt.

Censorinus lib. de die Natali cap. 17.

Titus Livius libro CXXXVI. *Eodem anno ludos seculares ingenti apparatu fecit, quos centesimo quoque anno (is enim terminus seculi) fieri mos.*

Eusebius in Chronico.

Ea quæ de Catilina, Cethego, Lentulo, & consule Cicerone, Sallustius scribit & *Livius*, hoc gesta sunt tempore.

Idem.

Messala Corvinus orator nascitur, & *T. Livius* Patavinus scriptor historicus.

Idem.

Livius Historicus Patavii moritur.

ELOGIA AUCTORUM.

D. Hieronymus in Proœmio in Danielem.

Ad intelligendas extremas partes Danielis, multiplex hiſtoria Græcorum neceſſaria eſt, &c. præcipueque noſtri *Livii*, & Pompeii Trogi, atque Juſtini; qui omnem extremæ viſionis narrant hiſtoriam, & poſt Alexandrum uſque ad Cæſarem Auguſtum, Syriæ & Ægypti, id eſt, Seleuci, & Antiochi, & Ptolomæorum, bella deſcribunt.

Idem Epiſtola ad Paullinum, tom. 3.

Ad *Titum Livium*, lacteo eloquentiæ fonte manantem, de ultimis Hiſpaniæ Galliarumque finibus, quoſdam veniſſe nobiles legimus: & quos ad contemplationem ſui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit. Habuit illa ætas inauditum omnibus ſæculis celebrandumque miraculum; ut tantam urbem ingreſſi, aliud extra urbem quærerent.

De quo Gaditano iterum epiſtola ad D. Auguſtinum quadam.

Sidonius Apollinaris Paneg. Anthemii.

vel quidquid in ævum
Mittunt Euganeis Patavina volumina chartis.

Caſſiodorus.

C. Cæſar VI. & M. Agrippa III. Cæſar leges protulit, judices ordinavit, provincias diſpoſuit, & ideo Auguſtus cognominatus eſt: cujus temporibus floruit Virgilius, Horatius, & *Livius.*

FRAGMENTA DUO LIVII EX HISTORIARUM LIBRO CXX. PETITA.

De Ciceronis morte

Ex Seneca Patre, Suaſoria VI.

M. Cicero, ſub adventum Triumvirorum ceſſerat urbe, pro certo habens, id quod erat, non magis Antonio eripi ſe, quàm Cæſari Caſſium & Brutum, poſſe. Primò in Tuſculanum fugit, inde transverſis itineribus in Formianum, ut ab Caieta navim conſcenſurus, proficiſcitur. Unde aliquoties in altum provectum, cum modò venti adverſi retulißent, modò ipſe jactationem navis, cæco volvente fluctu, pati non poſſet; tædium tandem eum & fugæ & vitæ cæpit: Regreſſuſque ad ſuperiorem villam, quæ paulo plus mille paſſibus à mari abeſt, Moriar, *inquit,* in patria ſæpè ſervata. *Satis conſtat ſervos fortiter fideliterque paratos fuiſſe ad dimicandum: ipſum* deponi lecticam, & quietos pati, quòd ſors iniqua cogeret, *juſſiſſe. Prominenti ex lectica præbentique immotam cervicem, caput præciſum eſt. Nec ſatis ſtolidæ crudelitati militum fuit: Manus quoque, ſcripſiſſe in Antonium aliquid*

exprobrantes, præciderunt. Ita relatum caput ad Antonium, juſſuque ejus inter duas manus in roſtris poſitum, ubi ille Conſul, ubi ſæpè Conſularis, ubi eo ipſo anno adverſus Antonium, quanta nullæ unquam humanæ vox, cum admiratione eloquentiæ auditus fuerat: vix attollentes præ lacrymis oculos, homines, intueri trucidata membra ejus poterant.

IBIDEM.

Vixit tres & ſexaginta annos: ut ſi vis abfuiſſet, nec immatura quidem mors videri poſſit. Ingenium & operibus, & præmiis operum felix. Ipſe fortunæ diu proſperæ, & in longo tenore felicitatis, magnis interim ictus vulneribus, exilio, ruinâ partium, pro quibus ſteterat, filiæ morte; exitu tam triſti atque acerbo; omnium adverſorum, nihil, ut viro dignum erat, tulit, præter mortem: Quæ, verè æſtimanti, minùs indigna videri potuit, quod à victore inimico nihil crudelius paſſurus erat, quàm, quod ejuſdem fortunæ compos, ipſe feciſſet. Si quis tamen virtutibus vitia penſarit, vir magnus, acer, memorabilis fuit, & in cujus laudes perſequendas Cicerone laudatore opus fuerit.

JOANNIS FREDERICI GRONOVII
PRÆFATIO
AD LECTOREM

De variis Titi Livii Editionibus & explanatoribus.

Si opus eſſet, amice Lector, non grævarer tibi longam de T. Livio fabulam ſerere: ſupperet enim materia. ſed tantum dictum eſt ut quædam non eſſe dicta præſtaret, & illorum aliunde gnarus in hoc certè ſchedio aliâ lectione mavis avocari. Hoc igitur expectas potiùs, ut, quâ fiducia ſim aggreſſus rem minimè vulgaris animi, quam me auſurum, ut ſic dicam, ante tubas, & prinſquàm poſcerer, ne ipſe quidem credidi, ut perpetuis notis Hiſtoriæ Romanæ principem emendatiorem reddere conarer, hîc in limine ediſſeram. Ubi primùm illud relictum à prioribus occupabo, ut gratâ commemoratione doctorum hominum, quos curæ aliquid huic Scriptori vitæ reſtituendo poſt literas renatas impertiſſe accepi, præſertim antiquiorum, & ipſorum pariter Manes & futurorum ſtudia demerear. Illorum enim plerorumque intermortuam laudem renovavero: ex his, qui poſt nos eandem provinciam ſubituri ſunt, adminiculum habebunt, quod mihi ſi fuiſſet à principio, & ſollicitudine diu me vexante liber fuiſſem,

& multis partibus meliorem tibi ſtatim auctorem dediſſem. Neque enim tantum mihi tribuo, eàque malignitate & in majores & in minores feror, fortuitis ſubjectus, & an audeam inſonare illud, δὸς ποῖον, ambiguus; ut vel iſtorum Hieronicarum palmas & coronas olim certas abolere aut conterere deſiderem, vel neminem poſthac in eodem ſtadio exerceri velim. Qui mos eſt quorundam, ut velut deſponſos ſibi, uſu, coemptione, farre, in manum conveniſſe veteres, quos recenſendos ſuſceperunt, haberi poſtulent; aut quaſi ab cenſoribus eâ lege publicum conduxiſſent, ne id prætereà cuiquam agitare fas ſit, alios ut inde omnes arceant, tentantibus opus novum nuntient, æmulamque induſtriam contumeliam ſuam interpretentur. Prima igitur, uti debebat, præconem ſuum in lucem reduxit URBS DOMINA; *adſpirantibus, ut ornatiorem reduceret, diſertis duobus & gravioribus Viris,* Joanne Andrea Alerienſi, *&* Joanne Antonio Campano Interamnenſi, Epiſcopis. *Quos benè gnaros, quantum intereſſet ad hiſtoriæ fidem & apparatum, ad temporum notitiam, ad Linguæ Latinæ, omniſque eloquentiæ nitorem & copiam, ad prudentiam ac civilia & mores, hoc opus, ſed quàm purgatiſſimum, in manibus habere, amboseodem tempore quidam movit ſacer inſtinctus, & inceſſit cupido tam utilem operam ſimul ſtudiis præſtandi, & perſonis ac dignitatibus ſuis ad poſteros commendandi. 9 Occuparit tamen, ni fallor, Andreas ſub Paullo Secundo Pontifice Maximo, manibus, ex ea natione, quæ librorum typis & præli deſcribendorum nobilem & ſaluberrimam invenit artem, Conradi Sweinheimi & Arnoldi Pannartii. Duo ejus editionis penes me ſunt exempla, alterum dono Caſp. Gevartii, cui deeſt frons & bellum Punicum ſecundum; alterum Bern. Rottendorfii, quod titulo pariter & Epitomis uſque ad* XXVII *caret. Annus appoſitus non eſt, ſed* MCCCCLXXI *eam antevertiſſe argumento eſt, quod hoc anno Paullus, cui dicatur, mortalitatem explevit. A Vendelino (hic eſt, puto, qui ſe Sweinheimum* [10] *in calce voluminis appellat: ut ſolent Itali Germanica vocabula invertere) ex Victorini Feltrenſis exemplari redditam fuiſſe anno* MCCCCLXX *teſtatur* Franciſcus Robortellus *in Convenientia Livianæ ſupputationis cum marmoribus Capitolinis, & in Emendationibus. Hunc enim* Victorinum Feltrenſem *præfatur Alerienſis, principem omnium Patavii, & mox Venetiis privatim, inde Mantuam Jo. Franciſci Marchionis, ut liberorum ejus diſciplinam ſuſciperet, liberalitate traductum, T. Livii annales publico auditorio, cum ingenti hominum admiratione ac fama, commiſiſſe. Quin etiam poſt multa de illo honorifica, quicquid auctore in tanto profeccrit,*

præ-

9. Huius editionis vix 272 exempla excuſa traduntur. Fabricius.

10. A Sweinheimo diverſus Vendelinus. Amba quidem typographi, ſed ille Romæ: hic autem Venetiis.

præceptori, altori, parenti Victorino, magnanimâ & gratâ pietate acceptum refert. Hunc brevi intervallo secutus est Interamnensis Præsul: cujus curam adhuc videre non potui: sed in Regiâ, quæ Parisii est, Bibliothecæ indice scriptum legi: Titi Livii Historiarum decas ex emendatione Antonii Campani: adjecta sunt omnium librorum epitomata *(ut tum loquebantur)* fol. Romæ, MCCCCLXXI: *&* Tertia & Quarta decas, ibidem MCCCCLXXII. *Extant Opera ejus à Mich. Ferno collecta* [11] *Venetiis in vulgus data: in his nuncupatio hujus lucubrationis ad Jacobum Ammannatum Lucensem Cardinalem Papiensem: unde digna visa sunt hæc, quæ exsignarem*: Genus est in eo scribendi proprium & suum, & idipsum splendidum atque magnificum, & tanquam ad spectaculum quoddam magnitudinis sublime & elevatum, ac per omnes circumductum amplitudinis gyros: ita ut eruditorum oculos latè extendere atque extollere in altum possit, imperitis caliginem afferat. Inde Librariorum coorti errores, dum, quod ipsi non capiunt, nimium esse, aut, quod non cernunt, obscurum, aut, quod est inversum studio auctoris, depravatum putant; & de Librariis emendatores facti, ubi plus adhibent judicii, ibi minùs intelligunt. Horum igitur depravationes, quas tantâ diuturnitate temporis tantàque barbarie necesse fuit esse quamplurimas, multis fretus exemplaribus corrigere aggressus feci, quod tu jussisti, etiam feci, quàm potui, diligenter, ut huic novæ mireæque industriæ impressorum ipse quoque pro virili auxiliarer. *Deinde*: Quod ad me attinuit, nusquam curiosus interpres aut divinator, nihil præter meum laborem & diligentiam attuli, quæ utinam tanta fuerit, ut Librariorum tollendis erroribus satisfecerit! Certè in hoc fuit maxima, ut Livii majestatem affectatione ingenii nusquam minuerem. *Andreæ velut præscriptum unâ cum præfatione expresserunt (ita tamen, ut identidem ab eo recesserint)* MEDIOLANENSIS *artem & impensas laudans* Philippi Lavagniæ MCCCCLXXVII: TARVISINA UTRAQUE *referens has Decades à* Luca Porro *diligentissimè recensitas, prælo supposítas fuisse â Jo. Vercellensi* MCCCCLXXXII: *& iterum quinto; quæ duæ sunt editiones diversæ per omnia; non, ut nunc interdum illudunt, primum modò folium cum anno habent mutatum: duæque* VENETÆ, *quæ per* Bartholomæum de Zanis *à Portesio summâ industriâ se conditam cantat* MCCCCXCVIII, *& quæ per* Georgium de Rusconibus *Mediolanensem* MDI. *Non multò serior, si non antiquior, quibusdam, est* BECARIANA, *charta* ἀκατάτυχω, *(& primam eâ formâ contractam hanc censeo, nec vidi, nisi quòd habeo ejus*

***

11. Et Romæ 1495. & postea.

ſpecimen à Tobia Andreæ donatum) diſſimulato [12] *loco & tempore unam præferens utriuſque notam,* Auguſtini Becharii *Sacerdotis ad Studioſos alloquium, quod teſtimonio Quintiliani, Hieronymique ac Plinii narratiuncula de Gaditano Patavinum viſente conſtat. Ab eodem Becharo Juſtinum M. Antonio Coccio Sabellico recognitum prodiiſſe teſtatur Matt. Berneggerus. Proxima mihi oblata eſt, quam* LUTETIÆ MDXIII. *emiſit* Iodocus Badius Aſcenſius *. is lectorem monet ſuperiore conatu ante biennium operas ſuas deceptas codice, qui M. Sabellicum exactorem prædicaret, pluſculas mendas non exemiſſe: quo ſeriùs comperto ſe curaſſe reliquias Livianas cum decem diverſæ monetæ aut ſcripturæ exemplaribus conferri à* Gerhardo Vercellenſi Burgundo. *Atque hæ omnes libro tertio & trigeſimo magnaque parte quadrageſimi, finitæ ſcilicet in his verbis cap.* XXXVII. per omnia fora conciliabulaque edixerunt, *deſtituuntur: ego autem præter Campanicam & priorem Tarviſinam, ut inciderat, quod, quemadmodum aliquando lectum eſſet, noſcere animus ferret, uſus ſum. Præter has video laudari à* Robortello Melchiori Sueſſæ *(Parmæ anno 1480. Fabric.) elaboratam, & ab aliis* Antonio Zarotho *ex recenſione* Petri Juſtini Philelphi *impenſis Jo. Legnani* MEDIOLANI MCCCCLXXX. *confectam. ſed hæ, & complures, opinor, aliæ oculos meos fugerunt. Anno proximi Sæculi octavo decimo provenit* MAGONTIACENSIS *apud* Jo. Schefferum *Jo. Fauſti Nepotem. hæc addidit ex membranis bibliothecæ in æde ibidem maxima & metropolitana, D. Martini appellata, partem libri tertii & trigeſimi à capitis* XVII. *his verbis:* Arctis faucibus Acarnaniæ cohærens: *etſi legatur illic:* iis partibus cohærens: *& quod deerat libro quadrageſimo uſque ad finem. Ulrichus Huttenus ad Albertum Brandeburgenſem Cardinalem & Epiſcopum Moguntinum, Eraſmus Roterodamus ad Miſobarbaros atque eoſdem Philomuſos præfixis epiſtolis eam honeſtarunt. Nicol. Carbachius & Wolfg. Auguſtus (quos imprimendis illic loci libris eandem operam præſtare, quam poſt Aldum Venetiis Egnatium, Romæ doctos quoſdam, Baſileæ Beatum & Amorbachios, Argentinæ Gerbellium ait Huttenus) corrigendo præfuerunt: & quia in eodem volumine Longobardicis literis ſcripto ultimi quoque ſeptem libri de bello Macedonico reperiebantur, hoc negotii ipſis à Scheffero dato, eos cum vulgatis contulerunt. Eæ lectiones variæ, paucis in contextum admiſſis, poſtremas operis paginas faciunt. Circa idem tempus* ALDINA *minoris formæ incudi cœpta eſt tradi; curam ejus habuit* Franciſcus Aſulanus *& quamplurima optima, & antiqua & manu ſcripta exemplaria è bibliothecarum latebris collegiſſe, atque*

12. Hæc Editio Pariſiis prodiit ex Sabellici recognitione cum Auguſtini Becharii alloquio ad ſtudioſos apud Badium Aſcenſium anno 1511. Fabricius.

ex omnibus hoc tandem lucidum atque ab omni parte integrum conſtaviſſe ſeſe in Præfatione tertii tomi ad Jo. Baptiſtam Turrianum profitetur. Primus eſt abſolutus menſe Decembri MDXVIII. *alter menſe Februario* MDXIX; *tertius cum augmento Magontiacenſi menſe Novembri* MDXX: *& in ſeptem, quos dixi, libris Aſulanus ubique ferè iſtius codicis (utique aliis præferendi, etſi nonnulla illi melius, & delectu opus fuerit) lectiones recepit. Hujus auctoritatem ſecutæ vulgares, quæ nunc habentur, tantopere in ea parte ab ſuperioribus diſſentiunt: in quo, priuſquàm ipſum Schefferi experimentum caſus in auctione quadam ad me detulit, diu anxius & ſollicitus pependi.* FLORENTIÆ hæredes Philippi Iuntæ MDXXII *per Aldina veſtigia inceſſerunt, præpoſito etiam carmine in laudem Aſulani. Succeſſit anno* MDXXVIII Eucharii Cervicorni COLONIÆ, *ut puto, inſtituta. Multa ille ad lectorem gloriatur & imputat ſiduciæ plena, quæ tamen in contrarium vertiſſe valdè ſuſpiceris, ſi verba conſideres. Ait enim* integrum ſanumque hîc haberi, qui multis verborum ſententiarumque vulneribus diſcerptus olim elanguerit; lenem & nitidum, qui nuper fœdis emplaſtris olidiſque malagmatis margini impactis horridus, deformis & obvolutus viſus ſit. Nam ubi lectio fortè variaverit, & inter exemplaria non convenerit, ea delegiſſe ſe, idque judicio doctorum hominum, quæ auctoris genuinæ phraſi viciniora fuerint viſa, & ſententiarum verborumque commiſſuræ magis adſinia: ne ſcilicet imbecilliora ingenia & variæ lectioni non adſueta inter tot ambages hallucinarentur, fraudarenturque dulci intelligentiæ fructu, & ne quis lectionem Livianam aggreſſus, & mox inter tot opinionum ſcopulos & diverſæ lectionis ſyrtes adhærens, velut angue conſpecto, πολλυφορε δρυτα. *Hæc tam magnifica dicta utrum factis æquaverit, necne, ignoro: nam ipſius examinandæ nobis otium non fuit, & , tantum quod his inde deſcriptis, oculis ablata eſt. Bladianam, opinor, criminatur fœdis emplaſtris olidiſque malagmatis oblitam: cujus in ora video aſteriſcis ſignata dubiæ ſcripturæ loca, & nonnunquam eorum emendationem tentatam; ſed hæc potius laudanda & induſtria & modeſtia erat. Itaque nihil hac inſultatione deterritus, anno ſequenti* LUTETIÆ *ex officina Nicol. Saveterii Livium emiſit* Andreas Leveſcatius, *ſanè cum eo, quod Magontiaci acceſſerat, nec uſquequaque adhærens per Badium in ipſum corpus receptis: de marginibus tamen eaſdem notas, tanquam haud inutiles repetivit. Annus delapſi ſæculi primus & trigeſimus novo rurſum nos proventu beavit: tum in* HELVETIIS Simon Grynæus *ultimos quinque libros, repertos in membranis apud Monaſterium* Lauriſſenum, *vulgò* Lorſſenſe, *è regione* BORBETOMAGI *trans Rhenum, per* Jo. Frobenium, *publicè exhibuit. Dignatus eſt hanc quoque prologo Deſiderius ad Car.*

Montjoium: & ſcribit archetypon fuiſſe admirandæ vetuſtatis, priſco more literarum perpetuâ ſerie ita depictum, ut difficillimum foret, verbum à verbo dirimere, niſi docto & attento & in hoc ipſum exercitato: unde non parum negotii fuiſſe in parando exemplari, quod operis utendum traderetur: nec minore curâ quàm fide advigilatum eſſe, ne uſquam in deſcribendo ab archetypo recederetur: adjecta eſt Henrici Glareani *Chronologia.* Hæredes Aldi Manutii & Andreæ Aſulani *biennio pòſt ex hac tribus prioribus quartum tomum addiderunt.* (an. 1533.) Beati Rhenani & Sigiſmundi Gelenii *quando apparuiſſet ſociatus labor, cum dubitarem, Conr. Geſneri Bibliothecam conſului; etſi citra illos, quos recenſui, tanquam remotiores, aciem intentionis abruptam habuiſſet, hos tamen obvios, tum utique, ac propinquiores ſubtilius perſecutum ratus. At illa me à primo magis implicuit. nam ſub Beati nomine, annotationes utriuſque in extantes Livii libros* LUGDUNI *ſeorſum narrat exiiſſe anno* MDXLII, *ſub Sigiſmundi Baſileæ cum ipſo Livio & ſeorſum* LUGDUNI MDXLI: *cum interim* Glareanus *ſuas Carolo V. Imperatori inſcriberet* MDXL, *& ibidem laudaret Frobenianam editionem operâ & diligentiâ Rhenani & Gelenii fultam. Recurro ad ea, quæ ſub Titi Livii nomine priùs lecta parum ſatisfecerant: & ibi invenio Decades tres cum dimidata una, cum emendationibus & annotationibus doctorum quorundam virorum prolatas à Frobenio* MDXXXV. *Hanc igitur eſſe decrevi, quam quærebam: & nunc ipſum, dum hæc ſcribo, in auctione volumen nactus, præter expectationem video. Eraſmus hic quoque in limine alloquitur Montjoium, & Gelenius Franciſcum Delphum, ab Rhenano in conſortium hujus provinciæ ſe ultrò adſcitum teſtatus. Decimo libro ſubjectum quod in ſcriptis nonnullis habetur:* Nicomachus dexter V. C. emendavi ad exemplum parentis mei Clementiani. Victorianus V. C. emendabam Domnis Symmachis. *Hos excepit Glareanus, quo dixi, primùm* (*anno* 1540. *Baſileæ.*) *Quid autem de his ſenſerit P. Victorius, prodit ad quartum Rhetoricorum ad Herennium, ſcribens:* Germani autem nuper eum locum reſtituerunt, qui T. Livii libros, quos temporis vetuſtas & hominum incuria non abſumpſit, ſummâ curâ & diligentia emendatos ediderunt. *Anno* MDLIV Sebaſtianus Gryphius *charta ſωδεκατύχῳ & minuto caractere primus arctavit Livium, præpoſitâ Eraſmi tantum ad Montjoium epiſtolâ, nihil ipſe pollicitus: deprehendimus tamen quædam novaſſe. Inſequente* MDLV Cœlius Secundus Curio Hervagianæ *auxilium præſtitit, & ſuper iſtorum* Vallæque Laurentii & Sabellici Coccii *mixtas animadverſiones, ſeſe ad ducentos emendaſſe locos & priſtino nitori reſtituiſſe teſtatur. Eodem ipſo* Paulus Manutius *auctorem noſtrum ab* Car. Sigonio *omnem ſcriò caſtigatum, cum ejuſdem locupletibus Scholiis, etiam in Epitomas amiſſorum librorum, quas priores neglexerant,*

& nova Chronologia publicavit. Quo plauſu exceptum, dicat Had. Turnebus XI Adverſariorum: Erroribus Livii exhauriendis bonam fidelemque navavit operam, vir eruditiſſimus Carolus Sigonius: quem ego & antiquitatis peritiſſimum & bonorum ſcriptorum intelligentiſſimum & eruditiſſimum nominare meritiſſimo poſſum: ut ſi quid reliquum ſit in Livio, perexiguum videri debeat, in quo levi parvâque operâ alii defungantur. *Scholia ſequenti anno & Chronologiam octuplicatâ chartâ, tomo ſingulari dedit habenda Baſileæ* Nic. Epiſcopius. Paulus *repetivit ſuam anno* MDLXVI: *in quæ plus detraxit ſcholiis quàm addidit* Sigonius: *eaque ſic retractata, interpoſitis, quæ aut objectaverat* Robortellus, *aut ſuorum excuſaverat* Glareanus, *in* FRANCOFURTENSEM MDLXXXVIII *tranſtulit* Fr. Modius.[13] TERTIAM *cum ſolis Sigonianis ſuppeditavit* Aldus Nepos MDXCII: *cui acceſſere* Car. Sigonii *Livianorum Scholiorum aliquot defenſiones adverſus* Glareanum & Robortellum. Jani Gruteri *tribus nomen eſt editionibus volentis præpoſitum* Francofurti,[14] *bis octuplici dein duplici chartâ; indigniſſimè poſtremæ, quæ per abſentiam auctoris & exceſſum, (cui primis præfationis verbis mirificum omen dederat) per operarum incuriam & correctoris impudentiam mendis ſcatet. Anno* MDCXV BAMBERGÆ *Hectore Cotzavio Imperialis Eccleſiæ Decano bibliothecam publicam recognoſcente ac transferente*, Jo. Horrion *S. I. Sacerdos, dum ſingulos codices excutit, in membranas incidit, quæ complures T. Livii libros, in his partem priorem* XXXIII. *adhuc deſideratam ſervabant. Unde exemplum factum Fran. Bartolino Urbinati non invidit: atque is id* VENETIIS[15] *cum* Ant. Quærengi *notulis; multò correctius ipſe inventor* PADERBORNÆ MDCXVII *protulit; tacito ille quidem per modeſtiam nomine, ſed illud me docuit, qui etiam rariſſimi & ad eum diem incogniti mihi libelli copiam fecit, Bern. Rottendorfius. Scio fuiſſe viros doctiſſimos, qui de hujus fragmenti veritate dubitaverint: ſed hi paſſi ſunt aliquid humanum, & quale modo videbam in Fr. Aſulano, qui in limine primi tomi Aldini, accuſatis typographis Florentinis, queritur aliud ge-*

---

13. Imò quartam, nam Paullus Manutius tertiò Livium edidit cum Sigonio Anno 1572.

14. Imo bis in fol., & ſemel in 8. Harum editionum prima eſt Francofurtenſis Anno 1608. fol. capitibus tum primùm ab Grutero diſtincta, additis ad calcem voluminis annotationibus Laur. Vallæ, Sabellici, B. Rhenani, Gelenii, Glareani, Godelevæi, Modii, Fulvii Urſini & Marcelli Donati, admixtis Gruteri & aliorum Virorum doctorum obſervationibus, & ſubiecto locupletiſſimo ad Livium indice. Altera item prodiit Francofurti Anno 1619. 8. Et tertia, cui, cum ultimam manum impoſuiſſet Auctor, non integrum menſem ſupervixit 20. Sept. 1627, defunctus, lucem vidit Pariſiis Anno 1628. fol. Fabricius.

15. Anno 1616. 8. apud Baptiſtam Ciottum. Fabricius.

nus ſceleris commiſiſſe Baſileenſes: hiſtoriam enim quandam rerum Romanarum ſub nomine Paterculi *edidiſſe, in quo nihil ferè legatur, quod Auguſti tempora redoleat, quibus eum floruiſſe velint. Nimirum in ſimilibus deprehenſa fraus, efficit, ut nondum benè perpenſis etiam veris boni diffidant. Hæ maximè conſpectæ editiones, hæc incrementa, hi vindices ſunt partis T. Livii, quæ Libitinam vitavit: quorum in honorata turba ſi vel imo loco me adhæſiſſe feret poſteritas, eſt, cur me laboris exhauſti, de quo ne ſummis quidem facilè conceſſerim, minimè pœniteat. quod autem perſæpè opinionibus illorum non ſubſcribo, cave obtrectationis id factum invidiâ ſuſpiceris. Ego verò & præclaros fuiſſe omnes & egregiè animatos optimeque de Livio meritos lubens confiteor. Scio etiam nemini hæc ſtudia curioſius tractanti tam præſentem ſemper animum fuiſſe, ut nuſquam impingeret: mihique nihilo majorem felicitatem ſpondeo: nec ſi quid in quemquam acriùs dixiſſe videbor non tam in illos dictum dolentibus, quàm ne in ſe idem majori jure dicatur verentibus, id quo minus ipſe ſimiliter deprehenſus patiar, intercedo. Nam qui levia nonnumquam conſectatum judicabunt, illud cogitent, non omnibus idem, quod ipſis, leve cenſeri: neque ullum tam levè erratum hominibus tantæ æſtimationis excidere, ut non trahat imprudentes multos, niſi commoneſiant: tum non ſe plus ſapere Patriarchâ Aquileienſi Hermolao Barbaro, qui negat,* in Plinio damnandos eſſe *(ſic loquitur modeſtè: vult autem dicere, eos demum juſtâ induſtriâ perfungi)* qui ne ſyllabam quidem pati poſſint malè collocatam. *Caterùm ut, quæ meis orſis præterea fuerint auctoritates, ne ignores, fidemque meam explorare, ſi libeat, poſſis, primos decem libros de meo oleo & ſedulo contendi cum ſcriptis Iſaaci Voſſii duobus, B. Rottendorſii, Gudiano, Thuaneo ſingulis, quorum Gudianus ab initio tres ferè libros & particulam quarti: Thuaneus cum ſexto reliquos integros continebant. Obiter & vellicatim conſului de quibuſdam locis Oxonienſem Collegii Novi, regium Lutetiæ, aliquot Florentinos. Excerptas varietates optimi omnium partis hujus Florentini, partim Lucas Langermannus, conſobrinus meus (qui & Helmeſtadienſis) partim Marquardus Gudius ſubminiſtrarunt: Buſlidiani & Chifletiani Albertus Rubenius: trium quondam Palatinorum codicum fide Jani Gerhardi Suffridus Sixtinus. Puteani quoque fratres ſchedas parentis ſui Claudii, in quibus ex Ful. Urſini & Jac. Cujacii membranis paucula quædam properata erant, ultrò ingeſſerunt. Ab iiſdem in bello Punico ſecundo Cynoſura nobis fuit liber, quo de Tito Livio nihil nec antiquius nec ſanctius Europa cuſtodit, majuſculis literis, & planè qualibus ille Florentinus ex Piſano Pandectes, exaratus. Hic ſolus largiorem bonarum rerum, quàm quicquid eſt reliquorum, ſeſe nobis præſtitit: & inde judicium faciendum, quantum non in Livio tantum, ſed in aliis quoque priſcis auctoribus reſtituendum reſtet, ſi ad illud*

ævum pretiumque codices nanciſcamur. Etſi autem ſollicita cura nullum apicem tam fidæ manus non perſecutum eſſe me credebam, tamen, quia tantum in uno ad omnia momenti erat, diffiſus oculis meis, à Cl. Salmaſio, ut libri, in cujus marginem pleraſque minoris ponderis varias, cum chartis, in quas inſigniores emendationes retulerat, quam fortè in colloquio oſtendiſſet, copiam mihi faceret, haud gravatim impetravi. Alexander Petavius Pauli F. Claudio Sarravio parario duos, unum pervetuſtum & iſti primigenio fideliter ut plurimum adhærentem, aut ſic ab eo diflectentem, ut cauſa appareat, alterum etiam non malæ notæ; Iſmael Bullialdus ex Bibliotheca regia; Claudius Menardus Andibus ſuum ſingulos, non nimis quidem antiquos, ſed tamen non ſpernendos, quia ex probatis tranſlatos, præbuerunt: ex quibus tres ſolidos, meliorem Petavianum, quia ſeriùs noſſe cœperam, aliquandiu perpetuum, deinde illuſtrioribus locis, adhibui. Idem in compluribus Florentinis & Barberino, L. Holſtenii apud Cardinalem Franciſcum gratia, per temporis anguſtias mihi Romæ licuit. Acceſſere inter ipſum opus Voſſianus & Gudii unus integer, alterius paucæ ſchedæ opifici, qui ſorores earum jam corruperat, vix pretio ſubductæ. Per eundem nonnullis è Florentinorum præcipuo in Addendis hujus tomi frueris. Belli Macedonici primi & Aſiatici cum Antiocho exemplaria ſcripta ex Barberinâ, Gabrielis Naudæi Petaviana, Voſſiana (hoc chartaceum, cætera omnia, quorum memini, in membranis erant) ſingula accepi, & integra cum vulgatis relegi: Oxonienſis, Florentini, & Venetus cœnobii D. Antonii (cujus aditum Jac. Philippus Thomaſinus mihi fecerat) aliquibus locis conſulti ſervierunt: ſed in nullo plus habebatur, quàm in editis ante Magontiacenſem fuiſſe diximus. Ex Buſlidiano quoque ad utrumque poſteriorem tomum communicavit quædam Rubenius. Quæ Muretus alia è veteribus libris notata, alia divinatione colligens, ſignis appoſitis, unde dignoſci poſſent, ad Sigonianam primam conjecerat, ea Patrum S. I. quæ Romæ eſt, voluminis dominorum, humanitati & ſingulari officio Gudii debeo. Sed & Tanaquillus Faber Salmurio mini atutulis ſuis miſſis munus noſtrum inſigniter ornavit. Epitomas Barberinæ, Voſſianæ, & binæ Gudii membranæ juverunt. Hæc fuere cœptis meis præſidia: quæ dum conquiro, vides, amice lector, quæ vincula ſubire, quantum æris alieni, quàm difficulter atque ægrè expungendi, contrahere me oportuerit. Sed adeo me ſtimulat, fodicat, vellicat infinita quædam cupiditas literarum excolendarum, ut, unde T. Livii ſinceritatem & dignitatem augeri, unde periculum hoc apparatius effici, & tuis ſtudiis aliquid utilitatum afferri poſſe opinabar, nihil recuſarim. Quare etiam libens ac prolixo animo, quotquot hoc beneficio me obnoxium tenere viros honoribus, virtutibus, eruditione ac ſcriptis eminentiſſimis merito prædicavi, iis hîc publicè eo nomine laudes grateſque ago: &, ſi quid ex ſententia ceſſit, non tam labori meo, qui utcunque gnavus, non tamen pari ingenio doctrinâque ſuſtentatus fuit, quàm illorum copiis & benignitati adſcribendum profiteor. Vale, & noſtris Muſis, dum frueris, fave.

EX BALTHASSARE BONIFACIO
De Romanæ Hiſtoriæ Scriptoribus.

Ubi de Livii præſertim Patavinitate.

TITUS Livius Patavinus, lac Muſarum, mare tranquillum, anima eloquentiæ, eorum, qui nunc ſuperſunt, ſcriptorum Romanæ Hiſtoriæ longè princeps, lacteâ quadam ubertate dictionis divinitùs facundus, amans virtutum, oſor vitiorum, rectus judicii, rerum togæ, rerum ſagi, etſi non ex uſu, neque experientiâ, egregiè tamen peritus, ab urbe Condita ad Divi Auguſti ævum centum & quadraginta libris divinas illas lucubrationes perduxit, quarum tamen longè maximam partem, ingenti rei literariæ jacturâ deperditam, nunquam fortaſsè inventuri, deſideramus; nec tanti operis reliquos habemus niſi quinque & triginta libros. Solus hic mortalium dignus cenſetur, cujus propè invicto calamo populi omnium gentium victoris res geſtæ ſcriberentur. Neque ſanè mirum videri poteſt ſapientiſſimum regem Alphonſum Aragonium ſummâ ambitione, & conatu petiiſſe à Patavinis brachium hujus viri, quo præclara illa commentaria deſcripſit. Nullius certè libri tam libenter, ut inquit Regius, nec tanta cum voluptate lectitantur; nimirùm, quòd melleâ quadam dicendi ſuavitate exundare videtur; quâ vel in quotidiano, & familiari ſermone adeo polluiſſe vir ille traditur, ut complures, nobilitate, opibusque præſtantes, tam admirabilis facundiæ famâ permoti, ex ultimis Hiſpaniæ Galliæque finibus, quo eum audirent loquentem, Romam ſeſe contulerint: Et, quod eſt maximè mirandum, quos tantæ Urbis, ac tum præcipuè florentis, ac triumphantis, contemplatio ad ſe anteâ non traxerat, unius viri eloquentia perduxit. Quò major ſit eorum inſcitia, qui Patavinitatem quandam in Livio reprehendunt, quam diſperearn, ſi Aſinius ipſe, tam ridiculæ inventor calumniæ, quid eſſet, ſciebat. Dubitatum quidem ſemper eſt ab eruditis, pendetque etiamnum inexplicata quæſtio de Liviana Patavinitate; nonnullis exiſtimantibus delicatum Pollionis Aſinii palatum viſum ſibi fuiſſe aliquid in Livio guſtare, quod non uſquequaque ſaperet genium Romani ſermonis. Credentibus aliis hoc nomine peregrinitatem orthographiæ fuiſſe reprehenſam; ſcribebat enim, ut ex lapidibus antiquis colligitur, *ſibe* & *quaſe*; pro *ſibi* & *quaſi*. Quod primus, niſi fallor, obſervavit Laurentius Pignorius,

alter

alter Patavinorum Livius, originum patriæ, atque adeo totius vetuſtatis ſolertiſſimus indagator. Contendentibus aliis eam Patavinitatem nihil aliud eſſe, quam iterationem ſimul plurium in eiſdem periodis verborum. Quibuſdam volentibus ſtudium partium Pompeianarum illam eſſe Patavinitatem ab Aſinio notatam. Denique non paucis ſuſpicantibus patriæ ſuæ, ſuorumque civium laudes, parte operis jam deperditâ effusè amplificatas, hac voce cenſeri. Senecæ Livius creditus eſt fuiſſe ingenii magni magis, quàm boni. Bodinus accuſat in Livio dicendi varietatem, interdum enim valde copioſus eſt, interdum verò conciſus; contra quam fecit Polybius, ſibi ſemper æqualis: Caius autem Caligula Maronis & Livii ſcripta, ac imagines, teſte Suetonio, minimum abfuit quin ex omnibus bibliothecis amoverit, accuſans alterum nullius ingenii, doctrinæque perexiguæ, alterum verboſitatis, & negligentiæ. Cæſar quoque Antoninus in ſuo illo pſeudhodœporico exprobrat Livio malam fidem, quod Thuſcorum clariſſimis rebus geſtis inviderit: Denique Glareanus Livium bellicoſæ Gallorum gentis egregia facinora odioſè tractare, virtuteſque illorum malignè elevare conqueritur. Quibus apertè reclamat verendæ auctoritatis, & acris judicii vir Cornelius Tacitus, cui Titus Livius eloquentiæ ac fidei præclarus in primis habetur. Sed nemo de hoc melius judicavit quàm Fabius Quintilianus, cujus illa ſunt: *Non indignetur ſibi Herodotus æquari Titum Livium, cum in narrando miræ jucunditatis, clariſſimique candoris, tum in concionibus ſupra quàm enarrari poteſt eloquentem; ita dicuntur omnia cùm rebus, tum perſonis accomodata: Sed affectus quidem, præcipuè eos, qui ſunt dulciores, nemo Hiſtoricorum commendavit magis.* Plinius præfatione operis Livium auctorem celebrem vocat. Seneca, ſibi parum conſtans, diſertiſſimum appellavit, tantæque probitatis, ut liqueat eum ſenſiſſe, quæ ſcripſit. Marcus autem Annæus Rhetor aſſeruit illum fuiſſe naturâ candidiſſimum omnium magnorum ingeniorum æſtimatorem. Philippus Comminæus Livium exiſtimavit eſſe Latinorum Polybium, omnibuſque ſenatoribus, & rerum publicarum gubernatoribus perlegendum. Iſaacus Caſaubonus ad Livium tranſtulit illud Senecæ Rhetoris de Oratorum principe encomium. Populum Romanum hujus unius ingenium par imperio ſuo habuiſſe. Et quidem certè adeo viſus eſt nonnullis cum Cicerone conferendus, ut non dubiverint affirmare, Ciceronem ipſum, ſi ad ſcriptionem Hiſtoriæ totam illam vim forenſis facundiæ convertiſſet; futurum fuiſſe Livio noſtro aliquantò inferiorem.

****

EX CAROLI SIGONII PROOEMIO ad Scholia quibus T. Livii Hiſtoriæ & earum Epitomæ, partim emendantur, partim explanantur.

De germano Livianorum Librorum Titulo & Indice, deque diviſione in Decades.

QUanquam non eſſe Livianorum librorum Indicem illum, qui vulgò fertur, verùm à Grammatico aliquo parùm ſcitè fuiſſe aſſictum, cum multis aliis ſummis ſuperioris memoriæ viris aſſentior, tum maximè Franciſco Petrarchæ, qui in primo libro rerum memoratarum, & in epiſtola ad Joannem Certaldenſem non obſcurè quid ipſe de ejuſmodi re ſentiat, edit his verbis: *ſed heu quantam ætatis noſtræ maculam! Hujus tam ingentis, tamque egregii operis vix portio ſubeſt exigua quidem: cùm in Decades vel ab ipſo conditore, vel, quod magis reor, à faſtidioſis poſtmodum lectoribus, ſectum foret, ex quatuordecim niſi tres Decades ſuperſunt.* Item: *Quod niſi fallit exiſtimatio, fruſtraturque memoria, propè ad eandem litterarum congeriem videtur accedere, vel T. Livii Romanarum rerum liber ingens, quem in partes, quas Decades vocant, non ipſe, qui ſcripſerit, ſed faſtidioſa legentium ſcidit ignavia.* Hæc ille. Id autem ita eſſe, ex Grammaticis etiam veteribus, ut Priſciano, Diomede, Cenſorino, & eo demum qui ſingulorum horum librorum Epitomas ſcripſit, facilè intelligi poteſt: apud quos animadvertere licet in hac Hiſtoria nominanda nullam *Decadum*, perpetuam librorum, in quos ipſa deſcripta erat, fieri mentionem Quod facturos eos aliquando fuiſſe credendum eſt, niſi jam mortuis illis ejuſmodi Index celebrari cœpiſſet. *Decadum* autem nomen probabile rediddiſſe videtur numerus librorum, qui à T. Livio ſcripti eſſe dicuntur cùm XIV. Decades in CXL. Libros (tot enim ab eo editos eſſe vulgò creditur) rotundo quodam numero dividantur. Verùm & hæc falſa opinio eſt. Idem enim Petrarcha CXLII ab eo ſcriptos eſſe tradit: idque nos ita eſſe in ſcholiis Epitomæ libri CXXXVI oſtendimus. His igitur adducti rationibus, germanam horum librorum Inſcriptionem reſtituendam eſſe putamus hanc: T. LIVII PATAVINI HISTORIARUM AB URBE CONDITA LIBRI CXLII. Ex quibus tamen cùm ſuperiorum ſæculorum incuriâ CVII. interciderint, cogimur eos XXXV. tan-

Digitized by Google

tummodò nominare. *Hiſtorias* autem eum credo idcircò ſcripſiſſe ut hic liber diſtingueretur ab iis, qui *Annales* appellabantur: ſiquidem aliud erat *Annales*, aliud *Hiſtorias* ſcribere. Nam *Annales* (ut à veteribus accepimus) tantummodò quod factum, quoque anno factum eſſe demoſtrabant: *Hiſtoriæ* verò non ſolùm id quod geſtum eſt, ſed etiam quo conſilio, quaque ratione geſtu, eſſet, indicabant; cùm autem primis temporibus omnes, qui de rebus Romanis ſcriberent, Annales conficerent, ut Pictor, ut Piſo, ut Fannius, ut Libo; poſtremò etiam Hiſtoriæ ſcribi cœptæ ſunt, ut à Cœlio, à Tuberone, ab Aſellione, à Siſenna, à Salluſtio, à Livio. Itaque cùm qui Hiſtorias ſcriberent, alii aliunde ſcribendi initium facerent, Livius, ut & ipſe ſcriptionis ſuæ & genus & initium indicaret, HISTORIAS AB URBE CONDITA nominavit: nimirùm intelligi cupiens, ſe à primordio urbis (quemadmodum ipſe in principio profitetur) res Romanas eſſe ſcripturum. Atque hoc quidem etiam conſilio Salluſtius uſus, libros Hiſtoriarum complures edidit, quibus res (ut opinor) populi Romani quibus ipſe interfuit, ſe perſcripturum eſſe teſtatus eſt.

EX EODEM, DE EPITOMIS.

EPitomas porrò, id eſt, ut ego interpretor, brevia ſingulorum librorum argumenta, unicuique libro præfixi: ut quiſque breviter ac facilè, quid in quoque libro contineretur, cognoſcere, ac qui Liviani libri intercidiſſent, & quantum in iis amiſſis acceptum detrimenti eſſet, intelligere poſſet. Nam ſive à Livio, ſive à Floro, ſive ab alio quo ſcripta ſunt (hæc enim omnia traduntur) ad Romanas certè res illuſtrandas accommodatiſſimæ ſunt, præſertim verò ubi Liviana Hiſtoria excidit. Quà in parte Livianam apud quemque obtinere debent auctoritatem.

EX JOANNIS SAXONII HATTESTEDII ad T. Livii Hiſtoriarum ab U. C. Libri XXI. Commentarium, Præfatione,

De eadem partitione per Decades.

DIſſenſio eſt inter eruditos, rectène, an ſecùs, Hiſtoria Liviana in *Decades*, hoc eſt, Decurias, ſive denos libros ſit diſtributa. Cœlius Rhodiginus & alii quidam Itali, homines docti, exiſtimant ab ipſo Auctore in *Decades* diviſam eſſe; hoc argumento moti, quòd unicuique Decadi ſua Præfatio præpoſita eſt: nec auctorem ita facturum fuiſſe, niſi ſingulis Decadibus inchoandis, cum pauliſper interquieviſſet, & quaſi reſpiraſſet, veluti novi operis exordio ſumpto, diſtinctionem facere, atque ita Hiſtoriam dividere voluiſſet. Vt enim ipſos Annales in libros, ita libros eum deinceps in Decades partitum videri. Hanc opinionem præcipuè Sabellicus (quo nemo, meo quidem judicio, formam orationis Livianæ, aut majori diligentiâ eſt imitatus, aut expreſſit feliciùs) approbare videtur: qui ut Livius ab urbe condita per Decades, ita ab orbe condito libros ſuos inſcriptos ac denominatos, per Enneades diſtinxit. In contraria ſententia ſunt, Franciſcus Petrarcha, Petrus Crinitus, Angelus Politianus: propterea quòd neque Florus, qui ſingulorum librorum Livianorum argumenta ſcripſit: neque Priſcianus Grammaticus, cum libros Livianos allegat: neque alii veteres ullam mentionem Decadum faciunt, ac Livium non per Decades, ſed adſcripto librorum numero citant. At Petrarcha non per ipſum Livium, ſed per faſtidioſam legentium deſidiam, Hiſtoriæ in Decades diſtributionem factam eſſe arbitratur. Hoc nobis quoque placet, ut credamus hanc diviſionem factam aut à Librariis, aut ab illis qui Bibliothecis præfuerunt.

EX JOACHIMI GRELII EPISTOLA NUNCUPATORIA præfixa Chronologiæ in T. Livii Hiſtoriam, accommodatæ ad Tabulas Capitolinas.

APud Hebræos, quorum Reſpublica ab ipſo Deo inſtituta eſt, Prophetæ *verba dierum* (ſic etenim Hebræi ea vocant) id eſt, Annales & Faſtos conſcribere ſunt ſoliti: & inde cùm ad alias gentes orientales, utpote Chaldæos, Ægyptios & Perſas; tum denique ad Romanos hoc idem inſtitutum defluxit, ut libri Faſtorum, in quos cujuſlibet anni res inſigniores, cum menſis atque diei

annotatione referrentur, à Pontificibus, vel Sacerdotibus conficerentur. Posteà verò id sapientissimorum populorum institutum viri docti secuti, rem eò deduxere, ut nulla ferè civitas vel Respublica extiterit, cui sui antiquorum temporum observatores, Fastorum scriptores non fuerint. Sic Asia Charaxem Pergamenum, Ephesiumque Andronem, Persia Merasthenem, Ægyptus Appionem, Judæa Philonem: Africa Eratosthenem; Græcia Archilocum; Peloponnesus Hippiam; Lesbus Theophrastum; Athenæ Dexippum; & Apollodorum habuisse leguntur. Nec minùs hac parte sapientiæ, quàm aliis artibus quamplurimis apud Romanos claruere. Nam, ut nominibus eorum abstineam qui Historiis scriptis, earum occasione tempora notarunt, Fastosque Magistratuum digesserunt, quorum prolixus admodum est numerus; sanè tot in hoc studio versati fuerunt, ut cum cæteris gentibus omnibus hac in parte certare queant. Non eos à prima orbis origine repetere libet, ut cum hæc ad id fastigium perveniisset, ut & Imperii magnitudo, & Imperatorum felicitas, populique Romani virtus, ingeniis præclaris ampliſſimam scribendi materiam suppeditarent, reperti tamen fuere, qui ex temporum notatione non minùs laudis, quàm Historiarum conscriptione se adepturos esse arbitrarentur. Siquidem ipse Cicero, tum cum Respublica Romana florentissima esset, se tres libros versibus de suis temporibus scripsisse gloriatur. Et quantis idem laudibus Atticum suum extollit, qui magnâ curâ notatis observatisque temporibus 700. annuorum cursum uno libro collegerit. Præclara quidem, dignaque laude hæc Attici opera: at non levior Verrii Flacci censenda, qui sub Augusto, Fastis præcipuorum Magistratuum à se ordinatis, marmoreoque parieti incisis, ibidem loci juxta Vestæ ædem statuam meruit, aliosque post se ad similis argumenti tractationem invitavit. Nam hunc cùm alii, tum M. Aurelius Crator, Antonini libertus, & Chrysorus imitati nomina & tempora annuorum Magistratuum usque ad suam ætatem perpetuavere, sicuti & hos subsecuti Ausonius, Aurelius, Cassiodorus. alii nonnulli, itidem non sine laude fecerunt: id præcipuè spectantes, ut Historia Romana certâ veraque temporum ratione constaret, nec horum incertitudine perturbata, cœca mutilave efficeretur.

Verum enimverò etsi tanta populorum, ut certam temporum descriptionem haberent, cura fuerit, doctique in ea eruenda & adornanda omni studio laborarint: tamen vel quod plerique res citra publicam & probatam fidem, ut Metasthenes, existimat, vel per opinionem atque auditum conceptas memoriæ prodiderint, factum est, ut nulla propè scientia majori temporum obscuritate, ambiguitate, ac incertitudine involuta obductaque sit, quam illa

ipſa antiquitatis, temporumque notatrix Hiſtoria. Quamplurimis id tam ſacris quam profanis exemplis probari poſſet: verùm cùm id ab aliis luculenter ſit factum, nec mei propoſiti ſit, integram de temporum varietate, confuſione, ac diſcrepantia, diſputationem inſtituere, id unius Livii vel auctoritate vel exemplo oſtendiſſe ſufficiet. An non is, ſubinde Magiſtratuum Conſulumque confuſionem reprehendit, & temporum ignorantiam, auctorumque varietatem, deplorat? libro ſecundo ab urbe condita, pugna ad Regillum lacum commemorata, Tanti (inquit) errores implicant temporum, aliter apud alios ordinatis Magiſtratibus, ut nec qui Conſules ſecundùm quoſdam, nec quid quoque anno actum ſit, in tanta vetuſtate non rerum modò, ſed etiam auctorum digerere poſſit: & rurſus de varia auctorum opinione lib. 22. conquerens, mirâri, inquit, magis adeò diſcrepare inter ſe auctores, quam quid veri ſit diſcernere queas. Tales loci quamplurimi apud Livium inveniuntur. Verùm ut vetuſtiſſimas ejus querelas atque reprehenſiones eſſe fatendum eſt, ſic ſunt, qui quod ipſe in aliis reprehenderit in eo ipſummet arguendum indicent, cùm præterquam quòd interdum dubia, incerta, manca, atque acciſa tradiderit, etiam tempora ea, quâ par fuiſſet diligentiâ, minimè digeſſerit. Quorum reprehenſio quàm juſta ſit, non hujus loci eſt diſquirere. Cæterùm ſi quid horum ab optimo Romanæ hiſtoriæ auctore admiſſum ſit æquiſſimum arbitror, ut is, qui horum quid in ipſo deſiderat, perpendat, eum hominem, ut & nos ſumus, fuiſſe, nec omnibus quæ in literis mandavit interfuiſſe, vel intereſſe potuiſſe: verùm ex priſcis hiſtoricis & annalibus, ipſum, ut in præfatione fatetur, hiſtorias ſuas traduxiſſe, & veluti mutuaſſe, quemadmodum nobis jam ab ipſis veluti per manus tradita, ea ſumere neceſſe eſt. Si quid itaque diſcrepans, ambiguum, vel incertum nonnunquam ejus ſcriptis irrepſerit, quis id potiùs benignè excuſare, quàm ſuperciliosè exagitare non vellet? Quoties ipſe teſtatur ſe non poſſe multa pro certo affirmare, ut libro tertio, ubi ſic inquit. *Difficile ad fidem eſt, in tam antiqua re, quot pugnaverint, ceciderintve exactè examinare.* Et quinto ſic ait: *In rebus tam antiquis, ſi quæ ſimilia veris ſint, pro veris accipiantur.* Septimo verò ita ſcribit: *Cura non deeſſet, ſi quæ ad verum via inquirentem ferret, nunc famæ rerum ſtandum eſt, ubi certam deroget vetuſtas fidem.* Quid hiſce Livii locis clarius, ipſum curæ inveſtigandæ antiquitatis laborantem ad ejus notitiam pervenire non potuiſſe? Ad hæc hiſtoriam ſenex idque privatus ſcripſiſſe dicitur: non igitur mirum, ſi in ſumma, hiſtoricorum annalium, ac commentariorum penuria, quæ tunc non ſine magno ſumptu atque labore deſcribebantur, nonnulla inter-

dum omiſerit, vel memoriâ lapſus, diverſa ac propè contrariâ ſcripſerit. Nullus auctor adeo magnus eſt, qui alicubi non labatur. Errare humanum eſt, & nemo adeò providus ac circumſpectus exiſtit, qui alicubi non impingat, idque cùm in aliis, tum maximè hiſtoricis videre eſt. Complures ante Timæum Tauromenitem celebres hiſtorici vixere, ſed omnes qui ante ipſum res geſtas literis tradidiſſent, acerbiſſime, ut Suidas inquit, reprehendit. ſic Athæneus ipſum Platonem atque Xenophontem ipſum accuſat, quod quorundam tempora falsò & imperitè notaverint; ut & Thucydides Hellanicum alioqui laudatum hiſtoricum, Halicarnaſſeus Fabium Pictorem, Licinium, reliquoſque ejus ætatis auctores, & alii alios: in eundem quoque modum Ariſtoteles in Politicis eos, qui Lycurgum Thaletis auditorem fuiſſe aſtruerent, graviter objurgat, & Cicero ſcriptores quoſdam, qui Numam Pythagoræ diſcipulum fuiſſe dicerent, cùm Pythagoras aliquot poſt Numam ſæculis primum natus ſit. Quinimò tam fœdi tantique errores hiſtoriam contaminarunt, ut Caſtor Rhodius Chronica *δυσίμερα* compoſuiſſe legatur, quibus ignorantiam ſuperiorum ſæculorum refellit & emendavit. in tanta itaque errandi proclivitate, moleque laboris maximâ, ſi præſtantiſſimus auctor, deque Romana hiſtoria optimè meritus, humani quid paſſus ſit, ac velut longo itinere defeſſus, pede altero impegerit, venia id ac benigna interpretatione quàm inſectatione dignius erit, nam ut eſt in veteri verſiculo: *Οὐκ ἀνδρὸς ἐστὶν ἅπαντα σοφός*. Cùm verò hiſtoria, ex Annii ſententia, tunc demum integra atque certa cenſeatur, ſi narratione, topographia, & chronographia, id eſt, certa temporum & locorum deſcriptione conſtet: ideo docti quamplurimi magiſtratuum Romanorum deſcriptionem aliquibus in partibus apud Livium imperfectam & ſupputationem annorum, quibus quiſque ab urbe condita Reipublicæ præfuiſſet, interdum claudicantem, interdum ab aliis diſſentientem animadvertentes, ne quid auctori Latinæ hiſtoriæ principi deeſſet, hunc utiliſſimum laborem ſuſceperunt, ut temporum atque annorum ſeriem, annotatis conſulum nominibus, ex his, quæ relicta ſunt, antiquitatum monumentis accurate colligerent atque diſcernerent. Inter quos, ut quatuor Itali Bartholomæus *Marlianus* Mediolanenſis, *Onuphrius* Panvinius Veronenſis, Carolus *Sigonius* Mutinenſis, & Franciſcus *Robortellus* Utinenſis meritò laudandi ſunt, qui Magiſtratuum Romanorum deſcriptionem ad lapides marmoreos *Verrii Flacci* (ut exiſtimatur) Romæ inter forum & ſacram viam ſub Pontificatu Pauli III. anno quadrageſimo ſexto effoſos, atque in Capitolio expoſitos, tanquam ad Lydium lapidem accommodantes, non ſolùm Magiſtratibus Romanis pro annorum ratio-

ne deſcriptis, ſed & toti hiſtoriæ Romanæ incredibilem lucem attulerunt: & ſic & vir doctiſſimus Henricus *Glareanus* ſua laude minimè fraudandus eſt, qui ardenti antiquitatis ſtudio, antequàm Capitolinæ Tabulæ erutæ fuiſſent, anno 40. Faſtos Conſulares, librorum tantùm ſubſidio adjutus, ad ſextum uſque Tiberii annum deduxit; quorum veluti ductu aliis poſteà via ad meliora quærenda, & Romanæ vetuſtatis decus recuperandum monſtrata eſt; ita ut qui ejus laborem & inſignem voluntatem in antiquis hiſtoriis reſtituendis & vindicandis non agnoſcat; vel lividi vel ingrati animi morbum minimè obſcurè prodat, &c.

Tot itaque doctorum virorum operâ Livii hiſtoria in multis partibus illuſtrata, cum viri optimi ac rei literariæ juvandæ cupidiſſimi, Sigiſmundus *Feirebandius* & Georgius *Corvinus* Typographi Francofurtenſes, de ea ſuis prælis exprimenda cogitarent, multorum conſiliis diſquiſitis, eam rationem ſibi ſequendam putarunt, quâ Livianæ hiſtoriæ editionem omnibus probare, gratamque reddere poſſent. Cùm ergo nihil eorum quod reliquæ editiones habent, ſibi omittendum eſſe ducerent, ſed ſuam omnium aliarum dote condecoratam cuperent, ac prius Lugdunenſi ac Baſilienſi editione Henrici Glareani, Venetæ Caroli Sigonii Chronologia adjuncta fuiſſet, ipſi quibus doctis utramque probatam eſſe conſtaret, ſed ſimul huic operi adjicere incommodum eſſet: ne quid hîc deſideraretur, curarunt, ut ambæ quaſi in unam confiarentur, & anni nominaque conſulum, ad Panvinii & Sigonii imitationem Tabulis Capitolinis, quoad id fieri poſſet, accommodarentur, & quæ Glareanus interdum de conſulum nominibus variantibus obiter annotaſſet, ea luculentiùs fuſiuſque ex certis hiſtoriarum monumentis explicarentur. Quæ res, quantum utilitatis ſecum latura ſit, quamplurimis exponi poſſet, verùm cùm verear ne, ſi id faciam, non tam inſtituti hujus fructus lectori oſtendere, quàm meam operam efferre videar, ab eo libens abſtineo, optans ut lector utilitates reipſa potiùs experiatur, quàm ex mea commemoratione intelligat.

HENRICI LORITI GLAREANI

Breve Compendium Romanæ Hiſtoriæ à T. Livio compoſitæ.

ROmanorum hiſtoria ſeptingentorum quinquaginta annorum ab urbe condita ad JESU CHRISTI natalem, qui fuit Auguſti Imperii, quo ſolus regnavit, annus viceſimus nonus, à Livio,

vio deſcripta eſt Decadibus quatuordecim, hoc eſt, libris centum quadraginta, de quibus noſtra hac ætate quatuor non integræ extant: utinam aliæ aliquando in lucem prodeant. Nam eas alicubi in Germania deliteſcere ajunt. *Prima Decas* ſeptem habet Reges Romanos, deinde Coſſ., Tribunos plebis, Decemviros, Tribunos militum conſ. pot. ac rurſus Coſſ. bella alia adverſus Latinos, Hernicos, Æquos, Volſcos, Vejentes, Sabinos, Falliſcos, Fidenates, Hetruſcos, Campanos, Appulos, Lucanos, Samnites, ac alios nonnullos Italiæ populos; inter quæ & obſidio à regibus per Porſenam, & urbis everſio ſub Gallis præter Capitolium, annos omnino ab urbe condita 460. *Secunda Decas* non extat, in qua erat hiſtoria de Æſculapio Romam advecto, ad initium uſque ſecundi belli Punici. Ea autem tria atrociſſima bella continebat. Primum cum Pyrrho Epirotarum rege, qui Tarentinis auxilio fuit contra Romanos. Secundum cum Carthaginienſibus, quod per viginti quatuor duravit annos, vocatumque eſt primum bellum Punicum. Tertium cum Gallis (quos magis quam ullam gentem toto terrarum orbe timuerunt, ut auctor eſt Salluſtius ad finem Iugurthini belli) quo bello delectus fuit Italiæ, nunciato Gallico tumultu, teſte Plinio lib. 3. cap. 20. equitum octoginta millium, peditum ſeptingentorum millium anno ab urbe condita 535. qui proximus fuit ante ſecundum bellum Punicum. Anni totius Decados 75. *Tertia Decas* continet ſecundum bellum Punicum, quod Carthaginienſes duce Annibale adverſus populum Romanum geſſere annis 18. *Quartâ* poſtremò, tum bellum Macedonicum adverſus Philippum, tum Aſiaticum contra Antiochum, earum utrumque provinciarum reges, unde bella nomina ſumpſere, complectitur annos circiter 23. *Quintæ* Decados libri quinque nuper inventi ſunt, ſed mutili, in quibus bellum cum Perſeo Macedonum rege Philippi filio fuit, quem Paulus Æmilius & vicit & cœpit. L. Florus autem * ſecunda Epitome populum Romanum ut hominem conſiderat, totamque ætatem ejus percenſet, ut cœperit, ut adoleverit, ut quaſi ad quendam juventæ florem pervenerit, ut poſteà velut conſenuerit. Quatuor eius gradus facit, non rotundo omnino numero. Nam totum tempus à Romulo in Cæſarem Auguſtum ſcribit ſeptingentorum annorum Primam autem populi Romani ætatem, quam velut infantiam pingit, ſub Regibus fuiſſe ait, prope CCL. per annos. Livius ac Dionyſius ajunt per annos CCXLIV. Sequentem ætatem velut adoleſcentiam, annos habere [a] CC à Bruto Collatinoque Coſſ. in App. Claudium, Quintumque Fulvium Coſſ. Nos eam CCXLV. ſupputamus annis. Tertium hinc, id eſt, à primo Punico bello ad Cæſarem Auguſtum, [b] CCL. annis qui octavus eſt Auguſti

*****

* *Imò in Prolog. lib. 1. Hiſtoriarum.* quod opus ab Epitomarum opere diverſum.

a *Vulgò legitur CCI. Stadius & Salmaſius conjiciunt CCL. ſed verior Glareani numerus.*

b *imò 241.* ad annum nempè U. C. 730.

ne deſcriptis, ſed & toti hiſtoriæ Romanæ incredibilem lucem attulerunt: & ſic & vir doctiſſimus Henricus *Glareanus* ſua laude minimè fraudandus eſt, qui ardenti antiquitatis ſtudio, antequàm Capitolinæ Tabulæ erutæ fuiſſent, anno 40. Faſtos Conſulares, librorum tantùm ſubſidio adjutus, ad ſextum uſque Tiberii annum deduxit; quorum veluti ductu aliis poſteà via ad meliora quærenda, & Romanæ vetuſtatis decus recuperandum monſtrata eſt; ita ut qui ejus laborem & inſignem voluntatem in antiquis hiſtoriis reſtituendis & vindicandis non agnoſcat; vel lividi vel ingrati animi morbum minimè obſcurè prodat, &c.

Tot itaque doctorum virorum operâ Livii hiſtoria in multis partibus illuſtrata, cum viri optimi ac rei literariæ juvandæ cupidiſſimi, Sigiſmundus *Feirebandius* & Georgius *Corvinus* Typographi Francofurtenſes, de ea ſuis prælis exprimenda cogitarent, multorum conſiliis diſquiſitis, eam rationem ſibi ſequendam putarunt, quâ Livianæ hiſtoriæ editionem omnibus probare, gratamque reddere poſſent. Cùm ergo nihil eorum quod reliquæ editiones habent, ſibi omittendum eſſe ducerent, ſed ſuam omnium aliarum dote condecoratam cuperent, ac prius Lugdunenſi ac Baſilienſi editione Henrici Glareani, Venetæ Caroli Sigonii Chronologia adjuncta fuiſſet, ipſi quibus doctis utramque probatam eſſe conſtaret, ſed ſimul huic operi adjicere incommodum eſſet: ne quid hîc deſideraretur, curarunt, ut ambæ quaſi in unam conflarentur, & anni nominaque conſulum, ad Panvinii & Sigonii imitationem Tabulis Capitolinis, quoad id fieri poſſet, accommodarentur, & quæ Glareanus interdum de conſulum nominibus variantibus obiter annotaſſet, ea luculentiùs fuſiuſque ex certis hiſtoriarum monumentis explicarentur. Quæ res, quantum utilitatis ſecum latura ſit, quamplurimis exponi poſſet, verùm cùm verear ne, ſi id faciam, non tam inſtituti hujus fructus lectori oſtendere, quàm meam operam efferre videar, ab eo libens abſtineo, optans ut lector utilitates reipſa potiùs experiatur, quàm ex mea commemoratione intelligat.

HENRICI LORITI GLAREANI

Breve Compendium Romanæ Hiſtoriæ à T. Livio compoſitæ.

ROmanorum hiſtoria ſeptingentorum quinquaginta annorum ab urbe condita ad JESU CHRISTI natalem, qui fuit Auguſti Imperii, quo ſolus regnavit, annus viceſimus nonus, à Livio,

vio deſcripta eſt Decadibus quatuordecim, hoc eſt, libris centum quadraginta, de quibus noſtra hac ætate quatuor non integræ extant: utinam aliæ aliquando in lucem prodeant. Nam eas alicubi in Germania deliteſcere ajunt. *Prima Decas* ſeptem habet Reges Romanos, deinde Coſſ., Tribunos plebis, Decemviros, Tribunos militum conſ. pot. ac rurſus Coſſ. bella alia adverſus Latinos, Hernicos, Æquos, Volſcos, Vejentes, Sabinos, Falliſcos, Fidenates, Hetruſcos, Campanos, Appulos, Lucanos, Samnites, ac alios nonnullos Italiæ populos; inter quæ & obſidio à regibus per Porſenam, & urbis everſio ſub Gallis præter Capitolium, annos omnino ab urbe condita 460. *Secunda Decas* non extat, in qua erat hiſtoria de Æſculapio Romam advecto, ad initium uſque ſecundi belli Punici. Ea autem tria atrociſſima bella continebat. Primum cum Pyrrho Epirotarum rege, qui Tarentinis auxilio fuit contra Romanos. Secundum cum Carthaginienſibus, quod per viginti quatuor duravit annos, vocatumque eſt primum bellum Punicum. Tertium cum Gallis (quos magis quam ullam gentem toto terrarum orbe timuerunt, ut auctor eſt Salluſtius ad finem Iugurthini belli) quo bello delectus fuit Italiæ, nunciato Gallico tumultu, teſte Plinio lib. 3. cap. 20. equitum octoginta millium, peditum ſeptingentorum millium anno ab urbe condita 535. qui proximus fuit ante ſecundum bellum Punicum. Anni totius Decados 75. *Tertia Decas* continet ſecundum bellum Punicum, quod Carthaginienſes duce Annibale adverſus populum Romanum geſſere annis 18. *Quartâ* poſtremò, tum bellum Macedonicum adverſus Philippum, tum Aſiaticum contra Antiochum, earum utrumque provinciarum reges, unde bella nomina ſumpſere, complectitur annos circiter 23. *Quintæ* Decados libri quinque nuper inventi ſunt, ſed mutili, in quibus bellum cum Perſeo Macedonum rege Philippi filio fuit, quem Paulus Æmilius & vicit & cœpit. L. Florus autem * ſecunda Epitome populum Romanum ut hominem conſiderat, totamque ætatem ejus percenſet, ut cœperit, ut adoleverit, ut quaſi ad quendam juventæ florem pervenerit, ut poſteà velut conſenuerit. Quatuor eius gradus facit, non rotundo omnino numero. Nam totum tempus à Romulo in Cæſarem Auguſtum ſcribit ſeptingentorum annorum Primam autem populi Romani ætatem, quam velut infantiam pingit, ſub Regibus fuiſſe ait, prope CCL. per annos. Livius ac Dionyſius ajunt per annos CCXLIV. Sequentem ætatem velut adoleſcentiam, annos habere [a] CC à Bruto Collatinoque Coſſ. in App. Claudium, Quintumque Fulvium Coſſ. Nos eam CCXLV. ſupputamus annis. Tertium hinc, id eſt, à primo Punico bello ad Cæſarem Auguſtum, [b] CCL. annis qui octavus eſt Auguſti

*****

* *Imò in Prolog. lib. 1. Hiſtoriarum.* quod opus ab Epitomarum opere diverſum.

a *Vulgò legitur CCI. Stadius & Salmaſius conjiciunt CCL. ſed verior Glareani numerus.*

b *Imò 241. ad annum* nempè U. C. 730.

Imperii, quo ſolus regnavit. Hanc juventam vocat, & quaſi quandam robuſtam maturitatem. Reliquam ætatem vocat ſenectam, ad ſua uſque tempora, (quando Trajanus regnavit) annos ducentos: quanquam is numerus mihi ſuſpectus, ſi Euſebii Chronicis credimus Sed ea à Livio intacta fuit, exceptis aliquot ſub Auguſto annis, &c.

EX FRANCISCI ROBORTELLI CONVENIENTIA ſupputationis Livianæ annorum cum marmoribus Romæ quæ in Capitolio ſunt, & Dionyſii Halicarnaſſei.

A Regibus uſque ad Conſules.

CAP. I.

Theſ. Crit. to. 2. p. 3.

INter Livium & Dionyſium videtur diſſenſio eſſe; nam Dionyſius ait, anno 244. Conſules primùm poſt exactos Reges creari cœpiſſe: apud Livium autem ſub finem libri primi ſcriptum eſt *Reges regnaſſe Romæ annis 244.* Ideo Sigonius orditur Livianam Chronologiam ſuam ab anno 245. Marmorum verò Romanorum ſive Faſtorum Capitolinorum ſupputationem orditur ab anno 244. ita fit, ut differant anno uno. Ego eas inter ſe conſentire exiſtimo, & oſtendo Sigonium deceptum eſſe, ac pueriliter omnia ſcribere. Primum illum annum, quo creati ſunt Conſules Romæ poſt exactos Reges, ſcribit Dionyſius quatuor menſium fuiſſe extremorum, ſed continuatum uſque ad initium inſequentis: ita completum annum ſpatio ſexdecim menſium. Cum Halicarnaſſeo autem conſentiunt & marmora Romana. Nam etiam ipſa ordiuntur ab anno 244. Etſi enim fracta ſunt eo loco, ex numero tamen annorum, qui poſteà annotatus viſitur, id colligi poteſt. Livius annos, quibus Romæ regnatum fuit, ita enumerat.

Romulus regnavit annos		37.
Interreges	*an.*	1.
Numa	*an.*	43.
Tullus Hoſtilius	*an.*	34.
Ancus	*an.*	22.
Tarquinius Priſcus	*an.*	38.
Ser. Tullius	*an.*	44.
Tarquin. Superb.	*an.*	25.

Summa hæc, ſi numeres annos, quibus regnavit Priſcus, 37. continebit annos 243. Sed Livius ait duodequadrageſimo ferè anno, quod ita accipiendum eſt ut numeres tantùm annos 37. Nam reliqui qui ſuperfuerant menſes, connumerari cœperunt cum in-

Digitized by Google

ſequenti anno; ſicut in illo, qui fuit, ut ex Dionyſio retuli, menſium 16.

Sigonius in Chronologia Liviana Priſco aſſignat annos 38. nec animadvertit Livium ſcribere, *duodequadrageſimo ferè anno*, quod ita debet accipi ut paulò antè dixi. Ita nulla controverſia fuerit inter Livium & Halicarnaſſeum atque Romana marmora de annis Regum uſque ad primos Conſules.

A Conſulibus primis uſque ad Decemviros

CAP. II.

QUia ſupputatio Romanorum marmorum & Halicarnaſſei habet duos conſulatûs annos, ſcilicet 264. & 265. qui à Livio videntur prætermiſſi, putat Sigonius diſcrepare Livium à marmoribus Romanis, & ab Halicarnaſſeo annis duobus, qui additi ad illum primum conficiunt annos tres. Ita à primis conſulibus uſque ad Decemviros differunt inter ſe ſupputationes prædictæ, ſi Sigonio credas, annis tribus.

Sed illi duo conſulatus ann. 264. & 265. ubi de rebus à Coriolano geſtis loquitur, omnino ſunt reponendi apud Livium: nam culpâ Librariorum prætermiſſi fuerunt: quo autem loco reponi debeant, ego facilè perſpexi; nam mutilus eſſe videbatur contextus, id abhinc paucis menſibus poſt omnes intelligent, cum legent Livium à me emendatum & digeſtum in annos, unâ cum chronologia alia longè ratione confecta, quàm Sigonius confecit, &c.

Cap. 30. argumentum idem proſequitur Robort. à Decemviris ad Tribunos militum.

EX CAROLI SIGONII IN ROBORTELLI LIBRUM de convenientia ſupputationis Livianæ

CAP. I.

EST autem varia & inconſtans annorum apud omnes ratio uſque quingenteſimum fermè annum ab urbe condita: ab eo verò hanc conſtantem inter eos eſſe controverſiam invenio, quòd alii alios uno, alii duobus, alii tribus, alii quatuor annis antecedunt aut ſubſequuntur. Verba verò Ciceronis, quibus hoc confirmatur, ſunt hæc: *Livius primus fabulam C. Claudio Cæci filio, & M. Tuditano Coſſ. docuit poſt Romam conditam anno quingenteſimo decimo*, ut hìc ait, quem nos ſequimur. Eſt enim inter ſcriptores de numero an- Theſ. Critto. 2. P. 123.

norum controverſia: atqui annus ille in faſtis eſt quingenteſimus decimus tertius; at verò apud Plinium & Ciceronem ipſum, quingenteſimus decimus quartus; apud Livium, ut ego ſubduxi, quingenteſimus decimus. Fit tamen, ut malim eo loco legere, *quingenteſimo decimo quarto*, ut eſt in manuſcriptis libris: quoniam Plinium & Ciceronem eam annorum deſcriptionem, quæ Capitolinam uno anno antecedit, ſequi animadverti. Quod cùm ita ſit, equidem ſatis mirari non poſſum, unde neceſſarius meus Franciſcus Robortellus ad eam opinionem venerit, ut ſummam annorum Livianam & Dionyſianam ad antiquam Capitolinam redigendam putarit, cumque ipſæ inter ſe diſſimillimæ ſint, me qui diſſimilitudinem illam ſenſerim, & demonſtrarim, coarguendum, atque inſcitiæ nomine accuſandum exiſtimarit. Quamobrem feram hanc etiam amici injuriam, ut alias æquo animo, atque ipſum toto cœlo errantem, dum maledictis ejus in me reſpondebo, puer ſenem in rectam aliquando viam deducam. Quid igitur ille ait? Livius, Dionyſius, Faſti Capitolini in numerandis ab urbe condita annis inter ſe conveniunt. Quid ego? Imò maximè diſcrepant: unde hoc confirmari poteſt? unde niſi ex verbis eorum.

EX CAR. SIGONIO.
in Librum 1. Emendationum Robortelli

CAP. XV.

De annorum ſumma conſtituenda adverſus Glareanum.

Theſ. Crit. to. 2. p. 181.

AD Romanam intelligendam hiſtoriam nihil tam aptum eſſe, quàm rectam annorum, temporumque deſcriptionem, judicabam. Qua in re diſſidentes inter ſe veteres auctores eſſe comperiebam: dedi etiam operam, ut, quod Glareanus ante me fecit, ne hac quidem in parte hiſtoriæ Livianæ deeſſem: cujus quidem eruditiſſimi viri labore facilè contentus eſſe poteram, niſi ab eo in tota ipſa re diſſenſiſſem. Neque enim Livium in numerandis ab urbe condita annis eadem ratione uſum, quâ cæteros eſſe reperiebam. Quâ ille opinione ductus, dum eorum auctoritatem ad Livianam chronologiam conſcribendam adhibuit, in eam ſæpè ſe neceſſitatem induxit, ut dum aliorum numeros ſequitur, omnino Livianos negligere aut immutare coactus fuerit. Quod illi profectò in ea chronologia committendum non erat, quàm ipſe ſe Livianæ præſertim hiſtoriæ comparare profiteretur. Quibus verbis me uſum eſſe profiteor, non, ut ipſum tanquam telo aliquo jugularem, ſed ut Livianorum annorum

Digitized by Google

veritatem indicarem, quæ uno aut duobus illis, de quibus ait, annis neglectis nullo modo constare potest. Addit deinde: *tandem Sigonius ad quatuor annos devenit, ut & Hercules Antæum prorsus conferat, ultimâ illâ puellulâ annotatione, quæ est de anno, quando Livius finierit historiam Romanam ad XVII. annos me jugulat, cùm sint etiam confessione meâ XXVIII. in quibus tamen nihil negotii est: quis enim certò scire potest, quot ediderit libros Livius, aut quos adjicere voluerit?* Significat autem mea verba in extremis scholiis hæc: *Si historia Liviana morte Drusi, & funere ejus,* (ut apparet) *finita est, profecto usque ad annum DCCXLI. pervenit: est enim mortuus se & T. Quinctio Coss, ut ait Dio lib. 55. quem annum vocat Glareanus DCCXLV. exponit autem consules usque ad annum DCCLXXII. quia,* inquit, *usque eò Livianam historiam pervenire præter unum aut alterum annum cum in septimo & decimo antè anno finiatur,* &c.

J. DOUJATII

Appendix ad ea quæ supra collecta hinc inde sunt

De Livio, ejus monumentis, stylo aliisque adjunctis: tum de Editionibus & Interpretibus recentioribus.

POst tot Livii nostri Elogia in utramque parte edita, tantique Auctoris existimationem posteriorum sæculorum judicio variis jactatam opinionibus, quæque alia è diversis superioris & nostri ævi Scriptoribus undequaque corroganda, atque ad pleniorem ejus notitiam prioribus paginis inserenda duxi: quædam adhuc supereſſe videntur, sive spicilegii sive anacephalæosis instar, adjicienda; quorum mentionem, etsi festinantibus minùs gratam suspicor futuram, tamen non incuriosis lectoribus oblectamenti aliquid allaturam confido.

Illud primùm admonere lubet, etsi Patavii (quæ urbs est Venetiæ primaria) ejusve in territorio natum T. Livium, Romæ nihilominus diu vixisse, magnoque in pretio habitum. Ejus rei plura proferri possunt argumenta. Constat enim imprimis Cæsari Augusto notum, vel potiùs familiarem fuisse; adeo ut nec ejus gratiæ officeret liberior bellorum civilium narratio, & cadentis Reipublicæ partiumve Pompeianarum studium. Mansit & post extinctum Augustum auctoritas, quam reveritus Tiberius, in suspectum & invisum gravius quidquam decernere non sustinuit. Principum Romanæ juventutis regendis atque excolendis

1. Ubi vitam egerit Livius. Urb. cond. an. 695. Si Eusebio fides in Chronico, Fabricius.

Suet. in Claud. cap. 41.

ſtudiis aliquando vacaſſe diſcimus ex Seneca & Quintiliano. Ejus ſanè hortatu Claudium, qui poſtea imperavit, hiſtoriam ſcribere aggreſſum Suetonius teſtatur: atque ejus generis duo volumina compoſuiſſe de iis, quæ poſt mortem Cæſaris Dictatoris geſta fuerant, unum prætereà & quadraginta de rebus ſequentium temporum à pace civili. Denique neminem latet ſpirantis adhuc famâ & ſcriptis permotos ex ultima Hiſpania, ejus videndi causâ homines Romam profectos eſſe, non Patavium. Quando autem in urbem primùm venerit, & quouſque in ea degerit, certò pronunciare res eſt haud quaquam facilis. Si quid conjecturæ dandum, exiſtimare non improbabiliter liceat ex iis quæ jam diximus, juvenem admodum migraſſe Romam, maximamque ibi reliquæ vitæ partem egiſſe. Et quidem in urbem principem migrandi cauſa in promptu eſt. Major nempè librorum, quibus rerum Romanarum vetus memoria continebatur: major antiquorum monumentorum, quæ ad dilucidanda ambigua valerent: major virorum rebus geſtis omnique diſciplinarum genere illuſtrium copia: quibus adjumentis conſcribendæ hiſtoriæ certior cognitio & nitidior ſcriptio ſperari poterat. Itaque ſi non priùs, ſaltem ſub Actiacæ pugnæ tempus, jam orbe terrarum pacato hac Octaviani Cæſaris Auguſti victoriâ, Romam veniſſe Livium pro comperto eſſe debet, circa annum ſcilicet ab urbe condita *DCCXXIV.* ætatis ſuæ XXIX. neque verò tardiùs animum ad ſcribendam hiſtoriam appuliſſe conſtat, quod libri I. cap. 19. ſcribit ipſe Jani templum bis poſt Numæ regnum clauſum fuiſſe, *ſemel* T. Manlio conſule, *iterum* ſua ætate *poſt Actiacum bellum*. at ante Auguſti finem, cui ſuperſtes Livius fuit, Janus bis prætereà clauſus eſt, anno U. C. *IↃCCXXX.* devictis Cantabris, & anno ſequenti. Unde ſi poſt annum *IↃCCXXXI.* ſcribere auctor noſter occepiſſet, ſuâ ætate ter clauſum Auguſti operâ id templum procul dubio memoraſſet. Ambigi certè non poteſt quin diuturna in tot componendis voluminibus impendenda ipſi opera fuerit: imò in ea ad extremam ferè ſenectutem perſeveraſſe eum valdè probabile facit operis amplitudo. Certè ante annum Urbis *IↃCCLXVII.* conſumari non potuit hoc opus; cum poſtremo ejus libro nimirùm *CXL.* (uti ex ejus libri Epitome liquet) Druſi in Germania mortem Livius commemoraverit, qui Tiberii frater, Germanici pater fuit. At ejus caſus eo ipſo, quem indicavimus anno, contigit. Hinc ſequitur ultra duos & viginti annos hiſtoriæ ſcribendæ incubuiſſe Auctorem: quamquam quæ de Druſi extremis narraverat, ea vix credibile ſtatim ac evenerant eſſe conſcripta.

2. De Inſcriptionibus Livianis

Livium Patavii diem ſuum obiiſſe ſuadere poſſunt, ſi modò vera ſunt, Epithaphia ſive Inſcriptiones ſepulcrales, quæ adhuc

in ea urbe viſuntur. Extat una in Prætorio ſeu Palatio ubi jus dicitur, (vulgò *Palazzo delle ragioni* vocant) quam humi defoſſam, & cum loculo plumbeo, ubi hominis incluſa erant oſſa, inventam, Patavini cives mauſolæo magnifico in honorem Livii erecto affixere. Ea jam ſupra exſcripta eſt ex Grutero. Sed à Liberto Liviæ Titi filiæ, non à Tito ipſo (ut Patavini putabant) poſitam docuit Marquardius Gudius, uti ex egregii viri * Car. Catonis Curtii Seguſiani, omni literarum genere exculti, epiſtola didici ad V. cl. Ægidium Menagium multiplici facundiâ pariter atque doctrinâ notiſſimum, ſcripta. Eſt enim ſic legenda: VIVENS FECIT TITUS LIVIUS LIVIÆ TITI FILIÆ, QUARTÆ LIBERTUS HALYS CONCORDIALIS PATAVI SIBI ET SUIS: quæ verba eam habent interpretationem, ut hic *Halys*, libertate donatus à *Quarta Livia* Hiſtorici filia, *Concordiæ* poſteà (cujus erat Patavii templum) Sacerdos factus, ſibi ac ſuis hoc monumentum poſuerit. Alioqui ſcribendum fuiſſet *Haly Concordiali*, ſi ut putabatur, Livius ipſe genero poſteriſque ſuis id deſtinaſſet. Quæ altera circumfertur, & ipſa, poſt Titi Livii vitam à Voſſio deſcriptam, adjecta à nobis eſt, & novitatem, apertè ſapit. Verùm tertia quæ habetur in ædibus *Annibalis Capo diliſta* magis ad Auctorem noſtrum videtur pertinere poſſe. Ea ſic habet:

* M. de Court.

T. LIVIUS C. F.
SIBI ET SUIS
T. LIVIO T. F. PRISCO ET
T. LIVIO T. F. LONGO ET
CASSIÆ SEX. F. PRIMÆ
UXORI.

Nam quod opponitur T. Livium *ſibe* pro *ſibi* ſcribere ſolitum; etſi in veteribus quibuſdam membranis ea ſcriptura reperitur, id cum Librariorum errori adſcribi poſſit, certam de hoc Livii more fidem non facit; cujus, opinor, manum nullibi habemus.

3. De Livii ætate & cæteris Scriptoribus ſæculi Auguſtæi.

Id in eo præcipuâ dignum admiratione occurrit, quòd literatiſſimo Auguſti ſæculo natus, ipſum hoc politiſſimum, & ſequentibus cunctis non ſine ſtupore celebratum ſæculum nominis ſui celebritate vel præcipuè commendavit. Summum certè Oratorem M. Tullium Ciceronem, omni deinde doctrinâ præcellentem, ac præſertim Romanarum antiquitatum callentiſſimum Terentium Varronem; tum Lyricarum elegantiarum parentem, ut ita dicam, Catullum; ipſum etiam Virgilium Poetarum, Salluſtiumque Hiſtoricorum (ſaltem antequam Livius ipſe prodiret) principem; & cum his Cornelium Nepotem, ac Diodorum Sicu-

Digitized by Google

lum, ſcriptores ipſos quoque Hiſtoriarum, nec minimi pretii Auctores, aut vidit, aut videre potuit, ſi modò Romam adoleſcens ſe contulit. Jam æqualis idem haud dubiè fuit, non modò clariſſimorum Poetarum, Ovidii, Horatii, Propertii, Tibulli, Phædri; non modò Senecæ declamatoris, & fabularum ſcriptoris Julii Hygini, Vitruviique architecti: ſed & Meſſalæ Corvini, qui Latinè hiſtoriam attigit, & Dionyſii Halicarnaſſei, qui Romæ per ea tempora didicit, quæ de rebus principis populi Græcis literis accuratiſſimè perſcripſit. Nec multis ſanè annis antiquior fuit Livius Strabone Græco Geographo; Valerio Maximo, ac Velleio Paterculo, quorum Latinos inter Hiſtoricos non poſtrema ſunt nomina. Quantum igitur eſt inter tot eximios elegantiſſimæ omnium temporum ætatis viros, ingenio, eruditione, eloquentiâ præſtantiſſimos, in illo, inquam, ſæculorum flore id eſſe conſecutum, ut nemini impar, pleroſque in quovis ſcribendi genere excellentes, omnes in eodem genere cum laude verſatos, longo intervallo ſuperarit?

4. De Livii ratione ſcribendi & Patavinitate.

In Gallicam nationem minùs benè animatum fuiſſe Livium facilius deprehendas ex iis quæ de Gallorum moribus factiſve prodidit, quàm ejus ſive odii ſive invidiæ rationem reddas. An Venetis ſuis immixtos Euganeos ſedibus ſuis, unâ cum veteribus ad Padum Thuſcis à Tranſalpinis populis olim pulſos; an Ciſalpinorum motibus vexatos ſæpenumerò poſterioribus ſæculis finitimos Italos ægrè ferret; an Romanarum partium ſtudio acerrimis populi Romani, maximeque formidatis hoſtibus, urbis etiam incenſoribus, parum æquum ſeſe præſtiterit, in incerto eſt. Illud nemo negaverit datâ qualibet occaſione & vitia gentis ejus augere in majus, & virtutes præclaraque facinora partìm minuere, partim in deterius interpretari. Styli elegantiam omnes agnoſcunt, atque in concionibus, quibus fortè ultra veræ hiſtoriæ leges abundat, oratoriam planè vim declamatoriis non rarò luminibus magis quàm vitiis mixtam. Quod Aſinius Pollio PATAVINITATEM in eo damnavit, id verè, ni fallor, Eraſmus de quibuſdam loquendi formis accipit, quæ minùs Romanis ſcriptoribus tritæ, noſtro familiariùs uſurpantur: ut cum dicit, *ſiſti non poſſe*, pro eo quod eſt, non poſſe publicam rem incolumem ſervari, atque in ſuo ſtatu conſiſtere, *multam certare*, pro *diſceptare de multa*: *imperium*, aut *coercitionem inhibere* pro *adhibere*: cum præpoſitionem *ad* ſæpè accipit pro *apud*: aut eandem aliaſque præpoſitiones præter aliorum morem modò omittit, modò adjicit, veluti cum *Æſquilias* vel *urbem migrare*, *Æſquiliis habitare* ait: nam rectus ſermo eſt, *in Æſquilias*, aut *in urbem migrare*, *in Æſquiliis habitare*. Sunt & alia non pauca ejus generis à me ſuis locis notata.

Rece-

Receptam Livianæ hiſtoriæ diviſionem in partes; quarum unaquæque decem libris conſtat, quæque idcirco *Decades* appellantur, tum editionum ferè omnium auctoritate, tum ratione quoque haud improbabili, tueri audent nonnulli, quaſi ex ipſius mente auctoris. Is ſanè hiſce partibus ſingulis ſuas quaſi Præfationes præmittit, quibus videtur illas voluiſſe diſtinguere, uti earum quæ ad nos præter Primam integræ pervenerunt, Tertiæ & Quartæ initia demonſtrant. Nam Quintæ principium non habemus. Video tamen eruditorum pleroſque hanc diſtinctionem exſcriptoribus potiùs quàm auctori aſſignare, optimis rationibus aut certè conjecturis, quas ex Franciſco Petrarcha, Angelo Politiano, Petro Crinito referunt Carolus Sigonius aliique. Igitur quod rerum narrandarum quædam commendatio initio librorum xxj & xxxj. qui ſuam quiſque Decadem ordiuntur, inſerta eſt ab auctore: inde ſi quis ex mente ſcriptoris hanc hiſtoriæ partitionem eſſe aſſeret; ea facilè opinio refelletur, ubi obſervaverimus Livium non abſimili velut proœmii genere extra Decadum quoque principia uſum ad renovandam identidem lectoris longo in opere attentionem: quod vel ex libri VI. ingreſſu, legenti cuique patebit. Sic Decadum titulos veriſimile admodum puto à Librariis eſſe invectos, dum tantam tot librorum molem, quæ uno volumine comprehendi non poterat, in tomos non admodum inæquales certo aliquo ordine diſtribuere fatagunt. Potuit autem ad hujuſmodi diviſionem numerus librorum invitare, qui à Livio ſcripti eſſe dicuntur, nam quadraginta ſupra centum libri (quot ab eo compoſitos fuiſſe creditur) rotundâ per denarium numerum computatione, Partes Quatuordecim efficiunt. Nec ſum neſcius certum apud omnes hunc librorum numerum non haberi: duos enim ſupra centum & quadraginta Petrarcha idem fuiſſe tradit: idque probare Sigonius non levibus argumentis conatur in ſcholiis ad Epitomen libri 136. quem ipſe 138. vocat: ſed non planè perſuadet, quando nec rerum geſtarum ſeries, nec Epitomarum auctoritas à recepto voluminum ordine ac numero abhorret. Utcunque ſe res habet, non inutile erit ad Interpretum intelligentiam, annotaſſe ita hos ab illis libros citari, ut ſpectatâ cujuſque Decadis præcipuâ materia, qui ad *Primam Decadem* pertinent primus, ſecundus, &c. *ab urbe condita* numerentur: qui *III. Decade* continentur, ii dicantur *de bello Punico II.* qui comprehenduntur *Decade IV.* inſcribi ſoleant *de bello Macedonico*. Denique *V. Decadis* priores qui extant quinque libri, nomen accipiant *à bello Antiochi*.

5. De diviſione operis in Decades, deque numero librorum.

EPITOMAS ſeu brevia ſingulorum librorum Argumenta, eorum unicuique præfigi ſolita, quis, & an majori in publicum

6. De Epitomis.

******

utilitate quàm [15] damno conſcripſerit, non immeritò dubitatur. Earum concinnatorem Livium ipſum fuiſſe haud facilè adducor ut credam. Neque eum fuiſſe video illorum temporum morem, nec loquendi genus Livium ſatis redolere mihi videtur. L. *Floro* plerique omnes adſcribunt: qui ſi harum Epitomarum auctor fuit, diverſum ab L. *Annæo*, ſive *Floro*, ſive *Seneca*, cujus extant rerum Romanarum libri quatuor, comparatus amborum inter ſe operum ſtylus oſtendit: Hiſtoricus quippe affectat Declamatorium ſcribendi genus: Epitomatoris oratio humilior paulò, ſed perſpicua, terſa, facilis: Fateor ex hujus operâ non parum nobis adjumenti afferri ad ſeriem geſtorum, ordinemque eorum quæ a Livio tradita fuerant, faciliùs percipiendum. Sed, ſi, quod non pauci nec omninò abs re ſuſpicantur, occaſionem negligendi majoris operis præbuere hujuſmodi ſummaria; ſi, dum hæc qualiacumque hiſtoriæ compendia ignavi ignarique per deſidiam conſectantur, major periit Livianorum voluminum pars: næ ille quiſquis fuit, breviator, tanto pejus de poſteris meritus eſt, quàm Juſtinus, cujus breviatio ſuppreſſæ vulgò aſſignantur Trogi Pompeii lucubrationes: quantò, ut reliqua taceam, quatuor & quadraginta libris præſtant centum ſupra quadraginta. Hoc tantùm illi debemus, quòd & quàm dignis lectu, & quot voluminibus amiſſis quantum detrimenti res literaria fecerit, per eum intelligi aliquatenus poteſt. An verò de Livio idem quod de Cornelio Tacito judicandum eſt, cujus ex Annalibus quæ deſiderantur, eorum jacturam primis plerique Chriſtianis imputandam cenſent; qui contemptoris omnium religionum, atque acerrimi Chriſtianorum inimici folia, tanquam debitas verò Deo victimas immolaſſe feruntur. Verùm, quicquid ſuprà de D. Gregorii Magni in Livium odio, obſervatum fuerit; non eadem in noſtrum ac in Tacitum ſæviendi cauſa apparet: nam Chriſtianis nondum natis maledicere ne potuit quidem: & prodigiorum quotannis expiandorum accuratâ ad nauſeam commemoratione, utcumque ſuperſtitioſus, numinum tamen, quæ tunc cognita erant, non parum, ſed ultra modum religioſus habendus eſt cultor: earumque rerum narrationem in iis quæ ſuperſunt, nobis nec hominum invidit injuria, nec temporum.

---

15. Dionyſius Gothofredus ſuſpicatus eſt Livium ipſum ex more veterum Epitomas illas veluti indices præfixiſſe ſingulis libris, quæ deinde cum altera Epitome rerum Romanarum confundi, atque adeo ad Florum auctorem referri facile potuerunt. Fabric.

Quæ adhuc deſiderantur volumina latere alicubi non magis affirmare auſim quàm negare. Eraſmus in Epiſtola ad Carolum Monjoium, Simonis Grynæi editioni præfixa, quinque priorum Decadis quintæ librorum anno Chriſti 1531. è Monaſterii Lauriſſeni Bibliotheca erutorum occaſione, non optat modò, ſed penè augurari audet fore ut hic Auctor totus & integer nobis aliquandò reſtituatur. Ejus rei ſpem nonnullam ex rumoribus concipit, per ora quorumdam volitantibus, dum hic apud Danos, ille apud Polonos, alius in Germania latere alicubi jactant Liviana quædam nondum edita. Et verò anno currentis nunc ſæculi decimo quinto Bambergæ inventa eſt à Joanne Horrione Societatis Jeſu Sacerdote pars prior libri trigeſimi tertii, quæ Venetiis primùm, ac deinde Paderbornæ prodiit. Præterea deperditorum quidpiam continentem [16] membranam ſe vidiſſe narrabat vir celeberrimus Joannes Capellanus, amicus noſter, palmulæ, quâ pilâ luditur, à Sphæriſterii magiſtro injunctam, qui alia ejus generis ſibi præ manibus fuiſſe aiebat. Et ſunt qui in Regis Catholici bibliotheca, quæ apud Scoriale Monaſterium ſervatur: ſunt qui [17] Conſtantinopoli in Turcarum Imperatoris palatio, aut Liviuni totum, aut partem magnam eorum, quæ deſideramus, reperiri exiſtimant, ex fama potiùs, aut conjecturâ quadam, quàm ex certa ulla ratione. Qua de re videndus Martinus Cruſius in Turco-Græcia, & Augerius Ghiſſenius Busbekius. Quin &, quod mihi in memoriam ab Abbate clariſſimo Petro Daniele Huetio revocatum eſt, Paulus Jovius in deſcriptione Hebridum Inſularum, ubi de Hiona ſive Chila Inſula loquitur, famâ ferri ſcribit, in eo terræ angulo, in extremo (inquam) illo orbis ad Scotiam receſſu, hunc theſaurum deliteſcere. *Fama quoque eſt*, inquit, *priſca ingeniorum monumenta, Romanaſque Hiſtorias, quæ quiſque vel idiota cupidiſſimè deſideret, in illis ſcrinlis* (Templi nempè cujuſdam quod in hac Inſula magno cultu & ornatu celebratur) *recondi, quas Ferguſius Scotorum Regulus non in-*

7 De libris deperditis.

Lorſheim:

L'Eſcurial.

****** 2

16 Hoc Librorum Livii deperditorum exemplar ſcriptum in membranis ferunt fuiſſe in Gallia in Abbatia fontis Ebraldi, quod ab Abbatiſſa theſauri ignara conceſſum pharmacopolæ cuidam, ab hoc venditum eſt homini, qui membranis illis reticula ſphærulis ſive pilis volantibus mittendis & accipiendis obducebat, quod à viro aliquo docto fortè obſervatum tunc demum eſt, cum membranæ illæ ad unam omnes eſſent conſumptæ, ut ex ore Jo. Capellani accepit Colomeſius in opuſc. p. 105.

17. In Conſtantinopolitana bibliotheca integrum fuiſſe Livium Arabicè non dubitavit Petrus de Valle p. 1. Itiner. Epiſt. 9. Sed oblatis à magno Duce Florentino 5000. piaſtrorum, & à legato Regis Chriſtianiſſimi decem mille thaleris inveniri nuſquam potuit: neque jactatum opus Regi Galliæ afferre potuit longe majore etiam 50000. ſcutatorum propoſito præmio, vanus promiſſor Juſtinianus Chiuſ. Fabricius.

curioſus, ut videri poteſt, amator Hiſtoriæ, Alarico Gothorum Regi comes, direptâ urbe Româ ſecum abſtulerit, in Hionamque demùm tumultu Danico diligentiùs & tutiùs aſſervandas religioſè tranſtulerit: ita ut non omninò vanum & irritum videri poſſit reliquas T. Livii Decades expectare, quarum tenebris erutarum certa exempla ad Franciſcum Galliæ Regem Scotorum litteris prolixè atque munificè præmiſſa nuper audivimus. Audierit ille rem parùm probabilem, an finxerit, haud equidem ſatis ſcio: effectum certè non habuiſſe magnifica illa promiſſa nimis quàm certum eſt. Quòd ſi res ita ſe haberet, dignum profectò ſereniſſimi ac potentiſſimi Caroli Magnæ Britanniæ Regis in bonas artes ſtudio, atque in Rempublicam Litterariam munificentiâ foret, rem quàm accuratiſſimè indagare. Nam Hiſpanicâ bibliothecâ paucos ante annos incendio conſumptâ; Conſtantinopolitanâ Chriſtianis occlusâ, ſi qua ſupereſt alicundè haſce pretioſas Hiſtoriæ Romanæ reliquias nanciſcendi ſpes (quam perexiguam nemo non mecum, opinor, exiſtimabit) hinc maximè videtur affulgere poſſe. Oſtentato certè per hoſce dies longinquo ſpei hujus è Græcia radio neminem video eſſe, qui vel tantillùm confidere auſit.

8. Auctores quibus uſus eſt Livius.

Juvat antiquiores rerum Romanarum Scriptores, quibus uſum in Hiſtoria ſua Livium conſtat, hoc loco recenſere: ex quorum operibus ſua quoque hauſit magna ex parte Dionyſius Halicarnaſſeus. Hi, ut Græcos omittam (in quibus primas haud dubiè *Polybius* tenuit) fuere imprimis M. Fabius *Pictor*, L. Cincius *Alimentus*, M. *Porcius Cato* Cenſorius, L. *Scribonius* Libo, L. Calpurnius *Piſo* Frugi, L. *Lælius* Cœlius *Antipater*, Sempronius *Aſellio*, Sextus & Cneius *Gellii*, Clodius *Licinius*, L. Cornelius *Sylla* Dictator, L. *Siſenna*, Q. Claudius *Quadrigarius*, Q. *Valerius* Antias, C. Licinius *Macer*, Q. *Hortenſius*, T. *Pomponius* Atticus, ipſe M. *Cicero*, qui de conſulatu ſuo ſcripſerat, C. *Ælius* Silo, Q. *Lutatius*, M. Terentius *Varro*, P. Nigidius *Figulus*, L. Ælius *Tubero*, C. Julius *Cæſar* Dictator, *Oppiuſque & Hirtius*, Cornelius itidem *Nepos*, C. Salluſtius *Criſpus*, & M. Valerius *Meſſala* Corvinus. Horum fragmenta non pauca Franciſcus Modius in Francofurtenſem Livii editionem anni 1588. conjecit ad calcem totius voluminis. Tempus, dignitatem, opera cujuſque deſcripſit Gerardus Joannes Voſſius lib. 1. de Hiſtoricis Latinis.

9. Editiones præcipuæ, cum variorum Interpretum nominibus.

Ut cuique pateat qui primi, quique deinceps, qui hoc noſtro ſæculo utilem operam in Livio interpretando ac dilucidando poſuerint, videatque Lector unde lucem haurire poſſit ac debeat: ad pleniorem ejus intelligentiam non inutile erit, ſi ex innumeris propemodum ejus editionibus quæ extant, præcipuas, ſervato (quoad fieri poterit) temporum ordine, indicavero;

vel cum periculo nonnulla refricandi eorum, quæ ex Gronovii editione jam protuli: ſic enim apparebit totius rei progreſſus, & quid priori cuique poſterior adjecerit. Editio *Baſilenſis* anni 1529. annotationes habuit Beati *Rhenani* & Sigiſmundi *Gelenii*. *Baſileenſis* alia *Frobenii* anno 1535. cum eorumdem Notis Chronologiam dedit Henrici Loriti *Glareani*: cujus Notæ quinquennio poſt ex eadem officina prodierunt. Addidit Curio editioni *Hervagianæ* anni 1555. animadverſiones non admodum multas, ſed antiquiores, *Laurentii* Vallæ in ſex priores libros de Bello Punico ſecundo, & M. Antonii *Sabellici* in complura Primæ ac Tertiæ Decadis loca breves emendationes. His uberiora ad omnes Livii libros, qui quidem extabant, Caroli *Sigonii* ſcholia edita ſunt *Venetiis* à Paulo *Manutio*. Idem anno 1566. protulit Sigonii ejuſdem, cum obſervationibus in Glareanum, ſcholia, atque in ea Franciſci *Robortelli* animadverſiones, & reſponſa Glareani. Exiit deinde anno 1573. *Pariſienſis* editio apud Joannem Macæum, ſive apud Thomam Brumennium, Nicolao Thuano Carnutenſi Antiſtiti dicata à Jacobo *Goborio*, quæ ceteris prioris ſæculi commodior viſa, quòd omnium ejus temporis Interpretum Commentarios, ad enarrationem locorum difficilium, è regione, ſive adversâ ferè columnâ ſingulis inſertos paginis habet: nec eorum modò quorum ſuprà memini; ſed Guillielmi præterea *Godelevæi* Obſervationes in ſuperſtites omnes Livii libros: Joannis item *Velcurionis* in primos libros duos ab urbe condita: Joannis *Saxonii* Hatteſtedii in libros vigeſimum primum & vigeſimum ſecundum, itemque ipſius Gohorii Animadverſiones in libros primum, ſecundum & tertium, ſeorſim à cæteris ante opus Livianum adſcriptas. Succeſſit *Francofurtenſis* anni 1578. editio, cum Commentariis ſive ſcholiis & Annotationibus doctorum virorum hactenus memoratorum in fine adjectis, quæ picturas habet haud inelegantes, quibus præcipua rerum geſtarum exhibentur. Sed decennio pòſt Franciſcus *Modius* Brugenſis *Francofurtenſem* Sigiſmundi Feyrabendii non pœnitenda locupletavit acceſſione. Etenim præter priores Commentarios ad calcem operis Liviani adjectos, novamque Sigonii Chronologiam, Notas quoque ipſius Modii continet, in Livium propè univerſum, partim ab eo ſcriptas, partim ex Barnabæ Briſſonii, Jacobi Cujacii, Juſti Lipſii aliorumque eruditorum hominum monumentis exſcriptas. Exierunt poſt has in lucem *Francofurti* & *Pariſiis* tres opinor ſub Jani *Gruteri* nomine editiones, quarum Pariſienſis anni 1628. anterioribus addidit Fulvii *Urſini* & Marcelli *Donati* Annotationes (hæ *Venetiis* anno 1604. publici juris factæ fuerant) Interpretum hoc volumine comprehenſo-

Digitized by Google

rum ſcriptis admixta, per inanem jactantiam præ ſe ferebat hæc editio plurima è monumentis L. Cœlii *Rhodigini*, Alexandri *ab Alexandro*, Guillielmi *Budæi*, Deſiderii *Eraſmi*, Petri *Nannii*, Lazari *Baiſii*, Adriani Turnebi, Lilii *Giraldi*, Antonii *Auguſtini*, Jacobi *Cujacii*, Franciſci *Robortelli*, Gabrielis *Faërni*, Onuphrii *Panvinii*, Jacobi *Rævardi*, Barnabæ *Briſſonii*, P. *Pithoei*, Juſti *Lipſii*, Federici *Morelli*: quorum quidem omnium & recentiorum præterea primi nominis Criticorum ſcrinia eam in rem exactè compilari, è re litteraria fuerit: ſed totam compilatoris vitam immenſum hoc opus deſideret. Extant & *Gruteri ejuſdem* in Livium *Francofurti* prolatæ cum diſcurſibus in Tacitum Notæ Politicæ, præſertim in Livium eodem anno 1628. Horum omnium lucubrationibus haud quaquam deterritus Joannes Fredericus *Gronovius* Livii quæ extant à capite ad calcem ſibi ſumpſit enarranda collatis codicibus quos maximè in Gallia vidit. Is recenſitum à ſe opus tribus voluminibus minori formâ, quæ à duodenis foliorum plicaturis in XIIO. vulgò vocatur, *Lugduni Batavorum* edidit anno 1645. addito quarto volumine, quod Viro Illuſtriſſimo Claudio Memmio, Comiti Avauſſio, Litterarum Humaniorum æquè ac Civilis Prudentiæ & morum integerrimorum laude conſpicuo, inſcriptum, notas continet, quibus veterum codicum fide & rationibus lectiones ſuas Auctor firmavit. Idem iterùm Gronovius Scriptorem hunc noſtrum eâdem formâ recudi curavit anno 1654. ſub auſpiciis Chriſtinæ Suecorum Reginæ, omnis litteraturæ, quæ ipſi familiaris, nec minùs Litteratorum fautricis eximiæ. Tandem eodem accurante exiit in novam lucem decennio poſt *Amſtelodami* octonaria forma apud Ludovicum & Danielem Elzevirios Livius noſter, cum prioribus ipſius Gronovii & ſelectis aliorum Notis, atque imprimis Sigonii, Godelevæi, Gruteri & Tanaquilli Fabri; inſertis & Obſervationibus nonnullis ex Turnebi operibus, additis etiam Geographicis quibuſdam ex Stephano. Ad calcem cujuſque voluminis adjectæ ſunt poſteriores hujus Gronovii curæ. At dignus magni illius Critici filius *Jacobus Gronovius*, typis [18] Danielis ejuſdem Elzevirii uberiorem eâdem formâ editionem anno 1678. protulit, ſuis Annotationibus auctiorem, aliiſque haud multis quæ ex Henrici *Valeſii* noſtri, & Jacobi *Perizonii* ſchedis excerpta ait. Hæc ad me editio nonniſi poſt commiſſam jam prælo tomi tertii partem per-

Apud Elzevirium. Emendata, & nitidiſſima editio, capitibus etiam quod in Heinſiana deſideratur, diſtincta. Fabricius.

18 In Editione notarum Gronovii Patris ad Livium Lugd-Bat. 1645.12. extant nonnulla, quæ in poſterioribus Liviis An. 1665. & 1679 cum notis Variorum fruſtra quæras; ut obſervavit Clariſſ. Burmannus p. 607. ad Petron. Fabricius.

vênit. Eodem tempore, ab anno ſcilicet 1672. *Pariſiis* apud Viduam Claudii *Thiboust*, & Petrum *Leſclaſſam* in duodenaria paulò majori formâ Livium dedit Joannes Granus *Tillemonius* vir clariſſimus, ſelectis ſuperiorum Interpretum Notis præcipuis cum additis etiam tum Chronologicis illuſtrium eventuum, tum Geographicis Annotationibus ex Nicolao præſertim Samſone, & Philippo Ferrario ac Michaele Antonio Baudrando depromptis concinnè illuſtratum ad uſum ſtudioſæ juventutis. 19

19. Præter Livii editiones à Gronovio, atque Doujatio memoratas hæ quoque commendantur à Jo: Alberto Fabricio in ſua bibliotheca Latina.

Auguſtana anni 1470. fol.

Venetæ, prima An. 1491. cum Sabellici annotat. fol. quarta, poſt illas nempe à Gronovio annorum 1498, & 1501, memoratas, An. 1506. fol. & quinta an. 1511.

Mediolanenſis tertia an. 1495. fol.

Pariſienſis an. 1516. fol.

Aldina an. 1521. fol.

Baſileenſis an. 1525. ex caſtigatione Jac. Sobii fol.

Lugdunenſis cum Rhenani, & Gelenii notis ex Trechſeliorum officina. an. 1537. 8.

Baſilenſes an. 1539. & 1543. fol.

Lugdunenſis cum notis Glareani, ejuſdemque Chronologia recognita. an. 1540. fol.

Venetæ an. 1541. apud hæredes Lucæ Antonii. fol.

Lugdunenſis apud Gryphium cum Glareani notis an. 1542. 8.

Baſileenſis apud Hervagium cum notis Rhenani aliorumque. an. 1543. fol., & an. 1549. fol. è recenſione Coelii Curionis. & an. 1554. 8.

Lugdunenſis an. 1548. 12.

Francofurtenſis cum notis Godolevæi an. 1551. 8.

Pariſienſis cum Laur. Vallæ emendationibus, Sabellici, aliorumque notis. an. 1552. fol.

Lugdunenſis apud Jo: Frellonium cum notis Theodorici Morelli, aliorumque an. 1553. fol., & an. 1555. 8. rurſum apud Gryphium cum Veicurionis, Jo: Saxonii aliorumque notis.

Venetæ ex officina Paulli Manutii. an. 1572. fol.

Francofurtenſis an. 1588. 8. & 12.

Lugdunenſis an. 1589. 8. cum chronologia ad Faſtos Capitolinos Verrii Flacci accomodata notiſque Robortelli, & Godolevæi. Londinenſis an. 1589. 8.

Genevenſis an. 1609. fol. & an. 1621. forma minore.

Lugdunenſis an. 1614. 8. & an. 1621. 4.

Pariſienſis an. 1623. fol. cum Gruteri aliorumque notis: & an. 1625. fol., in qua præter ea, quæ in editione Francofurtenſi an. 1588. fol. cum notis Franciſci Modii, & variorum occurrunt, habes Sigonii contra Glareanum, & Robortellum defenſiones, Fulvii Urſini notas, Marcelli Donati dilucidationes, & Morelli excerpta è Livio politica, & hiſtorica.

Francofurtenſes an. 1609. 1612. 1634, & 1659. 8. quæ ad Gruterianam excuſæ ſunt additis notis Godolev.

Lugduno-Batavæ an. 1624. & 1634. 12. ex officina Elzivириana 3. volum. ex recenſ. Danielis Heinſii.

Amſtelodamenſis an. 1661. 12. unico volumine typis minutiſſimis. & an. 1678. 12.

Pariſienſis in Uſum Sereniſſimi Delphini an. 1679-82. ſex volum. 4. cum notis Doujatii, & ſupplementis integris Freinſhemii.

Cantabrigienſis an. 1679. 8. 2. volum. ad editionem Gronovianam.

Patavina. an. 1694. 12. volum. 5. cum novis argumentis, chartis geographicis, Analyſi Rhetorica concionum, variiſque indicibus.

Francofurtenſis iuxta editionem Gruterianam an. 1696. 8.

Londinenſis an. 1703. 8. 2. volum. ad editionem Gronovianam cum lemmatibus hiſtoricis, tabuliſque geographicis.

Oxonienſis an. 1708. 8. 6. volum. Mſſ. Codicum collatione recognita, & annot. illuſtrata à Thoma Hearne.

Amſtelodamenſis denique an. 1710. 8. 10. volum. apud Vvetſtenium cum brevibus Jo: Clerici notis, Freinſhemii ſupplementis, novo locupletiſſimoque rerum indice, chartiſque geographicis.

Digitized by Google

10. Interpretes præcipui,

Cùm tot eruditi viri in T. Livii enucleandis voluminibus egregiam operam posuerint; etsi sua cuique laus debetur, duo, ni fallor, ejus enucleati palmam præ cæteris tulerunt, Carolus *Sigonius* Mutinensis priori sæculo: hoc verò nostro Jo. Federicus *Gronovius* pater Hamburgi natus: ambo textum nobis emendatiorem dedêre, partim acumine ingenii, & judicii, ut ita dicam, limâ; partim collatione codicum manuscriptorum, quâ in parte accuratiùs *Gronovius* feliciusque desudasse videtur. Uterque difficillima Auctoris loca enodavit haud vulgari doctrinâ; Præter alia magnæ utilitatis opera, illuminandis Historiæ Romanæ, & ex consequenti Auctoris nostri tenebris, uterque non uno opere lucidam nobis prætulit facem. Gronovii Observationum opus doleo mihi non visum. Sigonius præter alia, præcipuè Fastos Consulares exactè digestos edidit, & Commentariis illustravit, quibus singulorum annorum gesta undique incredibili labore collegit. Hoc ipsum ferè institutum laudabili æmulatione secutus Stephanus Vinandus *Righius* Belga sub annum Christi 1599. Magistratuum omnium seriem quâ fieri potuit, tribus voluminibus sub Annalium titulo complexus est accuratissimè. Livium verò ipsum elegantibus Supplementis æmulatus est Joannes *Freinshemius*, de quo paulò post erit fusius dicendi locus.

11. De Versionibus in Linguam vulgarem.

Ad Opera T. Livii explananda non parùm conferunt Versiones doctorum virorum in vernaculum sermonem. Italicè ea transtulere jam olim Auctores anonymi, quorum lucubratio anno 1535. Venetiis prodiit. Gallicos tres habemus Interpretes, Jacobum *Goborium* antè nominatum, qui primam Decadem vertit superiore sæculo: [20] Blasium deinde *Vigenereum*, & Franciscum *du Rier*; qui me ante annos duos fermè ac triginta in Academicorum Franciæ collegium pro Directoris officio admisit. Hic universum Livii Opus, quod eo tempore extabat, non modò Gallicum fecit, sed non pœnitendis Notis, vel potius Commentariis enarrare [21] instituit. Hic secundæ quoque Decadis Supplementum sermone Gallico [22] reddidit. [23] Alios præterea esse suspicor, qui

20. Hæc versio vidit lucem Lugduni An. 1553. Fabr.

21. Notas enim in primam tantum Decadem scripsit. Hæc autem versio prodiit Parisiis An. 1583. 1606. & 1617. fol. 2. vol. Fabr.

22. Versio Gallica Petri Ryeri edita fuit Paris. An. 1653. fol. 2. vol. Lugd. An. 1653. 12. quatuordecim volum. & Roterod. An. 1700. 12. octo vol. Fabr.

23. Equidem præter complures Livii versiones ineditas Gallicas, ut Petri de Clinchamp, Andreæ Bovivi, Hieronymi de la Vaitie, & Petri Berchorii, sive Berthorii, qui Livium jussu Regis Joannis interpretatus est obiitque A. C. 1362. per Franciscum à Cruce Cenomana in Biblioth. sua Gallica memoratas, Gallicè prodiit primæ Decadis liber secundus Henrico Sallenovano interprete Pictavii

qui vertendo in vulgares linguas Auctori noſtro operam dederint; ſed eorum ad me nondum perveniſſe notitiam fateor. Non tamen hic prætermittendæ Latini Latinii & Henrici Savilii Obſervationes & correctiones in Livium, prioris in Bibliotheca profana Romæ cum aliis Notis; poſterioris ſeorſim editæ.

SECUNDA PARS PROLEGOMENON LIVIANORUM.

HACTENUS in his, quæ ad T. Livii opus ejuſque Interpretes ſpectant, diutiùs fortè quàm neceſſe erat immorati ſumus. Sequitur, ut quæ ad Operis materiam in univerſum pertinent, ea (quod προλεγόμενον initio propoſitum fuerat) exequamur. Et quidem mihi in animo erat de moribus Romanorum veterum hoc loco non omninò perfunctoriè differere, quo paratior ad intelligendum Auctorem ſtudioſus Lector accederet. Sed in Notarum decurſu adminiſtrationem rerum tum civilium tum ſacrarum; legum item condendarum, mandandorumatque exequendorum domi foriſque magiſtratuum rationem, quantum opus videbatur, ſuis locis attingere neceſſe fuit. Menſuras & ponderа aliquatenus attigimus, nec quæ ad Nomina & Cognomina pertinebant, prorſus intacta reliquimus. Poſt tot repletas hiſce rebus paginas, video quæcumque adjicerentur, tædium magis quàm

1. Unde petenda inſtitutorum Populi Romani notitia.

****

An. 1553., omnes quos habemus, libri Claudio Guichardo interprete Paris An. 1562. & Antonio Fayo An. 1582. 1584. tribus vol.

Italice pridem vertit præter Chriſtoph. Landinum Rugerus Ferrarius ut notatum Lambecio lib. 2. de Bibl. Vindob. p. 947. Prodiit etiam Livius Romæ An. 1476 fol., atque exinde Venet. An. 1478. 1481. fol. Et rurſum An. 1490. & 1511. apud Barthol. de Zanis, una cum Leonardi Aretini prologo de bello Punico. Recentior tranſlatio Jacobi Nardi lucem vidit Venet. An. 1547. & 1554. fol.

Germanicè exiit in lucem Livius Mogunt. An. 1541. & 1546. Argentorat. An. 1562. 1574. 1594. & 1516. fol. & Francof. An. 1568. fol.

Belgice Antuerp. An. 1541. apud Jo. Gymnicum, & 1571. fol.

Hiſpanicè ad Philippum Principem Colon. apud Arnoldum Byrkmannum An. 1553. fol.

Anglicè quoque, & Arabicè verſus eſt Livius, & penes Arabes integrum extare Livium pridem affirmavit Th. Erpenius orat. 2. de lingua Arabica. Fabr.

fructum esse allatura. Itaque, ut legentium & tempori parcam, & fastidium vitem; nec tamen promissis omninò deesse videar, Militiæ tantùm, Pecuniæque modum, quàm brevissimè exequar seorsim, ubi ea narravero quæ propiùs ad institutum nostrum pertinent. In his enim præsertim explicandis crebræ oriuntur, ac sæpiùs recurrunt difficultates. Cætera Criticorum ingentes Commentarii suppeditabunt; Sigonii imprimis jam sæpè laudati, Onuphrii Panvinii, Justi Lipsii, Julii Cæsaris Bullengeri atque aliorum, qui in eodem argumento cum laude versati sunt. Hujus generis Auctorum lucubrationes in quinque volumina collegit Jan. Gruterus sub titulo, *Facis Artium*, sive *Thesauri Critici* Francofurti editi. Reliquos indigitare operæ esset infinitæ.

PARS TERTIA

DE

INSTITUTI NOSTRI RATIONE.

1. Causæ hujus à me suscepti laboris.

EX iis qui Terentium, Justinum, alioſque veteres Latinos Scriptores auctoritate Regiâ in usum Sereniſſimi DELPHINI Notis, atque Interpretationibus illustrandos ante me susceperunt, discere cuivis promptum est quid consilii fuerit magno ejus instituti Auctori. Is est excellentissimus Carolus Sancta-Mauræus Montauserii Dux, cui post collatam Patricii, sive Franciæ Paris summam Dignitatem, mandatumque Normanniæ totius regimen, his omnibus pretiosius adhuc aliquid, Filii unici institutionem, Rex Maximus credidit, æquissimus, ac solertissimus hominum, æquè ac rerum æstimator & judex. Et sanè si ea in re antiquus generis splendor, si artes bellicæ ac civiles, si fides incorrupta, si notæ probitatis spectanda commendatio: quis Montauserium nescit ex horum omnium felici quasi mixturâ conflatum?

Stemma quidem ex vetustissimis Turonum proceribus, per Carolinæ stirpis fœminas, à primis usque Hugonis Capeti temporibus deductum, Franciæ, & Cancellarios, & Mareschallos numerat inter tanti Viri majores, ut mirum non sit eum in militarium virtutum atque officiorum cura præcipuè versatum, non mediocrem tamen semper retinuisse Litterarum, ac Litteratorum

Digitized by Google

amorem. Dignam autem eo gradu ac loco fidem & fortitudinem, eiuſque apprimè reſpondentia à prima ſtatim juventute per Italicum Germanicumque limitem facinora, ſequutum eſt ſupremi exercituum Ductoris in Valle-Tellina, in Montis-Ferrati dictione, in Comitatu Burgundiæ, in Alſatia egregiè adminiſtratum munus, ſeminaque manſurarum nobis inde victoriarum, quibus regni paulatim fines adeo crevere. Sequuta & à Ludovico Juſto virtutis præmia, honore quàm fructu majora, conjunctis ſimul domitæ & contra hoſtium vim præclarè defenſæ Alſatiæ, ſimul Santonum Angoliſmenſiumque quaſi domeſticis præfecturis. Quid natalibus factiſque congruentem animi candorem, dicam? Quid perſpectam omnibus morum priſcam ſeveritatem & conſtantiam inconcuſſam, perque hæc novum ad Regiam gratiam aditum.

Quod autem juvandis Sereniſſimi Principis ſtudiis maximè idoneum viſum tanto Viro fuerat conſilium, id ſtatim arripuit ac pro ſua prudentia eſt amplexus Ill^mus nunc Meldenſis Antiſtes *Jacobus Benignus Boſſuetus*, quem ad imbuendum excolendumque virtutibus & litteris, Sereniſſimi DELPHINI animum magno publico bono vocarunt religio & ſanctitas ſua, ſcientiarumque divinarum & humanarum cognitio ſingularis, & in ſuadendis quæcumque recta ſunt victrix ſemper eloquentia. Atqui promovendis Principis noſtri ſtudiis utilem quoque ſub illis operam navavit Abbas *Petrus Daniel Huetius*, ut in quovis litterarum genere mirè excellit, ita ad felicem conſilii hujus exitum doctrinæ atque ingenii ſui luminibus non mediocriter contulit.

Nunc ut ad propoſitum veniam, meoſque in explanando Livio conatus attingam: cùm de ornanda Sparta, quam jamdiu nactus eram, de Juriſprudentia nempè, Canonicâ præſertim, ex profeſſionis publicæ munere, meditatis plures per annos operibus excolenda, cogitarem: ad principem hunc Hiſtoriæ Romanæ Scriptorem Regiis auſpiciis exponendum aggredi juſſus; etſi ingens onus eſſe videbam, atque ab iis quæ tunc præ manibus habebam, alienum; detrectare tamen ſub tanto nomine oblatum, religioni duxi. Quid enim recuſare mihi liceret, cùm Sereniſſimo DELPHINO laborandum eſſet, cui vixdum ſeptenni, operam, cum ſumma jam tum ingenii, animique regiis natalibus reſpondentis admiratione, per ſeſquiannum dediſſem, ab Illmo Præſide Octavio Perignio, primo ipſius præceptore evocatus, quem tanto muneri mors immatura ſubripuit. An ſuſcepto nunc negotio ſatisfecerim, meum non eſt judicium. Illud quidem ingenuè agnoſco, me temperare mihi haud quaquam potuiſſe, quin, aliorum exemplo Interpretum, alicubi extra in-

2. Qua ratione in hiſce Notis verſatus ſim.

dictas neceſſariæ explicationis lineas excurrerem, dum aut varias lectiones compono atque expendo; aût Geographicis ſcrutandis immoror diutiùs: aut accuratiùs tractandis firmandiſque rebus nonnunquam inhæreo, quæ docto nemini ignotæ, philologis potiùs alicubi fortè non injucundæ, quàm *Sereniſſimo Principi* noſtro (cui digniores longè Interpretes obtigêre) aut juventuti intelligendi tantùm Auctoris avidæ convenientia, cujus juvandæ gratiâ hæc cuncta comparari noveram. Verùm in progreſſu operis multa nolenti aut incogitanti exciderunt, quæ forſan prætermitti ſatius fuiſſet, quò ad præſcriptum modum cuncta propiùs reducerentur. Politicis Obſervationibus, quæ nos longiùs abripere potuiſſent, ex præſcripto abſtinui. Habebunt eorum cupidi in Juſti Lipſii Monitis, in Jani Gruteri Diſcurſibus ad Livium & Tacitum, in Nicolai Machiavelli ad tres primos Auctoris noſtri libros, aliorumque Italicis in Tacitum ejus generis ſcriptis, Parutæ, Ammirati, &c. unde animum hujuſmodi monitis exempliſque ſimilibus paſcant.

3. Adjumenta ex codicibus Mſs.

Cæterùm data mihi adjumenta quædam, quibus aliquantò fortè ornatius cumulatiuſque hoc Opus prodiret, tacere non poſſum, nec debeo: Scriptorum dico librorum, & Supplementorum, quæ tanti Operis longè majores Libris qui extant, lacunas explerent aliquatenus, aut ſarcirent.

Librorum quidem plurium non unius ætatis, inque his vetuſtiſſimi Puteani (quem cum aliis optimæ notæ duobus præſertim Thuanæo & Petaviano, Gronovius viderat) copiam fecit è celeberrima primùm Regis Bibliotheca, præfectus ejus vir clariſſimus, pari eruditione & humanitate præditus, *Petrus Cartavius*.

Codices alios veteres eruditiſſimi amici noſtri Stephani Baluzii operâ, ſuppeditavit deinde, annuente pro ſolita benignitate Domino, locupletiſſima omnis generis, nec minus manu quàm typis exſcriptorum librorum, aucta nimirùm Thuanæa, Petavianæ, aliarumque ſpoliis Bibliotheca viri ſuperilluſtris *Joannis Baptiſtæ Colberti*, omnium capacis, ſicque maxima quæque curantis, ut minora non tranſmittat, cujus non in tranſitu commemorandi luculentior, ut ſpero, dabitur aliquando occaſio.

Aliud præterea ſubſidium habui ab Illmo Præſide *Joanne Jacobo Memmio*, Majorum ſuorum non minùs integritatis, doctrinæ, atque in litteras ſtudii nomine, quàm opum atque honorum amplifſimorum hærede, qui primæ Decadis exemplar è caſtigationibus, mecum humaniſſimè communicavit.

4. Quæ à nobis ad dilucidandum Livium præ cæteris allata.

Horum codicum pleroſque cum aliis Gronovius; cæterique contulerant: ut in textus emendatione minùs quàm in defenſio-

Digitized by Google

ne mihi fuerit laborandum. Et ſane à recepta lectione quàm minimùm recedendum putavi: non inficior tamen ſi plurium mihi manu ſcriptorum qui Romæ, Florentiæ, alibi, Pariſiis quoque reperiuntur, copia fuiſſet, nec defuiſſet diſcutiendis illis omnibus otium; ſi cum iis ſparſas per philologorum volumina conjecturas, aut correctiones licuiſſet evolvere, fieri poſſe, ut & purior contextus & annotata certiora exiiſſent. Nunc perpetuas inter publicarum occupationum interpellationes, ſi qui errores in longum opus ſubindè irrepſerint, condonandum erit connixo ſymbolam ſuam non prorſus inutiliter ad hæc litteraria ſacra conferre. Utcunque ſe res habeat, affirmare non verear, haud facilè hactenus illuſtratam felicius prodiiſſe Livianam Hiſtoriam, ſi accuratè cuncta perpendere libeat. Quæ alii magni Viri attulere, ea hic ad rationis trutinam examinari, ut quæ recta apparebant, cum Interpretis cujuſque laude ſequutus: quæ audaciùs immutata, aut interpretatione minùs probabili detorta extra veram Auctoris ſententiam videbantur, ad veriſimiliora ſine cujuſquam obtrectatione revocare conatus ſim. Non pauca, in quibus minùs provecti adoleſcentes Interpretis officium deſiderabant, aliis ſive per incuriam, ſive fortè per contemptum, ſilentio tranſmiſſa, explicui: Geographicis enucleandis non perfunctoriè incubui. In paginæ prætereà cujuſque fronte hinc Libri & Capitis numerum, inde geſta præcipua ſummatim indicavi, adjectis ubique ſummâ in margine Annis & Magiſtratibus. Ad cujuſque Decadis calcem, tum Orationum, quibus Livius Eloquentiæ ſuæ ſub aliorum perſona litavit, indices attexui uberiores ac paulò exactiores anteà editis; tum Faſtos, non Conſulum modò, ſed ſummorum quorumvis Magiſtratuum nominibus ac Triumphis notatos addidi. Lacunas quoque majores quæ in priori Quintæ Decadis parte ſupererant, explevi pro virili; eâ cautione adhibitâ, ut nec ab Auctore memorata reponerem, & quæ temporum injuriâ perierant, ex aliis Latinis Græciſque Scriptoribus collecta, cum Auctoris verbis, etiam decurtatis, conjungerem, ac conglutinarem. Effigies denique Virorum maximè Illuſtrium exhibui, quoad licuit, è nummis aliiſque vetuſtatis monumentis. Eas ne ſuis ubique locis inſererem, ſed in poſterioribus voluminibus conjicerem in folium ultimum, fecit Bibliopolæ deſiderium, quædam inter excudendum folia ſibi perire conqueſti. Romæ urbis quæ ſub Romulo, quæque ſub Conſulibus fuit, & Pugnæ Cannenſis, ac Romanæ Caſtrametationis deſcriptionibus in æs inciſis, delineationes aliorum quoque inſignium Prœliorum atque Obſidionum, Tabulas item Chronologicas, Chorographicas veterum Imperii Provinciarum, & Ge-

Digitized by Google

nealogicas præcipuarum familiarum adjecturus libentiſſimè, ſi operæ tantùm meæ ac laboris res fuiſſet.

Fatigatâ ultra modum attentione legentium, prolixæ huic Præfationi finem imponam, ſi priùs monuero me in annorum Romanorum ineundâ ratione, Sigonii ferè Faſtis inhæſiſſe, ad marmorum ſeriem quæ in Capitolio poſita à Verrio Flacco fuerant, accuratè digeſtis, expletis etiam ab erudito Viro Lacunis quas temporum injuria invexerat: quam rationem Pighius quoque ſequutus eſt, vir in eo argumento egregiè ſupra cæteros verſatus.

5. De Freinſhemio, ejuſque Supplementis.

Supereſt ut de *Freinshemio*, cui ſuppletos debemus quatuor ſupra centum Livii noſtri Libros, nonnihil adjiciamus, quo ejus vita & opera Lectoribus innoteſcant. Res ipſius proſequutus eſt laudatione poſthuma Abrahamus Freinshemius fratris filius, quam Eliſabethæ Berneggeræ ipſius viduæ nuncupavit. Summa rerum capita complectitur Epitaphium ſequens.

EPITAPHIUM FREINSHEMII.

JOANNES FREINSHEMIUS
Lucem primùm aſpexit ULMÆ
A. D. XVI. Kal. Decembris
Anno Chriſtiano M. DC. VIII.
Academias inviſere cœpit natus annos quindecim:
Maximè verò profecit ARGENTORATI,
Adjutus humanitate, conſiliis, exemplo
Viri Optimi, atque Doctiſſimi
MATTHIÆ BERNEGGERI.
Inde vocatus à Viro quodam Illuſtri in GALLIAM,
MICHAELIS MARESCOTTI *uſus contubernio*
Inter Regis Secretarios Interpretes locum tenuit
Anno Chriſtiano M. DC. XXXIV.
Reverſus inde ad BERNEGGERUM *ſuum*,
Ejuſque filiâ ductâ A. Ch. M. DC. XXXVII.
Commune cum eo tectum, menſam, Muſeum,
Bibliothecam, ſtudia propè omnia habuit.
Hinc in SUECIAM *accitus*, UBSALIÆ
Profeſſorem Politices egit, & Eloquentiæ
Anno Chriſtiano M. DC. XLII.
Donec poſt quinquennium in Aulam adſcitus Regiam
Incomparabilis illius CHRISTINÆ *judicio*,
Sub Regii Bibliothecarii & Hiſtoriographi titulis
A ſtudiis Sereniſſimæ Reginæ factus eſt.

Valetudine verò frigidioris Cæli impatiente,
In Patriam ſe recepit Anno M. DC. LI.
Ubi tum Sereniſſimus ELECTOR
Palatinam inſtaurans Academiam,
Præſentiam illius operamque deſiderare cœpit:
Huic ille vocationi lubens meritoque paruit,
Sed non ante conſenſum Sereniſſimæ Reginæ:
Quæ A. M. DC. LV. per GERMANIAM *tranſiens,*
Conſiliariorum numero eum addidit.
Igitur Anno ſequenti profectus HEIDELBERGAM,
Sereniſſimi ELECTORIS *Conſiliarius,*
Et novo noſtris Academiis exemplo,
PROFESSOR HONORARIUS *conſtitutus eſt.*
Adeptus iſta ſine ambitu:
Functus ſine tædio:
Reliquit ſine mœrore:
HEIDELB. *Ann. M. DC. LX. pr. Kal. Sept.*
Unum memor eſſe neceſſarium.

Lucubrationes ejus extant multæ, atque admodùm utiles, publici jamdiu Juris: plures ſunt typis nondum vulgatæ.

Verſantur in hominum manibus.

Panegyricus Guſtavi Adolphi Suecorum Regis.

L. Ann. Florus in Capita & Verſiculos diſtinctus, Notiſque illuſtratus.

Supplementa Curtiana, cum ipſius Curtii opere, quâ extat; Fragmentis, variantibus lectionibus, Indice locupletiſſimo, & Commentario: quod opus Joachimo Vico Fortio Equiti dicatum prodit Argentorati apud hæredes Lazari Zetzneri anno 1640.

Notæ in Tacitum.

Paraphaſis Corneliana quâ priores quatuor Libri Annalium Taciti exponuntur.

De S. Rom. Imperii Electorum, & Rom. Eccleſiæ Cardinalium præcedentia.

Supplementorum Livianorum Tomus I. quo ſuppletur Auctoris noſtri Decas II. Holmiæ primùm ſub auſpiciis inclytæ Chriſtinæ Suecorum Reginæ editum opus anno 1649. cui præfixam Panegyrici inſtar Epiſtolam nuncupatoriam, dignis tantæ Heroïdis laudibus, & grati animi teſtificationibus refertam, cur Germanica poſteà editio, non ſine aliqua utriuſque injuria, prætermiſerit, haud equidem capio. Recuſam in hac noſtra, gratulor Bibliopolæ.

Cum primo illo Supplementorum Tomo alterum ediderant anno 1662. iidem Germanici Typographi, ſed mutilum, &

non ſine mediocri Auctoris pariter & Lectoris detrimento reſectis veterum Scriptorum nominibus, quæ ad fidem rerum à ſe memoratarum aſſerendam adjecerat ad marginem Freinshemius.

Syntagma de Vicariatu Palatino: quod prodiit ſub nomine Phylœci.

Latent adhuc, ut audio, in eruditi Vormatienſis Advocati Bibliotheca, in quam poſt Freinshemii obitum emptione tranſierunt, præter varias in claſſicos aliquot Scriptores Notas,

Theſes de Aſſeſſoribus.

Meditationes Politicæ de Officio boni Præſidis.

Carthaginienſia & Numidica.
Achaica item
Pergamena,
} *ſeu* {
Harum Rerumpublicarum & Regnorum Formæ, Hiſtoriæ, Inſtituta

In edendis nunc Supplementorum ingentibus Tomis duobus deſudandum nobis haud mediocriter fuit: nam & characterum ſæpè implicati ductus oculos fallebant, & marginis anguſtiæ vix ſummas rerum, longè minùs Auctorum aliunde petenda nomina capiebant: nec plenæ à ſummo ad imum paginæ, librorum titulos, annos, Conſules, quæque alia ad lectorum commodum adjungenda in earum cujuſque capite videbantur, admittere ullatenus poterant. Diſtinguendæ præterea variato charactere fuerunt Orationes ſive Conciones à narratione perpetua: & ne quid deeſſet quod noſtram requireret operam, ſingulis Decadibus ſui attexendi Faſti Conſulares, quemadmodum in opere Liviano factum fuerat. Hæc devorare tædia oportuit, ut integrius Hiſtoriæ Principis Terrarum populi corpus, à Romulo uſque ad annum imperantis Auguſti alterum & viceſimum per annos fermè ſeptingentos quadraginta quatuor, lectores haberent. Humanitatis ipſorum erit & noſtra & Typographorum menda excuſare; & cuncta, imbecillitatis humanæ habitâ ratione, æqui ac boni conſulere.

T. LIVII FRAGMENTA

LIBRI 14.

Ex Priſcani Grammaticæ lib. 15. col. 1009. Ed. Putſchii.

Multa autem ex ſupradictis nominibus ipſa terminatione Dativi pro Adverbiis accipiuntur ut falſo, poſtremo, ſedulo, auſpicato, augurato, manifeſto, privato, precario, merito. *Livius in* 14. Privato nos tenuiſſemus.

LIBRI 17.

Priſcian. lib. 14. col. 992.

Pridie *quoque more præpoſitionis Accuſativo jungitur. Cicero in* 1. *Invect.* Pridie Kalend. Jan. Pridie Nonas. Pridie Iduſ. *Liv. ab Urbe Cond.* 17.

LIBRI 18.

Priſcianus lib. 9. col. 865.

Livius in 18. Adverſus interfectores C. Cæſaris ultoribus manum comparans concibat.

LIBRI 20.

Priſcian. lib. 10. col. 901.

Livius in 20. *ab Urbe condita:* Et ſi ferocius procucurriſſent.

LIBRI 107.

Priſcian. lib. 18. col. 1198.

Livius 107. *ab Urbe condita:* qui Pompejum morbum excuſaſſe ferunt, ne, quum intereſſet deditioni, animos Numantinorum irritaret.

****

LIBRI 112.

Priſcian. lib. 6. col. 686.

Inveni tamen apud Livium in 112. ab Urbe condita, in D. deſinens barbarum regis Maurorum nomen Bogud, *cujus Genitivum ſecundum tertiam Declinationem*, Bogudis, *protulit, ut*: Caſtra quoque diverſis partibus Caſſius & Bogud adorti, haud multum abfuere quin opera perrumperent. *In eodem*; Quo tempore firmandi regni Bogudis cauſſa exercitum in Africam velociter trajicere conatus ſit. *Idem in eodem*: Caſſius geſſiſſet cum Trebonio bellum, ſi Bogudem trahere in ſocietatem furoris potuiſſet.

LIBRI 113

Priſcian. lib. Eod. col. 687.

Livius in 113. ab urbe condita oppido nomen in D. deſinens per Accuſativum caſum neutro genere protulit: Et ipſe circa Pulpud oram tuebatur.

LIBRI 127.

Ex Acronis Comm. in Horatii ſerm. 2. Sat. 5. v. 29.

— averſos ſoliti componere amicos] *Quoniam inter Auguſtum & Antonium reliquiæ adhuc erant diſſenſionis; Coccejus Nerva, proavus Nervæ, qui poſtea imperavit Romæ, mandavit Auguſto, ut mitteret, qui de ſumma rerum tractarent. Ergo miſſus eſt Mecænas cum Agrippa, qui utrumque exercitum in una caſtra coegerunt, ut ait Livius lib. 127. Intelligendum autem quod Fonteio miſſo ab Antonio, Auguſtus Mecænatem & cæteros ad eundem locum emiſerit.*

LIBRI 136

Ex Cenſorini lib. de die Natali c. 17.

T. Livius lib. 136. Eodem anno ludos ſeculares ingenti apparatu fecit, quos centeſimo quoquo anno (is enim terminus ſæculi) fieri mos.

Librorum incertorum.

Ex Servii Comm. ad Virgil. Georg. lib. 1. v. 472.

Vidimus undantem ruptis fornacibus Ætnam) *Malum enim*

omen eſt, quoties Ætna mons Siciliæ non fumum, ſed flammarum egerit globos: & (ut dicit Livius) tanta flamma ante mortem Cęſaris ex Ætna monte defluxit, ut non tantum vicinę urbes ſed etiam Rhegina civitas afflaretur.

Ex Priſciani lib. 6. col. 685.

Quod autem Jovis, & Didonis, Calypſonis dicitur; oſtendit hoc etiam *Ceſellius Vindex in Stromateo his verbis*: Calypſonem ita declinatum eſſe apud antiquos. *Livius*: Apud nymphàm Atlantis filiam Calypſonem.

Fragmentum Livii inſigne ex Hieronymo Prol. lib. 2. in Oſeam ab aliis omiſſum.

Optarem mihi contingere quod T. Livius ſcribit de Catone; *cujus gloriæ neque profuit quiſquam laudando, nec vituperando quiſquam nocuit; cum utrumque ſummis præditi fuerint ingeniis*. Significat autem M. Ciceronem & C. Cæſarem, quorum alter laudes, alter vituperationes ſupradicti ſcripſit viri.

Referenda hæc verba *Livii* ad *lib.* 114. in quo de morte Catonis egerat.

NOI REFORMATORI
Dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di reviſione, & approbatione del P. F. Tomaſo Maria Gennari Inquiſitor nel Libro intitolato TITI LIVII Patavini Hiſtoriarum &c. Interpretatione, & Notis Illuſtravit Joannes Dujatius in uſum Sereniſſimi Delphini non v'eſſer cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Prencipi, & buoni coſtumi, concedemo Licenza à Carlo Buonarrigo Stampatore che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl'ordini in Materia di Stampe, & preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Dat. li 25. Febraro 1713.

Franceſco Loredan K. P. R.

Alviſe Piſani K. P. R.

Agoſtin Gadaldin Segr.

T. LI-

Digitized by Google

TITI LIVII PATAVINI HISTORIARUM AB URBE CONDITA

DECADIS PRIMÆ

LIBER PRIMUS.

EJUSDEM LIB. I. EPITOMÆ.

Adventus Æneæ in Italiam, & res ab eo gestæ; Ascanii regnum Albæ, & Silvii Æneæ, ac deinceps Silviorum regum, primo libro continentur. Numitoris filiâ à Marte compressâ, nati Romulus & Remus: Amulius obtruncatus. Urbs à Romulo condita. Senatus lectus. Cum Sabinis bellatum. Opima spolia Jovi Feretrio lata. 2 In Curias populus divisus. Fidenates & Veientes victi. Romulus consecratus. Numa Pompilius ritus sacrorum tradidit: Jano templum constituit: ejusque portam, pacatis omnibus circa populis, primus clausit: cum Dea Egeria sibi congressus nocturnos esse simulans, ferocem populi animos ad religionem perpulit. Tullus Hostilius Albanos bello petiit. Postea Trigeminorum pugna. Horatius absolutus. Mettii Fufetii supplicium. Alba diruta, Albani in civitatem recepti. Sabinis bellum indictum. Ad postremum fulmine Tullus absumptus est. Ancus Marcius cærimonias à Numa institutas renovavit: Latinis victis, & ad civitatem adscitis, montem Aventinum assignavit: Politorium urbem Latinorum, bello repetitam, quam prisci Latini occupaverant, diruit:

NOTÆ.

1. *Historiarum.*] De Historiæ, Annaliumque discrimine: de partitione Liviani operis in *Decades*, de *Epitomarum* auctore, deque tota ratione instituti nostri, diximus in Præfatione.

2. *In Curias.*] Legebatur antea *in centurias*. Sed rectè Sigonius emendavit ex ipso Livio cap. 13. hujus libri; Centuriæ quippe cum Classibus à Servio Tullio institutæ, cap. 43. non à Romulo.

Digitized by Google

pontem ſublicium in Tiberim fecit : Janiculum collem urbi addidit : fines imperii protulit : Oſtiam condidit . Regnavit annos viginti quatuor. Eo regnante Lucumo Demarati Corinthii filius à Tarquiniis , Etruriæ civitate , Romam venit , & in amicitiam Anci receptus , Tarquinii nomen ferre cœpit ; & poſt mortem Anci , regnum excepit . Centum additis , Patrum numerum auxit : Latinos ſubegit : Circum deſignavit , ludos edidit : Sabinorum bello petitus , equitum centurias ampliavit . Tentandæ ſcientiæ causâ a Attii Nævii augurîs , conſuluiſſe fertur , an id , de quo cogitaret , effici poſſet : quod quum ille fieri poſſe reſpondiſſet ; juſſiſſe eum novacula cotem præcidere , idque protinus ab Attio factum . Sabinos præterea acie vicit : urbem muro circumdedit : cloacas fecit . Occiſus eſt ab Anci filiis , quum regnaſſet annos triginta octo . Succeſſit ei Ser. Tullius , natus ex captiva nobili Corniculana ; cui puero adhuc in cunis poſito caput arſiſſe traditum eſt . Vejentes atque Etruſcos prælio fudit . Cenſum primus omnium egit . Luſtrum condidit , quo cenſa octoginta millia eſſe dicuntur . Claſſes centuriaſque deſcripſit . Pomœrium protulit : Colles urbi , Quirinalem , Viminalem , Eſquilinumque adjecit . Templum Dianæ cum Latinis in Aventino fecit . Interfectus eſt à L. Tarquinio Priſci filio , conſilio filiæ ſuæ Tulliæ , cum regnaſſet annos quadraginta quatuor . Poſt hunc L. Tarquinius Superbus , neque Patrum , neque populi juſſu , regnum invaſit : quo die ſcelerata Tullia per patris jacentis corpus carpentum egit . Armatos circa ſe ad cuſtodiam corporis ſui habuit . Turnum Herdonium fraude interemit . Bellum cum Volſcis geſſit : & ex eorum præda templum Jovi in Capitolio fecit . Terminus & Juventas non addixere ; quorum ara moveri non potuerunt : Filii Sexti 3 Tarquinii dolo , Gabios in poteſtatem ſuam redegit . Hujus filiis Delphos profectis , & conſulentibus quis eorum regnaturus eſſet Romæ , dictum eſt , cum regnaturum , qui primum matrem oſculatus eſſet . Quod reſponſum cum ipſi aliter interpretarentur , Junius Brutus , qui cum iis profectus erat , prolapſum ſe ſimulavit , & terram

INTERPRETATIO.

a Attii Nævii. *Ad experiundam auguris Attii Nævii peritiam.*

NOTÆ.

3. *S. Tarquinii.*] Ita mavult Sigonius, cum in pleriſque codicibus ſit Sextus Tarquinius. Utrumvis ſcribas parum refert. Nam & Tarquinius pater Sexti filii opera Gabios ſubegit : & Sextus filius non modò ſummam apud Gabinos potentiam artibus ſuis eſt adeptus, ut noſter cap. 54. memorat : ſed & illis poſtea rex à patre datus eſt , Dionyſio teſte . Verùm hoc poſtremum Livius omiſit : unde videtur ad ejus mentem magis accedere Sigoniana emendatio .

oſculatus eſt. Idque factum ejus eventus rei comprobavit. Nam cum impotenter ſe gerendo, Tarquinius Superbus, omnes in odium ſui adduxiſſet; ad ultimum, propter expugnatam nocturna vi, à Sexto filio ejus, Lucretiæ pudicitiam, quæ vocato patre ad ſe Tricipitino, & viro Collatino, obteſtata ne inulta mors ejus eſſet, ultro ſe interemit; Bruti opera maxime expulſus eſt, quum regnaſſet annos viginti quinque. Tunc conſules primum creati ſunt, L. Junius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus.

PRÆFATIO.

[1] TACTURUS NE operæ pretium ſim, ſi à primordio Urbis res populi Romani perſcripſerim; nec ſatis ſcio: nec ſi ſciam, dicere auſim. Quippe qui, quum veterem [2] tum vulgatam eſſe rem videam, dum novi ſemper ſcriptores, aut in rebus certius aliquid allaturos ſe, aut ſcribendi arte rudem vetuſtatem ſuperaturos credunt. Utcumque erit, juvabit tamen rerum geſtarum memoriæ principis terrarum populi, pro virili parte & meipſum conſoluiſſe: &, ſi in tanta ſcriptorum turba, mea fama in obſcuro ſit, nobilitate ac magnitudine eorum, qui nomini officient meo, me conſoler. Res eſt præterea, & immenſi operis, ut quæ [3] ſuprà ſeptingenteſimum annum repetatur:

INTERPRETATIO.

1 Facturuſne operæ pretium. *Haud planè novi utrùm, populi Romani geſta ab initio urbis condita componendo, rem operâ dignam ſim facturus: & ſi fortè id certò noſſem; non* tamen *auderem prædicare.*

NOTÆ.

1. *Facturuſne operæ pretium ſim.*] Vitio datum eſt T. Livio, quod hexametri exordio cœperit. Initia enim Carminum initiis ſolutæ orationis non conveniunt. Quintilianus tamen lib. 9. inſtit. orator. cap. 4. & ita eum edidiſſe ait, & melius eſſe, quàm quomodo emendatur, *facturuſne ſim operæ pretium*: uti in vetuſtis codicibus quibuſdam ſcriptum vidi in Illuſtriſſimi Domini Colberti bibliotheca. Sed & Tacitus quoque annales ſuos hexametro exorſus eſt. *Urbem Romam à principio Reges habuere.*

2. *Tum vulgatam eſſe rem.*] *Per rem veterem & vulgatam* intelligit familiarem jam olim Hiſtoricis morem, ab aliis memorata ſcribendi denuò, & rerum geſtarum narrationem ab origine repetendi.

3. *Supra ſeptingenteſimum annum.*] Ab urbe condita ad tempus inchoatæ à Livio hiſtoriæ quinque & viginti ſunt anni ſupra ſeptingentos. Atque huc reſpexit auctor, non ad Æneæ in Italiam adventum; à quo licèt narrationem ſuam auſpicatus, vetuſta illa tempora non niſi uno aut altero folio perſtrinxit.

& quæ ab exiguis profecta initiis, eò creverit, ut jam 4 magnitudine laboret ſua: & legentium pleriſque, haud dubito, quin primæ origines, proximaque originibus, minus præbitura voluptatis ſint; feſtinantibus ad hæc nova, quibus jam pridem prævalentis populi vires ſeipſæ conficiunt. Ego contrà hoc quoque laboris præmium petam, uti me à conſpectu malorum, 5 quæ noſtra tot per annos vidit ætas, tantiſper certè, dum priſca illa totâ mente repeto, avertam; omnis expers curæ, quæ ſcribentis animum, b etſi non flectere à vero, ſolicitum tamen efficere poſſit. Quæ 6 ante conditam, condendamve urbem, 7 Poëticis magis decòra fabulis, quam incorruptis rerum geſtarum monumentis, traduntur; ea nec affirmare, nec refellere in animo eſt. Datur hæc venia antiquitati, ut miſcendo humana divinis, 8 primordia urbium auguſtiora faciat. Et, ſi cui populo licere oportet, conſecrare origines ſuas, & ad Deos referre auctores: ea belli gloria eſt populo Romano: ut quum ſuum, conditoriſque ſui parentem Martem potiſſimùm ferat; tam & hoc gentes humanæ patiantur æquo animo, quàm imperium patiuntur. Sed hæc & his ſimilia, 9 utcunque animadverſa aut exiſtimata erunt, haud in magno equidem ponam diſcrimine. Ad illa mihi pro ſe quiſque acriter intendat animum, quæ vita,

INTERPRETATIO.

b Flectere à vero. *Quæ licet mentem ſcribentis à veritatis ſtudio nequaquam poſſet avertere: moleſtiam nihilominùs ei afferre poſſet.*

NOTÆ.

4. *Magnitudine laboret ſuâ.*] Elegantèr dicitur imperium mole aut magnitudine ſuâ laborare, cùm latiùs diffuſum eſt, quàm ut commodè regi poſſit.

5. *Quæ noſtra tot per annos vidit ætas.*] Vide Præfationem, ubi de ætate Livii.

6. *Ante conditam, condendamve urbem:*] Apparet Livium diverſa duo tempora deſignare. Verùm in quo differat tempus *ante urbem conditam*, à tempore, *ante eam condendam*, minùs apparet: cùm utroque modo indicari videatur tempus, quod natales urbis præceſſit. Fortè per ſpatium *ante conditam urbem*, ea non abſurdè intellexeris, quæ proximè ejus exſtructionem anteceſſerunt: per tempus *ante urbem condendam*, ea quæ ante ipſum Romulum à Troïcis uſque temporibus acciderant.

7. *Poëticis magis decòra fabulis.*] Hic ego *decòra* interpretor convenientia: quo ſenſu à Cic. 2. de legib. dicitur *color albus præcipuè decorus Deo.*

8. *Primordia urbium auguſtiora.*] Imperiorum atque urbium origines, miraculis admixtis, illuſtrare, ac velut conſecrare, omnium ferè populorum communis fuit ambitio. Sic Semiramidem Aſſyrii, Derceto, ſive Atergati Syrorum Deâ natam, educatam à columbis: Cyrum Perſæ à cerva lactatum tradidere, ut Romani Romulum à lupa: qui & hunc Martis filium prædicarunt: quemadmodum, Lacedæmonem Spartani, Perſeum Mycenæi Jove natos jactabant. Sic etiam Athenienſes Neptuni cum Minerva circa civitatis ſuæ tutelam nomenque contentione: Thebani conjugio Cadmi cum Martis filia gloriabantur.

9. *Utcunque animadverſa aut exiſtimata.*] Num meliùs *æſtimata*, quemadmodum ſcribit Becharius? ut veliz

qui mores fuerint : per quos viros, quibuſque artibus, domi militiæque, & 10 partum & auctum imperium ſit. Labente deinde paulatim diſciplina, velut 11 deſidentes primò mores ſequatur animo : deinde ut magis magiſque lapſi ſint : tum ire cœperint præcipites, donec ad hæc tempora, quibus nec vitia noſtra, nec remedia pati poſſumus, perventum eſt. HOC ILLUD eſt præcipue in cognitione rerum ſalubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illuſtri poſita monumento intueri : inde tibi tuæque reipublicæ 12 quod imitêre ; capias ; inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites. Cæterum aut me amor negotii ſuſcepti fallit, aut nulla unquam reſpublica nec major, nec ſanctior, nec bonis exemplis ditior fuit : nec in quam tam ſeræ avaritia luxuriaque immigraverint : nec ubi tantus ac tam diu pauportati ac parſimoniæ honos fuerit : adeo, QUANTO rerum minus, tanto minus cupiditatis erat. Nuper divitiæ avaritiam, & abundantes voluptates deſidorium, per luxum atque libidinem pereundi perdendique omnia, invexere. Sed querelæ, ne tum quidem gratæ futuræ, quum forſitan & neceſſariæ erunt : ab initio certe tantæ ordiundæ rei abſint. Cum bonis potius ominibus, votiſque ac precationibus Deorum Dearumque, ſi, ut Poëtis, 13 nobis quoque mos eſſet, libentius inciperemus, ut c orſis tanti operis ſucceſſus proſperos darent.

INTERPRETATIO.

c Orſis tanti operis. *Inceptо* huius *operis tam ingentis*.

NOTÆ.

auctor parum ſibi curæ eſſe, quâ ratione à legentibus hæc accipiantur : ſive *animadverſa* & reprehenſa ; ſive *æſtimata* atque in pretio habita fuerint.

10. *Partum & auctum imperium ſit.*] *Partum imperium* refert Sigonius ad ſubactam Italiam. *Auctum* verò ad tempus everſæ ab Africano minore Carthaginis, ſive annum 607. Ad culmen poſteà perducti non meminit Livius, niſi quòd ea tempora per mores præcipites indicat.

11. *Deſidentes primò mores.*] In veteribus editionibus. *Diſſidentes primò mores*, id eſt, *in diverſa euntes*, nec *æqualitatem ſervantes*, ut explicat Robortellus : à quo Sigonius reprehenſus Morellum laudat hujus emendationis auctorem. Eam autem ideò probat, quòd putet *deſidendi*, verbum, ab ædificiis tranſlatum, inſtitutæ à Livio gradationi meliùs convenire. Cùm enim ædificia ſuopte vitio paulatim intereunt, priùs *deſident*, id eſt, leni motu in ſemet deprimuntur ; dein collabuntur, antequàm omnino in præceps ruant. Cæterùm Sigonius per *deſidentes mores* notari putat Gracchanarum ſeditionum tempora, poſt annum ſcilicet v. c. 620. Per *mores lapſos* bella civilia Syllæ & Marii, annum nempe 665. & ſequentes : per *mores euntes in præceps*, bellum civile Cæſarianum, & quæ ab anno 704. ſunt inſequuta.

12. *quod imitêre, capias.*] Rectiùs fortè *quod imitari cupias*, ut habet alter Colberrinus codex.

13. *Nobis quoque.*] Id eſt, Hiſtoricis,

DE ÆNEA ET ANTENORE.

Ante urbem conditam anno circiter 430.

1. JAM primùm omnium [1] ſatis conſtat, [2] Trojâ captâ in cæteros ſævitum eſſe Trojanos; duobus, [3] Ænea Antenoreque, & vetuſti jure hoſpitii, & quia pacis reddendæque Helenæ ſemper auctores fuerant, omne [a] jus belli [4] Achivos abſtinuiſſe. Caſibus deinde variis [5] Antenorem [6] cum multitudine Henetûm, qui ſedi- 5

INTERPRETATIO.

a Jus belli abſtinuiſſe. *Jure belli adversùs Æneam & Antenorem usos non esse.*

NOTÆ.

1. *Satis conſtat.*] Apud Romanos ſcriptores conſtans ita fama fert. Cæterùm Græcorum nonnulli apud Dionyſium Halicarn. antiq. Rom. lib. 1. Æneam deductâ manu ſuorum in Italiam, ipſum dicebant domum reverſum, apud Trojam regnaſſe, & poſt obitum reliquiſſe regni ſucceſſorem Aſcanium, eiuſque progeniem id regnum diu tenuiſſe: quorum ultimum Strabo confirmat ex Homero, Iliad. 13. Quidam, apud eundem, referebant Scamandrum Hectoris filium cum Aſtartio Æneæ filio Troïbus imperaſſe, familiaſque eorum diu apud novam Scepſin regni ſedem habuiſſe; donec ea urbs à regia dominatione in paucorum adminiſtrationem pervênit.

2. *Trojâ captâ.*] *Troja*, quemadmodum Servius notat, modò regionis, modò urbis nomen eſt, ut hîc. Ea urbs ejuſve celſior pars, *Ilium* quoque dicebatur ab Ilo Trois filio. Ipſius arces *Pergama* vocabantur, communi locorum editiorum nomine. Dardania verò pars fuit Troadis, ſeu Phrygiæ minoris, à Dardano oppido, ejuſve conditore appellationem ſortita. Capta autem everſaque eſt à Græcis Troja circa annum à mundo condito 2819. ante primam Olympiadem 407. ante Romæ natales 431. ante Chriſtum natum 1183. cum regnum à Dardano uſque, ſtetiſſet annos fermè 296.

3. *Ænea Antenoreque.*] Æneas Trojanorum, poſt Hectorem, fortiſſimus, Anchiſe ac Veneris (ſeu mulieris elegantiſſimâ formâ præditæ) filius, Capyos nepos, Aſſaraci pronepos, Troïs regis abnepos fuit: Creüſam Priami filiam uxorem habuit, ex qua natus Aſcanius. Antenor autem Æſyetæ filius, per Cleomeſtram matrem, ad eundem Troëm ipſe quoque genus referebat. Eam auctor libelli de Auguſti progenie ſub nomine Valerii Meſſalæ Corvini, Laomedontis, vel Priami ſororem facit. Tam Æneæ, quàm Antenori, duabus de cauſis ab auctore noſtro adductis, Græcos peperciſſe veriſimile eſt: ut minimè audiendi videantur, qui eos prodiſſe patriæ inſimulant; in quibus Menecrates Xanthius apud Dionyſium.

4. *Achivos.*] Achæi, qui Latinè etiam Achivi dicuntur, nomen habuere ab Achæo Xuthi filio, Helleni (qui Græci nominis auctor fuit) nepote. Is Achajæ Peloponeſi provinciæ nomen dedit, cùm priùs Ægialea diceretur. Idem Achæus in Theſſalia quoque aviti regni partem obtinuit. Ab eo itaque Homeri ætate Græci omnes Achæi appellati ſunt. Poſteritatibus quoque temporibus ob Achæorum reipublicæ claritatem, Romani devictam à ſe Græciam univerſam *Achajæ* nomine comprehenderunt.

5. *Antenorem.*] Antenor vulgò creditur conditor Patavii, quod priùs *Antenorium* dictum volunt: Livii patria fuit: hodiè *Padoa*: in Venetia, quæ nunc Marchia Tarviſina.

6. *Cum multitudine Henetûm.*] Paphlagonia minoris Aſiæ ad Pontum Euxinum regio eſt (nunc pars Maritimæ ejus Provinciæ, quam Turcæ *Kiengar* appellant.) Hæc primariam olim gentem habuit *Henetos*.

tione ex Paphlagonia pulſi, & ſedes & ducem, 7 rege Pylæmene ad Trojam amiſſo, quærebant, veniſſe in intimum 8 maris Adriatici ſinum; 9 Euganeiſque, qui inter mare Alpeſque incolebant, pulſis, Henetos, Trojanoſque eas tenuiſſe terras; & in quem primum egreſſi ſunt locum, Troja vocatur, 10 pagoque inde Trojano nomen eſt: 11 gens univerſa Veneti appellati. Æneam ab ſimili clade domo profugum, ſed ad majora rerum initia ducentibus fatis, primo 12 in Macedoniam veniſſe; inde in Siciliam quærentem ſedes delatum: 13 ab Sicilia, claſſe 14 Laurentem agrum tenuiſſe:

NOTÆ.

7. *Rege Pylæmene*.] Ita legendum, non *Philomene*, ex Homero, qui hunc Pylæmenem Henetorum ducem à Menelao interfectum narrat, *Iliad.* 5.

8. *Maris Adriatici ſinum*.] Mare Superum, quod Italiam ab Illyrico, Macedonia, & Epiro dividit, *Adriaticum* dicitur, ab Adria, ſive Hadria urbe: quo nomine duo Italiæ, non procul ab ejus maris litore, oppida fuere; alterum Coloniæ titulo in Piceno, ubi Adrianus ager; hodiè *Atri* Ducum titulo decoratum, in Apulia regni Neapolitani provinciâ: alterum in Gallia Trans-padana, ubi nobili portu oppidum quondam Tuſcorum notat Plin. quod oppidum *Atria*, indéque Atriaticum mare anteà appellabatur, poſteà *Adriaticum*. Dicitur & mare *Adrianum* & ſimpliciter *Adria*: nobis hodie, *le Golfe de Veniſe*.

9. *Euganeiſque*.] *Euganei* inter antiquiſſimos Italiæ populos numerantur, ſedeſque initio habuere à Pado, juxta veteres Tuſcos, ad Rhæticas Alpes: ſed poſteà montes verſus, ſive ab Henetis ac Trojanis, ſive à Gallis compulſi ſunt. Eorum ſimul & Rhætorum urbs fuit *Verona*.

10. *Pagoque inde Trojano nomen eſt*.] Pagus hoc loco non vicus eſt, ſed regiuncula, tractus, majoris regionis pars, plura oppida vicoſque complectens: quo ſenſu apud Cæſarem ferè ſemper accipitur. Sunt qui hinc deducunt Gallicum nomen. *Pais*.

11. *Gens univerſa Veneti*.] Strabo tamen lib. 4. & 5. eorum ſententiam magis probat, qui Venetorum Italicorum parentes exiſtimabant *Venetos* Galliæ Celticæ ad Oceanum populos (*ceux de Vannes:*) idque hac de cauſa, quòd reliqui Ciſalpinæ Galliæ populi ex Tranſalpinis regionibus eo immigraverant. Cæterùm *Venetia* antiquum nomen eſt regionis, quam nunc Marchiam Tarviſinam vocant, & cujus primaria olim urbs *Patavium*. *Venetia* verò in plurali numero urbs eſt, nobis *Veniſe*, nonniſi tempore Attilæ nata ex Aquilejæ vicinarumque civitatum ruinis.

12. *In Macedoniam veniſſe*.] Macedoniæ in itinere, ſeu navigatione Æneæ nec Virgilius, nec Dionyſius meminit: nonnulli tamen, teſtibus Strabone lib. 13. ipſoque Dionyſio, eum in Macedonia apud Olympum ſedes poſuiſſe volebant.

13. *Ab Sicilia, claſſe*.] Nonne & in Siciliam claſſe delatus fuerat? an legendum, *ab Sicilia eLaſſem, Laurentem agrum tenuiſſe*. Hæc Gronovii conjectura non improbabilis.

14. *Laurentem agrum*.] *Laurentum* Pici, Faunique & Latini regia fuit, in veteri Latio, haud procul Tiberis oſtiis; à lauris denominatum, quibus abundat Laurentina Sylva; vel à ſacra Pici Lauro, de qua Virg. lib. 7. Æneid. A Laurento deducitur adjectivum *Laurens*: quod vocabulum non tantùm Latinis, incolis ſcilicet veteris Latii; ſed etiam Rutulis, Volſcis, aliiſque novi Latii populis aliquando tribuitur. Porrò *Laurenti* oppidi hodie vix apparent veſtigia. Mihi fuiſſe videtur ubi nunc *Paterno*, quæ Cluverii ſententia eſt: etſi

An. antè urbem conditam 429.

15 Troja & huic loco nomen eſt. Ibi egreſſi Trojani, ut a quibus ab immenſo propè errore nihil præter arma & naves ſupereſſet, quum prædam ex agris agerent; 16 Latinus rex 17 Aboriginesque, qui tum ea tenebant loca, ad arcendam vim advenarum armati ex urbe atque agris concurrunt. 18 Duplex exinde fama eſt: alii prœlio victum Latinum; pacem cum Æneâ, deinde affinitatem junxiſſe tradunt: alii, quum inſtructæ acies conſtitiſſent, priuſquam ſigna canerent, proceſſiſſe Latinum inter primores, ducemque advenarum evocaſſo ad colloquium: percunctatum deinde, qui mortales eſſent, unde,

NOTÆ.

Holſtenius & Kircherus, ex quadam nominum affinitate, referant ad locum ubi *Torre di S. Lorenzo*: ſed hæc amb nec inter ſe, nec à littore diſtant, ſuntque medio fermè inter Oſtiam & Antium itinere.

15. *Trojæ & huic loco nomen.*] Trojæ veteri nomen à Troe Rege, Dardani nepote, vel à Scroſa, quam in moneta dicuntur habuiſſe Trojani; & quæ *Troja* jam olim Italicè appellatur apud ſcriptorem de Auguſti progenie. Hinc Gallica vox, *Truye*. Videturque Virgilius eò reſpexiſſe, *Albâ Porcâ triginta fœtus enix*, in augurium Æneæ oblatâ. Eum ſanè locum, in quo Sus triginta porculos ſub adventum Æneæ peperit, ab Æneâ muniri cœptum; ac deinde ibidem, aut certè inde non procul, conditum Lavinium, ex antiquioribus ſcriptoribus memorat Aurelius Victor. Huic autem loco, ubi oppidum caſtrorum in morem Æneas eſt molitus, Trojæ nomen impoſitum indicat Virgilius lib. 10. non ſemel, Livius diſertè tradit. Porro aliqui legere malunt *Troja & huic loco nomen.* Qua in re diſtinguit Gronovius inter peregrina & Romana vocabula; quaſi illa nominativo, hæc dativo magis gaudeant. Verùm ipſe ſibi adverſari videtur, cùm hic *Troja*, & paulò antea, *pagoque Trojano nomen eſt*, in dativo ſcribi jubet. Eſt enim Troja peregrinæ revera urbis, & ex Aſia advectum nomen, non Latinum. Cætera ab ipſo adducta auctorum teſtimonia, eam diſtinctionem evertunt potiùs, quàm confirmant.

16. *Latinus Rex.*] Fauni filius ex Marica Nympha (quæ & Fatua, & Fauna i. fando, id eſt, vaticinando nuncupata) Pici nepos, Saturni (qui cum Jano Aboriginibus imperavit) pronepos. Ille hos tunc populos regebat, qui de ipſius nomine *Latini* cœperunt appellari. Juſtinus tamen *Latinum* ex filia Fauni & Hercule; Heſiodus & Marcianus Heracl. ex Ulyſſe & Circe; Hyginus ex Circe & Telemacho Ulyſſis ac Penelopes filio natum fabulantur.

17. *Aborigineſque.*] Veterum aliqui apud Halicarn. *Aborigines* Italiæ indigenas exiſtimabant, ſic dictos, quaſi primigenios, & ab origine prima ibidem procreatos; vel abſque alia origine. Putabant alii convenas fuiſſe, incertis vagantes ſedibus, qui copias ſuas in ea regione junxerint, quæ poſteà Latium appellata; ideoque primo *Aberrigenes*, poſt mutatâ unâ litterâ, alterâ ademptâ, *Aborigenes* cognominatos. Alii Ligurum colonos credebant. Sed Romanorum doctiſſimi M. Cato & C. Sempronius Græcos fuiſſe affirmabant. Ipſe Dionyſius conjicit Oenotrorum fuiſſe progeniem, quibus ex Arcadia origo: dictoſque Græcis *Aborigines* ἀπὸ τῶν ὀρῶν, à montibus, in quibus Arcadum more degebant.

18. *Duplex exinde fama eſt.*] Utramque ſententiam amplexus eſt Virgilius: fœdus primo inter Æneam Latinumque ictum, pactaſque ultro Laviniæ nuptias memorans, quæ tamen cuncta Turni amor turbaverit: ac deinde bellum ortum, victumque, & ad pacem compulſum ab Æneâ Latinum.

aut

ſint quo caſu profecti domo, quidve quærentes in agrum Laurentem exiſſent? poſtquam audierit, multitudinem Trojanos eſſe; ducem Æneam, filium Anchiſæ & Veneris, crematâ patriâ & domo profugos, ſedem, condendæque urbi locum quærere: & nobilitatem admiratum gentis virique, & animum vel bello vel paci paratum, dexterâ datâ fidem futuræ amicitiæ ſanxiſſe. Inde fœdus ictum inter duces, inter exercitus ſalutationem factam. Æneam apud Latinum fuiſſe in hoſpitio. Ibi Latinum [19] apud Penates Deos domeſticum publico adjunxiſſe fœdus, [20] filia Æneæ in matrimonium data, ea res utique Trojanis [b] ſpem affirmat tandem ſtabili certaque ſede finiendi erroris. Oppidum condunt. Æneas ab nomine uxoris [21] Lavinium appellat. Brevi ſtirps quoque virilis ex novo matrimonio fuit; cui Aſcanium parentes dixere nomen.

II. Bello deinde Aborigines Trojanique ſimul peciti. [1] Turnus Rex [2] Rutulorum, cui pacta Lavinia ante adventum Æneæ fuerat, prælatum ſibi advenam ægre patiens, ſimul Æneæ Latinoque bellum intulerat. Neutra acies læta ex eo certamine abiit. victi Rutuli: victores Aborigines Trojanique ducem Latinum amiſere. Inde Turnus

Ante urbem conditam, an. 425.

INTERPRETATIO.

b Spem affirmat. *Confirmat exſpectationem.*

NOTÆ.

19. *Apud Penates Deos.*] Univerſitatum ſive urbium publicis domibus præſunt *Penates*, ſingulorum ædibus *Lares*: ſed hæc nomina ſumuntur promiſcuè pro domeſticis Diis. Trojanæ autem urbis Penates, è Samothracia in Phrygiam tranſlatos à Dardano, ſecum detulit Æneas in Latium. Horum ſymbola repoſita in ædibus Lavinienſium fuere, ærea caduceа, & Trojana teſta fictilis: uti ex civibus ſe intellexiſſe narrat Halicarn. qui eos Romæ coli addit effigie duorum juvenum armatorum, habitu ſedentium.

20. *Filiâ Æneæ in matrimonium datâ.*] Uſitatiſſimum Regibus ſimultates finire affinitatibus. Illuſtriſſimum ætatis noſtræ exemplum habemus in LUDOVICI XIV. verè magni, Regis Chriſtianiſſimi, cum optima Regina MARIA THERESIA nuptiis, quas fauſtis ſereniſſimi atque ad ſumma nati DELPHINI intra annum natalibus Cœlum beavit.

21. *Lavinium.*] A *Lavinia* vel *Lavina* Latini filiâ, Æneæ uxore, Lavinium nominatum communis eſt opinio. Alii appellationem hujus oppidi deducebant à Lavinia Anii apud Delum ſacerdotis filia, quam in matrimonium Æneas aſciverit. Alii aliam nominis illius originem notant, quod ibi nempe Æneas ſe in fatali ſtagno ſeu lacu falſo *Laviſſet*. Servius in 7. Æneid. à *Lavino* Latini fratre derivat. Lavinium tribus à mari millibus paſſuum ſub colle, qui vulgò *Monte di Levano* dictus, veteris appellationis veſtigia aliquatenus ſervat, mille & quingentis paſſibus ſupra fontem Numici, ubi nunc *Santa Petronilla*, non procul *Patrica*.

1. *Turnus.*] Patre Dauno Rutulorum rege & Venilià Matre, Pilumno avo procreatus dicitur à Poëta. Eum Herdonium cognominat Victor.

2. *Rutulorum.*] Latinis ac Volſcis finitimi fuere *Rutuli*, arctis inter utroſque finibus; ubi nunc pars maritima Campaniæ Romanæ, inter oppida, quæ vulgò *Patrica*, & *Nettuno*.

Rutulique diffisi rebus, ad florentes 3 Etruscorum opes, 4 Mezentiumque eorum regem confugiunt: qui 5 Cære opulento tum oppido imperitans jam inde ab initio minime lætus novæ origine urbis, & tum nimio plusquam satis tutum esset accolis, rem Trojanam crescere ratus, haud gravatim socia arma Rutulis junxit. Æneas adversus tanti belli terrorem, ut animos Aboriginum sibi conciliaret, ne [a] sub eodem jure solùm, sed etiam nomine omnes essent; Latinos utramque gentem appellavit. Nec deinde Aborigines Trojanis studio ac fide erga regem Æneam cessere; fretusque his animis coalescentium in dies magis duorum populorum Æneas, quamquam tanta opibus Etruria erat, ut jam non terras solùm, sed mare etiam 6 per totam Italiæ longitudinem, ab Alpibus ad fretum Siculum famâ nominis sui implesset: tamen quum mœnibus bellum propulsare posset, in aciem copias eduxit. Secundum inde prœlium Latinis, Æneæ etiam 7 ultimum operum mortalium fuit.

INTERPRETATIO.

[a] Ne sub eodem jure. *Ut omnes non modò iisdem legibus, sed eodem nomine uterentur.*

NOTÆ.

3. *Etruscorum.*] Sigonius *Etruscorum* & *Etruria* sine aspiratione legendum contendit ex libris Mss. & lapidibus triumphalibus, qui in Capitolio sunt.

4. *Mezentium.*] Æneæ manu cecidisse *Mezentium* Poëta fingit: idque antè occisum ab eodem Ænea Turnum. Illud Trojani heroïs gloriæ, hoc operis ratio postulabat, ut rivalis hostisque præcipui nece, bellum simul & Poëma finiretur. Cæterùm & post Turni mortem Mezentium Agyllinorum in Etruria regem bellum Æneæ intulisse; & huic illum superstitem extitisse, asseverant Dionysius & Aurelius victor.

5. *Cære.*] *Agylla*, à Pelasgis in Etruria condita, nomen posteà mutavit. Quippe cùm Pelasgi è Thessalia eam tenerent, eosque Tyrrheni, qui è Lydia huc commigrarant, bello petiissent: horum unus ad murum accedens sciscitatus est urbis nomen; cumque è muro quispiam (Græcâ voce χαῖρε) eum salvere jussisset, omen Tyrrheni accepere, atque urbi posteà captæ *Cære* nomen indiderunt, aspiratâ litterâ χ in tenuem κ mollitâ. Hæc Strabo & Stephanus. Quod illi Tyrrhenis, id Romanis tribuit Servius 8. Æneid. ex Hygino. A *Cære* indeclinabili incolæ *Caretani*, & *Carites* vocantur. Hinc quoque *Carimonia* dictæ. Nunc oppidum illud in Patrimonio sancti Petri situm, *Cære vetus* appellatur, vulgò *Cerveteri*, ad discrimen alterius oppidi, quod eodem in tractu *Ceri* dicitur.

6. *Per totam Italiæ longitudinem.*] Clarissimam, & longè lateque diffusam Tyrrhenorum famam constat. Quod ad nomen attinet, verum quoque est Inferum mare ferè totum, Tyrrheni appellatione contineri. At regio Tyrrhenia, licet ex usu Græcorum magnam Italiæ partem aliquando complexa fuerit: apud Latinos tamen Etrutia minùs latè patuit.

7. *Ultimum operum mortalium.*] Non obscurè indicatur in eo prælio Æneam interemptum. Et verò, cùm nocte dirempto prælio, corpus ejus non compareret, alii conjectarunt eum ad superos discessisse, alii necatum in flumine apud quod dimicatum fuerat.

ſitus eſt, 9 quemcunque eum dici jus faſque eſt, 10 ſuper Numicium flumen : 11 Jovem indigetem appellant.

III. Nondùm maturus imperio 1 Aſcanius Æneæ filius erat : tamen id imperium ei ad puberem ætatem incolume manſit tantiſper 2 tutela mulicbri (tanta indoles in Lavinia erat) res Latina & regnum avitum, paternumque puero ſtetit. 3 Haud nihil ambigam (quis enim rem tam veterem pro certo affirmet ?) hiecine fuerit Aſcanius, an major quam hic, Creüſa matre Ilio incolumi natus, comeſque inde paternæ fugæ, quem Julum eundem Julia gens auctorem nominis ſui nuncupat. Is Aſcanius, ubicunque & quacunque matre genitus (certe natum Ænea conſtat) abundante Lavinii multitudine, florentem jam (ut tum res erant) atque opulentam urbem matri, ſeu novercæ, reliquit ; novam ipſe aliam ſub Albano monte condidit. Antè urbem cond. 412. Antè urbem cond. 398.

NOTÆ.

8. *Quemcumque eum dici jus faſque eſt.*] Sive Heroëm, ſive Deum. In divos enim receptis novum nomen attribuebatur.

9. *Super Numicium.*] *Numicus*, ſeu *Numicius* fluviolus eſt apud Lavinium, cujus fons non ultra tria milliaria à mari diſtans, Annæ Perennæ ſacer fuit : Annæ dico, Didonis ſorori, quæ à Numicio rapta, & Nymphis adſcripta. Vult Pyrrhus Ligorius Numicium dici, *Rivo di Nemi* : Et ſecundum eum Kircherus longo eum tractu ad Antium uſque deduxit in Latii tabula, contra veterum, ac recentiorum fidem, qui ad Lavinium, ſeu Patricam ejus ortum conſtituunt tribus dumtaxat millibus paſſuum à mari. Quæ omnia ipſe Kircherus in ſcriptis ſuis agnoſcit, etſi primam amnis originem è Nemorenſi lacu deducat. Numicius itaque hodie *Torno* vocatur, quaſi Turni amnem dicas.

10. *Jovem indigetem.*] Deorum tres ordines Cicero lib. 2. de legib. recenſet. Unum eorum, qui cæleſtes ſemper habiti ſunt, qui etiam majorum gentium Dii vocantur : alterum eorum quos in Cœlum merita vocarint, qui & ſemidei, & *Dii indigetes* : tertium eorum, propter quos detur hominibus aſcenſus in Cœlum ; quibus verbis intelliguntur virtutes. *Indigetes* porrò ſic dicti, vel quaſi *indigenæ* ; vel ab *indigirando*, quod eſt invocare ; vel ex Salmaſio ab *in* & *dico*, quaſi inter Deos dicati. Itaque Æneæ templum & locum conſecratum ſub Jovis, aut (ut vult Halicarn.) ſub *Patris indigetis* titulo.

1. *Aſcanius Æneæ filius.*] Æneæ quidem filium Aſcanium omnes agnoſcunt : ſed ex Lavinia natum vult hoc loco Livius contra quàm cæteri.

2. *Tutelâ mulicbri.*] Hoc mirum Romanis videri potuit, quorum moribus fœminæ in perpetua tutela erant, parentum, maritorum, fratrum, ad Conſtantini fermè tempora. Tutela autem filiorum vix eſt ut ante Valentinianum eis permiſſa fuerit.

3. *Haud nihil ambigam.*] Eſt tamen quòd non parum ambigat, vel potiùs quod aliud ſentiat. Ex recepta quippe ſententia, Æneæ filii duo fuere ſuperſtites, alter Aſcanius, qui & Julus, Creüſâ Trojana genitus : alter Sylvius, ex Lavinia. Aurelius etiam Victor poſt Dionyſium, aliique Æneæ in Deos tranſlato, Aſcanium (qui & Euryleon) omnium Latinorum judicio regem appellatum, ab eoque interfectum prælio Lauſum Mezentii filium ; ipſum Mezentium fuſum fugatumque, & ad pacem adactum, atque ab eo Juliam familiam propagatam, referunt. Interim Laviniam gravidam relictam, metu Aſcanii in ſylvam profugiſſe ad magiſtrum patrii pecoris Tyrrhum, ibique enixam eſſe puerum, qui à loci qualitate Sylvius eſt dictus. Hic tandem optanti Aſcanio ac populo indicatus à Tyrrho, & cum matre adductus Lavi-

quæ ab ſitu [a] porrectæ in dorſo urbis Longa [4] Alba appellata. Inter Lavinium & Albam Longam coloniam deductam [5] triginta ferme interfuere anni. Tantum tamen opes creverant, maximo fuſis Etruſcis, ut ne morte quidem Æneæ, nec deinde, inter muliebrem tutelam rudimentumque primum puerilis regni, movere arma, aut Mezentius Etruſcique, aut ulli alii accolæ auſi ſint. Pax ita convenerat, ut Etruſcis Latiniſque fluvius Albula, quem [6] nunc Tiberim vocant, [7] finis eſſet. [8] Silvius deinde regnat, Aſcanii filius, caſu quodam in ſilvis natus. Is Æneam Silvium creat. Is deinde Latinum

Antè urbem conb. 386.

INTERPRETATIO.

a Porrectæ in dorſo urbis. *Civitatis in longum extenſa ſupra clivum.*

NOTÆ.

nium ibique in honore habitus. Cephalon autem Gergithius apud Halicarn. quatuor Æneæ filios memorat, Aſcanium, Euryleontem, Romum & Romulum.

4. *Longa Alba.*] Ab Aſcanio Albam completis in Lavinio triginta annis, conditam in monte, qui poſt Albanus, memorat auctor libri de Orig. gent. Rom. additque, *eam ex forma, quod in longum porrecta eſſet Longam; ex colore ſuis ab Æneæ viſa Albam nominatam.* Falluntur haud dubie qui credunt eò loci fuiſſe, ubi nunc *Albano*, diſtans ab urbe milliaribus 12. Albanum enim Villa fuit ſive Pompeji, ſive alterius in Albæ territorio. Cluverius ſupra id oppidum, ultra duo millia paſſuum, ad lacus ripam Orientalem, & in tumulis, qui ſunt inter verticem montis & lacum Albanum, fuiſſe probat ex Halicarn. & Cicerone. Holſtenius ſub jugo montis Albani locat, qui vulgò *Monte Cavo*, ad Meridionalem lacus Albani ripam. Ponit itaque veterem Albam inter Caſtellum Gandulphi, & Capucinorum Cœnobium. Nec longè abit Kircherus. Ab Alba Longa vocantur *Albani*, ab Alba Marſorum, *Albenſes*.

5. *Triginta ferme interfuere anni.*] Numerandi ſunt hi triginta anni à condito per Æneam Lavinio, non ab inito per Aſcanium regno, quod Virgilius quoque indicat. Conditum autem videtur Lavinium paulò poſt adventum Æneæ, ducta ſcilicet Laviniâ, Latino adhuc ſuperſtite; poſt cujus obitum Æneas tres regnavit annos: unde Aſcanius anno regni circiter 25. Albam ſtruere cœpit.

6. *Nunc Tiberim.*] De Tiberis appellatione ita Plinius lib. 3. cap. 5. *Tiberis*, antea *Tybris* appellatus, & priùs *Albula*. Poſterius nomen creditur ſumpſiſſe à Tiberino ſeu Tiberio Sylvio Albanorum rege, qui in eo ſubmerſus: unde fluvius ipſe Tiberinus quoque, à Poetis præſertim, dicitur; Albulæ autem antiquum nomen à colore aquæ albo. In metro *Tibris* ſcribitur pro Tiberi.

7. *Finis eſſet.*] Medius ſemper Etruſcos inter & Latinos limes Tiberis fuit. Initio quidem per Etruriam labitur, ſed mox ab ea diſtinguit Umbriam primò; dein Sabinos, Latiumque; ubi Vejentem Tuſciæ agrum à Cruſtumino, & Fidenate; Vaticanum à Romano dividit.

8. *Silvius deinde regnat.*] Hunc Aſcanii fratrem fuiſſe, non filium paulò antè obſervavi. Is Silvii cognomen ad poſteros tranſmiſit: omnes enim Albani reges *Silvii* dicti: eodem exemplo quo in Ægypto Pharaones primò, deinde Ptolomæi. Nec tamen primus hic Silvius omnino ſine controverſia regnum adeptus eſt, ſi Dionyſio fides. Julus enim, major Aſcanii filius paternum regnum ambiit. Sed eam litem ita populus diremit, ut Silvius, quòd matre Laviniâ regni herede progenitus eſſet, regnum obtineret: Julo verò pro regno ſummus honor ſacerdotii deferretur, quo Halicarnaſſei adhuc ætate fruebatur gens Julia.

Silvium. 9 Ab eo coloniæ aliquot deductæ, Priſci Latini appellati: Manſit Silviis poſtea omnibus cognomen, qui Albæ regnarunt. 10 Latino Alba ortus, Alba Atys, Atye Capys, Capye Capetus, Capeto Tiberinus, qui in trajectu Albulæ amnis ſubmerſus, celebre ad poſteros nomen flumini dedit. Agrippa inde Tiberini filius: poſt Agrippam Romulus Silvius à patre accepto imperio regnat. Aventino, fulmine ipſe ictus, regnum per manus tradidit. Is ſepultus in eo colle, qui nunc eſt pars Romanæ urbis, cognomen colli fecit. Proca deinde regnat: is Numitorem atque Amu-

NOTÆ.

9. *Ab eo Colonia aliquot.*] Inter Colonias regnante Latino Silvio deductas nominantur ab Sex. Aurelio, Præneſte, Tibur, Gabii, Tuſculum, Cora, Pometia, Corioli: (ſic enim legendum, ni fallor, non *Locri*.) Cruſtumium, Capena, Bovillæ. Virgilius Nomentum, Fidenas, Collatiam, Caſtrum Inui & Bolam coloniis regum Albanorum annumerat: non tamen Præneſte, nec Tibur, aut Tuſculum, quæ oppida alios habuere conditores,

10. *Manſit Silviis poſteà omnibus cognomen.*] Legebatur vulgò *Sylvius*. At Gronovius ex Mſſ. nominandi caſum vertit in caſum dandi: emendationemque ſuam pluribus auctoris exemplis confirmat. Lipſius *Sylvium nomen* malebat, quaſi ex Livii ſtylo. Verùm hic, nunc quidem cum nomen pro gente, ſeu familia ſumitur, ita ponere amat. Ut lib. 2. *Inviſum erat Fabium nomen plebi*: ſed cum nomen accipitur pro viri alicujus appellatione, magis eſt, ut cum dandi caſu conjungat, ut cap. 39. *Cui Servio Tullio nomen fuit*: niſi fortè hæc promiſcuè ſumuntur, uti ex cap. 1. colligi videtur. Ibi enim res eadem varie exprimitur, nullo certo diſcrimine: *Pagoque inde Trojano nomen eſt*: deinde *Troja & huic loco nomen*: ac denique, *cui Aſcanium parentes dixere nomen*.

11. *Latino Alba ortus.*] Hi & ſequentes Albanorum reges, quoniam nec iiſdem nominibus, nec omnino eodem numero atque ordine ab omnibus referuntur: abſurdum opinor haud fuerit, juxta diverſas præcipuorum ſcriptorum ſententias, eorum ſeriem ſubjecto Schemate depingere, adjectis annis quibus quiſque regnaſſe dicitur.

SYLLABUS REGUM ALBANORUM.

Ex Livio hic	*Ex Dion. Halic. lib. 1.*	*Ex Ovidio Metam. 14. & Fast. 4.*	*Ex Eusebio in Chronicis.*
1. Ascanius.	1. Ascanius.	1. Ascanius seu Julus.	1. Ascanius.
2. Sylvius fil.	2. Silvius fr. G. Hyxus, r. 29. an.	2. Posthumus Silvius.	2. Silvius Posthumus r. 29. an.
3. Æneas Silv.	3. Æneas, r. 31. a.		3. Æneas Silvius fil. r. 31. an.
4. Latinus Silv.	4. Latinus, r. 51. an.	3. Latinus.	4. Latinus Silvius r. 50. an.
5. Alba.	5. Alba, r. 39. an.	4. Alba.	5. Alba Silvius r. 39. an.
6. Atys.	6. Capetus, r. 26. an.	5. Epytus.	6. Ægypus, sive Atys, r. 24. an.
7. Capys.	7. Capys, r. 28. an.	6. Capys.	7. Capys Silvius Attii fil. r. 28. an.
8. Capetus.	8. Calpetus. r. 13. an.	7. Capetus, seu Calpetus.	8. Calpetus perperam Carpentus, r. 13. an.
9. Tiberinus.	9. Tiberinus, r. 8. an.	8. Tiberinus.	9. Tiberinus Silvius, r. 8. an.
10. Agrippa.	10. Agrippa, r. 41. an.	9. Remulus.	10. Agrippa Silvius, r. 40. an.
11. Romulus Silvius.	11. Alladius, r. 19. an.	10. Aeron, alias Agrippa.	11. Aremulus Silvius, r. 19. an.
12. Aventinus.	12. Aventinus, r. 37. an.	11. Aventinus.	12. Aventinus Silvius r. 37. an.
13. Proca.	13. Proca, r. 23. an.	12. Proca.	13. Procas Silvius, r. 23. an.
14. Amulius Pulf. Num.	14. Amulius, r. 42. an.	13. Amulius.	14. Amulius Silvius, r. 44. an.
	387. an.		385. an.

lium procreat. Numitori, qui ſtirpis maximus erat, 12 regnum veteſtum Silviæ gentis legat. Plus tamen vis potuit, quam voluntas patris, 13 aut verecundia ætatis. 14 Pulſo fratre Amulius regnat. addit ſceleri ſcelus; 15 ſtirpem fratris virilem interimit: fratris filiæ 16 Rheæ Silviæ per ſpeciem honoris, quum Veſtalem eam legiſſet, perpetua virginitate ſpem partus adimit.

IV. Sed debebatur, ut opinor, fatis tantæ origo urbis, maximique ſecundum Deorum opes imperii principium. Vi compreſſa Veſtalis, quum geminum partum edidiſſet, ſeu ita rata, ſeu quia β Deus auctor culpæ honeſtior erat, 1 Martem incertæ ſtirpis patrem nuncupat. Sed nec dii, nec homines, aut ipſam aut ſtirpem à crudelitate regia vindicant: 2 ſacerdos vincta in cuſtodiam datur; pueros 3 in profluen- Ante urbem cond. an. 18.

NOTÆ.

12. *Regnum vetuſtum.*] Annorum, qui ſuperiori tabella Regi cuique adſcribuntur, facta connumeratione, patet ab exceſſu Aſcanii uſque ad cæſum Amulium, & Romam conditam, annos 387. juxta Dionyſ. vel certè 385. juxta Euſeb. interceſſiſſe. His ſi poſtremos addideris Aſcanii annos, quibus apud Albam, relicto Novercæ Lavinio, regnavit; undecim nempe, vel ut alii volunt, tredecim: priore numero ad *Dionyſii*, poſteriore ad Euſebii calculum adjecto, apparebit regnum Albanum annos circiter 398. ſtetiſſe, atque ita multùm de vero annorum numero detractum à Virg. Æn. 1. ubi ſic pronunciantem inducit Jovem

Hic jam ter centum totos regnabitur annos
Gente ſub Hectorea.

Sed horum annorum rationem iniiſſe Virg. videtur ab exceſſu Aſcanii ad natales Romuli, dum ſubjicit.

——— *Donec Regina Sacerdos*
Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem.

Et ſic anni Regum Albanorum ad 355. redigi poterunt. Poëtæ autem ſatis fuit rotundum numerum ſequi.

13. *Aut verecundiæ ætatis.*] *Verecundiam* hic, & cap. proximo, dicit pro *reverentia*, quæ ex naturali quodam pudore deferri ſolet.

14. *Pulſo fratre Amulius regnat.*] Ita quidem ſcriptor lib. de vir. illuſtr. ait enim Procam filiis regnum animis viribus habendum reliquiſſe. Verùm Amulium fratri imperium non dediſſe. At Plutarchus ex Diocle Peparethio narrat univerſâ hereditate inter fratres ita diviſâ, ut hinc regnum eſſet, inde pecunia cum advecto Troja theſauro; regnum à Numitore electum: quo exutus ſit ab Amulio amplis opibus ſubnixo. Contrà in lib. de orig. gent. Rom. ſcribitur Numitor paternas opes regno prætuliſſe.

15. *Stirpem fratris virilem.*] Numitoris filium Halicarn. Ægeſtum, Ovid. 4. faſt. Lauſum vocat.

16. *Rhea Sylvia.*] Ilia cognominatur apud Dionyſ. & Virg. An pro *Julia*? an *Ilaa* ex Græco, id eſt, Sylvia? Rhea verò nomen à Dea Cœli ac Terræ filia, Saturni uxore, quæ Cybele quoque, & Ops, ac Veſta dicitur.

1. *Martem incertæ ſtirpis patrem.*] Quarto anno poſtquàm Ilia inter Veſtæ virgines allecta erat, (quas tunc oportebat non minùs quinquennio puras à nuptiis manere:) ei, ſacrorum causâ aquam è Martis luco petenti, ſtuprum in fano neſcio quis obtulit. Quidam unum è procis ejus fuiſſe dicunt. Alii verò ipſum Amulium, ſive puellæ amore captum, ſive ipſius vitæ inſidiantem.

2. *Sacerdos vincta in cuſtodiam datur.*] Narrat Dionyſ. poſtquàm Rheam gravidam eſſe compertum eſt, eam adhibitis ab Amulio armatis aſſervari juſſam, ne clam enixeretur: ubi autem nunciatum eſt geminos infantes virilis ſexus editos; à judicibus, Regis arbitrio, dictam ſententiam, ut juxta legem mater ad necem virgis cæderetur; pro-

em aquam mitti jubet. 4 Forte quadam divinitus ſuper ripas Tiberis effuſus lenibus ſtagnis, nec adiri uſquam 5 ad juſti curſum poterat amnis: & poſſe quamvis languidâ mergi aquâ infantes, ſpem ferentibus dabat. ita velut defuncti Regis Imperio, 6 in proxima alluvie, ubi nunc ficus 7 Ruminalis eſt (Romularem vocatam ferunt) pueros exponunt. Vaſtæ tum in iis locis ſolitudines erant. Tenet fama, quum fluitantem alveum, quo expoſiti erant pueri, tenuis in ſicco aqua deſtituiſſet, 8 lupam ſitientem, ex montibus qui circa ſunt, ad puerilem vagitum curſum flexiſſe: eam ſummiſſas infantibus adeo mitem præbuiſſe mammas, ut lingua lambentem pueros magiſter regii pecoris invenerit. 9 Fauſtulo fuiſſe nomen ferunt. Ab eo ad ſtabula 10 Larentiæ uxori educandos latos. Sunt, qui Larentiam vulgato corpore lupam inter paſtores vocatam

NOTÆ.

les verò abjiceretur in profluentem. Addit tamen eſſe, qui, expugnato filiæ precibus Amulio, Iliam non ſtatim necatam; ſed in occultum ac perpetuum carcerem conjectam ſcripſerunt; undè poſt Amulii mortem liberata fuerit.

3. *In profluentem aquam mitti.*] Ita pleriique, ſed Fabius Pictor, & Vennonius apud Aurel. Vict. ajebant Numitorem pro geminis alios ſubdidiſſe, illoſque ſuos veros nepotes Fauſtulo paſtorum magiſtro dediſſe nutriendos.

4. *Forte quadam divinitùs.*] Speciosa Gruteri conjectura legentis *fortè quadam an divinitùs?* ſed ſic poteſt vulgaris ſcriptio intelligi, quaſi eſſet, *Forte quadam divinitùs* comparatâ.

5. *Ad juſti curſum poterat amnis.*] Curſus amnis eſt intra ripas, quæ non mutantur, etſi aliquando flumen, vel imbribus, vel quâ aliâ ratione ad tempus excreverit.

6. *In proxima alluvie.*] Sumitur *Alluvies*, pro limo per alluvionem advecto. Differtque ab *eluvie* & *eluvione*, quæ inundatio eſt. Idcirco Gronovius hic *eluviem* mavult, quàm *alluviem*.

7. *Ficus Ruminalis.*] Sic dicta hæc *ficus*, ſive quòd pecora ſub ea herbas mandentia ruminarent, ſive quòd pueri Romulus & Remus eo ioco lupæ *Rumina* fuxerint. Antiqui enim mammam *Rumen* vocabant. Romularem à Romulo dictam vult Livius. Hanc Plinius lib. 15, cap. 18. teſtatur adhuc ſuâ ætate in foro Romano ſtetiſſe: Tacitus in fine lib. 13. Annal. Neronis Imperatoris anno 5. in Comitio mortuis ramalibus & arefcente trunco, deminutam, prodigii ioco fuiſſe, donec in novos fetus revirefceret.

8. *Lupam ſitientem.*] Totam hanc fabulam deſcribunt Halicarn. Aurel. Victor, & Ovid. lib. 2. faſt. Ejus Lupæ ſtatua in Templo Romuli viſebatur.

9. *Fauſtulo.*] Auctor eſt Dionyſius hunc Fauſtulum, ubi de Iliæ partu inaudiſſet, cum Amulii famulis, à quibus infantes ad fluvium deportabantur, iter feciſſe ad Palantium; & quaſi rei totius ignarum, parvulos ab iis impetraſſe; domum detuliſſe ad uxorem, ex partu, quem mortuum ediderat, mæſtam; eique pro ſuis alendos tradidiſſe. Valerius Antias apud Victorem, & Plutarchus in Romulo, ipſi Fauſtulo necandos ab Amulio datos tradunt: Sed eum à Numitore exoratum Accæ Larentiæ nutriendos dediſſe.

10. *Larentia uxori.*] Alii concubinam faciunt. Apud Varronem & Ovidium 3. Faſt. *Laurentia* legitur. Dionyſius, Plutarchus, aliique *Accam Laurentiam*, quidam *Larentinam* vocant. In ejus honorem celebratæ videntur menſe Decembri feriæ Jovis, quæ appellabantur *Larentalia*, vel *Larentinalia*: Ovid. *Laurentalia*.

putent:

putent: inde [11] locum fabulæ ac miraculo datum. [12] Ità geniti, ita educati, quum primum adolovit ætas, [13] nec in ſtabulis, nec ad pecora ſegnes, venando [14] peragrare circa ſaltus. Hinc robore corporibus animiſque ſumpto, jam non [a] feras tantum ſubſiſtere, ſed in latrones prædâ onuſtos impetum facere, paſtoribuſque rapta dividere: & cum his creſcente in dies grege juvenum, [15] ferias ac jocos celebrare. Ante Urb. cond. an. 3.

V. Jam tum in Palatino monte [1] Lupercal: hoc fuiſſe ludicrum fuerunt, & à Pallanteo urbe Arcadica Palatium, deinde [2] Palatinum montem appellatum. [3] Ibi Evandrum, qui ex eo genere Arcadum Ante Urb. cond. an. 3.

INTERPRETATIO.

[a] *Bellua* obviam *obſiſtere* earumque impetum reprimere.

NOTÆ.

11. *Locum fabulæ.*] Verè fabulam eſſe oſtendunt Lactantius, Euſebius, & alii è Chriſtianis. Ethnici quoque complures ita cenſuerant apud Plutarchum in Romuli vita, qui cum Halicarn. & Feſto totius narrationis hujus primum auctorem indicat Dioclem Peparethium ſcriptorem Græcum, quem Q. Fabius Pictor, & inſequentes Romanorum hiſtorici ſequuti ferè ſunt.

12. *Ita geniti, ita educati.*] Mſſ. habent *itaque educati*. Eos Gabiis Græcas literas, Muſicam, artemque tractandorum armorum didiciſſe Dionyſius tradit. Addit Aurelius ſumptus in eam rem à Numitore clam ſubminiſtratos.

13. *Nec in ſtabulis, nec ad pecora ſegnes.*] Vitam quidem paſtoritiam agebant: ſed non ignavam, ut pecora tantùm curarent ſtabulis immorantes: venatione præterea ſe exercebant, quoties vacaret.

14. *Peragrare ſaltus.*] Mſſ. *Peragrare circà ſaltus*. Sed notat Modius *circà* hoc loco adverbium eſſe, ut ſignificet *ſaltus*, qui vicini, qui *circà* eſſent: quod mihi ſanè haud diſplicet. Cæterùm ſemel obſervaſſe ſufficiet Hiſtoricos plerumque infinitivo uti, loco indicativi in præterito imperfecto, ut hic noſter, *ita educati*, &c. *Venando peragrare ſaltus*, pro eo quod eſt, *peragrabant ſaltus*.

15. *Ferias ac jocos.*] Variant lectiones. Sed ita malim, quàm, ut alii, *feria ac jocos*. Quid enim eſt *feria celebrare*? nec de feriis hic agitur, ſed de ludicris.

1. *Lupercal hoc.*] Cum de Lupercali nullus adhuc fuerit ſermo, quid ſibi vult *Lupercal hoc*? Interpunge, & reſcribe: *Jam tum in Palatino monte Lupercal.* (ſupple *erat*.) *Hoc*, vel potiùs, *hic fuiſſe Ludicrum ferunt*. Eſt enim propriè *Lupercal*. Loci nomen, ubi in ſpelunca, jam tum Evandri tempore, Pani Arcadum numini, juſſu Themidis, aram dicatam Dionyſius narrat. Pan autem *Lycæus* cognominabatur, quaſi lupinum dicas; quòd pecus à lupis ſervaret. Quamquàm Ovid. *Lupercalis* vocabulum à lupa Romuli deducit.

2. *Palatinum montem.*] Alii cum Livio à *Palantio*, ſeu Pallanteo Arcadiæ quondam metropoli, ſic ab Evandro vocatum ſcripſere hunc montem: alii à *Palatio*, aliàs *Pallatio* agri Reatini veteri oppido, ex quo deducta Aboriginum pars ibi conſederit. Fuere qui à *Palando*, à *Balatu*, à *Pale* paſtorali Deâ; à *Pallante* ſive Evandri proavo, filiove, ſive Herculis ſobole ex ejuſdem Evandri filia, deducerent. Scaliger *παλλάντιον* priùs appellatum conjicit, quomodo Græci vocant ſumma montium juga. In Palatio poſt Evandrum Romulus, & conſtituto imperio Auguſtus, cæterique ferme primi Cæſares habitarunt: indeque obtinuit, ut Principum domus *Palatia* nominentur.

3. *Ibi Evandrum.*] *Evander* aliis Pallantis ex Lycaone Arcadiæ rege orti pronepos; aliis Mercurii filius fuiſſe traditur, ac Themidis. Is ſexaginta ferme annis ante bellum Trojanum, fratris

4 multis antè tempeſtatibus ea tenuerat loca, ſolenne allatum ex Arcadia inſtituiſſe, ut nudi juvenes Lycæum Pana venerantes 5 per luſum atque laſciviam currerent. quem Romani deinde 6 vocarunt Invum. Huic deditis 7 ludicro, quum 8 ſolenne notum eſſet, inſidiatos ob iram prædæ amiſſæ latrones; quum Romulus vi ſe defendiſſet, Remum cæpiſſe; captum regi Amulio tradidiſſe, 9 ultro accuſantes. Crimini maximè dabant, in Numitoris agros ab his impetum fieri: inde eos collecta juvenum manu, hoſtilem in modum prædas agere. ſic Numitori ad ſupplicium Remus deditur. Jam inde ab initio a Fauſtulo ſpes fuerat, regiam ſtirpem apud ſe educari. nam & expoſitos juſſu regis infantes ſciebat, & tempus quo

INTERPRETATIO.

a *Suſpicionem Fauſtulus habuerat educari domi ſuæ regalem progeniem.*

NOTÆ.

cæde per imprudentiam patratâ, profugus; circa Tiberim cum ſuis conſediſſe fertur: & ſive fœdere cum Aboriginibus ſnito, ſive iis vi pulſis, Pallantium oppidum condidiſſe. Cedrenus à ſuperioribus diverſus, refert Evandrum & Pallantem Æneæ filios apud Valenta regnaſſe. (*Valentiam*, id eſt, Romam dicere voluit.) Ph. autem Cluverius, contra omnium auctorum fidem, de Evandro ſic diſputat, ut eum non Arcadum poſteriorum, ſed Pelaſgorum veterum ductorem fuiſſe velit: Et quæcumque de Æneæ in Italiam adventu traduntur, falſa, atque ad Evandri exemplum conficta eſſe contendat, longâ inter utriuſque res inſtitutâ comparatione: adeò cuncta in his vetuſtatibus incerta.

4. *Multis ante tempeſtatibus.*] Quaſi dicat, *multis ætatibus*; ſæculis nimirum ferè quinque, ſi anni ab Evandri primordiis, ad Amulii necem numerentur.

5. *Per luſum atque laſciviam.*] Ita corrigit Gronovius: aliàs *per luxum*, perperam, niſi *luxum* ſive luxuriam pro laſcivia ſumas. Alioqui enim quis eſſe potuit *luxus* in his Lupercorum Panos ſacerdotum ludis, qui caprâ & cane, ſacra facerent; & nudi aut peliibus tantùm caprinis accincti, ſaltitarent. Lupercorum autem illorum antiquiſſimum ſacerdotium, tardiùs, nec niſi Anaſtaſio Imperatore ac Theodorico Italiæ rege, Romæ ſublatum eſt.

6. *Vocarunt Invum.*] Pan ovium, armentorumque cuſtos à Latinis *Invus* dictus, vel Junus ab eundo, ſeu ineundo, quaſi qui paſſim iret cum omnibus animalibus, ut Servius notat. Nec mirum, cum Ethnicorum Theologia Pana ex ipſius nominis vi, naturæ univerſitatem interpretetur: eſt enim Πᾶν omne, ſive totum. Deus autem ille honore præcipuo colebatur apud *caſtrum* Invi, quod oppidum fuit in Rutulorum finibus, uti Cluverius demonſtrat, Servio explo ſo; qui non aliud oppidum Caſtri nomine in Italia agnoſcebat, quàm quod eſt in Etruria.

7. *Ludicro.*] Solennes ludos & ſpectacula noſter *ludicra* vocare amat. Sic Vellejus lib. 1. ludos Olympicos dixit, *ludicrum certamen*.

8. *Solenne notum.*] Rectè quiſquis ſic emendavit, cùm anteà legeretur, *votum eſſet*; Rectè, inquam, quicquid reclamet Robortellus. Non enim ex voto celebrabatur hoc ludicrum; ſed ex ſolenni more: unde latrones inſidiaturi geminis fratribus, tempus noverant illius ſolennis ludi, cui fratres dediti erant.

9. *Ultrò accuſantes.*] Dionyſ. lib. 1. Hoc inter ipſos & Numitoris paſtores de communibus paſcuis jurgium ex Numitoris ipſius ſententia excitatum ſcribit, ut eſſet criminandi initium, & pa-

ipſe eos ſuſtuliſſet, ad idipſum congruere: ſed rem immaturam, niſi aut per occaſionem, aut per neceſſitatem aperiri noluerat. neceſſitas prior venit. ita metu ſubactus, Romulo rem aperit, Fortè & Numitori, quum in cuſtodia Remum haberet, audiſſetque geminos eſſe fratres, 10 comparando & ætatem eorum, & ipſam minime ſervilem indolem, tetigerat animum memoria nepotum: ſciſcitandoque 11 eodem pervênit, ut haud procul eſſet quin Remum agnoſceret. Ita undique 12 regi dolus nectitur. Romulus non eum globo juvenum (nec enim erat ad vim apertam par) ſed aliis alio itinere juſſis certo tempore ad regiam venire paſtoribus, 13 ad regem impetum facit: & à domo Numitoris, alia comparata manu, adjuvat Remus. ita regem obtruncant.

VI. Numitor inter primum tumultum hoſtes invaſiſſe urbem atque adortos regiam dictitans, quum pubem Albanam in arcem præſidio armiſque obtinendam avocaſſet: poſteaquam juvenes perpetrata cæde pergere ad ſe gratulantes vidit, extemplò advocato concilio, ſcelera in ſe fratris, originem nepotum, ut geniti, ut educati, ut cogniti eſſent; eædem deinceps tyranni, ſeque ejus auctorem oſtendit. Juvenes per mediam concionem agmine ingreſſi, quum avum regem ſalutaſſent, ſecuta ex omni multitudine conſentiens vox, 1 ratum nomen imperiumque regi effecit. Ita 2 Numitori Albana permiſſa re, Romulum Remumque cupido cæpit, in iis locis, ubi expoſiti, ubique educati erant, 3 urbis condendæ. & ſupererat multitudo Albanorum Latinorumque. ad id paſtores quoque acceſſerant: qui omnes facile ſpem facerent, parvam Albam, parvum Lavinium, præ ea urbe quæ conderetur, fore. Intervenit deinde his cogitationibus 3 avitum malum, regni cupido, atque indè fœdum certamen coortum à ſatis miti principio; quo-

Ante Urb. cond. an. 1.

Roma cond. Olymp. 7. 1. 2. ex Catonis ſententia. a. C. n. 751. Per. Jul. 3963. Poſt excidium Trojæ 433.

NOTÆ.

ſtoribus daretur ad urbem veniendi occaſio; cumque de vi eorum apud Amulium Numitor queſtus eſſet, die dictâ ad cauſam agendam multos conveniſſe. Tum verò avum juvenum, denarratis eorum caſibus, adhortatum ut vindictæ occaſionem arriperent.

10. *Comparando ætatem eorum.*] Cum ætate ſcilicet atque indole quâ futuri eſſent ipſius nepotes, ſi viverent.

11. *Eòdem pervênit.*] *Pervenit* nempe Numitor ad ſuſpicionem ſimilem ſpei, ſive opinioni Fauſtuli. Nec tamen Modii conjecturam improbaverim, qui mavult ſcribi, *eò dein pervênit ut* &c.

12. *Regi dolus nectitur.*] Rem totam Juſtinus dilucidâ explicat narratione lib. 43. cap. 2.

13. *Ad regem impetum facit.*] Tritum eſt in *aliquem impetum facere*: *ad aliquem* verò minùs uſitatum. Vult, opinor, Livius circa Amulium, ad eum obtruncandum, impetum in regiam eſſe factum.

1. *Ratum nomen, imperiumque regi effecit.*] Num potiùs *ratum ei nomen, imperiumque regis effecit?*

2. *Numitori.*] Videtur Vellejus Paterculus lib. 1. *Latinum* pro Numitore, Romuli avum nominare. Sanè Electrâ Latini filiâ natos Remum & Romulum nonnulli apud Halicarn. auctores ſunt. Sed nimirùm alius hic Romulus fuit à Rheæ Sylviæ filio.

3. *Avitum malum, regni cupido.*] Qualis ſcilicet ipſorum avum Numitorem cum Amulio fratre commiſerat.

niam gemini essent, nec ætatis verecundia discrimen facere posset, ut 4 dii, quorum in tutela ea loca essent, 2 auguriis legerent 5 qui nomen novæ urbi daret, qui conditam imperio regeret.

Ante urbem cond. an. 1. VII. Palatinum Romulus, 1 Remus Aventinum ad inaugurandum 2 templa capiunt. Priori Remo augurium venisse fertur, 3 sex vultures: jamque, nunciato augurio, quum duplex numerus Romulo se ostendisset, 4 utrumque regem sua multitudo consalutaverat:

INTERPRETATIO.

2 *Per auspicia eligerent*;

NOTÆ.

4. *Dii quorum in tutela.*] Aliàs, *quorum tutelæ essent* id est, ad quorum tutelam ea loca pertinerent: cujus loquendi formæ exempla Gronov. adducit non pauca. Cæterùm nemo nescit veteribus fuisse persuasum, quemadmodùm singulis hominibus, sic urbibus, aquis, locis quibusque, suos esse genios, Deosve præsides.

5. *Qui nomen novæ urbi daret.*] Roma à quo, & quo tempore condita sit, & unde nomen acceperit, valde apud veteres scriptores dubium fuisse, testantur in primis Dionys. Halicarn. lib. 1. & Plut. in Romulo: ex quibus, itemque ex Varrone, Festo, ac Solino, innumeras propè veterum opiniones collegerunt recentiores, ac præ cæteris Onuphrius Panvinius, Paulus Merula, & Phil. Cluverius. Nomen quidem vel à Roma nobili fœminâ, sive Trojanæ, sive Italicæ stirpis; vel à conditore Romo aut Romulo impositum volunt. Solinus & Festus deducunt à Græco nomine Ῥώμη, quod robur seu fortitudinem significat. Id ille ab Evandro primùm datum ait, qui cùm ibi oppidum offendisset, *Valentia* vocabulo à Latinis dictum, *Romen* suâ linguâ dixerit, servatâ significatione.

1. *Remus Aventinum.*] Romulus sedem observandis alitibus optavit Palatinum montem, ubi coloniam condere destinabat: Remus verò *Aventinum* contiguum.

2. *Ad inaugurandum templa capiunt.*] Templum (quod à *tuendo*, sive conspiciendo dictum volunt) non solùm de æde sacra dicitur; sed de quovis loco seu spatio, quod in cœlo, vel in terra notatum, ac lituo finitum est ab augure ad contemplandum. Designabant scilicet regiones metasque certas, intra quas se signa observaturos constituebant: quo facto statim captabantur auguria. Hinc *extemplò* dictum, pro subitò. *Inaugurandi* autem verbum modò neutrum est, accipiturque absolutè pro *augurium capere*; & sic auctoris mens erit, montes duos pro *Templis*, sive captandi augurii sedibus, à Romulo & Remo fuisse occupatos. Modò *inaugurare* activè sumitur, ut significet certis & conceptis verbis designare, ac velut consecrare. Unde si verbum ad sequentem vocem *Templa* referatur, dicendum erit velle auctorem à geminis fratribus infestos montes, ut in iis *Templa* inaugurarent, & solenni augurum ritu suum quisque cœli spatium ex iis metaretur; quæ acceptio paulò frequentior.

3. *Sex vultures.*] In auguriis *vulture* plurimùm usi veteres: cùm avium ferè minimè nocens sit, ut qui non ex iis, quæ feruntur, aut plantantur, sed ex cadaveribus tantùm sibi victum quærat. Hinc lætari solitum Herculem tradit Herodotus, si in re gerenda vultures se ostendissent.

4. *Utrumque regem sua multitudo consalutaverat.*] Prædixerat Numitor ejus fore coloniam, cui priùs meliores oblatæ fuissent alites. Sed cùm idem avium genus utrique conspectum esset, ambiguum videri poterat; an majoris numeri habenda esset ratio; an potiùs temporis, quo se primùm vultures obtulissent. Idque eò magis, quod ex Halicarnasseo, Romulus, ante quàm signum

a tempore illi præcepto, at hi numero avium regnum trahebant: Inde cum altercatione congressi, certamine irarum ad cædem vertuntur. ibi in turba 4 ictus Remus cecidit. Vulgatior fama est; b ludibrio fratris Remum novos transiluisse muros: inde 6 ab irato 5 Romulo (quum verbis quoque increpitans adjecisset, *Sic deinde quicunque alius transiliet mœnia mea*) interfectum. Ita solus potitus imperio Romulus; 7 condita urbs 8 conditoris nomine appellata.

INTERPRETATIO.

a *Illi quòd tempore antecederent*;
b *In fratris contumeliam*.

NOTÆ.

nllum vidisset, nunciaverat fratri priùs à se visas addicentes aves: sed cùm rogaretur quodnam prior auspicium vidisset, nec haberet quod responderet; tum demum volantes duodecim vultures se ostenderunt.

5. *Ictus Remus cecidit*.] Remum alii cum Faustulo, in hac contentione de auguriis orta; alii posteà cùm novum murum transiliisset, interfectum ferunt.

6. *Ab irato Romulo*.] Quidam, ut noster, Remum ab ipso Romulo confossum ajunt; qui, ex pœnitentia, de inferendis sibi manibus cogitaverit: sed Larentiæ communis altricis precibus ab ea mente deductus sit. Plerique tamen à Fabio Celere Centurione Remum, rutro vel rastro, interemptum memorant. Egnatius verò apud Aurel. Victorem affirmabat in ea contentione non modò Remum non fuisse occisum; sed etiam ultra Romulum vixisse. Atque huc spectare videri posset illud Virgil. *Remo cum fratre Quirinus jura dabunt*. Verùm aliò potius alludit Poeta, ad Romuli nempe factum, qui ortâ post fratris necem pestilentiâ: cùm placandos ejus manes oracula respondissent; inter cætera piacula, (in quibus annua sacra ejus honori instituta, atque inde Remuria dicta,) quoties aliquid sanciendum esset, jubebat sellam, cum sceptro aliisque regni insignibus, juxta se poni, quasi Remo assidenti, & secum pariter imperanti, ut Servius tradit.

7. *Condita urbs*.] Romam ter, sive diversis, sed vicinis locis conditam, sive instauratam memorat ex priscis scriptoribus Halicarn. lib. 1. quod ex Solino quoque & Sallustio aliquatenus colligi potest. Primò quidem ante excidium Trojæ à Romo Itali Œnotrorum regis & Lucariæ aut Electræ filio. Secundò paulò post Trojam captam: cujus coloniæ auctores Aristoteles aliique Achivos, alii Trojanos Æneæ socios, indigenas alii faciunt, ductoribus aut Romo, aut Romulo, qui ab his Ulysse, ab illis Æneæ, ab aliis Latino prognati dicuntur. Tertiò, ab Albanis, missâ colonià restitutam nonnulli tradidere. Sed hæc ità commodè accipi possunt, ut loca, ubi posteà urbs condita fuit, cultores, oppidumque habuerint, aliis nominibus, veluti Saturniæ, Pallantei, aut etiam Valentiæ: licet Historici, qui post conditam Romam scripserunt, temporum suorum usum sequuti, Romam & Romanos dixerint. Ita hæc quæ tertia numeratur, prima verè fuerit Romæ, sub hoc nomine, constitutio, Romuli nempe & Remi ductu; de tempore urbis conditæ actum in Præfatione.

8. *Conditoris nomine appellata*.] De Romæ nomine & conditore dictum est ad caput 6. verùm si à Romulo dicta *Roma*, cur non Romula potiùs nominata? Godelevæus hanc affert rationem, quòd ampliore vocabuli significatione prosperiora patriæ suæ ominari conditor voluerit: id est, cum Romuli & Romulæ nomen à *Rome* quæ vox Græcè *robur* significat, deductum sit per diminutionem; Romulus in urbe nominanda diminutivo huic vocabulo primitivum anteposuerit. Festus nihilominùs

9 Palatinum primùm, in quo ipſe erat educatus, munit: ſacra Diis aliis Albano ritu, 10 Græco, Herculi, ut ab Evandro inſtituta erant, facit. Herculem in ea loca 11 Geryone interempto boves mira ſpecie abegiſſe memorant, ac prope Tiberim fluvium, qua præ ſe armentum agens, nando trajecerat, loco herbido, ut quiete & pabulo lato reficeret boves, & ipſum feſſum via procubuiſſe. ibi quum eum cibo vinoque gravatum ſopor oppreſſiſſet, paſtor accola ejus loci, 12 nomine Cacus, ferox viribus, captus pulchritudine boum, quum avertere eam prædam vellet: quia, ſi agendo armentum in ſpeluncam compuliſſet, ipſa veſtigia quærentem dominum eo deductura erant; averſos boves, eximium quemque pulchritudine, caudis in ſpeluncam traxit. Hercules ad primam auroram ſomno excitus,

NOTÆ.

ex Varrone urbem Romulam initio appellatam, ait; deinde detortum vocabulum, detritaſque literas fuiſſe. Niſi malis primum verumque conditoris nomen fuiſſe Romam, qui per blanditias Romulus à pueritia dictus ſit. Legitur & apud Plin. lib. 3. cap. 5. ac Solinum cap. 1. aliud proprium fuiſſe Urbis nomen, quod enunciari arcanis cæremoniarum natas haberetur: & Valerium Soranum, quòd id, contra interdictum, eloqui auſus eſſet, neci datum. Hoc nomen Latinum fuiſſe obſervat Macrobius. Arcano tamen illo nomine Politianus *Amaryllida* fuiſſe dictam putat.

9. *Palatinum primùm*.] Ex collibus ſeptem, qui progreſſu temporis incluſi mœnibus leguntur, Romulus *Palatinum* dumtaxat primo pomœrio incluſit, ejus radicibus terminatâ urbe in quadratam formam, ut Gellius teſtatur. Antiquiſſimæ Urbis portas Onuphrius, ex Varrone, tres fuiſſe tradit, Mucionis in palatio, (quæ forte eadem cum Trigonia,) versùs Cœlium montem ad ortum: Romanulam, (quæ poſteà Romana,) versùs Velabrum: ac Janualem à Jano dictam, (quæ deinde porta vetus Palatii,) forum versùs. Huic deinde à Tatio addita Carmentalis; ſub Capitolio, inter Saxum Tarpejum & Tiberim, quam Tarpejam deinde, & Sceleratam nominarunt. Veterem illum Urbis ambitum deſcribit Tacitus lib. Annal. 4. comparatione factâ ad Romam ſui temporis.

10. *Græco, Herculi*.] Illud *Græco*, non ad Herculem referendum, ſed ad ritum: ut in propitiandis cæteris Diis, Romulus Albanorum cæremonias ſervaverit; Herculem autem ſolum, qui apud Thebas Bœotiæ natus erat, Græcorum more coluerit. Tritum eſt ex Tullio de Nat. Deor. lib. 3. aliiſque, plures Herculeſ fuiſſe, Ægyptium in primis; Tyrium ſive Phœnicium; Cretenſem; & poſtremò hunc Græcum, Thebis natum, Argis oriundum, Amphitryonis & Alcmenæ filium; cui Jovem parentem, fortiaque facta reliquorum Græca vanitas adſcripſit.

11. *Geryone interempto*.] Nota eſt Geryonis Hiſpaniæ regis, ab Hercule apud Tarteſſum vel Erythiam inſulam juxta Gades ſuperati, fabula. Tricorporem finxere, ſive quòd Tergemini eſſent fratres, adeò concordes, ut unus in tribus animus eſſe videretur: ſive quòd tribus inſulis Balearium utrique, & Ebuſo imperitaret. Hecatæus tamen vetus ſcriptor Geryonem in Epiro non in Hiſpania regnaſſe tradidit.

12. *Nomine Cacus*.] Liber de origine gent. Rom. *Cacum* Evandri ſervum nequiſſimum ac furaciſſimum ait fuiſſe; cùmque Recarani ſive Herculis boves ſubripuiſſet, hoſpiti ab Evandro noxæ deditum. Idem Vulcani filius & flammas vomere dictus eſt, quòd agros incendiis popularetur. Plura de eo Dionyſ. lib. 1.

quum gregem perluſtraſſet oculis, & partem abeſſe numero ſenſiſſet, pergit ad proximam ſpeluncam, ſi forte eo veſtigia ferrent: quæ ubi omnia foras verſa vidit, nec in partem aliam ferre; confuſus atque incertus animi, ex loco infeſto agere porro armentum occœpit. Inde quum actæ boves quædam ad deſiderium, ut fit, relictarum mugiſſent, reddita incluſarum ex ſpelunca boum vox [c] Herculem convertit. quem quum vadentem ad ſpeluncam Cacus prohibere conatus eſſet; ictus clava, fidem paſtorum nequicquam invocans, morte occubuit. Evander tum ea, profugus ex Peloponneſo, auctoritate magis quam imperio, regebat loca: venerabilis vir [13] miraculo literarum, rei novæ inter rudes artium homines; venerabilior divinitate credita [14] Carmentæ matris, quam fatiloquam ante Sibyllæ in Italiam adventum, miratæ hæ gentes fuerant. Is tum Evander concurſu paſtorum trepidantium circa advenam, manifeſtæ reum cædis, excitus, poſtquam facinus facinoriſque cauſam audivit; habitum formamque viri aliquantum ampliorem auguſtioremque humana intuens, rogitat qui vir eſſet. Ubi nomen patremque ac patriam accepit; *Jove nate, Hercules, ſalve*, inquit: *te mihi mater veridica interpres Deûm auctorum cœleſtium numerum cecinit: tibique aram hîc dicatum iri, quam opulentiſſima olim in terris gens Maximam vocet, tuoque ritu colat.* [15] Dextrâ Hercules datâ, *accipere ſe omen, impleturumque fata, arâ conditâ atque dicatâ*, ait. Ibi tum primum bove eximia capta de grege, ſacrum Herculi, adhibitis ad miniſterium dapemque [16] Potitiis ac Pinariis, quæ tum familiæ maxime inclytæ

INTERPRETATIO.

c *Herculem* ad ſe *vertit*, atque impulit ad revertendum.

NOTÆ.

13. *Miraculo literarum*.] Scribendi artem creditur Evander in hanc Italiæ oram è Græcia invexiſſe. Nec tantum legere ac ſcribere Italos docuit: ſed & terræ junctis bobus excolendæ, ac ſerendi uſum, ut auctor de Orig. gent. Rom. tradit.

14. *Carmentæ matris*.] Evandri matrem, quam Latini *Carmentam* & *Carmentim* appellarunt, à carminibus quibus fatura prænunciabat; Græci ex Dionyſio *Themin*; alii apud Solinum & Aurel. Victor. Nicoſtratam vero nomine dixerunt. Arcadicam Nympham Halicarn. fuiſſe refert: quidam Ladonis filiam, id eſt, ad hunc Arcadiæ fluvium natam.

15. *Dextrâ Hercules datâ*.] Ita meliùs quàm, ut Sigonius, *dextrâ Herculi datâ*. Hunc locum Turneb. ſic interpretatur, ut Hercules, porrectâ Evandro manu, divinitatis omen acceperit; ſeque fata, quæ Carmenta cecinerat, impleturum, aramque maximam dicaturum oſtenderit. Et ſanè dicavit, non ſibi, opinor (quod abſurdum Sigonio viſum, quamvis ita velit cum Ovidio Solinus:) ſed Jovi inventori, cui juvencum ob receptas de Caco boves mactavit. Aram verò illam *Maximam* vocarunt: &, quoniam in ea Hercules decimas Jovi obtulerat, Romani Herculi poſtea ipſi facultatum ſuarum decimas ibi offerebant.

16. *Potitiis ac Pinariis*.] Hercules ſacris ſuis duas nobiles familias ritum priùs edoctas præfecit; *Potitiorum*, quorum potior cauſa fuit, quòd ad ſacrificium conditâ horâ venirent: & *Pina-*

eâ loca incolebant, factum. Forte ita evenit, ut Potitii ad tempus præsto essent, [17] iisque exta apponerentur, Pinarii extis adesis ad cæteram venirent dapem. inde institutum mansit, donec Pinarium genus fuit, ne [18] extis solennibus vescerentur. Potitii ab Evandro edocti antistites sacri ejus per multas ætates fuerunt: donec tradito servis publicis solenni familiæ ministerio, genus omne Potitiorum interiit. Hæc tum sacra Romulus una ex omnibus peregrina suscepit; jam tum immortalitatis virtute partæ, ad quam eum sua fata ducebant, fautor.

Urb. conan. 1.

VIII. Rebus divinis ritè perpetratis, vocatâque [1] ad concilium multitudine, quæ coalescere in populi unius corpus nullâ re, præterquam legibus poterat, [2] jura dedit: quæ ita sancta generi hominum agresti fore ratus, si seipse venerabilem insignibus imperii fecisset, quum cætero habitu se augustiorem, tum maxime [3] lictoribus duodecim sumptis fecit. Alii ab numero avium, quæ augurio regnum portenderant, duodecim lictores additos putant. Mihi cum Cælio auctore satis constat, sex suos quemque tenuisse lictores, ut ex tot tribubus duodecim centuriæ equitum fierent, quæ suum quæque partem populi repræsentarent.

NOTÆ.

viorum, qui ob tarditatem collegis cedere in sacris epulis jussi, nec nisi consumptis victimarum extis admissi. Sed posteà extinctâ *Potitiorum* gente, sacra penes *Pinarios* resedisse notat Aurel. Victor. Quâ de re Livius lib. 9. cap. 29.

17. *Iisque exta apponerentur.*] P. Nannius lib. 5. Miscellan. ex Bussidiani & Atrebatensis Codicum auctoritate, legendum putat, *iique exta potirentur*: quasi ad nominis originem alludere auctor voluerit; & *Potitios*, cùm priùs alio nomine conferentur, à *potiendo* dictos indicare: *Pinarios*, *dπὸ τῆ πεινᾶν*, à jejunando. Alii tamen *Potitios* à potando derivant, quod est Græcè *ποτίζειν*.

18. *Extis solennibus vescerentur.*] Scribit Gronovius, *extis solennium vescerentur*; intelligitque escas sacrorum, vel sacrificiorum. Vult enim auctor *Pinarios* visceribus victimarum in solennibus Herculis sacris immolatarum vesci prohibitos. Et *solennia*, tam substantivè, quam adjectivè dicuntur, ut apud Tacitum: *Cuncta nuptiarum solennia celebrat*. Et Juven. Sat. 10.

Incolumi Trojâ Priamus venisset ad umbras
Assaraci, magnis solennibus.

1. *Ad Concilium.*] Inter *Concilium* & Comitia hoc discrimen Aul. Gellius ex Cœlio Felice notat lib. 15. quòd *Concilium* propriè dicitur, cùm pars aliqua populi adesse jubetur: *Comitia* verò, quando universus populus convocatur suffragiorum ferendorum causâ. Verùm hæc differentia minùs anxiè servatur ab auctoribus, qui utroque vocabulo ferè promiscuè utuntur. Memorat Halicarn. lib. 2. Romulum de Numitoris avi consilio sese paratum ostendisse ad suscipiendam reip. formam, quæcunque multitudini placeret: populo autem Regium imperium placuisse.

2. *Jura dedit.*] Livio Glareanus non immeritò succenset, quòd in memorando Herculis Evandrique colloquio, inque Aræ maximæ fabula moratus, latas à Romulo leges (prima scilicet totius rei Romanæ fundamenta) prætermiserit: laudatque Dionysium, quòd earum partem non contemnendam retulerit.

3. *Lictoribus duodecim.*] *Lictores* vocantur ex Festo, qui fasces virgarum ligatos ferunt, quorum erat magistratibus apparere, populum submovere, fontes virgis cædere, & secuti ferire. Ideo in rep. illi tantùm magistratus lictoribus utebantur, penes quos erat imperium. Differunt itaque *lictores* à viatoribus, qui Magistratibus minoribus, potestatem quandam sine mero imperio habentibus, aderant. Apparitorum generale nomen, scribas, qui ut plurimùm ingenui; accensos, interpretes, præcones, lictores, qui omnes ferè libertini generis, servosque publicos complectitur.

de-

derant, eum ſecutum numerum putant. Me haud pœnitet eorum ſententiæ eſſe, quibus & apparitores, & hoc genus ab Etruſcis finitimis, unde ſella curulis, unde toga prætexta ſumpta eſt, numerum quoque ipſum ductum placet: & ita habuiſſe Etruſcos, quod 4 ex duodecim populis communiter creato rege, ſingulos ſinguli populi *lictores* dederint. 5 Creſcebat interim urbs munitionibus, quum alia atque alia appetendo loca, in ſpem magis futuræ multitudinis, quam 6 adid, quod tum hominum erat, munirent. Deinde, ne vana urbis magnitudo eſſet, adjiciendæ multitudinis cauſa, veterè conſilio condentium urbes, qui ob- 10 ſcuram atque humilem conciendo ad ſe multitudinem, ζ 7 natam è terra ſibi prolem ementiebantur; locum qui nunc 8 ſeptus denſis ſentibus inter duos lucos eſt, 9 Aſylum aperit. Eò ex finitimis populis turba omnis, ſine diſcrimine, 10 liber an ſervus eſſet, avida novarum re-

NOTÆ.

4. *Ex duodecim populis.*] Etruſci jam tum cùm circa Eridanum habitarent, in duodecim populos diſtincti erant, ut Maro innuit lib. 10. magni operis.

Gens illi triplex, populi ſub gente quaterni.

Iidem ubi ad mare Inferum, Gallorum, aut Pelaſgorum vi compulſi ſunt, priſtinum inſtitutum ſervarunt. Eorumque mos fuit, ut unaquæque civitas Regi ſuo lictorem aſſignaret. Quoties autem communis duodecim populorum eſſet expeditio, ei cujus erat imperium in exercitum, tradebantur duodecim ſecures ex Hallcarn. lib. 3. quæ mens quoque Livii eſt.

5. *Creſcebat interim urbs munitionibus.*] Mœnia urbis nondum creſcebant: Quadrata manebat, incluſo tantùm intra Pomœrium Palatino monte. Verùm augebantur munitiones, cinctis aggere & muro vicinis montibus, ne externâ vi facilè oppugnari Roma vicinis è montibus poſſet.

6. *Ad id quod tum hominum erat*:] Qui unà cum Romulo urbem habitare cœperunt, non multò plures erant bis mille peditibus, equites autem pauciores trecentis: quando verò inter mortales eſſe deſiit, peditum reliquit ſex & quadraginta millia, & mille ferme equites, auctore Dionyſio lib. 1.

7. *Natam è terra ſibi prolem.*] Ad Deucalionis, an ad Cadmi & Jaſonis fabulas alludit Livius? An verò ad Athenienſium ſeſe Auctochthonas, quaſi ex ipſa terra patria ortos, jactantium, vanitatem? Tertull. Sanè in Apologet. *Terræ filios* dicitari vulgò notat eos quorum ſit incertum genus.

8. *Septus denſis ſentibus inter duos lucos.*] Sic ſemper editum fuiſſe notat Gronovius: manuſcriptos tamen pleroſque habere *ſeptus deſcentibus*: unde legendum conjicit *deſcendentibus inter duos lucos eſt*: ut intelligatur Aſylum fuiſſe eo loco, qui tempore Livii vocabatur *inter duos lucos*, ac ſitus fuit inter Capitolium & arcem, atque ab utroque clivo condenſis arboribus ſtipatus.

9. *Aſylum aperit.*] Accedet lux huic loco ex Floro. *Incola deerant. Erat in proximo Lucus, hunc Aſylum facit: & ſtatim mira vis hominum, Latini, Tuſcique paſtores; quidam etiam tranſmarini, Phryges qui ſub Æneæ, Arcades, qui ſub Evandro duce influxerant.* Aſylorum inſtitutum à Moſaïca lege fluxiſſe crediderim, quâ ſex civitates refugii conſtitutæ erant, quò confugientes, qui hominem per imprudentiam occidiſſent tuti erant ab occiſi cognatorum violentia. Exod. 21. Aſyla porrò Græcè vocantur ea loca, ab ἀ privativo & συλᾶν, quod eſt ſpoliare; aut σύρω quod ſignificat trahere: etenim, & ea loca diripi, & homines inde avelli nefas.

10. *Liber an ſervus eſſet.*] Diſſentit Dionyſ. lib. 2. qui ait hoc quæſitum, an ingenui eſſent.

rum perfugit : idque primum ad cœptam magnitudinem roboris fuit, 8 Quum jam virium haud pœniteret, consilium deinde viribus parat. 11 Centum creat Senatores : sive quia is numerus satis erat : sive 12 quia soli centum erant, qui creari patres possent. 13 Patres certe ab honore, 14 Patriciique progenies eorum appellati. 6

INTERPRETATIO.

Cùm sua ipsi *copia*, tanquam idonea, *satis placerent.*

NOTÆ.

11. *Centum creat Senatores.*] Romulus, ut essent quibuscum Remp. administraret, centum viros elegit ex ordine Patriciorum, hac ratione. Primò ex omnibus unum præcipuum selegit, cui rerum Urbanarum regimen committeret, quoties ipse duceret exercitum. Deinde ab unaquaque trium Tribuum jussit tres eligi, qui sapientiâ & genere præcellerent. Post hos mandavit triginta curiis, ut quælibet ternos maximè idoneos legeret. Hi nonaginta promoti curiarum suffragiis, ad novem à tribubus nominatos additi, cum præfecto, per Romulum dicto, centenarium numerum expleverunt : ita Dionys. lib. 2. Hoc Consiliorum *Senatum* Romani vocarunt, exemplo Græcorum, qui ejusmodi Concilia γερουσίας appellant : utrique à Senili, sive ætate, sive prudentia.

12. *Quia Soli centum erant.*] Controversiam hic inter Livium & Dionys. advertit Robortellus, aliique ; quasi noster dixerit centum dumtaxat Patricios, eosdemque Senatores à Romulo factos ; Dionys. centum Senatores è longè majori Patriciorum numero creatos. Et hoc quidem posterius negari non potest. Sed Livius centenarii Senatorum numeri rationem ita reddit, ut dubitet an idcirco non plures dici placuerit, quòd ille numerus parvæ tum civitati sufficeret ; an quia *Soli centum erant, qui creari patres possent.* id est, qui possent eligi Senatores, eoque munere fungi cum dignitate : sive quòd, cùm placeret eos tantùm asciscì in Senatum, qui legitimi patres, & liberis velut certissimis pignoribus patriæ devincti essent ; non plures tum ex patriciorum numero reperiebantur, qui filios haberent justis nuptiis procreatos. Ex quo non statim sequitur centum dumtaxat fuisse patricios. Nam quod subjungit. *Patriciique progenies eorum appellati* : non aperte negat alios sub hæc initia fuisse Patricios ; sed id tantùm affirmat Patriciorum nomen per Patrum, sive Senatorum liberos propagatum.

13. *Patres ab honore.*] Quæ causæ Senatus & Senatorum, eædem & *Patrum* nominis fuerunt. Vide in primis Plut. in Romulo.

14. *Patriciique progenies eorum.*] Tritum est *Patricios* ex eo appellatos, quòd *Patrem ciere* possent, id est, cum honore appellare atque ostendere : quod quidem in convenis, quibus civitas tunc constabat, minùs facile factu. Id inde confirmari videtur, quòd cùm à Regibus Patricii vocarentur, Præco quemque suo ac Paterno nomine vocabat. Verùm hanc nominis originem invidiosè confictam putat Dionys. eoque fortè vitio non caret P. Decii Muris oratio, apud Auctorem nostrum lib. 10. cap. 8. *En unquam fando audistis Patricios primò esse factos, non de cœlo demissos, sed qui patrem ciere avumque possent : id est nihil ulterà quàm ingenuos ?* Fuere autem non unius generis *Patricii* etiam antè Imperatores : alii *majorum gentium* dicti, ex Senatoribus à Romulo lectis orti : Alii, *minorum gentium*, ex iis qui à Tarquinio Prisco ex Plebeiis primum in Patriciorum ordinem allecti, deinde Patrum numero fuerant adscripti, ut ex Livio lib. ..& Plut. in Publicola colligere licet. Quod & paucis complexus est suo more Tac. 11. Ann.

Digitized by Google

IX. Jam res Romana adeo erat valida, ut cuilibet finitimarum civitatum bello par eſſet; ſed penuriâ mulierum, hominis ætatem duratura magnitudo erat: quippe quibus nec domi ſpes prolis, nec cum finitimis connubia eſſent. Tum ex conſilio patrum Romulus [2] legatos circa vicinas gentes miſit, qui ſocieratem connubiumque novo populo peterent. *Urbes quoque, ut cætera, ex infimo naſci: deinde quas ſua virtus ac Dii juvent, magnas opes ſibi magnumque nomen facere. Satis ſcire, origini Romanæ & Deos aſſuiſſe, & non defuturam virtutem, proinde ne gravarentur homines cum hominibus ſanguinem & genus miſcere.* Nuſquam benigne legatio audita eſt: adeo ſimul ſpernebant, ſimul tantam in medio creſcentem molem ſibi ac poſteris ſuis metuebant. A pleriſque rogitantibus, dimiſſi; *ecquod fœminis quoque aſylum aperuiſſent? id enim demum compar connubium fore.* Ægrè id Romana pubes paſſa, & haud dubie ad vim ſpectare res cœpit. Cui tempus locumque aptum ut daret Romulus, ægritudinem animi diſſimulans, ludos ex induſtria parat [3] Neptuno Equeſtri ſolennes: [4] Conſualia vocat. Indici deinde finitimis ſpectaculum jubet: quantoque apparatu tum ſciebant aut poterant, concelebrant; [5] ut rem claram exſpectatamque facerent. Multi mortales convenere, ſtu-

Urb. cond. an. 4.

NOTÆ.

1. *Nec cum finitimis connubia eſſent.*] Connubium ſæpe pro conjugio dicitur: ſed apud Juriſconſultos *Connubium* propriè uxoris legitimè ducendæ jus eſt: atque ita ſumitur hoc loco.

2. *Legatos circa vicinas.*] Legationem nullam ea de cauſâ à Romulo miſſam ſcribit Halicarn. Sed eum omiſſis precibus, quas irritas fore ob finitimorum contemptum noverat, ad vim deſcendiſſe, quam neceſſitate excuſari poſſe ſperaret.

3. *Neptuno Equeſtri.*] Hoc fusè Dionyſ. lib. 2. perſequitur, qui conſenſu Numitoris captum id conſilium à Romulo tradit, probatumque Senatui; & peractis ſacris Neptuni, ac certaminibus variis, equorum præſertim, editis; extremâ ludorum die raptas ſigno dato puellas narrat. Equeſtres ludi meritò videntur Neptuno dicati, utpote qui in certamine cum Minerva de nomine Athenis imponendo, equum produxiſſe dicatur à Virgillo 1. Georgic. aliiſque. Quamvis Ovid. 6. Metam. non Equum, ſed fontem operâ Neptuni è terra erupiſſe velit. Sabellicus Neptunum Equeſtrem, alium a Marino fuiſſe ſuſpicatur ex Ariſtophane.

4. *Conſualia vocat.*] Conſo Deo, conſiliorum occultorum præſidi, voverat Romulus ſolenne feſtum ac ſacrificium, ſi conatus ſuccederet. Id feſtum adhuc Halicarnaſſei ætate Romani celebrabant nomine Conſualium; quo feſto ara ſubterranea, ſita prope Circum marinum, refoſſâ terrâ, ſacrificiis & libaminibus honorabatur: Equorumque & Quadrigarum committebantur certamina. Etſi verò in honorem Neptuni celebrati fuerint illi ludi, & Plut. & Servius eumdem cum Conſo Neptunum faciant: aliud nihilominùs Dionyſio viſum, quod nullibi fuerit ara Neptuno dicata, quæ ſub terra occultaretur: cui adjici poteſt Neptunalia à Conſualibus fuiſſe diverſa: illa quippe x. Kalend. Sextiles: hæc XII. Kalend. Septembres celebrari ſolita.

5. *Ut rem claram expectatamque facerent.*] An dignam finitimorum expectatione intelligimus? An legendum potiùs *ſpectatam?* quo ſenſu dixit idem, lib. 36. *Spectata integritatis virum*, id eſt, probatæ, egregiæ.

Urb. cond. an. 4. dio etiam videndæ novæ urbis ; maxime proximi quique, Cæninenſes, Cruſtumini, Antemnates. Jam Sabinorum omnis multitudo, cum liberis ac conjugibus venit. invitati hoſpitaliter per domos, quum ſitum mœniaque & frequentem tectis urbem vidiſſent, mirantur tam brevi rem Romanam creviſſe. Ubi ſpectaculi tempus venit, deditæque eò mentes cum oculis erant : tum ex compoſito orta vis, ſignoque dato, juventus Romana [6] ad rapiendas virgines diſcurrit. magna pars forte, ut in quem quæque inciderat, raptæ ; quaſdam forma excellente primoribus Patrum deſtinatas, ex plebe homines, quibus datum negotium erat, domos deferebant. Unam longe ante alias ſpecie ac pulchritudine inſignem à globo Talaſſii cujuſdam raptam ferunt : multiſque ſciſcitantibus, cuinam eam ferrent, identidem, ne quis violaret, Talaſſio ferri clamitatum. [7] inde nuptialem hanc vocem factam. Turbato per metum ludicro, mœſti parentes virginum profugiunt, incuſantes violati hoſpitii fœdus ; Deumque invocantes, cujus ad ſolenne ludoſque, [a] per fas ac fidem decepti, veniſſent. Nec raptis aut ſpes de ſe melior, aut indignatio minor : ſed [8] ipſe Romulus circuibat docebatque *Patrum id ſuperbia factum, qui connubium finitimis negaſſent : illas tamen in matrimonio, in ſocietate fortunarum omnium civitatiſque, & quo nihil*

INTERPRETATIO.

a *Circumventi ſpecie juris divini, & datæ fidei* hoſpitalis :

NOTÆ.

6. *Ad rapiendas virgines.*] Hinc fluxit inſtitutum Romanorum, apud quos poſteà, ut ſcribit Feſtus, rapi ſimulabatur Virgo è gremio matris ; aut ſi mater deeſſet, ex proxima neceſſitudine ; cum è paterna domo ad virum deducebatur. Quis autem fuerit raptarum numerus, inter auctores non convenit. Quidam cum Fabio Pictore non ultra triginta fuiſſe tradunt, quæ Curiis nomina dederint : Valerius Antias ſeptem & viginti ſupra quingentas : Juba & Dionyſius ſexcentas & tres atque octoginta. Raptum hunc Sabinarum anno 4. conditâ urbe contigiſſe Dionyſius idem arbitratur : quòd parum credibile ſit novæ urbis conditorem, rebus nondum conſtitutis tantum facinus eſſe aggreſſum.

7. *Inde nuptialem hanc vocem.*] Romani Thalaſſionem in nuptiis inclamabant, perinde ut Græci Hymenæum : voce à Thalaſſio ſplendido juvene ex primariis Romuli ducibus, deductâ, quemadmodùm noſter innuit, & Plut. tradit. Varro tamen apud Feſt. Pompejum vocis ejus cauſam ad lanificium referebat. *Thalaſſionem* quippe vocabant quaſillum ſive calathum, cujus in lanificiis uſus. Sed quidni in ludis Neptuno Deo marino ſacris, quem idcirco Θαλάσσιον Ποσειδῶ Ariſtophanes vocat : teſſeram à Græco Dei ejuſdem cognomine Romulus petierit, ut juberet à ſuis Thalaſſion invocari ?

8. *Ipſe Romulus circuibat.*] Romulus ſervari caſtas primâ nocte, ac poſtridiè ad ſe adduci juſſerat. Itaque mœſtitiâ dejectos earum animos delinire conatus eſt, raptum ipſarum non ad injuriam, ſed ad conjugium ſpectare dictitans : docenſque morem hunc Græcorum eſſe antiquiſſimum, & qui maximum decus afferret experitis ad nuptias mulieribus. Poſt hæc totidem viros ſelegit, quibus eas in matrimonium dedit, ritu cujuſque puellæ patrio, ignis & aquæ ſocietatem pactus.

carius humano generi ſit, liberum fore. Mollirent modò iras; & quibus fors corpora dediſſet, darent animos. Sæpe ex injuria poſtmodum gratiam ortam: eoque melioribus uſuras viris, quod annixurus pro ſe quiſque ſit, ut quum ſuam vicem functus officio ſit, parentum etiam patriæque expleat deſiderium. Accedebant blanditiæ virorum factum purgantium, cupiditate atque amore: quæ maximè ad muliebre ingenium efficaces preces ſunt.

X. Jam admodum mitigati animi raptis erant. at raptarum parentes tum maxime ſordida veſte, lacrymiſque & querelis civitates concitabant. nec domi tantùm indignationes continebant, ſed congregabantur undique ad Titum Tatium regem Sabinorum: & legationes eò, quod maximum Tatii nomen in his regionibus erat, conveniebant. Cæninenſes, Cruſtuminique & Antemnates erant, ad quos ejus injuriæ pars pertinebat. Lentè agere iis Tatius Sabinique viſi ſunt. Ipſi inter ſe tres populi communiter bellum parant. Nec Cruſtumini quidem atque Antemnates, pro ardore iraque Cæninenſium ſatis ſe impigrè movent. Ita per ſeipſum [1] nomen Cæninum in agrum Romanum impetum facit. Sed effusè vaſtantibus ſit obvius cum exercitu Romulus, levique certamine docet, vanam ſine viribus iram eſſe: exercitum fundit, fugatque: fuſum perſequitur: [2] regem in prælio obtruncat, & ſpoliat. Duce hoſtium occiſo, urbem primo impetu capit. Inde exercitu victore reducto, ipſe cum factis vir magnificus, tum factorum oſtentator haud minor, ſpolia ducis hoſtium cæſi ſuſpenſa, [3] fabricato ad id aptè ferculo, gerens, in Capitolium aſcendit: ibique ea quum ad quercum paſtoribus ſacram depoſuiſſet, ſimul cum dono deſignavit templo Jovis fines, cognomenque addidit Deo: [4] *Jupiter Feretri*,

Urb. cond. an. 5.

NOTÆ.

1. *Nomen Caninum.*] *Canina* oppidum fuit veteris Latii, millibus paſſuum ferè quatuor ab urbe, ut Cluverius ex Strabone conjicit, qui eis Anienem locat. A Cænite conditore dictam ſcribit Feſtus. Eam Siculis olim Aborigines ademerant ex Dionyſio lib. 2. Plutarchus Sabinis adſcribit ob viciniam utriuſque gentis: Holſtenius fuiſſe putat, circa *Monticelli* trans Anienem.

2. *Regem in prælio obtruncat.*] Acronem vocant Valerius Maximus, & alii.

3. *Fabricato ad id aptè ferculo.*] Acron vetus interpres Horatii docet *Fercula* eſſe pulpita in quibus Deorum ſimulacra reponebantur & ferebantur, velut in pompa Circenſi. Hic pro quadam trophæi ambulatorii ſpecie accipi facilè apparet. Hæc triumphorum apud Romanos rudimenta, ubi pompæ agmen claudebat Romulus indutus purpurâ, & laureâ coronatus. Quadrigis invectum addit lib. 2. Halicarn. Sed à Plutarcho refellitur, tum quòd apud optimos auctores primus Tarquinius Priſcus curru triumphaſſe legatur; tum quòd Romuli, hoc trophæum ferentis, effigies, quæ adhuc ſupererant, omnes pedeſtres eſſent.

4. *Jupiter Feretri.*] Jovi hoc templum ſub *Feretrii* titulo dicatum, nomen accepiſſe à *Feretro* ſive *Ferculo* illo, in quo opima ſpolia *Romulus tulerat*, res ipſa loquitur. Plut. tamen à feriendo hoſte deducit. At Feſtus inde appellatum ait quod pacem *ferre* putaretur: ex cujus Templo, inquit, ſumebant ſceptrum, per quod jurarent; & lapidem ſilicem, quo fœdus *ferirent*.

inquit, *hæc tibi victor Romulus rex regia arma fero, templumque iis regionibus, quas modò animo metatus sum, dedico, sedem* 5 *opimis spoliis, quæ regibus ducibusque hostium cæsis, me auctorem sequentes, posteri ferent.* 6 Hæc templi est origo, quod primum omnium Romæ sacratum est. ita deinde Diis visum, nec irritam conditoris templi vocem esse, quâ laturos eo spolia posteros nuncupavit: nec multitudine compotum, ejus doni vulgari laudem. 7 Bina posteà inter tot annos, tot bella, opima parta sunt spolia. adeò rara ejus fortuna decoris fuit.

Urb. cond. an. 6. XI. Dum ea ibi Romani gerunt, 1 Antemnatium exercitus, per occasionem ac solitudinem hostiliter in fines Romanos incursionem facit. raptim & ad hos 2 Romana legio ducta, palantes in agris oppressit. Fusi igitur primo impetu & clamore hostes: oppidum captum. duplicique victoria ovantem Romulum 3 Hersilia conjux precibus raptatum fatigata, orat, ut parentibus earum detur veniam, & in civitatem accipiat: ita rem coalescere concordiâ posse. facilè impe-

NOTÆ.

5. *Opimis spoliis.*] Opimum generaliter ab opibus dicitur quicquid divitiis, magnitudine, aut pinguedine abundat. Itaque *opima spolia* ampla & magnifica Plutarchus interpretatur; qualia sunt quæ Dux duci detrahit.

6. *Hæc Templi origo.*] Ex Livio hic & Halicarn. colligitur Jovis Feretrii Templum fuisse in vertice montis Capitolini, angustum sanè, sed religione sanctissimum. Illud ampliavit Ancus Marcius. Ejus tecta ob vetustatem collapsa Augustus restituit. Testatur Dionysius suo adhuc tempore extitisse vetus ejus vestigium, vix quindecim pedum longitudine.

7. *Bina posteà.*] Ter omnino relata legimus opima spolia ad Livii ætatem, Primò nunc à Romulo: deinde à Cornelio Cosso Tribuno militum an. ur. cond. 318. Tertiò à M. Claudio Marcello an. 542.

1. *Antemnatium exercitus.*] *Antemna* urbs fuit veteris Latii in finibus Sabinorum quasi ante amnem dicta. Cluver. ponit inter viam Nomentanam & Tiburtinam ex Anienem, ut fuisse videatur circa locum *Cem. di S. Agnese*. In tabula locorum celebriorum circa pontem Salarium apud Kircherum, locatur ultra Anienem, ita ut fuerit haud procul *Castello del Bufalo*.

2. *Romana legio.*] *Legio* à *legendo* dicitur, teste Varrone, quia eligebantur milites apud Romanos, ex civibus tantùm. Primò legionem sub Romulo trium millium peditum, trecentorum equitum fuisse constat inter auctores. Sabinis deinde in civitatem ascitis, auctus ad quatuor peditum millia creditur numerus: qui & tempore reip. justus habebatur, ducentis additis. Excrevit bello Macedonico 1. ad sex millia: sed extra ordinem, & Senatus auctoritate. Primus hunc numerum C. Marius privato consilio instituit. Sub Cæsaribus habuit Legio pedites sex millia centum, equites septingentos viginti sex, teste Vegetio.

3. *Hersilia conjux.*] *Hersiliam* uxorem Romuli claro inter Sabinos loco natam quidam apud Halicarn. libr. 2. jam nuptam, sed pro Virgine inter puellas raptam tradidere. Graviores alii auctores eam sua sponte ajebant in urbe mansisse cum filia rapta, quæ ipsi unica erat. Ovid. 14. Metam. fabulatur post Romuli apotheosin, ipsam quoque in Cælites relatam sub nomine *Horæ*. Ennius *Horam* vocat cum aspiratione, quasi à venustate: est enim ὥρα *decor*. Plutarchus in Problem. *Hortum* nominat. Commune cum Quirino Templum habuit.

tratum. Inde 4 contra Cruſtuminos profectus, bellum inferentes. Ibi minùs etiam, quòd jam alienis cladibus ecciderant animi, certaminis fuit. 5 Utroque coloniæ miſſæ. plures inventi, qui propter ubertatem terræ a in Cruſtuminum nomina darent. & Romam inde frequenter migratum eſt, à parentibus maximè ac propinquis raptarum. 6 Noviſſimum ab Sabinis bellum ortum, multoque id maximum fuit. nihil enim per iram aut cupiditatem actum eſt: nec oſtenderunt bellum priùs, quam intulerunt. Conſilio etiam additus dolus. 7 Sp. Tarpejus Romanæ præerat arci. Hujus filiam virginem auro corrumpit Tarius, ut armatos in arcem accipiat. 8 aquam forte ea tum ſacris extra mœnia petitum jerat. Accepti obrutam armis necavere: ſeu ut vi capta potius arx videretur, ſeu prodendi exempli cauſa, ne quid uſquam fidum proditori eſſet. an. 10. Urb. cond.

INTERPRETATIO.

a *In* agrum *Cruſtuminorum* migraturis, *nomen* ſuum adſcribi vellent.

NOTÆ.

4. *Contra Cruſtuminos*.] *Cruſtumerium*, vel *Cruſtumeriam* à *Cruſtumio* vel *Cruſtumia* nihil differre, idemque eſſe Cruſtumerinum & Cruſtuminum agrum, quem Tiberis à Vejente dividit, ex veterum auctorum collatis locis Cluver. demonſtrat: & *Cruſtumerium* ab Albanis conditum ſupra Fidenas in Sabinis ponit, tribus ab Aniene paſſuum millibus, ad Salariam viam, quâ Eretum ibatur. Fuit ad ſiniſtram Tiberis ripam eo tractu, ubi nunc *Marcigliano Vecchio* aut *S. Colomba*, ad Allium fl.

5. *Utroque Colonia miſſa*.] Non tantùm Cruſtumerium, ſed Antemnas quoque & Cæninam, miſſi Romani, qui eas urbes unà cum prioribus incolis habitarent. Medulliam præterea ultrò à Romanis Colonos petiiſſe teſtatur lib. 2. Halicarn. Hinc minùs certum quod refertur à Floro, *pulſo fugatique Vejentes Caninenſium captum ac dirutum eſt oppidum*. Ut legionum ac triumphorum, ita & Coloniarum origo Romulo debetur, quibus ſalutaribus inſtitutis crevit procul dubio, ſtetitque res Romana.

6. *Noviſſimum ab Sabinis*.] Sabinorum nomine hic propriè *intelliguntur*, qui Allium inter & Narem amnes poſiti. Alioqui Cruſtumerini, aliique trans Anienem populi, Sabinis ſæpe connumerantur. Hujus belli utrinque apparatum deſcribit Dionyſ., utque ad Romulum hinc Cælius (à quo poſteà mons Romæ,) inde ex Etruria Lucumo cum ſuis tranſierint, auxilioque fuerint contra Sabinos, quorum copiæ viginti quinque millia peditum impleverint, præter equites penè mille. Romanorum autem exercitus non multò minor fuerit, peditum viginti millium, equitum octingentorum. Cæterum Sabinorum univerſa regio, ab Aniene ad Narem ferè protenſa, quo ab Umbris dividebatur; finitimos præterea hinc Etruſcos habebat Tiberi diviſos, inde Latinos veteres, Æquos, Marſos, Veſtinos, Picentes. Nunc anguſtioribus paulò finibus, *Savina* dicitur, Ducatu Spoletano ad Septemtrionem, Aprutio ulteriori ad ortum clauſa: paretque Romanæ Eccleſiæ.

7. *Sp. Tarpejus Romanæ præerat arci*.] Impoſitus erat hic Tarpejus præſidio Saturnii montis, extra mœnia urbis à Romulo muniti, urbique imminentis. Is mons Tarpejus poſteà dictus eſt à Tarpeja Virgine, de qua mox, ac tandem Capitolinus.

8. *Aquam forte*.] Ad fontem videlicet, ex quo Veſtales aquam haurientes ſacrificium mundabant, manus & pedes lavabant, adyta aſpergebant, ex Plut. in vita Numæ. Paulò aliter narrat hoc Tarpejæ cum Sabinis pactum Dionyſius, quem vide.

Digitized by Google

9 Additur fabula, quod vulgo Sabini 10 aureas armillas magni ponderis brachio lævo, gemmatosque magna specie annulos habuerint, pepigisse eam, quod in sinistris manibus haberent; eò scuta illi pro aureis donis congesta. Sunt qui eam ex pacto tradendi, quod in sinistris manibus esset, 11 directò arma petisse dicant: & fraude visam agere, sua ipsam peremptam mercede.

Urb. cond. an. 11.

XII. Tenuêre tamen arcem Sabini: atque inde 2 posterâ die, quum Romanus exercitus instructus, quod inter Palatinum Capitolinumque collem campi est, compleſſet; non prius descenderunt in æquum, quàm irâ & cupiditate recuperandæ arcis stimulante animos, in adversum Romani subiere. 3 Principes utrinque pugnam ciebant; ab Sabinis Mettius Curtius, ab Romanis 4 Hostus Hostilius. hic 5 rem Romanam iniquo loco ad prima signa animo atque audacia sustinebat. Ut Hostus cecidit,

INTERPRETATIO.

5 *In prima acie, loco acclivi sustentabat* nutantes *Romanorum partes*, &c.

NOTÆ.

9. *Additur fabula.*] Aliàs *fabula*: sed Glar. & Sigon. legunt *fabula*, ut non ea, quæ expositа sunt, sed quæ sequuntur, *fabula* dicantur.

10. *Aureas Armillas.*] Armos argenteis aureisque tegminibus fabrefactis ad ornamentum cingere, militibus solenne; ut in statuis marmoreis aliisque veterum sculpturis apparet.

11. *Directò arma petisse.*] L. Piso apud Halicarn. Scribit voluisse Tarpejam nudatos scutis hostes civibus suis interficiendos objicere; eaque de causâ nuncium noctu ab ea missum ad Romulum: sed nuncium transfugisse ad Tatium, eique consilium Tarpejæ aperuisse. Quæ sequuta sunt, Pisonis sententiam videntur magis adstruere. Etenim non solùm sepulturæ honore tunc eam dignati sunt Romani, sed & montem ipsum de puellæ nomine Tarpejum appellaverunt: quin & solennes deinde inferias ei reddebant.

1. *Tenuere arcem Sabini.*] Romulus, ut jam dixi, vicinos urbi montes fossâ valloque complexus, præsidio quoque muniverat: in primis autem Capitolinum, qui urbi circa Palatinum conditæ ad occasum imminebat è proximo, erarque pro arce præcipua, quantumvis extra pomœrium adhuc positus. Recte igitur apud Florum lib. 1. cap. 1. legeris cum Vineto: *itaque admissis ad mœnia hostibus*: neque Salmasium audieris, reponentem, *admissis intra mœnia hostibus*; eamque lectionem hoc Livii loco frustra firmare contendentem.

2. *Posterâ die.*] Non ita Dionysius; apud quem Sabini arce munitissimâ, & bellici apparatus non exiguâ parte potiti, bellum trahebant, velitationibus contenti. Quin & bis cruento, sed æquo marte inter eos ac Romanos certatum tradit, ante hanc decretoriam pugnam.

3. *Principes utrinque pugnam ciebant.*] Cave, *Principes* hic cum Velcurione intelligas Reges Romulum & Tatium: ipse enim auctor statim subjicit, quinam essent hi Principes; nempe *ab Sabinis Mettius Curtius*, ab *Romanis Hostus Hostilius*, qui primi pugnam ciebant. Ita mox Mettius Curtius ab Sabinis *Princeps ab arce decurrerat*, i, primus.

4. *Hostus Hostilius.*] Tulli Hostilii tertii Romanorum Regis avus, ut infrà cap. 22. Eum Plut. circa lacum Curtium, qui fuit in medio foro, vult cecidisse. Dionys. Lucumonem Tuscum adjutorem Romulo adhibet pro Hostilio. Crediderim illum utroque auxiliatore usum.

consestim

confeſtim Romana inclinatur acies : fuſaque eſt 5 ad veterem portam palatii. Romulus & ipſe 6 turbâ fugientium actus, 7 arma ad cœlum tollens, *Jupiter tuis*, inquit, *juſſus avibus hîc in Palatino prima urbis fundamenta jeci. arcem jam ſcelere emptam Sabini habent. inde huc armati ſuperata media valle tendunt. At tu, pater Deûm hominumque, hinc ſaltem arce hoſtes : deme terrorem Romanis, fugamque fœdam ſiſte. Hic ego tibi* 8 *templum Statori Jovi, quod monumentum ſit poſteris, tua præſenti ope ſervatam urbem eſſe, voveo.* Hæc precatus, veluti ſenſiſſet auditas preces, Hinc, inquit ; *Romani, Jupiter optimus maximus reſiſtere atque iterare pugnam jubet.* Reſtitere Romani, tanquam cœleſti voce juſſi, 9 ipſe ad primores Romulus provolat. Mettius Curtius ab Sabinis princeps ab arce decurrerat, & effuſos egerat Romanos, 10 toto quantum foro ſpatium eſt : nec procul jam à porta Palatii erat, clamitans, *Vicimus perfidos hoſpites, imbelles hoſtes. Jam ſciunt longe aliud eſſe virgines rapere, aliud pugnare cum viris.* In eum hæc gloriantem cum globo ferociſſimorum juvenum Romulus impetum facit. Ex equo tum forte Mettius pugnabat: 11 eò pelli facilius fuit : pulſum Romani perſequuntur. & alia Romana acies audaciâ regis accenſa, fundit Sabinos. Mettius in paludem ſeſe, ſtrepitu ſequentium trepidante equo, conjecit : 12 adverteratque ea

Urb. condit. an. 11.

NOTÆ.

5. *Ad veterem portam Palatii.*] Videtur porta Palatii ea intelligi, quæ forum verſus fuit, *Jannalis* à Jano appellata.

6. *Turbâ fugientium actus.*] Refert Dionyſ. Romulum, cum Sabinos perſequeretur uſque Capitolium, præter alia vulnera, ſaxo è ſuperiore loco in caput graviter ictum, ſemimortuum à proximis relatum eſſe intra mœnia : interea ſuſtentatum à Lucumone cornu ſiniſtrum; donec hic invectus in medios Sabinos; per latus trajectus ceciderit. Tum verò effuſam Romanorum fugam: ſed jam recreatum ex vulnere Romulum, cum juvenum globo, quos ad cuſtodiam urbis reliquerat, erupiſſe, parriumque fortunam confeſtim mutaſſe.

7. *Arma ad cœlum tollens.*] Sublatis ſcilicet in cœlum manibus, quibus arma tenebat : hic enim ſupplicum ferè habitus.

8. *Templum ſtatori Jovi.*] Romulus hoc cognomen Jovi haud dubiè indidit, quòd Romanorum fugam ſtitiſſet, eoſque fugientes ſtare feciſſet. Hoc autem templum, poſt ictum cum Tatio fœdus, Romulus condidit apud portam Mugoniam; ſive in Palatini montis radicibus, è regione ejus loci, ubi poſt ædes Concordiæ.

9. *Ipſe ad primores Romulus provolat.*] Primores à Livio hîc, non tam habitâ ratione dignitatis dicuntur pro optimatibus, quàm ex loco, quem fugâ inhibitâ, reſumptâque pugnâ tenebant, hoſtibus inimicum proximi : quod malim, quàm de iis, qui primi in fuga fuiſſent, interpretari, ut Velcurio facit. Etenim Romulus narratur ſtatim cum ferociſſimorum juvenum globo in Mettium & Sabinos impetum feciſſe.

10. *Toto quantum foro ſpatium eſt.*] Id jam aliis verbis expreſſerat, cum dixiſſet, *quod inter Palatinum Capitolinumque montem campi eſt*; & mox *in media convalle duorum montium*. Nam locus, in quo poſteà *Forum Romanum*, fuit, inter hos duos montes jacebat.

11. *Eò pelli facilius fuit.*] Idcirco, quia ex equo pugnabat : Equeſtris enim pugna minùs ſtabilis, quàm pedeſtris.

12. *Adverteratque ea res etiam Sabinos.*] Id eſt, converterat illuc animos, ocu-

res etiam Sabinos tanti periculo viri. Et ille quidem annuentibus ac vocantibus suis, favore multorum addito animo, evadit. Romani Sabinique in media convalle duorum montium redintegrant prælium. sed res Romana erat superior.

Urb. cond. an. 11. XIII. 1 Tum Sabinæ mulieres, quarum ex injuria bellum ortum erat, 5 2 crinibus passis, scissaque veste, victo malis muliebri pavore, ausæ se inter tela volantia inferre, ex transverso impetu facto, dirimere infestas acies, 3 dirimere iras: hinc patres, hinc viros orantes, *ne se sanguine nefando soceri generique respergerent: 4 ne parricidio macularent partus suos, 5 nepotum illi, liberûm hi progeniem. Si affinitatis inter* 10 *vos, si connubii piget; in nos vertite iras: nos causa belli, nos vulnerum ac cædum viris ac parentibus sumus. melius peribimus, quam sine alteris vestrum viduæ aut orbæ vivemus.* Movet res tum multitudinem, tum duces. Silentium & repentina fit quies. inde 6 ad fœdus facien-

NOTÆ.

losque Sabinorum. Hactenus malè, *averteratque*, ait Lipsius in Tacit. 2. Annal. Verùm pace tanti viri dixerim, nihil admodùm causæ video esse, cur mutanda lectio sit. Periculum quippe Mettii, quod Sabinorum ad se oculos traxerat, eosdem à prœlio *averterat*; atque hoc velle auctorem patet ex eo, quod subjicitur, *redintegrant prælium*.

1. *Tum Sabinæ mulieres.*] Haliearnassei alia ac probabilior longè narratio. Refert vergente sole prœlium diremptum: indeque expertis invicem viribus, sessos utrosque aliquandiu quievisse; nec pugnam resumere ausos, quòd dubium belli eventum timerent; nec mentionem pacis facere, ne victos sese fateri viderentur. Interim Sabinas sinsu Hersiliæ utrosque ad fœdus invitare decrevisse, idque Romulum & Senatum etiam probasse; ac Senatusconsulto permissum ut cognatos adirent, & si matres essent plurium liberorum, partem eorum secum possent adducere. Quo facto Tatium & Sabinos Hersiliæ oratione, cæterarum lamentationibus & luctu habitu, atque infantulorum aspectu commotos, ad inducias & fœdus veniisse.

2. *Crinibus passis.*] Ita legitur in pluribus vetustis codicibus; quod & Gronovio placet, ut quo vocabulo meliores utantur Poëtæ, pro eo quod alii dicunt, *Crinibus sparsis*.

3. *Dirimere iras.*] Mavult Gronovius *delinire iras*; sed quamvis hac voce frequentiùs utantur scriptores in ira sedanda: tamen, cum non de unius, sed de duorum mutuo ira flectenda hic agatur; non malè *dirimendi* voce usus videtur Livius. Ipseque Gronovius non absimilem loquendi formam ex nostro laudat lib. 28. *quòd ab tanta rabie dirimi nequirent*.

4. *Ne parricidio macularent partus suos.*] Tritum est parricidas haberi, non modò qui parentes, sed & qui liberos, aut proximæ cognationis aliquem occiderint. Porro cur Tanaq. Faber necessariò legendum putet, *erharent*, minùs mihi liquet: & sensum, quidquid ei videatur, non absurdè extricaverit, quisquis meminerit, ut rectè factorum gloriam, ita & graviorum scelerum infamiam, ab auctoribus in totam stirpem derivari.

5. *Nepotum illi, liberûm hi progeniem.*] Per progeniem nepotum non intelligit, opinor, eos, qui nascituri ex nepotibus, & liberis; sed ipsorum nepotum ac liberorum (qui jam ex utrisque propagati) multitudinem; quo sensu soboles quoque sumitur. Potuit tamen Hersilia nascituros etiam respicere, quasi parricidii labes ad eorum quoque futurum progeniem, genusque universum maculandum duceret.

6. *Ad fœdus faciendum duces prodeunt.*] Ictum est hoc fœdus circa mediam viam Sacram: erectisque aris, jurejurando

dum duces prodeunt : nec pacem modo, ſed & civitatem unam ex duabus faciunt, regnum conſociant, imperium omne conferunt Romam. Ita 7 geminatâ urbe, 8 ut Sabinis tamen aliquid daretur, 9 Quirites à Curibus appellati. monumentum ejus pugnæ, ubi primum ex profunda emerſus palude 10 equus Curtium in vado Urb. cond. an. 12.

NOTÆ.

firmatum. Quod ita brevitatis ſtudio deſcribit Livius, ut ſtatim in ipſo prælii loco Romulus & Tatius congreſſi, & de pace conveniſſe videantur. Sed ſic accipi debet, ut confeſtim à bello ceſſatum, & per inducias pax compoſita fuerit.

7. *Geminatâ urbe.*] Verè *geminatâ*, tum civium numero, ac Senatorum; tum amplitudine mœnium. Cum Tatio ſanè tres ex Sabinorum genere illuſtriſſimi Viri, Voleſus Valerius, Tullus cognomine tyrannus, & Mettius Curtius Romæ domicilium fixerunt; cumque his cognati & clientes, quos non pauciores indigenis fuiſſe teſtatur Dionyſius. Deducto Senatu mirum ſiluiſſe Livium, cùm Dionyſius idem lib. 2. apertè affirmet, ordinatis poſt fœdus compoſitum rebus, viſum fuiſſe regibus duplicare Patriciorum numerum, allectis in eum ordinem è novorum incolarum numero nobiliſſimis familiis; & ſic Patricios centum ſelectos ſuffragiis Curiarum, adſcriptos fuiſſe ad veterem Senatorum numerum. Tarpejum, ſeu Capitolinum montem ſtatim à pace cum Sabinis initâ, prorupto vallo, quâ parte Palatium & urbem ſpectat, productis muris à Tatio urbi adjunctum cenſet Onuphrius. Verùm à Sabinis cum hoc monte Quirinalem, à cæteris civibus cum Palatino Cœlium habitari cœpiſſe, velut ſuburbia Dionyſius tradit; deinde & hi & cæteri montes, qui ſepticollem Romam fecere, paulatim diverſis temporibus intra pomœria comprehenſi. Veteris hujus Romæ typum adjecta ad finem hujus libri tabella exhibebit.

8. *Ut Sabinis aliquid daretur.*] Pacis hujus leges ità conceptæ ſunt apud Dionyſ. ut *in urbe regnarent pari poteſtate atque honore Romulus & Tatius: atque urbs deductum à Conditore ſervaret nomen; cives verò in univerſum à Tatii patria. Quirites denominarentur. Sabinis, quicunque id cuperent, jus civitatis Romanæ daretur, atque hi communicatis utrinque ſacris, reciperentur in Tribus & Curias.*

9. *Quirites à Curibus.*] Refert Halicarnaſſeus ex Varrone, quo tempore. Aborigines agrum Reatinum habitabant, è nobili puella à Quirino Deo, ſeu genio vitiata, natum eſſe filium Medium nomine, cognomine Fidium, qui re militari excellens *Cures* condidit, appellatione petitâ vel à Quirino, qui pater ipſius dicebatur, vel ab haſta; *Curis* enim, ſive *Quiris* apud Sabinos haſtam ſignificat.

10. *Equus Curtium in vado ſtatuit.*] In hujus loci lectione variant interpretes. Duæ ſunt maximè receptæ lectiones: altera, quam probat Robortellus, *equus Curtium in vado ſtatuit*; altera quæ Glareano placet *equum Curtius in vado ſtatuit*. Utraque ſignificat Curtium, vado in palude reperto, incolumem evaſiſſe. Id, an equi dumtaxat operâ, an inſidentis equitis induſtriâ, ductuque factum ſit, parum, opinor, refert. Quod autem Sigonius mavult; *equum Curtius in vado deſtituit*: Plutarchum ille quidem ſequitur; qui Curtium narrat equo dimiſſo ſe præſenti periculo eripuiſſe. Verùm mirandum non eſt Plutarcho non omnino hic cum Livio convenire. Diverſos auctores ſequuti, diſſentiunt in aliis quoque non rarò. Sabellicus, dum ſcribendum cenſet, *equus Curtium in vado ſtatuit*, à prioris ſcripturæ ſenſu non abſcedit. *Equus* enim ab eo pro *equo* ſumitur, Ennii exemplo, laudati apud A. Gell. lib. 18. cap. 5. Quanquàm *equiris* nomen, ſi vulgari ſignificatione accipias, ſenſum habere poterit non abſurdum, ut nempe Curtius, cum pedes pugnaret, in

ſtatuit, 11 Curtium lacum appellarunt. Ex bello tam triſti lætâ repente pax, cariores Sabinas viris ac parentibus, & ante omnes Romulo ipſi fecit. Itaque 11 quum populum in Curias triginta divideret, 12 nomina earum Curiis impoſuit. Id non traditur, quum haud dubie aliquanto numerus major hoc mulierum fuerit, ætate, an dignitatibus ſuis virorumve, an ſorte lectæ ſint, quæ nomina curiis darent. Eodem tempore & 13 Centuriæ tres equitum conſcriptæ ſunt; 14 Ramnenſes ab Romulo; ab Tito Tatio Titienſes appellati.

Urb. cond. an. 12.

NOTÆ.

Paludem delapſus, equitis auxilio vadum tenuerit. Dionyſius Equi non meminit in hac Mettii pugna.

11. *Curtium lacum appellarunt.*] Locus ille terrâ congeſtâ repletus fuit. Adhuc tamen ex illo caſu vocabatur *Lacus Curtius*, Romani fori meditullium ferè occupans, ex Dionyſio. At noſter nominis hujus originem ad M. Curtium, magis quàm ad Mettium putat referendum lib. 7. cap. 6.

12. *Nomina earum Curiis impoſuit.*] *Curia* à cura dictæ apud Nonnium ex Varrone, quòd nempe in iis, aut per eas, res divinæ aut humanæ curentur. Sumitur *Curia* vocabulum, vel pro una ex triginta partibus in quas Romulus univerſum populum divilit; vel pro æde ſacra, in quam Curiales, id eſt, cujuſque Curiæ cives, ſacrorum præſertim causâ conveniebant: vel pro ædibus publicis, in quibus habebatur Senatus. Diſtinctum autem ſtatim ab ipſis urbis cunabulis populum in tribus tres, pro totidem urbis regionibus, Inque triginta curias, unâquaque Tribu in Curias denas diſtinctâ, narrat Dionyſius Halicarn. lib. 2. Qui tribui cuique præerant, eos Tribunos; qui Curiæ, Curiones appellarunt. Curiæ rurſus in Decurias diſtributæ ſunt, & cuique ſuus præerat Decurio. Cæterùm, quod noſter aliique ſcribunt, Raptarum nomina Curiis à Romulo eſſe impoſita, non immeritò negant Dionyſius ex Varrone & Plutarchus, tum aliis de cauſis, tum eò quòd Curiis non paucis data è locis ipſis ſunt nomina.

13. *Centuriæ tres equitum.*] Eodem quidem cum Curiis ac Tribubus tempore, deſcriptas Equitum Centurias veriſimile admodum videtur. Sed utrumque diu ante aſcitum in regni ſocietatem Tatium ex Dionyſio accuratiſſimo ſcriptore factum erat. Sub initium quippe lib. 2. ait, Senatu conſtituto, Romulum trecentos robuſtiſſimos ex nobiliſſimis familiis delectos circa ſe habuiſſe, commendatos Curiarum ſuffragiis, denos per ſingulas Curias. Hi Celeres dicti, ſive à celeritate miniſterii, ſive à Ducis ſui nomine, qui *Fabius Celer* dictus: Plut. tamen in Romulo ex Varrone inſtitutum illud refert, cum noſtro, ad tempus aſciti in regni ſocietatem Tatii. Porrò diverſæ longè fuerunt Equitum hæ Centuriæ à populi Centuriis, quas poſteà Servius Tullius inſtituit cap. 43. Diverſi quoque hi Equites ab iis, qui ordinem Equeſtrem conſtituerunt in Republica.

14. *Ramnenſes ab Romulo.*] Quæ cognomina Tribuum fuere ex Varrone, Plutarcho, aliis, ea Centuriis equitum Livius aſſignat. Hæc verò invicem conciliaveris, ſi memineris, quot Tribus populi, totidem Equitum Centurias fuiſſe, haſque ex illis decerptas, denis in ſingulas Curias lectis. Unde nihil mirum, ſi unaquæque Centuria Tribûs ſuæ vocabulum retinuerit. Sed quidni potuerint inſtitui ab initio Tribus (quod Dionyſius prodidit,) itemque ex Tribubus decerptæ Centuriæ? Nominibus deinde propriis poſt bellum Sabinum diſtingui, ut Equitum, perinde ac Tribuum quidam à Romulo, (aut alia de cauſa) *Ramnenſes*, ſive *Rhamnes* dicti fuerint: alii *Titienſes* à Tito Tatio; alii denique *Luceres*. Et *Ramnenſes* quidem ex Albanis & Arcadibus orti, ii fuere, qui ante urbem conditam ea loca incolebant, & cum Romulo Palatium & Cælium montem

15 Lucerum nominis & originis cauſa incerta eſt. Inde non modò commune, ſed 16 concors etiam regnum duobus regibus fuit.

XIV. Poſt aliquot annos propinqui regis Tatii legatos Laurentium pulſant. 1 quumque Laurentes jure gentium agerent; apud Tatium gratia ſuorum & preces plus poterant. Igitur illorum pœnam in ſe vertit. nam Lavinii, quum ad ſolenne ſacrificium eò veniſſet, 2 concurſu facto, interficitur. Eam rem 3 minùs ægrè quam dignum erat, tuliſſe Romulum ferunt: ſeu ob infidam ſocietatem regni, ſeu quia haud injuriâ cæſum credebat. Itaque bello quidem abſtinuit: 4 ut tamen expiarentur legatorum injuriæ, regiſque cædes, fœdus inter Romam Laviniumque urbes renovatum eſt. Et cum his quidem inſperata pax erat: 5 aliud multò propius, atque in ipſis prope portis bellum ortum. Fidenates 6 nimis vicinas prope ſe convaleſcere opes rati,

Urb. cond. an. 18.

NOTÆ.

habitarunt: *Titienſes* ex Sabinis ferè, in Capitolino & Quirinali ſedes habuere: *Luceres* reliqui adventitii, circa forum inter Palatium & Capitolium.

15. *Lucerum nominis & originis cauſa incerta eſt.*] Idem *Lucerenſes* dicti. Horum originem incertam eſſe dicit Livius. non quia nulla tradita ſit; ſed quia aliam alii tradentes rem in dubium adduxerunt. Plinius, Plut. Aſconius à *Luco* (Aſylis) Varro à Lucumone (Tuſco) qui Romulo adversùs Tatium pugnanti opem tuliſſe fertur. Alii apud Feſtum a *Lucero* Ardeæ rege nominatos voluerunt, qui & ipſe Romulo tunc auxilium tulerit.

16. *Concors etiam regnum duobus regibus fuit.*] Tradit nihilominùs Plut. in Romulo ſuum cuique ſenatum fuiſſe, quem ſeorſim conſulerent. Uterque communibus auſpiciis adversùs Camerinos bellum geſſerunt, *Cameriamque* antiquam *Aboriginum* primum, deinde Albanorum Coloniam ſubegerunt ex Dionyſ. quod tacuiſſe noſtrum miror.

1. *Cùm Laurentes jure gentium agerent.*] Inter juris gentium præcepta numeratur in primis *Legatorum non violandorum religio*. Pro *Laurentibus*, Lavinienſes Dionyſ. nominat; narratque quoſdam ex Legatis, qui res incurſione Sabinorum Tatienſium raptas repetitum miſſi fuerant, dum re infectâ domum redirent, aliquot Sabinorum inſidiis interceptos: noxioſque deinde à Romulo legatis Lavinienſium traditos, ſed à Tatio per vim ereptos.

2. *Concurſu facto, interficitur.*] Sive Tatius cum Romulo profectus ſit Lavinium, ſacrorum cauſâ, quæ reges oportebat pro ſalute urbis facere, ut Livius & Plutarchus memorant: ſive ſolus eò perrexerit ſuaſurus læſis; ut iras remitterent, quod Licinius apud Halicarn. tradit: conſtat eum poſt quinque annos communis cum Romulo imperii fuiſſe interfectum.

3. *Minùs ægrè.*] Tatium quidem Romulus apud Aventinum tumulavit eo loco, ubi poſteà *Armiluſtrium*: ſed traditos ſibi cædis ejus auctores, velut infontes, dimiſit ex Plut. & Dionyſio.

4. *Ut tamen expiarentur.*] Plutarchus à Romulo purgatas cædes, ait, ſacrificiis quibuſdam piacularibus, quæ adhuc ad fontem Ferentinum celebrarentur (falluntur enim qui portam interpretantur, & πύλην legunt pro πηγὴν.) Idem auctor eſt ortâ Romæ ſimul ac Lavinii peſtilentiâ, & agrorum ac pecoris ſterilitate, aliiſque prodigiis, cognitâ Deûm irâ, expiatam hinc Legatorum, inde Tatii cædem ſupplicio auctorum.

5. *Aliud multò propius.*] Stadiis tantùm 40. ab urbe diſtabant Fidenæ, id eſt, quinque milliaribus: Lavinium autem millibus paſſ. fermè viginti.

6. *Nimis vicinas propè ſe convaleſcere opes.*] Alia hujus belli cauſa prodita eſt à Dionyſ. quòd cum Roma fame laboraret, commeatum, à Cruſtumerinis prono amne miſſum, Fidenates diripuerant.

Urb. cond. an. 28. priusquam tantum roboris esset, quantum futurum apparebat, occupant bellum facere. juventute armata immissa, vastatur agri quod inter urbem ac 7 Fidenas est. Inde ad lævam versi, quia dextrâ Tiberis arcebat, cum magna trepidatione agrestium populantur: tumultusque repens ex agris in urbem illatus pro nuncio fuit. Excitus Romulus (neque enim dilationem pati tam vicinum bellum poterat) exercitum educit: castra à Fidenis mille passuum locat. ibi modico præsidio relicto, 8 egressus omnibus copiis, partem militum 9 locis circa densa obsita virgulta obscuris subsidere in insidiis jussit; cum parte majore atque omni equitatu profectus, id quod quærebat tumultuoso & minaci genere pugnæ obequitando ipsis prope portis, hostem excivit; fugæ quoque, quæ simulanda erat, eadem equestris pugna causam minus mirabilem dedit. & quum velut inter pugnæ fugæque consilium trepidante equitatu, pedes quoque referret gradum; plenis repente portis effusi hostes, impulsa Romana acie, studio instandi sequendique trahuntur ad locum insidiarum. Inde subito exorti Romani, transversam invadunt hostium aciem. Addunt pavorem moca è castris signa eorum qui in præsidio relicti fuerant. ita multiplici terrore perculsi Fidenates; prius penè quam Romulus, quique cum eo equis erant, circumagerent frenis equos, terga vertunt: [b] multoque effusius (quippe verâ fugâ) qui simulantes paulo ante secuti erant, oppidum repetebant. non tamen eripue-

INTERPRETATIO.

a *In locis occultis circum spissa & horrida vimina.*

b *Et* Fidenates, qui effusè portis egressi *paulò antè fugam simulantibus* Romanis *insteterant*; ipsi nunc (*utpotè verè fugientes*) *incitatiùs in oppidum* suum *revolabant*.

NOTÆ.

7. *Fidenas.*] Paulò infra Crustumerium ad lævam Tiberis fluvii fuere *Fidenæ*, magna tunc & populosa urbs, ultra Anienem, in finibus Sabinorum, ubi nunc ruinæ ingentes, non procul loco, cui vulgò nomen *Castel Giubileo*.

8. *Egressus omnibus copiis.*] Ab Sigonio addita est particula, *cum*, quasi minùs Latinè diceretur *egressus omnibus copiis*. Eam tamen particulam omnes meliores libri ignorant, teste Gronovio. Sed quomodò *omnibus copiis*, si præsidium in Castris reliquit? Quia nempe modicum fuit præsidium, ejus vix habendam rationem auctor putavit. Eduxit igitur Romulus omnes fere copias, easque bifariam divisit: partem exiguam in insidiis locavit: majori hostem incautum ad locum insidiarum pertraxit.

9. *Locis circa densa obsita virgulta obscuris.*] Hæc verba, velut in parenthesi posita, obscurum habent sensum, variéque ab interpretibus & luguntur, & explicantur. Sigonius scribit *densa obsita virgulta*, id est, propter densa virgulta circa sita: quod rejicit Turnebus & *densa* interpretatur *densè*. Vellet Gron. *locis circa denso obsito virgulto obscuris*: verùm hæc eodem fermè cuncta recidunt. Nec est quòd nos Epitheorum geminatio moveat, cùm *densa obsita virgulta* dicuntur. Ut enim innumera hujus rei exempla taceam, reperio apud Tullium 1. Tusculan. *Lethi obnubila, obsita tenebris loca*.

re ſe hoſti : hærens in terga Romanus, prius quam fores portarum objicerentur, velut agmine uno [10] irrumpit.

XV. Belli Fidenatis contagione irritati [1] Vejentium animi, & conſanguinitate, ([2] nam Fidenates quoque Etrusci fuerunt) & quod ipſa propinquitas loci, ſi Romana arma omnibus infeſta finitimis eſſent, ſtimulabat; in fines Romanos excurrerunt, populabundi magis, quàm juſti more belli. Itaque non caſtris poſitis, non expectato hoſtium exercitu, raptam ex agris prædam portantes, Vejos rediere. Romanus contrà poſtquam hoſtem in agris non invenit, dimicationi ultimæ inſtructus intentuſque Tiberim tranſit. quem poſtquam caſtra ponere, & ad urbem acceſſurum Vejentes audivere; obviam egreſſi, ut potiùs acie decernerent, quam incluſi, de tectis mœnibuſque dimicarent. Ibi [3] viribus nullâ arte adjutis, tantum veterani robore exercitus, [4] rex Romanus vicit: perſecuruſque fuſos ad mœnia hoſtes, urbe validâ muris ac ſitu ipſo munita abſtinuit: agros, rediens, vaſtat, ulciſcendi magis quàm prædæ ſtudio. Eâque clade haud minùs quàm adverſa pugna ſubacti Vejentes, pacem petitum oratores Romam mittunt. [5] Agri parte mulctatis, [6] in centum annos induciæ datæ. [7] Hæc ferme

Urb. cond. an. 31.

NOTÆ.

10. *Irrumpit*.] Fidenas nunc Coloniam factam Dionyſ. ſcribit, Livius hoc loco omiſit. In Tullo tamen Hoſtilio Coloniam nominat. Cæterùm novum non eſt victore unà cum victis intra mœnia illato urbes capi. Ejus rei vix ullum apud veteres exemplum occurrit, cum nuperâ Valentinarum per milites noſtros Auguſti Regis præſentiâ inflammatos, expugnatione compeſcendum.

1. *Vejentium animi*.] *Vejentes* populi Etruriæ *Vejos* urbem incolebant trans Tiberim ad Septentrionem, centum ab urbe ſtadiis, id eſt, paulò ultra XII. lapidem. Eam urbem non minorem Athenis fuiſſe Dionyſius affirmat, qui hujus belli ordinem exactè depingit. Vejorum ruinæ in ea Etruriæ parte ubi nunc patrimonium Sancti Petri eſt, viſuntur Holſtenio judice in colle præruptо ad Caſtellum Farneſiorum, cui nomen *l'Iſola*, inter diverſorium *la Storta*, quod ei ad ortum; & oppidum *Sereſano*, quod ad occaſum æſtivum eſt ſitum.

2. *Nam Fidenates quoque Etrusci fuerunt*.] Non, ſi Tiberi *Etruria* finiatur. *Fidenarum* enim oppidum cis Tiberim ad lævam fluvii, ultra Anienem tamen. Sed cauſam, vel colorem belli à Vejentibus ex eo petitum refert Plut. quòd *Fidenas* tanquàm juris Vejentani repeterent.

3. *Viribus nullâ arte adjutis*.] Ita Nannius; id eſt, apertâ vi; anteà legebatur, *viribus nullâ parte adjutis*.

4. *Rex Romanus vicit*.] Non uno, ſed duobus prœliis domiti *Vejentes*, quorum poſtremo quatuordecim Vejentium millia, & quod (ſupra fidem) plus mediâ parte ipſius Romuli anna, periiſſe à quibuſdam traditum apud Plut.

5. *Agri parte mulctatis*.] Agro nempe Tiberi contiguo, cui nomen à ſeptem pagis. Juſſi præterea *Vejentes* Salinis abſtinere, quæ circa fluminis oſtia ſunt, & quinquaginta obſides dare.

6. *In centum annos induciæ datæ*.] Novum ſanè genus *Inducianum*, cujus non aliud, opinor, exemplum facilè occurrat. Verùm cum de pacis conditionibus inter bellantes non convenit, ad longiores inducias recurritur. Pari ratione Areopagitæ cauſam arduam, cujus in utramque partem periculoſa deciſio erat, ſic ampliarunt, ut in centeſimum annum proferrent.

7. *Hæc ferme Romulo regnante*.] Belli in Camerinos hic non meminit, quod tamen & memoratur apud Plut. & duplex à Dionyſio deſcribitur.

Romulo regnante, domi militiæque gesta : quorum nihil absonum fidei divinæ originis, divinitatisque post mortem creditæ fuit : non animus 8 in regno avito recuperando, non condendæ urbis consilium, non bello ac pace firmandæ. a ab illo enim profectu viribus datis tantum valuit, ut 9 in quadraginta deinde annos tutam pacem haberet. multitudini tamen gratior fuit quam patribus ; longe ante alios acceptissimus militum animis ; trecentosque armatos ad custodiam corporis, quos 9 Celeres appellavit, non in bello solùm, sed etiam in pace habuit.

Urb. cond. an. 38. XVI. His immortalibus editis operibus, quum ad exercitum recensendum concionem in campo 1 ad Capræ paludem haberet, subitò coorta tempestas cum magno fragore tonitribusque tam denso regem operuit nimbo, ut conspectum ejus concioni abstulerit. 2 nec deinde in terris Romulus fuit. 3 Romana pubes, sedato tandem pavore, postquàm ex tam turbido die serena & tranquilla lux rediit, ubi vacuam sedem regiam vidit ; etsi satis credebat Patribus, qui proximi steterant, sublimem raptum procellâ ; tamen velut orbitatis metu icta, mœstum aliquamdiu b silentium obtinuit. Deinde à paucis initio facto : Deum Deo natum, regem parentemque urbis Romanæ salvere universi Romulum jubent. 4 pacem

INTERPRETATIO:

a *Ex iis progressibus*, quos Romulus fecit.
b *Servavit silentium*.

NOTÆ:

8. *In regno avito recuperando*.] Numitor quidem Romuli avus regnum Albanum ope ipsius recuperavit : at non Romulus sibi. Quin & post Numitoris mortem, Albanæ urbis administrationem populo ipsi Albano permissam à Romulo testis est Plut.

9. *Celeres appellavit*.] De his antè differui ad cap. 13. ubi de tribus Equitum Centuriis. Porro *Celeres* illos à Numa sublatos, teste Plut. alii Reges restituisse videntur ad corporis sui custodiam, revocato Romuli exemplo. Si quidem L. Junius Brutus Tarquinio Superbo rege tribunus *Celerum* fuisse legitur c. ult. hujus libr.

1. *Ad Capræ paludem*.] Antè legebatur *ad Capreæ paludem*, ut vulgò in Floro, & in scriptore de Augusti progenie. Meliores tamen & antiquiores Flori Codices *Capræ* nomen præferunt. Sic Plut. αἰγὸς ἕλος vocat : adjicitque diem, quo videri Romulus desiit, *Nonas Caprotinas* dici, vel fugam populi, quòd multitudo, horridæ procellæ metu consternata, huc illuc confugisset. Utrumque tamen & *Capræ* & *Capreæ paludem* apud veteres dici fatendum est, cum Salmasio in Florum.

2. *Nec deinde in terris Romulus fuit*.] Vivere desiit nonis Quintilibus, id est, septimo Julii die, ætatis anno 55. currente regni anno 38. juxta Plut. post exactos scilicet 37. secundùm Halicarn.

3. *Romana pubes*.] *Plebem* intelligit, ac præsertim militarem multitudinem. *Pubem* autem dicit, quoniam neque ad Comitia, nisi *puberes* ; neque ad militiam, nisi post plenam pubertatem vocabantur.

4. *Pacem precibus exposcunt*.] Pacem dicit pro venia, seu favore pacati ac propitii numinis, ut apud Virg. 4. Æn.

Principio delubra adeunt, pacemque per aras
Exposcunt.

Et ipse mox cap. 31. *Si pax, veniaque ab Diis impetrata esset*.

precibus

precibus expoſcunt, uti volens propitius ſuam ſemper 5 ſoſpitet progeniem. Fuiſſe credo tum quoque aliquos, qui diſcerptum regem Patruum manibus taciti arguerent: manavit enim hæc quoque, ſed perobſcura fama. Illam alteram admiratio viri & pavor præſens nobilitavit. Conſilio etiam unius hominis addita rei dicitur fides. namque 6 Proculus Julius ſolicitâ civitate deſiderio regis, & infensâ Patribus, gravis, ut traditur, quamvis magnæ rei auctor, in concionem prodit. *Romulus*, inquit, *Quirites, parens urbis hujus, prima hodierna luce cœlo repente delapſus, ſe mihi obvium dedit. quam perfuſus horrore venerabundusque aſtiti ſſem, petens precibus, ut contra intueri fas eſſet; abi, nuncia*, inquit, *Romanis, cœleſtes ita velle, ut mea Roma caput orbis terrarum ſit: proinde rem militarem colant, ſciantque, & ita poſteris tradant, nullas opes humanas armis Romanis reſiſtere poſſe. hæc*, inquit, *locutus, ſublimis abiit.* Mirum, quantùm illi viro, nuncianti hæc, fidei fuerit; quamque deſiderium Romuli apud plebem exercitumque, facta fide immortalitatis, lenitum ſit.

XVII. Patruum interim animos certamen regni [a] ac cupido verſabat. nec dum [1] à ſingulis, quia nemo magnopere eminebat in novo po- Urb. cond. an. 39.

INTERPRETATIO.

[a] *Certamen de regno, & regni cupiditas agitabat.*

NOTÆ.

5. *Soſpitet progeniem.*] Romuli progeniem hic pro Romanis, non ex eo genitis, ſed in urbe ab eo conditâ degentibus natiſve accipe; eadem nimirum ratione, quâ paulò antè, & paulò poſt Romulus dicitur *parens urbis*. Nam liberorum ejus, (quos nullos reliquit, teſte Dionyſio) nulla populum cura tangere potuit.

6. *Proculus Julius.*] Plut. in Romulo hunc *Julium Proculum*, ait inter Patricios clarum fuiſſe; & quòd inter primos Alba Romam migraſſet, eo valde familiariter uſum Romulum. Quidam Romuli fuiſſe cognatum tradunt, Aſcanio ortum. Cæterùm mirum videri meritò poteſt, omiſſum hic eſſe ab auctore, quod à Plut. Floro, & aliis ferè omnibus traditur, Romulo ædem in Colle Quirinali, ubi à Proculo viſus ferebatur, conſtitutam; eumque pro numine cultum mutato nomine (ut in apotheoſibus fiebat) *Quirinum*, velut ipſius juſſu appellatum. Verùm non ille primus ſub nomine Quirini divinos honores eſt ſortitus: ſi quidem, quem Græci Enyalium, Sabini diu ante Romuli tempora, *Quirinum* vocabant, colebantque. Romuli in Deos relati effigiem Nummi veteres ſic exprimunt:

1. *A ſingulis, &c. pervenerant.*] Lipſius ex optimis codicibus legit, *pervenerant factionibus*: Unde illi valdè placet conjectura, Geor. Gravii ſic corrigentis: *nec dum ad ſingulos, quia nemo magnopere eminebat in novo populo, pervenerat* (in-

Urb. cond. an. 39. pulo, [a] pervenerant [2] factiones: [3] inter ordines certabatur. oriundi ab Sabinis, ne, quia poſt Tatii mortem ab ſua parte non erat regnatum [4] in ſocietate æqua, poſſeſſionem imperii amitterent, ſui corporis creari regem volebant. Romani veteres [5] peregrinum regem aſpernabantur. In variis voluntatibus, [b] [6] regem tamen omnes volebant, libertatis dulcedine nondum experta. Timor deinde Patres inceſſit; ne civitatem ſine imperio, exercitum ſine duce, multarum circa civitatum irritatis animis vis aliqua externa adoriretur: & eſſe igitur aliquod caput placebat: & nemo alteri concedere in animum inducebat. [7] Itaque rem inter ſe [8] centum Patres, [9] decem decuriis fa-

INTERPRETATIO.

b *Regem è ſuorum numero eligi.*

NOTÆ.

tellige certamen & cupido regni) *factionibus inter ordines certabatur*. Verùm ſi hæc ſententia probatur, nihil vetat retineri pluralem numerum, id eſt, *pervenerant*, atque ad certamen & ad regni cupidinem, velut ad duo diverſa referri. Ego, ſi quid mutandum ſit, malim leviſſimâ mutatione ſcribere *à ſingulis &c. pervenerant factiones*: ita ut hæc fuerit Livii mens, nondum illis temporibus factiones à ſingulis (ſibi privatim conſulentibus) ortas fuiſſe; quemadmodum poſteà factum, cùm factionum capita ſibi quiſque imperium quærere cœperunt.

2. *Factiones.*] Contentio & diſcordia optimatum propriè factio dicitur, ſeditio vulgi, inimicitiæ privatorum, bellum hoſtium.

3. *Inter ordines certabatur.*] An inter Romanum & Sabinum, ut interpretatur Velcutio? At hoc certamen nationum eſſet, non ordinum. Sed cùm appareat duplicem fuiſſe contentionem, alteram Inter Senatores ipſos, hinc veteres Romanos, inde Sabinos; alteram inter plebem & Senatum: ordinum nomen, quod propriè diverſos hominum in rep. gradus ſignificat, ad hoc poſterius certamen pertinens, ad nationum quoque inter Patricios diſcordiam trahi poteſt.

4. *In ſocietate æqua.*] Fœdus æquale Sabinos inter & Romanos compoſitum, videbatur exigere, ut, Tatio interempto, alius ex Sabinorum gente ſubrogaretur, qui pari cum Romulo poteſtate regnaret. Quod cum factum non eſſet, Sabini è ſuis aliquem creari regem poſtulabant, ut ſi non unà cum Romano, ſaltem alternis unus è numero ipſorum ad regnum vocaretur, ne omnino exciderent regni poſſeſſione. Contrà verò Romani veteres contendebant regiam poteſtatem Tatio ſoli delatam, non Sabinorum genti, quæ cum Romana coaluiſſet.

5. *Peregrinum regem.*] Si non jam domicilio, (quando Sabinorum pars Romam migraverat) ſaltem origine.

6. *Regem tamen omnes volebant.*] Quidam codices habent *regnare*, quod mutabat Lipſius in paſſivum *regnari*. Et Tacitus quidem *regnari* gentes dixit non ſemel, & notter in fine hujus libri *Regnatum Romæ ab condita urbe*. Sed quid attinet ſubjicere minùs uſitatam phraſin (*regnari volebant*) loco notiſſimæ *regem volebant*, quæ eamdem omninò vim habet?

7. *Itaque rem inter ſe conſociant.*] Societatem imperii tenendi omnes Senatores ineunt, ut ſuâ quiſque vice ſuoque ordine, ſummæ rerum præeſſent.

8. *Centum patres.*] Imò ducenti, ad centum primos adjectis totidem poſt Sabinos in civitatem receptos, ſi qua fides Dionyſio, qui hic quoque nominatim ducentos notat. Plutarchus inter

ctis, ſinguliſque in ſingulas decurias creatis, qui ſummæ rerum præeſſent, conſociant. decem imperitabant, unus cum inſignibus imperii & lictoribus erat; quinque diorum ſpatio finiebatur imperium, 10 ac per omnes in orbem ibat: 11 annuumque intervallum regni fuit. id ab re, quod nunc quoque tenet nomen, Interregnum appellatum. Fremere deinde plebs, multiplicatam ſervitutem, 12 centum pro uno dominos factos: nec ultra niſi regem, & ab ipſis creatum, videbantur paſſuri. Quum ſenſiſſent c ea moveri Patres; offerendum ultro rati, quod amiſſuri erant, 13 ita gratiam ineunt, 14 ſumma poteſtate populo permiſsâ, ut non plus darent juris, quàm re- Urb. cond. an. 39.

INTERPRETATIO.

c *Hæc agitari.*

NOTÆ.

Livium & Dionyſium velut medius, Centum quinquaginta Senatores poſt Romuli mortem numerat: ſive quòd quinquaginta dumtaxat adjecti ex fœdere Sabino fuerant: ſive quòd in locum eorum, qui poſteà mortui eſſent, nullum ſublegerat Romulus.

9. *Decem Decuriis factis.*] *Decuria* nomen variè ſumitur: plerumque pro decima parte centuriæ aut Urbanæ, aut militaris. Hic autem numerum ſignificat decem Senatorum, factâ totius ordinis diſtributione inter ſe conjunctorum; penes quos eſſet ſumma reip. adminiſtratio. Si plures centum Senatoribus fuere, plures quoque decem decuriis factas oportet.

10. *Ac per omnes in orbem ibat.*] Id ſic explicat Dionyſius, ut ſelecti illi Senatores non ſimul, ſed unus poſt alium quinis diebus lictores haberent, cæteraque inſignia regia; quæ velut per manus traderentur à primo deinceps uſque ad ultimum: ita ſcilicet ut apud unamquamque decuriam quinquaginta dies manoret reip. adminiſtratio. At Plutarchus ſic accipit, quaſi unius cujuſque decuriæ imperium quinque diebus finiretur, unoquoque Senatore nonniſi dimidium diem inſignia retinente; ſex horis diurnis, totidemque nocturnis. Dionyſii ſententiæ favet quòd Interregis cujuſque quinqueduanum poſteà in rep. fuit imperium, ut vel ex noſtri lib. 3. cap. 7. colligas: qui uſus ab hoc exemplo ſine dubio manavit.

11. *Annuumque intervallum.*] Non igitur per omnes Senatores, ac ne per omnes quidem Senatorum decurias ambalavit hæc quinque dierum poteſtas; ſi Dionyſii rationem ſequamur. Verùm, quod noſter ait *imperium* &c. *per omnes in orbem ibat* ad mentem Senatorum referri poteſt, qui initio ita decreverant; non ad id, quod reverà geſtum eſt: cùm ob plebis murmura ad regem eligendum compulſi ſint, nondum orbe peracto, ſecundum Dionyſium. Quòd ſi Plutarchi ratio magis placeret, tunc interregni honor per omnes decurias omneſque Senatores ſæpius ambulaverit; idque variè prout horum numerus fuit.

12. *Centum pro uno dominos factos.*] Nam & qui ſe paulò poſt imperaturos confidebant, jam tum animos dominantium induebant, non minùs quàm ii, penes quos imperium erat. Cæterùm ſive Dionyſium, ſive Plutarchum ſequamur, non modò centum, ſed vel ducenti, vel ſaltem centum quinquaginta, ut Senatores, ita domini erunt.

13. *Ita gratiam ineunt.*] Intellige à plebe; cujus nihilominùs nomen exprimendum auctor non cenſuit, ſtatim populi mentionem facturus.

14. *Summa poteſtate populo permiſsâ.*] Halicarnaſſeus arbitrium delatum populo à Senatu ait ordinandæ reip. ſive per regem, ſive per annuos magiſtratus adminiſtrari mallet.

tinerent. decreverunt enim, ut cum populus regem jussisset, id sic rātum esset, si Patres auctores fierent: hodieque in legibus magistratibusque rogandis A 15 usurpatur idem jus, vi adempta. 16 priusquam populus suffragium ineat, in incertum comitiorum eventum Patres auctores fiunt. 17 Tum interrex concione advocata: *Quod bonum, faustum, felixque sit*, inquit, *Quirites, regem create: ita Patribus visum est. Patres deinde, si dignum, qui secundus ab Romulo numeretur, creaveritis, auctores fient.* Adeo id gratum plebi fuit, ut ne victi beneficio viderentur, id modo scisserent, juberentque, *ut Senatus decerneret*, d *qui Romæ regnaret.* §.

Urb. cond. an. 39. XVIII. Inclyta justitia religioque, eâ tempestate, 1 Numæ Pompilii erat. 2 Curibus Sabinis habitabat, 3 consultissimus vir, ut in illa quisquam ætate esse poterat, omnis divini atque humani juris. Auctorem doctrinæ ejus, quia non extat alius, falso 4 Samium Pytha- 10

INTERPRETATIO.

d *Ut decreto suo Senatus* eum *nominaret, qui Roma esset regnaturus.*

NOTÆ.

15. *Usurpatur idem jus, vi ademptâ.*] Gronovius rectè, ni fallor, intelligit ademptam Senatui vim in irritum deduceudi, quæ sine ipsius auctoritate à populo fiant: atque ita hunc locum interpretatur. nostro etiam ævo, (id est, Livii) in Comitiis legum & magistratuum, si res ordine geratur, non refertur ad populum nisi ex auctoritate Senatus: ità tamen ut, si populus aliud jubeat, quàm Senatui visum sit; non idcirco inutile fiat quod actum est, quemadmodùm olim.

16. *Priusquàm populus suffragium ineat.*] Sub Regibus populi Comitia auctoritate Senatus accedente confirmanda ex post facto erant: Contrà verò posterioribus temporibus ex lege Publilia, de qua post lib. 8. cap. 12. antecedebat Senatus auctoritas, sive ut Græci vocant, προβούλευμα: ita ut populos necessitas non incumberet Senatus auctoritatem sequendi; sed populi scita, etiam contraria, vim suam absque novo Senatus interventu obtinerent.

17. *Tum interrex.*] Dicebatur *Interrex*, qui rege vitâ functo ante quàm novus eligeretur, regis vicem obibat. Mansit posteà hæc appellatio etiam sub Consulum imperio.

18. *Quod bonum, faustum.*] Hac formâ utebantur boni ominis causâ Magistratus Romani in edictis plerisque, & quoties cum populo agebant.

1. *Numæ Pompilii.*] Is Pomponii filius erat, fratrum quatuor minimus; Tatii regis gener ductâ in uxorem Tatiâ filiâ ejus unicâ, jamque fermè quadragenarius, auctore Plut.

2. *Curibus. Sabinis.*] *Cures* urbs Sabinorum olim primaria fuit, ac Tatii regia: quo Romam commigrante, multos tamen Sabinorum in hac veteri patria fuisse commoratos probat ipse Numa cum tota familia, quæ princeps ejus loci, aut è principibus. Hæc urbs apud Claverium millibus passuum viginti quinque, aut paulò amplius dissita erat ab urbe Roma, ubi nunc monasterium vulgari appellatione dictum, *Il Vescovio di Sabina*, viâ Salariâ, non procul Reate. Sed probabiliùs Holstenius *Cures* collocat, ubi nunc *Coresse* juxta monasterium Farfense, tertio à civitate Reatina, vigesimo ab urbe milliari. *Coresse* autem deflexum à *Curensi*, intellige, oppido.

3. *Consultissimus vir.*] Consultus & J. Consultus propriè dicitur, *qui legum & consuetudinis ad respondendum & ad cavendum peritus est*, uti definit Tullius 1. de Orato.

4. *Samium Pythagoram.*] Pythagoras ex Heraclidis Bacchiadis, Corintho profugis, apud Samum ortus, patriâ à Polycrate tyranno ejusque deinde fra-

goram edunt : quem , Servio Tullio regnante Romæ , centum amplius poſt annos, in ultima Italiæ ora circa 5 Metapontum 6 Heracleamque 7 & Crotona, 8 juvenum, æmulantium ſtudia, cœtus habuiſſe conſtat . Ex quibus locis, etſi ejuſdem ætatis fuiſſet, a 9 qua fama in Urb. cond. an. 39.

INTERPRETATIO.

a *Qua* nominis ſui *famâ* uſque *ad Sabinos* perlatâ, *quove ſermonis uſu mutuo* | *potuiſſet quempiam ad cupidinem* à ſe aliquid *addiſcendi excitare?*

NOTÆ.

tre occupatâ, Crotonem magnæ Græciæ in Italia urbem ſeceſſit, ubi auctor fuit Philoſophiæ Italicæ : ſed non niſi poſt Olympiadem 50. regnante jam apud Romanos Servio Tullio, aut etiam Tarquinio ſuperbo, in Italiam venit, ut Cicero cenſet lib. 1. Tuſcul. quæſt. qui eumdem in Italia vixiſſe air iis temporibus, quibus L. Junius Brutus patriam liberavit. Unde à noſtro, itemque à Dionyſ. & Plut. refellitur eorum ſententia, qui Numam illo auctore philoſophatum volebant; in quibus Ovidius 15. Metamorph. Duo ſunt, quæ cauſam errori præbuerunt: alterum, quòd Hiſtorici quidam veteres regnum ab Numa Romæ inchoatum notarent, eâ Olympiade, quâ victor renunciatus eſt Pythagoras . Verum hic Pythagoras Lacedæmonius fuit pugil, longè diverſus à Samio philoſopho: alterum, quòd nonnulla in Numæ diſciplina & moribus occurrunt à Pythagoræ philoſophi inſtitutis haud aliena; in primis autem frugalitas, & famæ arcanis artibus quærendæ ſtudium. Sed hi, ſive prudentiæ, ſive arrogantiæ partus, nec unius nationis aut ſæculi ſunt; & ex Laconum inſtitutis aliquid uterque ſeorſim haurire potuit. Sabini quippe Spartanorum profugis immixti: Pythagoras autem Lacedæmonem adierat, & Crotone in Laconum colonia diù vixit.

5. *Metapontum*.] Urbs magnæ Græciæ ad ſinum Tarentinum in ora Lucaniæ, Metabum anteà dicta, tribus paſſuum millibus ab Oſtio Caſventi amnis, ubi nunc, *Torre di mare*. Pyliorum opus fuit. Eò Pythagoras relictâ Crotone tranſiit, ibique fato conceſſit.

6. *Heracleamque*.] Heraclea hæc à Tarentinis, non procul Siris amnis oſtio, condita fuit in magnâ quoque Græcia oraque Lucaniæ. Siris verò urbs ad fluvii cognominis oſtium, Trojanorum ab initio colonia, tranſiit in Heracleotarum navale: harumque urbium nomina ob viciniam confunduntur à Plinio. Fuit Heraclea eâ ferè regione ubi nunc *Amendolara*, milliaribus circiter 18. infrà Baſilicatæ oppidum *Turſi*.

7. *Et Crotona*.] Fuit *Croton* magnæ Græciæ urbs olim celeberrima in ora Brutiorum, ſupra Lacinium promontorium ad Æſari amnis oſtia; nomen ferè ſervat in ora Calabriæ ulterioris ; diciturque vulgò *Crotone:* Latinis *Croto*, vel *Crotona*.

8. *Juvenum, æmulantium ſtudia*.] *Æmuli*, & *æmulantes* pro ſectatoribus, accipiuntur; veluti apud Cic. pro Muræna. *Ille æmulus atque imitator ſtudiorum meorum*. Et apud eundem: *Zenonis inventorum æmuli* Stoïci nominantur.

9. *Qua fama in Sabinos*.] Omnes Mss. Conſtanter in nominandi caſu habent: *qua fama in Sabinos*. Ubi facilè ſuppleas *perveniſſet*, aut *manare potuiſſet:* quâ ratione omnia ſatis plana erunt; ut opus non ſit emendatione Sigonii, qui mavult *qua fama* in auferendi caſu. Præſertim cum ſic quoque ſupplendum aliquid veniat : ut in ſuperiori noſtra interpretatione videre eſt . Nec tamen hæc, ſive locorum diſtantia, ſive linguæ diverſitas tanta inter Crotoniatas aut Metapontinos , & Sabinos fuit , ut inter utroſque nullum potuerit eſſe commercium . Locorum intervallum inter Cures & Metapontum minus eſt 220. paſſuum millibus, vix decem dierum iter. Origo deinde Sabinis , eorumve parti, perinde ac Crotoniatis Laconica (uti Dionyſius & Plut. obſervant) ſermonis, morumque affinitatem, & mutui inter eos commercii uſum inducere poterat .

Digitized by Google

Urb. cond. an. 39.

Sabinos, aut quo linguæ commercio quemquam ad cupiditatem discendi exciviſſet? quove præſidio unus [10] per tot gentes, diſſonas ſermone moribuſque, perveniſſet? Suopte igitur ingenio temperatum animum virtutibus fuiſſe opinor magis; inſtructumque non tam peregrinis artibus, quam [11] diſciplinâ tetricâ ac triſti veterum Sabinorum: quo genere nullum quondam incorruptius fuit. Audito nomine Numæ, Patres Romani, quamquam inclinari opes ad Sabinos, rege inde ſumpto, videbantur: tamen neque ſe quiſquam, nec factionis ſuæ alium, nec denique Patrum aut civium quemquam præferre illi viro auſi, ad unum omnes Numæ Pompilio [12] regnum deferendum decernunt. [13] Accitus, ſicut Romulus [14] augurato urbe b condenda regnum adeptus eſt, *de ſe quoque Deos conſuli* juſſit. inde ab augure (cui deinde, honoris ergo, publicum id perpetuumque ſacerdotium fuit) deductus in arcem, in lapide ad meridiem verſus conſedit. [15] Augur ad lævam ejus, capite velato ſedem cœpit, dextra

INTERPRETATIO.

b *Quo tempore urbs condebatur.*

NOTÆ.

10. *Per tot gentes diſſonas.*] Ne hic quidem intelligo, quæ tanta ultrò citroque commeandi fuerit difficultas, ſi cætera concurrerent. Si quidem Sabinorum ſoboles fuere Samnites in plura nomina, generave diſtincti; exque his Campani ac Lucani (apud quos Metapontum;) ex Lucanis orti Brutii (in quorum finibus Croton,) uti conſtat ex Varrone lib. 6. de lin. Lat. Strabone lib. 5. & 6. Juſtino lib. 23. Quin, hoc eodem tempore, Lucani iiſdem legibus liberos ſuos inſtituebant, quibus Spartani, Enniuſque apud Feſtum Brutates, *Bilingues* dixit, quia Brutii & Græcè & Oſcè loqui ſoliti ſint.

11. *Diſciplinâ tetricâ ac triſti.*] Non querulâ, ſed ſeverâ: ad quam alludens Virgilius 8. Æneid.

—Tatioque ſeni, Curibuſque ſeveris.

12. *Regnum deferendum decernunt.*] Poſtquàm Regis deſignatio à plebe ad Senatum rejecta eſt, ingens fuit inter veteres & novos Senatores contentio. Tandem novi hanc veteribus conditionem tulerunt, ut vel ipſi veteres ex Sabinis, vel hi ex priſcis Romanis, neutri ex ſuo corpore regem dicerent. Acceptâ priori conditione veteres in Numam conſenſerunt, Sabinum quidem illum, ſed non ex eorum numero, qui Romæ erant, nec factioni adverſæ immixtum; qui nihilominus ob virtutem eximiam omnibus probatus eſt. Eum itaque Regem pro concione pronunciavit interrex Spurius Vettius, ex Plut.

13. *Accitus.*] Hujus legationis principes Julius Proculus è veterum, & Voleſus è novorum Senatorum numero, ſuæ quiſque factionis duces. Eorum poſtulatis non ſtatim aſſenſum Numa præbuit, regni incommoda, privati otii dulcedinem, aliaque cauſatus: donec patris, fratriſque & Martii ſodalis intimi adhortationibus ſuſcipiendum ſibi onus decrevit.

14. *Auguratò urbe condenda.*] Non de urbe modò condenda, antequàm muri deſignarentur, ſed de regno quoque capeſſendo, dum urbs conderetur, ſive poſtquàm condi cœperat, Deos augurio conſuli voluit Romulus; quod Dionyſius ſcribit, Livius eo loco prætermiſſum, hic reddit. Nam illud *auguratò regnum adeptus eſt*, ad Romulum referri debet; quæ ſequuntur, *de ſe quoque*, ad Numam.

15. *Augur ad lævam ejus capite velato.*] Rhodiginus hunc locum ſic diſtinguebat, *Augur ad lævam, ejus capite velato; ac*

mánu baculum ſine nodo aduncum tenens, [16] quem lituum appellaverunt. inde ubi, [17] proſpectu [18] in urbem agrumque capto, Deos precatus, regiones ab oriente ad occaſum determinavit; [19] dextras ad meridiem partes, lævas ad ſeptentrionem eſſe dixit. [c] Signum contrà, quò longiſſime conſpectum oculi ferebant, animo finivit. Tum [20] lituo in lævam manum translato, dextrà in capite Numæ impoſita, Urb. cond. an. 39.

INTERPRETATIO.

c Ex adverſo, quàm longiſſimè oculi proſpicere poterant, Signum notavit.

NOTÆ.

intelligeretur Numæ caput obtectum, non auguris. Quâ de re digladiantur invicem Sigonius & Robortellus. Sed quidni uterque velato capite fuerit; & Numa, de quo ita Plutarchus diſertè affirmat, & Augur ex diſciplina? Et verò Accii auguris ſtatua in comitio poſita fuit capite velato. cap. 36. hujus libri.

16. *Quem lituum appellaverunt.*] Nomen eſt virgæ auguralis, ſeu bacilli à ſummo leviter inflexi, quo augures ad deſignanda cœli ſpacia utebantur, neque enim manu ea notare ex diſciplina licebat. Dictus eſt *Lituus* ex ſimilitudine cum bellico lituo, ſive buccina.

17. *Proſpectu.*] Oportebat enim ut ex loco per augurem delecto, liber in omnes cœli partes aſpectus pateret. Ideoque nec niſi ſereno cœlo auguria capiebantur; & interdum augures ea, quorum altitudo proſpectui obeſſet, dejici jubebant.

18. *In urbem, agrumque.*] Ita Cic. 2. de leg. *Augures urbemque & agros, & templa liberata, & effata habento.* Id eſt, libero hinc inde proſpectu, ac definitis certâ verborum conceptione regionibus. Aliud autem in urbanis auſpiciis ſervabatur, aliud in iis, quæ ex diverſis agri generibus, Romano, Gabino, peregrino, hoſtico, incerto, caperentur. Quæ petebantur ex arce, finiebantur ferè pomœrio.

19. *Dextras ad meridiem partes.*] Hanc diſtinctionem deridet Arnobius lib. 4. adverſus gentes, quod in rebus ipſis non ſit. Etenim pro vario poſitu noſtro quævis regio dextra eſſe poteſt, & ſiniſtra. Si Septentrionem reſpicianus, ubi nos inter æquatorem & polum arcticum poſiti, ſuperius locamus hemiſphærium: tunc poſt Pythagoram, Platonem, Ariſtotelem laudatos à Plutarcho de placitis Philoſophorum, *dextram* mundi plagam Orientalem eſſe dicemus, Occiduam verò *lævam*. At in auguriis & rebus divinis, quas peragant,

Ad ſurgentem converſi lumina ſolem:

Dextrâ ad meridiem, ſunt; lævâ ad Septentrionem, ut hic apud Livium. Nec tamen ex Augurum placitis eandem ſemper vim habent auſpicia, quæ ex eadem parte viſuntur. Ut enim Cicero tradit 2. de divinat. *Aliis à dextra, aliis à læva datum eſt avibus, ut auſpicia faciant: & fulmen ſiniſtrum auſpicium optimum habetur in aliis præter quàm ad Comitia.* Iam hoc loco recte monet Glareanus *dextras partes*, de augure intelligi debere, qui Orientem ſpectabat, Dionyſio auctore; non de Rege, qui in meridiem verſus, ut hic Livius habet.

20. *Lituo in lævam.*] Auguris non idem aſpectus eſſe potuit toto inaugurationis tempore. Initio enim, cum ad lævam Regis ſedem cœpit cœli regionibus deſignandis ab Oriente ad occaſum, converſus ad meridiem fuerit oportet, perinde ac Rex. At ubi preces concipiendæ, aviumque volatus aſpiciendus fuit: tunc lituo in lævam translato, dextrâque capiti Regis impoſitâ, Orientem ſpectavit ex lege Augurali. Quo ſitu, ad Regis dexteram poſitus, Meridiem dextrum habuit, Septentrionem ſiniſtrum: uti ex ſubjecto ſchemate intelligi poterit.

Digitized by Google

precatus est ita: *Jupiter pater*, [21] *si est fas, hunc Numam Pompilium, cujus ego caput teneo, regem Romæ esse, uti tua signa nobis* [22] *certa ac clara sint inter eos fines, quos feci.* Tum peregit verbis [23] auspicia, quæ mitti vellet; quibus missis, declaratus rex Numa [24] de templo descendit.

Urb. cond. an. 40. XIX. Qui [1] regno ita potitus urbem novam, conditam vi & armis jure eam legibusque ac moribus de integro condere parat. quibus

NOTÆ.

21. *Si est fas.*] Propriè *fas* dicitur, quod jure divino licet.

22. *Certa ac clara sint.*] Sigonius ex Vetusto quodam libro legebat, *ut tua signa nobis certa acclaræsint*. Et quamvis repugnet Robortellus, non desunt codices, qui sic habeant. In aliis scriptum est, *uti tu signa nobis certa acclaræsis* ut *acclarare* dicatur pro declarare, & *acclaræsis* pro declaraveris: quod vetus verbum in solenni precatione usurpari, non est extra Livii morem: Et clarare quidem apud Lucretium aliosque occurrit: apud Cic. etiam ex prisco Poeta,

Jupiter excelsâ clarabat sceptra columnâ.

Sed acclarandi verbum an alibi exstet, haud equidem scio.

23. *Auspicia quæ mitti vellet.*] Fortè ex quo avium præpetum genere.

24. *De Templo descendit.*] De arce, sive loco, ubi augur contemplatus fuerat auspicia. Hæc enim auspiciorum loca templa dici, quemadmodum & Cœli regiones in id designatas, docet Varro lib. 6. de Lingua Latina, ut supra cap. 7. est observatum.

1. *Regno ita potitus urbem.*] Id sine interpunctione sic accipe, ut Numa regni titulo regiâque potestate Romam urbem novam obtinens, eam legibus velut denuo condere statuerit. Alioqui redundabit inepte pronomen *eam*: quod & apud Becharium deest.

quum

quum inter bella [2] assuescere videret non posse, (quippe efferatis militia animis,) mitigandum ferocem populum armorum desuetudine ratus, [3] Janum ad infimum [4] Argiletum, [5] indicem pacis bellique fecit: [6] apertus, ut in armis esse civitatem; clausus, pacatos circa omnes populos significaret. [7] Bis deinde post Numæ regnum clausus fuit: semel [8] T. Manlio consule, post Punicum primum perfectum bellum: [9] iterum, quod nostræ ætati Dii dederunt ut videremus, post bellum Actiacum, ab Imperatore Cæsare Augusto, pace terrâ marique partâ. Clauso eo, quum omnium circa finitimorum sociotate ac fœderibus junxisset animos, positis externorum periculorum curis, ne luxuriarentur otio animi, quos metus

Urb. cond. an. 40.

NOTÆ.

2. *Assuescere videret non posse.*] Urbem nempe, sive Romanos.

3. *Janum.*] Templum Jani de quo mox. Janum autem antiquissimum Aboriginum in Latio regem Apolline & Creüsa Erechthei Athenarum regis filia natum, & à Xipheo ejusdem Creüsæ marito adoptatum oraculi monitu, cum classe in Italiam venisse refert Auct. libelli de orig. gent. Rom. Quib. si qua fides, pro Xipheo Xuthum reposuerim, Hellenis scilicet filium, qui suverat Creusam illam in matrimonio habuit, & sic Janus Latinorum idem erit cum Græcorum Jone, Achæi fratre. Hic autem Janus Saturnum (Minoëm fortè seniorem) regno pulsum à Jove, benignè excepisse, regnumque cum eo liberaliter communicasse fertur. Idem Geminus appellabatur, pingebaturque Bifrons, seu Biceps, five quòd mores populi feros in humaniorem mutaverat cultum, sive quod præterita & futura calleret. Eum Cluverius Javanem, Japheti filium, Goropius Becanus Japhetum ipsum, alii Noachum interpretantur. Hoc autem duplici ratione defendi potest, tum quòd Noachus, cum ante ac post diluvium viverit, priora cum posterioribus notitiâ suâ complexus sit: tum quod idem vini fuerit inventor, quod Hebræi יין *Jain* vocant, ad nomen Jani alludente vocabulo. Ego si quid in his veri inest, vel unum eumdemque cum Saturno Janum; vel Javanem sub Jani, Noachum sub Saturni appellatione latere conjecerim, a Chamo filio (qui Jupiter Hammon) derisum fortè & pulsum.

4. *Argiletum.*] Locus erat Romæ, ab Argo Duce Argivorum, temporibus Evandri ibi sepulto, aliave de causa, appellatum. Fuit hic locus posteà in XI. urbis regione. Putatur fuisse primum illud Jani Templum ubi nunc ruinæ ædis S. Catharinæ.

5. *Indicem pacis bellique.*] Non construxit primus Numa: sed voluit Pacis & belli esse indicium. Nam conditum antè à Romulo fuisse pace cum Tatio facta testatur ex Varrone D. Augustinus. Hinc volunt nonnulli factum ut duas Janus facies haberet, quo duorum regum concordia significaretur. Alii quod bellum susceptori debeant de pace cogitare.

6. *Apertus, ut in armis.*] Inde Jano cognomen duplex, *Patulcii* & *Clusii* apud Ovid.

7. *Bis deinde.*] Imo ter, si Vellejo fides. Sed non tunc cum hæc Livius scriberet, nempe circa pugnæ Actiacæ tempus: bis enim clausit Augustus: primò post victoriam illam ad Actium anno 725. ab urb. cond. Consulatu suo V. cum Sex. Apulejo, ut notat Dion Cassius. Secundo post annos fermè viginti.

8. *T. Manlio consule.*] Hic T. Manlii Torquati cum C. Atilio Bulbo Consulatus conjicitur à Sigonio in annum 518. urb. cond.

9. *Iterum, quod nostræ ætati.*] Iterum post Numam, sed tertiùm ad urbe condita.

Urb. cond. an. 40. hostium disciplinaque militaris continuerat; omnium primum, rem 10 ad multitudinem imperitam & illis sæculis rudem, efficacissimam, Deorum metum injiciendum ratus est. qui quum descendere ad animos sine aliquo commento miraculi non posset, μ simulat sibi 11 cum Dea 12 Egeria congressus nocturnos esse: ejus so monitu, quæ 5 acceptissima Diis essent, sacra instituerc, sacerdotes suos cuique Deorum præficere. Atque omnium primum, ad cursum lunæ, in duodecim menses 13 describit annum. quem (quia 14 tricenos dies singulis

NOTÆ.

10. *Ad multitudinem imperitam.*] *Ad* pro *apud* vel *erga*, ut apud Cic. 3. de Orat. *genus orationis, quo uti ad vulgus nemo possit.*

11. *Cum Dea.*] Fabulantur congressum sæpius Numam, cum Egeria Nympha, cujus è præceptis hauserit regiam prudentiam. Alii non Nympham, sed Musarum unam ad Numam palàm ventitasse perhibent: quæ & aliquando adventum suum comprobaverit exhibito repente primariis civibus epulo exquisito. Plerique Numam hujusmodi divinum Colloquium finxisse putant conciliandæ institutis suis auctoritati, exemplo Minois Cretensis, & Lycurgi Spartani.

12. *Egeria.*] Quidam per, Æ, scribunt. Festus ab *egerendo* derivat. Dubium tamen est an hæc eadem fuerit cum *Egeria*, quæ à mulieribus colebatur, quod opitulari crederetur egerendo partui.

13. *Describit annum.*] Planetarum quilibet circuitu suo, cum scilicet certo è loco digressus in eundem locum redit, annum suum efficere dici potest. Sed cum annum absolutè dicimus, vel Solarem intelligimus, qui unâ solis ad idem punctum conversione conficitur; vel Lunarem, qui duodecim Lunæ complectitur circumvolutiones, quas Menses appellamus. Anni duplicis, Romulei scilicet, atque à Numa correcti discrimen, quod in Præfatione paulò accuratiùs persecutus sum, exhibebit pingui, ut ita dicam, Minervâ subjectum paulò post schema.

14. *Tricenos dies singulis mensibus.*] Reverà, ut advertit Livius, Luna singulis Mensibus triginta dies non explet: Desunt quippe horæ x1. cum quadrante. Quod autem idem de Tricenis singulorum mensium diebus disputat, non ita est accipiendum, quasi tot dies Numa suis mensibus assignaverit; cum ne unus quidem in illius anno mensis eo dierum numero sit, ut ex sequenti diagrammate liquet: in quo utriusque anni, tum à Romulo instituti, tum à Numa aucti comparationem habes. Sed facta inter longiores breviores que menses velut compensatione, atque illis detracto, his addito uno die, res eodè fermè redibit.

ANNUS ROMULI.
MENSES.

Martius	habet dies	31
Aprilis		30
Majus		31
Junius		30
Quintilis		31
Sextilis		30
September		30
October		31
November		30
December		30
		304

ANNUS NUMÆ.
MENSES.

Januarius	habet dies	29
Februarius		28
Martius		31
Aprilis		29
Majus		31
Junius		29
Quintilis *qui post Julius*		31
Sextilis, *qui postea Augustus*		29
September		29
October		31
November		29
December		29
		355

menſibus luna non explet, deſuntque dies 15 ſolido anno, 16 qui 9 ſolſtitiali circumagitur orbe,) 17 intercalaribus a menſibus interponendis, ut 18 quarto & vigeſimo anno ad metam eamdem Solis unde orſi eſſent, plenis annorum omnium b ſpaciis, dies congruerent. Idem § 19 nefaſtos dies faſtoſque fecit: ξ quia aliquando 20 nihil cum populo Urb. cond. an. 44.

INTERPRETATIO.

a *Inſerendo menſes interjectos*, extra ordinem.

b *Poſt impleta* ſuperiorum *omnium annorum tempora, dies ad priſtinum ſtatum redirent.*

NOTÆ.

15. *Solido anno.*] Lunaris annus minor eſt quam Solaris, diebus undecim & ferè quadrante diei; quandoquidem, Sol nonniſi intra 365. dies, atque horas paulò minùs ſex, Zodiacum emenſus, ad cardinem priſtinum revertitur.

16. *Qui ſolſtitiali*] Per orbem ſolſtitialem intelligit annuum Solis circuitum, qui inter Tropicos, ubi ſolſtitia fiunt, ab eodem ad idem perpunctum redeundo agitur.

17. *Intercalaribus menſibus interponendis.*] Intercalares ſive dies, ſive menſes appellantur, qui ordinariis interſeruntur extra ordinem, ut annus Lunaris cum Solis curſu exæquetur. Intercalare enim deductum à Græco καλῶ, quo ptiſci Latini uſi, (unde & Kalendæ, & Calata comitia, & curia Calabra) idem eſt ac intervocare, & quaſi inter alios nominare. Hæc autem Numæ intercalatio per menſes fiebat: ideoque cum hic vulgò ſcriberetur *Intercalar. menſib. interponendo*. Nannius legebat *Intercalares menſes interponendo*: pro quo Gronovius ſubſtituere maluit, *Intercalaribus menſibus interponendis*, paulò elegantiori loquendi formâ, verùm eadem ſignificatione. Sed & vulgaris lectio eundem ſenſum dabit, ſi per *Intercalares* intelligamus *menſes*, aliis *menſibus* adjectos. Hunc intercalandi uſum Romani, mutuati à Græcis; quemadmodum in Præfatione oſtendi, ubi de Anno Romano.

18. *Quarto & vigeſimo anno.*] Vetus Lectio *viceſimo quoque anno*. Sabellicus ſcripſit *viceſimo quarto*, quod Nannius probat ſecundum Buslidii Codicem, cæterique, exceptis Aldo Manutio, & Sigonio, quem Robortellus impugnat. Uterque tamen Macrobii utitur auctoritate. Sed cum duæ fuerint Romani Kalendarii ordinationes à Numa inſtitutæ, hæc cuncta non ægrè conciliari poſſunt. Et verò fatetur Sigonius poſterioris deſcriptionis, quâ annus dierum fuit 355. eiq; poſteà adhibitæ intercalationis ratione, verum eſſe quod Robortellus aliique volunt, nempe *vigeſimo quarto anno* ad metam eamdem Solis, unde orti eſſent dies congruere: Cæterùm, ſi ratio habeatur priorisdeſignationis, ex qua ſcilicet diebus 354. abſolvebatur annus; id *vigeſimo anno* evenire contendit: ſed tota hæc anni Romani ratio ſatis, opinor, commodè in Præfatione noſtra eſt explicata.

19. *Nefaſtos dies faſtoſque fecit.*] Dierum apud Romanos tria diſcrimina facit ex Numæ inſtitutò Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 16. Alios ait *Feſtos* vocari, qui Diis dicati ſunt; *Profeſtos* alios, hominibus ob miniſtrandam rem privatam publicamque conceſſos; alios *intercifos*, Deorum hominumque communes; quorum ſcilicet quibuſdam horis fas eſt, quibuſdam fas non eſt jus dicere. Ad Profeſtos revocantur Faſti proprièdicti, quibus Prætori licet fari tria verba ſolennia, *do, dico, addico*; itemque comitiales, quibus cum populo agi poteſt. *Nefaſti*, faſtis contrarii, dicuntur ii, quib. tacet Prætoris tribunal, quoniam ei non licet jus dicere.

20. *Nihil cum populo agi utile erat.*] *Cum populo agere* eſt rogare aliquid populum, quod ſuffragiis ſuis aut jubeat, aut vetet; id eſt comitia habere (quod eſt proprium magiſtratuum.) Ab hoc differt *lege agere*, id eſt ex lege jus ſuum perſequi coram magiſtratu, quod privato cuique licet.

Urb. Cond. an. 44. agi utile futurum erat.

XX. Tum [1] ſacerdotibus creandis animum adjecit: quamquam & ipſe plurima ſacra obibat; ea maxime quæ nunc [3] ad Dialem flaminem pertinent. Sed quia in civitate bellicoſa plures Romuli quam Numæ ſimiles reges putabat fore, iturosque ipſos ad bella, ne ſacra regiæ [a] vicis deſererentur, Flaminem [4] Jovi aſſiduum ſacerdotem creavit: inſignique eum veſte & curuli regia ſella adornavit. huic duos flamines adjecit: Marti unum, alterum Quirino. [5] Virgineſque Veſtæ legit; Albâ oriundum ſacerdotium, & genti [b] conditoris haud alienum. his, ut aſſiduæ templi antiſtites eſſent, ſtipendium de publico ſtatuit; virginitate aliiſque cærimoniis

INTERPRETATIO.

a *Sacra ad regis officium pertinentia.*
b *Non extraneum à Romuli familia.*

NOTÆ.

1. *Sacerdotibus creandis.*] Numa omnia, quæ ad religiones & cærimonias pertinebant octo libris, juxta totidem Sacerdotum genera, complexus eſt, referente Dionyſio lib. 2.

2. *Ipſe plurima ſacra obibat.*] Dionyſ. inter regis munia primo loco recenſet curam ſacrorum, atque ſacrificiorum, ut per eum gereretur quidquid ad Deos placandos pertineret. Sic apud Poëtam:

Rex Anius, rex idem hominum, Phœbique Sacerdos.

Sic in Ægypto Mercurius Triſmegiſtus, in Judæa Haſamonæi ex Macchabæis orti. Imperatores quoque Romani ab Auguſti uſque temporibus inter arcana imperii habuerunt, majeſtatem principis, pontificia auctoritate ac religione munire.

3. *Ad Dialem flaminem.*] Flamines erant ſingulares certorum numinum Sacerdotes, quos à capitis geſtamine, coronæ ſpeciem referente, dictos conſtat. Sed Varro apud Servium ſic appellatos vult quaſi *Filamines*, quòd cum ipſis non liceret nudo capite ſub dio eſſe, illud per æſtum filo, ſive licio cingerent, quod pro pileo erat. Plutarchus a pileo *Pileamines* initio nuncupatos fuiſſe cenſet: poſteà corrupto nomine Flamines. Halicarnaſſeus à *Flama* deducit, quo vocabulo à veteribus ſacræ infulæ appellabantur. Cognomen habebant ſinguli ab eo numine, qui ſacra faciebant. Dialis à Jove, quem Græci Διὰ, priſci Latini Dijovem vocabant. Martialis à Marte appellationem ſortitus: Quirinalis à Quirino ſive Romulo. Hunc à Numa prioribus duobus anteà inſtitutis additum Plutarchus tradit. Dionyſius cum noſtro horum trium majorum flaminum inſtitutionem uni tribuit Numæ. His majoribus & Patriciis Flaminibus, alii deinde acceſſerunt, minores, & plebeii ad duodecim, præter eos quos deinde adulatio in gratiam Imperatorum demortuorum adjecit, qualis fuit Auguſtalis. Flaminis Dialis jura ex veterib. colligit Onuphrius de Civit. Rom. cap. proprio.

4. *Jovi aſſiduum Sacerdotem.*] Tantam aſſiduitatem Jovis ſacris præſtare debebat ejus Flamen, ut ei ne unam quidem noctem manere extra urbem fas eſſet, apud noſtrum lib. 5. cap. 51. & alibi.

5. *Virgineſque Veſtæ.*] Legit eas Numa, non inſtituit, utpotè *Oriundum Albâ Sacerdotium*. Fortè numerum Veſtalium anteà incertum definivit, lectis quatuor nobiliſſimis puellis. Cærimonias etiam earum certo jure conſtituit; atque imprimis ſervandæ virginitatis tricennale tempus, quod anteà quinquennium non exceſſiſſe ſcribit Halicarnaſſeus. Idem Numa templum Veſtæ condidit, in quo ſervatum fuiſſe creditur Palladium, fatale illud Minervæ ſimulacrum, quod Æneas Trojâ in Italiam ſecum detulerat.

venerabiles ac ſanctas [c] fecit. Salios item duodecim [7] Marti Gradivo legit, tunicæque pictæ inſigne dedit, & ſuper tunicam æneum pectori tegumen: cœleſtiaque arma, [8] quæ *ancilia* appellantur, ferre; ac per urbem ire canentes carmina cum tripudiis ſolennique ſaltatu juſſit. [9] Pontificem deinde Numam Marcium, Marci filium, ex Patribus legit, eique ſacra omnia exſcripta [d] exſignataque attribuit: quibus hoſtiis, quibus diebus, ad quæ templa ſacra fierent, atque unde in eos ſumptus pecunia erogaretur. Cætera quoque omnia publica privataque ſacra, Pontificis ſcitis ſubjecit; ut eſſet [10] quò conſultum plebs veniret: ne quid divini juris, negligendo patrios ritus, peregrinoſque aſciſcendo, turbaretur. Nec cœleſtes modo cærimonias, ſed [11] juſta quoque funebria, placandoſque Manes, ut idem Pontifex edoceret: quæque prodigia fulminibus, aliove quo Urb. cond. an. 48.

INTERPRETATIO.

c *Reddidit inviolabiles:*
d *Deſcripta & ſigillo notata;*

NOTÆ.

6. *Salios duodecim.*] Dicti *Salii* à ſaliendo. Eorum in armis ſaltationem à temporibus Æneæ quidam apud Feſtum deducunt. Sed hoc genus choreæ cum ſtrepitu ex gladiis ad ſcuta allifis à Curetibus primùm inſtitutum auctor eſt Dionyſ. Legebantur autem Salii à magiſtro Collegii ex patriciis adoleſcentibus, quorum uterque parens viveret, nec pater in magiſtratu eſſet.

7. *Marti Gradivo.*] Ex vocabulo Sabino *Mavors*, Latinis dictus Mars bellorum Deus, Jove ac Iunone genitus. *Gradivum* cognominarunt, vel à Gradiendo uitrò citroque in bello, ut Feſtus auctor eſt; vel à vibrando haſtam, quod Græci dicunt *παρὰ τὸ ἀίσσειν.*

8. *Quæ Ancilia appellantur.*] Anno circiter 8. Numæ repertum eſt in regia Scutum æneum breve, quod *Ancile* appellarunt, quoniam ex utroque latere ἀγκύλην, ſeu curvaturam habuit. Ita enim reciſum erat, ut ſummâ, infimaque parte latiùs pateret, in medio eſſet anguſtius. Eodem tempore audita vox eſt potentiſſimam fore civitatem, in qua ſcutum illud maneret. Quò itaque faciliùs ſervaretur, facta ſunt complura ejuſmodi ſcuta, quibus illud miſceretur ne internoſci poſſet. Probatum maximè opus Mamurii Veturii, qui præmii loco poſtulavit, ut nomen ſuum carminibus Saliorum inſereretur.

9. *Pontificem deinde.*] Sacri Magiſtratus primarii, Pontifices appellati ſunt, vel *à poſſe* & *facere*: vel, ut Varro mavult, à Ponte faciendo, quòd Pons Sublicius à Pontificibus primùm factus, eorumdem curæ commiſſus eſt: qui nec niſi ſacris, cis & ultra Tiberim ſolenni ritu factis, reſtitui poterat. Quatuor à Numa è patriciis inſtituti ſunt, quorum Princeps Marcius Numa, quem Rex generum ſumpſit, Filius illius Marcii Sabini, qui Numam perpulerat ad regnum capeſſendum, eumque Romam fuerat comitatus.

10. *Quò conſultum plebs veniret.*] Conſulebantur Pontifices de jure ſacro in primis. Sed & legum interpretandarum poteſtas diu penes collegium Pontificum fuit.

11. *Juſta quoque funebria.*] Juſta funerum, & juſta abſolutè, vocantur exequiæ, quæ mortuis debentur. Earum jus Plato apud Cicer. 2. de legib. rejiciebat ad interpretes religionum; quoniam ſcilicet ad religionem non minus inferi quam ſuperi pertinent Dii.

Digitized by Google

visio missa 12 susciperentur atque curarentur. ad ea elicienda ex mentibus divinis, 13 Jovi Elicio aram in Aventino dicavit, Deumque consuluit auguriis, 14 quæ susciepienda essent.

Urb. cond. an. 48. XXI. Ad hæc a consultanda procurandaque, multitudine omni à vi & armis conversa, & animi aliquid agendo occupati erant, & Deorum assidua insidens cura, quum b interesse rebus humanis cœleste Numen videretur, ex pictate omnium pectora imbuerat, ut fides ac jusjurandum, 1 proximo legum ac pœnarum metu, civitatem regerent. & quum ipsi se homines in regis velut unici exempli, mores formarent; tum finitimi etiam populi, qui ante, castra, 2 non urbem positam in medio, ad solicitandam omnium pacem crediderant, in eam verecundiam adducti sunt, ut civitatem totam in cultum versam Deorum, violari ducerent nefas. Lucus erat, quem medium ex opaco specu fons perenni rigabat aqua. quo quia se persæpe Numa sine arbitris, velut ad congressum Dex, inferebat, Camœnis eum lucum sacravit;

INTERPRETATIO.

a *Deliberanda & curanda, seu expianda.*
b *Divinum numen rebus humanis* velut præsens *adesse.*
c *Ad vexandam cunctorum quietem.*

NOTÆ.

12. *Susciperentur atque curarentur.*] Suscipiuntur prodigia, quæ pro veris prodigiis admittuntur. Quod autem Gronovius notat prodigiorum procurationes dici, non curationes: ideoque scriptum fortè fuisse *procurarentur*: id quidem satis verisimile est, si ea mens Livio fuit, ut expianda prodigia exprimere voluerit. Sed fortè id tantum voluit, Pontifices consuli debuisse, quæ prodigia accipienda essent, tanquam vera, atque ita non negligenda.

13. *Jovi Elicio.*] Artem Jovis eliciendi de Cœlo didicisse Numa narratur à Fauno & Pico, ad fontem, quo convenire solebant, vino, mulsoque sopitis, captisque per duodecim juvenes in insidiis collocatos: dicitur deinde à Jove sacrificiis elicito atque evocato, quæsivisse procurandi fulminis ritum: qua de re Arnob. lib. 5.

14. *Quæ susciepienda essent.*] Quæ scilicet prodigia.

1. *Proximo legum, ac pœnarum metu.*] Alii aliter: non rejicienda Mureti conjectura, legentis, *Proximè legem, ac pœnarum metum*: à quo sensu minimè recedit Tanaqu. Faber, rescribens, *proxime legem, ac pœnarum metum*: ut *proxime* sit præpositio, atque hic sensus sit, ut vis fidei & Jurisjurandi proximè accederet ad efficaciam formidinis ex pœnis per leges propositis. His omnibus significatur ad regendos cives tantumdem propè tunc Romæ valuisse fidem & jusjurandum, quantum alibi leges & supplicia. Quæ quidem sententia, Numæ, atque adeò Saturni regno digna est; cum, ut est apud Ovid. 1. Fast.

Proque metu populum sine vi pudor ipse regebat.

Sive ut habet Fabius Pictor lib. 1. *nulla tunc vindice aut metu, sed sua sponte retinebant fidem & rectum.* Sed ni fallor aliud voluit Livius, nempe fidem & jusjurandum rexisse civitatem, quod propter religionem animis hominum penitus infixam, proximus & quasi præsens cuique esset legum divinarum metus, & pœnarum à Diis statim infligendarum peccantibus: Qui sensus & proximè dictis à Livio optimè congruit, nec ullam exigit verborum ejus mutationem.

2. *Non urbem positam.*] Num potius *posita?* hoc intellectu, *finitimi, qui antè crediderant* Romam non urbem esse, *sed castra in medio* eorum *posita*, &c.

quod 3 earum ſibi concilia cum conjuge ſua Egeria eſſent. 4 Et ſoli Fidei ſolenne inſtituit. 5 ad id ſacrarium Flamines bigis, d curru arcuato vehi juſſit, manuque ad digitos uſque involuta rem divinam facere: ſignificantes fidem tutandam, 6 ſedemque ejus etiam in dextris ſacratam eſſe. Multa alia ſacrificia locaque ſacris faciendis, e quæ 7 Argeos pontifices vocant, dedicavit. Omnium tamen maximum ejus operum fuit, 8 tutela per omne regni tempus, haud minor pacis Urb. cond. an. 54.

INTERPRETATIO.

d *In formam arcus tecto vehiculo.*
e *Quæ loca vocantur Argei à Pontificibus.*

NOTÆ.

3. *Earum ſibi concilia.*] Nannius 5. Miſcell. cap. 9. abſque ullius codicis auctoritate, *ſibi* mutandum cenſet in *ibi*: ut oſtendatur Lucum illum ideò Muſis fuiſſe dicatum, quòd ibi colloquia uxori ejus cum illis deabus eſſent. Ego nihil video cur à recepta lectione recedendum ſit. Particula enim *ibi* locum quidem Camœnis conſecratum denotat, qui aliunde Luci nomine ſatis deſignatur. Verùm ſolius Egeriæ cum Muſis colloquia indicat, non etiam Numæ, ut pronomen *ſibi*.

4. *Et ſoli Fidei ſolenne inſtituit.*] Mendoſam ſuſpicatur Sigonius vocem *Soli*, eo quod Termino quoque, inſtitutis Terminalibus, Numa ſolennia, & anniverſaria ſacra inſtituerit, Dionyſio teſte: Ideoque mallet, *& ſimul Fidei ſolenne inſtituit*. Turnebus adverſ. 11. 6. *Soli Fidei ſolenne*, ſacrum intelligit proprium Fidei, nec cum alio Deo commune. Muretus notavit in veteri libro ſcriptum *poli Fidei*, conjicitque legendum *Populi Fidei*. Et verò Dionyſius publicam fidem vocat, nempe δημοσίαν πίστιν. Aliam fortè Livii mentem fuiſſe quiſpiam non abſurdè conjiciat, ut nempe Numa, licèt pluribus Diis ſolennia ſacra inſtituerit, ſola tamen ſit Fides, cujus novo Numini, hactenus Romanis ignoto, hunc detulerit cultum; cum alii jam apud ipſos colerentur ſacrificiis, etſi eorum ſacrorum rationem nondum deſcriptam haberent; quod à Numa illis nunc præſtitum.

5. *Ad id ſacrarium Flamines.*] Quinam verò & quorum Deorum Flamines ad Fidei ædem, ſive locum ubi ejus ſacra repoſita erant, eâ ſolenni pompa & ritu deducebantur? Flamines ſanè ſui quiſque numinis ſacra ſeorſim curabant, nec collegæ invicem cenſebantur. Apparet non de his ſingularibus hujus aut illius numinis Flaminibus hoc loco agi: ſed aliud Flaminum genus invenio apud Feſtum lib. 3. ſeu litera C. *Curiales* nimirum *Flamines*, Curiarum ſacerdotes: quos probabile eſt illuc tanquam ad commune fidei publicæ ſacrum ſimul quotannis convenſſe.

6. *Sedemque ejus.*] Fidei datæ ſymbolum & pignus ſunt datæ, conjunctæque dextræ. *Coëant in fœdera dextræ*, inquit Virg. 11. Ideò obſervat auctor, fidei ſedem in dextris eſſe, eamque ſedem quaſi ſacratam commendat: dextræ enim, fœderis gratiâ junctæ, non immeritò conſecrari videntur, quandoquidem jurejurando, ſive Sacramento interpoſito, ſacriſque celebratis, hæc fiunt.

7. *Argeos Pontifices vocant.*] Rectè monet Nannius hic Argeorum nomine non intelligi ſimulacra Scirpea, quæ Idibus Majis è ponte Publicio in Tiberim dejici olim Herculis exemplo ſolebant à Pontificibus, Veſtalibus & Flaminica Diali. Nam de locis, non de effigiebus Livius loquitur; & horum ſacrorum ritu ſublato, loca aliquot Romæ nomen Argeorum retinuerunt, ut videre eſt apud Varronem lib. 4. de Ling. Lat. ex quo diſcimus Argeorum ſacraria in 27. partes urbis fuiſſe diſpoſita; *Argeos* autem dictos putari à principibus, qui cum Hercule Argivo venerunt in Latium, & apud Saturniam ſubſederunt.

8. *Tutela haud minor Pacis.*] Quævis defenſio ſeu tuitio dicitur Tutela. Hic ſumitur pro cura tuendi & conſervandi pacé.

Digitized by Google

quam regni. Ita 9 duo deinceps reges, alius aliâ viâ, ille bello, hic pace, civitatem auxerunt. 10 Romulus ſeptem & triginta regnavit annos: Numa tres & quadraginta. Tum valida, tum temperata & belli & pacis artibus erat civitas. Numæ morte 11 ad interregnum res rediit.

Urb. cond. an. 83. XXII. Inde Tullum Hoſtilium, 1 nepotem Hoſtilii, cujus in infima arce clara pugna adverſus Sabinos fuerat, regem populus juſſit. Patres auctores facti. Hic non ſolum proximo regi diſſimilis, ſed ferocior etiam Romulo fuit: tum ætas vireſque, tum avita quoque gloria animum ſtimulabat. 2 Seneſcere igitur civitatem otio ratus, undique materiam excitandi belli quærebat. 2 Forte evenit, ut agreſtes Romani ex Albano agro, Albani ex Romano prædas invicem agerent. 3 Imperitabat tum C. Cluilius Albæ. utrinque legati

INTERPRETATIO.

a *Exiſtimans civitatem pace torpeſcere.*

NOTÆ.

9. *Duo deinceps.*] Succeſſive, *deux Rois de ſuitte, l'un apres l'autre.*

10. *Tres & quadraginta.*] Ita Dionyſius & reliqui. Porrò Numa exceſſit annum 80. morbi ad id temporis expers. Plerique veterum apud Dionyſ. & Plutarch. quatuor ei filios aſſignant, Pomponem, Pinum, Calpium & Mamercum, ex quibus ortos volunt Pomponios, Pinarios, Calpurnios, & priſcos Mamercos: quæ familiæ *Regis* cognomen idcircò affectaverint. Verùm, cum Pinarii jam ab Herculis & Evandri temporibus memorentur; non modò ſuam, ſed & cæterorum originem ſuſpectam reddunt. Certior fides Pompiliam ei filiam tantùm aſſignat, ſine liberis virilis ſexus. Numæ effigiem ex nummis hic ſubjectam lector videbit,

11. *Ad interregnum res rediit.*] De interregno & interregibus diximus cap. 17.

1. *Nepotem Hoſtilii.*] Medulliam oppidum, ab Albanis olim conditum, Romulus deditione captum, fecerat Romanorum Coloniam. Inde Hoſtus Hoſtilius in urbem migravit, ubi uxorem Herſiliam duxit Herſiliæ Sabinæ filiam. Is poſt multa egregia facinora, acri prælio ad urbis mœnia inter Romulum Tatiumque commiſſo, exſus occubuit, ut cap. 12. dictum eſt. Ex filio ejus unico, quem pater morlens infantem reliquerat, natus eſt hic Tullus Hoſtilius, qui tertius regnum Romæ iniit Olympiadis 27. an. 2. ex Dionyſ. lib. 3. Cum eo de regno contendit Mk Marcius Sabinus, qui in ea contentione ſuffragiis victus, mortem ſibi conſcivit. At Hoſtilius regnum inſigni liberalitate auſpicatus eſt, diviſo inter egenos agro regio; quòd ſibi patrimonium ſuum, tum ad domeſticos, tum ad ſacrificiorum ſumptus ſufficere diceret.

2. *Fortè evenit ut agreſtes Romani.*] Ab Albanis quibuſdam inopibus, juſſu Cluilii factum prædandi & latrocinandi initium memorat id. Halicarn.

3. *Imperitabat tum C. Cluilius Albæ.*] Aliàs perperam *C. Civilius*: male item *Calius* apud eundem Dionyſ.

ſcrè

fere ſub idem tempus ad res repetendas miſſi. Tullus præceperat ſuis; ne quid prius, quam mandata agerent. ſatis ſciebat, negaturum Albanum; ita 4 pie bellum indici poſſe. Ab Albanis ſocordius res acta: 5 excepti hoſpitio ab Tullo blande ac benigne, comiter regis convivium celebrant. tantiſper Romani & res repetiverant priores, & neganti Albano, bellum in trigeſimum diem indixerant. hæc renunciant Tullo. Tum legatis Tullus dicendi poteſtatem, quid petentes venerint, facit. illi omnium ignari, primum purgando terunt tempus: *Se invitos quicquam, quod minus placeat Tullo, dictaros, ſed imperio ſubigi: res repetitum ſe veniſſe. Ni reddantur, bellum indicere juſſos.* Ad hæc Tullus: *Nunciate*, inquit, *regi veſtro, regem Romanum Deos facere teſtes, uter prius populus res repetentes legatos aſpernatus dimiſerit,* [b] *ut in eum omnes expetant hujuſce clades belli.* Hæc nunciant domum Albani.

XXIII. Et bellum utrinque ſummâ opc parabâtur, civili ſimillimum bello, prope inter parentes natoſque, Trojânam utramque prolem; quum Lavinium ab Troja, ab Lavinio Alba, [p] ab Albanorum ſtirpe regum, oriundi Romani eſſent. Eventus tamen belli minus miſerabilem dimicationem fecit: quod nec acie certatum eſt, & tectis modo dirutis alterius urbis, duo populi in unum confuſi ſunt. Albani priores ingenti exercitu in agrum Romanum impetum fecere. caſtra ab urbe haud plus quinque millia paſſuum locant, foſſa circundant: [1] foſſa *Cluilia* ab nomine ducis per aliquot ſæcula appellata eſt, donec cum re nomen quoque vetuſtate abolevit. In his caſtris Cluilius [2] Albanus rex moritur, dictatorem

Urb. condæ an. 86.

INTERPRETATIO.

b *Ut contra eum* populum *qui prius, &c.* convertant *omnia hujus belli mala*, tanquam impii belli auctorem.

NOTÆ.

4. *Pie bellum indici poſſe.*] Romuli cum Albanis fœdere cautum fuerat, ut neutri populo fas eſſet bellum alteri inferre: Et ſi quid hinc inde peccatum eſſet, ut læſi ab ea civitate jus peterent, unde injuria orta foret. Id ſi non impetraretur, tum demum bellum, utpote ſoluto fœdere, indici, atque inferri poſſe.

5. *Excepti hoſpitio ab Tullo.*] Non ab ipſo quidem Tullo: Hic enim (quod videri vellet ab Albanis rapta prior repetiiſſe, qua de cauſa legatos & ipſe Albam miſerat) non ſtatim Albanorum legatos admiſit, cauſatus gravibus ſe negotiis occupatum, auctore Dionyſio: ſed per amicos interim lautè Albanos excepit.

1. *Foſſa Cluilia.*] Eam foſſam juſſu Cluilii Albani regis ductam, Dionyſ. Halicarnaſſeus ſuo adhuc tempore nomen ſervaſſe quadrageſimo ab urbe ſtadio teſtatur. Unde mirum videtur nomen ejus cum vetuſtate abolitum à Livio dici, qui eodem ferè tempore cum Halicarnaſſeo vixit.

2. *Albanus Rex moritur.*] Cluilius hic, quem incentorem belli facit Halicarnaſſeus, quique mortuus in prætorio repertus eſt, ſine ullis tamen veneni aut vis illatæ veſtigiis, quo jure Albæ regnaverit, nondum comperi. Certè nullus, quod ſciam poſt eum Albanorum rex legitur: ejuſque loco ſuffectus eſt ab exercitu Mettius, titulo dictatoris id eſt (ut ipſe Mettius mox interpretatur) gerendo bello ducis.

Urb. cond. an. 87.

Albani 3 Mettium Fuffetium creant. Interim Tullus ferox, præcipue morte regis, magnumque Deorum numen ab ipſo capite orſum, *in omne nomen Albanum expetiturum pœnas ob bellum impium* dictitans, nocte præteritis hoſtium caſtris, infeſto exercitu in agrum Albanum pergit. Ea res ab ſtativis excivit Mettium. 4 Is ducit quam proxime ad hoſtem poteſt; inde legatum præmiſſum nunciare Tullo jubet, priuſquam dimicent, *opus eſſe colloquio: ſi ſecum* [a] *congreſſus ſit, ſatis ſcire ea ſe allaturum, quæ nihilo minus ad rem Romanam, quam ad Albanam pertineant*. Haud aſpernatus Tullus, 5 tametſi vana afferebantur, ſuos in aciem educit. exeunt contra & Albani. 6 Poſtquam inſtructi utrinque ſtabant, cum paucis procerum in medium duces procedunt. Ibi infit Albanus: *Injurias & non redditas res ex fœdere, quæ repetitæ ſint, & ego regem noſtrum Cluilium, cauſam hujuſce eſſe belli, and ſſe videor: nec te dubito, Tulle, eadem præ te ferre. ſed ſi vera potius quam diſſu ſpecioſa dicenda ſunt, cupido imperii duos cognatos vicinoſque populos ad arma ſtimulat.* 7 Neque recte, *an perperam, interpretor: fuerit* [b] *iſta ejus deliberatio, qui bellum ſuſcepit. me Albani gerendo bello ducem creavere. Illud te, Tulle, monitum velim: Etruſca res,* [c] *quanta circa nos teque maxime ſit, quo propiores vos, hoc magis ſcis. multum illi terra, plurimum mari pollent. Memor eſto, jam quum ſignum pugnæ dabis,* 8 *has duas acies ſpectaculo fore; ut feſſos confectoſque ſimul victorem ac victum aggre-*

5

10

15

20

INTERPRETATIO.

a *Si ſecum venerit in colloquium.*
b *Ventilatio iſtius rei ad eum ſpectabat.*
c *Tu ipſe (ô Tulle) eò magis noſti quanta ſint opes Etruſcorum circa nos utroſque & maximè circa te: quo vos (Romani) ipſis eſtis vicinores.*

NOTÆ.

3. *Mettium Fuffetium.*] Legitur vulgo Metius Suffetius. Sigonius tamen ſcribendum contendit *Fuffetium*, auctore Dionyſio, apud quem eſt φουφέτιος; neque ab eo abſcedit Plutarchus in lib. Parallelor. quod ad primam nominis literam attinet: appellat enim Μέτιον φουφέτιον. Emendationem ſuam tuetur Sigonius adverſus Robortellum, qui veterem lectionem pluribus defendit l. 2. c. 52.

4. *Is ducit quàm proximè ad hoſtem poteſt.*] Id eſt, ad loca maximè propinqua Romanorum caſtris. At Gronovius deleto pronomine *is*, mavult legere, *quà proximè ad hoſtem poteſt*: ut ſit; proximo, ſeu breviſſimo itinere ad hoſtes contendit: *par le plus court chemin.*

5. *Tametſi vana afferebantur.*] Placet Tanaquilli Fabri conjectura ſuſpicantis legendum, *Tametſi vana afferri rebatur.* &c.

6. *Poſtquàm inſtructi utrinque ſtabant.*] Ubi inſtructi velut ad certamen acie ſteterunt, hinc Romani, inde Albani. *Les deux armées eſtant rangées en bataille.*

7. *Neque rectè, an perperàm, interpretor.*] Negat Fuffetius ſe pronunciare velle, aut debere, jure an injuria factum ſit, ut Albani & Romani ad arma venerint: quod Cluilius illud examinare debuerit priuſquàm bellum ſuſciperet.

8. *Has duas acies ſpectaculo fore.*] Communibus hoſtibus optatum ſpectaculum, ac velut ludum præbent atrocia finitimorum inter ſe prœlia. Nota eſt in hanc rem Æſopica de Corvo fabula.

Digitized by Google

diantur. Itaque, si nos Dii amant, quoniam non contenti libertate certa, in dubiam imperii servitiique aleam imus, ineamus aliquam viam, qua utri utris imperent, sine magna clade, & sine multo sanguine utriusque populi decerni possit. Haud displicet res Tullo, quanquam, tum indole animi, tum spe victoriæ, ferocior erat. Quærentibus utrinque ratio initur, cui & fortuna ipsa præbuit materiam.

XXIV. [1] Forte in duobus tum exercitibus erant [2] trigemini fratres, nec ætate nec viribus dispares. Horatios Curiatiosque fuisse, satis constat, nec ferme res antiqua alia est nobilior. tamen in re tam clara nominum error manet; utrius populi Horatii, utrius Curiatii fuerint. [3] Auctores utroque trahunt: plures tamen invenio, qui Romanos Horatios vocent. hos ut sequar, inclinat animus. Cum trigeminis agunt reges, ut pro sua quisque patria dimicent ferro. ibi imperium fore, unde victoria fuerit. [4] Nihil recusatur: [5] tempus & locus convenit. Priusquam dimicarent, fœdus ictum inter Romanos & Albanos est his legibus, [6] *ut cujusque populi cives eo certamine vicissent, is alteri populo cum bona pace imperitaret.* [a] Fœdera alia aliis legibus, cæterum eodem modo omnia fiunt. tum ita factum accepimus, nec ul-

Urd. cond. an. 87.

INTERPRETATIO.

a *Diversa fœdera diversis conditionibus, sed cuncta eodem ritu ineuntur.*

NOTÆ.

9. Sine multo sanguine utriusque populi.] Idcircò bellum in compendium mitti utrisque placuit: sed ejus consilii auctor ex Dionysio Romanus. Numerum autem eorum, qui utrinque certarent, definivit, ipsosque præliaturos designavit cæsis *tergeminorum utrinque fratrum*.

1. Fortè in duobus tum exercitibus.] Sequinius Albanus, ut est apud Dionysium lib. 3. uno tempore gemellas filias, alteram civi suo Curiatio, Romano alteram Horatio elocaverat. Hæ simul ambæ gravidæ factæ, primo partu, eodemque die prolem masculam ediderunt trigeminam. Hos Fufetius, tanquam genere, ætate, indole, & corporis animique robore omninò pares invitandos censuit ad dimicandum pro patriæ principatu: quasi qui divinâ quadam providentia ad id destinati viderentur, aptissimique hac de causa essent ad juvenum, hunc honorem utrinque ambientium, sedandam contentionem.

2. Trigemini fratres.] Propriè tergemini seu trigemini, sunt tres gemini uno partu editi. Aliàs tergeminus pro triplici generaliter sumitur.

3. Auctores utroque trahunt.] Divisi in duas sententias historici, rem trahunt in utramque partem, & alii in hanc, alii in illam inclinant.

4. Nihil recusatur.] Cum Albani fratres nulla cognationis religione impediri se ostendissent, quominus hanc patriæ operam navarent: Romani quoque propinquitate generis potiorem gloriam, & patriæ amorem ducentes, hoc certamen patre consentiente susceperunt, apud Dionysium.

5. Tempus & locus convenit.] Usitatior loquendi forma; de loco ac tempore convenit: sed illa quoque Ciceroni, & aliis cognita.

6. Ut cujusque populi cives.] Vulgati habent *cujus populi cives*. Sed septem Mss. habent, *ut cujusque populi*; quod redolet vetustum sermonem in formulis servatum. Hic itaque *cujusque* est cujusvis, vel utriusvis.

Urb. cond. an. 87. lius vetuſtior fœderis memoria eſt. 7 Fecialis regem Tullum ita rogavit: *Jubeſne me, Rex,* 8 *cum patre patrato populi Albani fœdus ferire*: jubente rege, 9 *Sagmina*, inquit, *te, Rex, poſco*. Rex ait, 10 *Puram tollito*. Fecialis ex arce, graminis herbam puram attulit. poſtea regem ita rogavit. *Rex, faciſne me tu regium nuncium populi Romani Quiritium?* 11 *vaſa, comiteſque meos?* Rex reſpondit: *Quod* 12 *ſine fraude mea populique Romani Quiritium fiat, facio*. Fecialis erat M. Valerius 13 Patrem Patratum Sp. Fuſium fecit.

NOTÆ.

7. *Fecialis regem.*] Varro lib. 4. de lingua Lat. *Feciales*, inquit, *dicti quod fides publica inter populos præerant: nam per hos fiebat ut juſtum conciperetur bellum*. At Nonius cap. 12. *Fœciales* ſcribit, traditque apud eum Varro ex eorum numero legatos quatuor res repetitum mitti ſolitos, & fuiſſe Fœciales viginti: licet Ciceroni duo ſufficere viſi ſunt, 2. de Legibus. Porrò Collegium Fecialium à Numa inſtitutum refert præter alios Dionyſius, idque imitatione vel Ardeatium, vel Æquicolarum, apud quos jus Feciale primus Sertor Reſius conſtituit, ſi Valerio Maximo fides habenda.

8. *Cum patre patrato.*] Fecialis unus, is ſcilicet qui feriendo fœderi præerat & jurejurando pacta firmabat, Latinis dicebatur *Pater Patratus*, quod & pater eſſet, & patrem adhuc ſuperſtitem haberet. Id enim requirebatur ex Plutarchi ſententia: quod juriſjurandi & pacis præſidem oporteat prorſum & retrorſum videre. Id verò maximè videatur præſtare poſſe, qui & filium habeat de quo conſultet, & patrem qui cum deliberet. Plutarchus tamen hoc loco videtur *Patrati* nomen à patrando jurejurando deducere: nam generaliter, qui, cum jam ipſe pater eſſet, habebat etiam tum patrem, *pater patrimus* vocabatur apud antiquos, auctore Feſto. Alii *Patrem Patratum* ex eo appellatum volunt, quod quemadmodum Pater filiorum curam gerit, plenamque in illos habet poteſtatem: ita hujuſmodi Sacerdos, tamquàm Pater populi Romani ipſius rem curaret, ejuſque nomine juſjurandum perageret, ut eſt apud Marcellum Donatum. An Patratus quaſi factus & conſtitutus pater, totius populi?

9. *Sagmina, te, rex, poſco.*] *Sagmina* ex Feſto lib. VI. *Vocantur Verbena. id eſt herba pura, ſic dicta, vel quia ex loco ſancto arcebantur* (lege *arceſſebantur*) *à Conſule, Praetoreve, legatis proficiſcentibus ad fœdus faciendum, bellumve indicendum*; vel *à ſanciendo, id eſt confirmando*. Id clarius explicat Plinius lib. 22. cap. 2. *Non aliunde ſagmina in remediis publicis fuere & in ſacris legationibus, quàm verbena. Certè utroque nomine idem ſignificatur; hoc eſt gramen ex arce cum ſua cerva vulſum. Hac ſemper legati, cum ad hoſtes clarigatumque mitterentur uſi ſunt.* Aliquando generali graminis nomine Verbena intelligitur, ut paulò poſt, ubi Fecialis dicitur ex arce *Graminis* herbam tuliſſe. Licèt propriè loquendo aliud herbæ genus ſit gramen, aliud verbena. Caduceatores hi à verbena, Verbenarii quoque dicebantur, ex Varrone apud Nonium ante laudatum.

10. *Puram tollito.*] Herbam nimirùm, ut probant quæ ſequuntur. Non igitur ad vocem *Sagmina* in Fecialis interrogatione expreſſam; ſed ad ejus nominis ſignificationem rex reſpondit. Sigonio tamen vetus codex habet *pura*, quod ad ſagmina referretur.

11. *Vaſa comiteſque meos.*] Vaſorum nomine ſuppellex generaliter intelligitur, & omne inſtrumentum.

12. *Sine fraude mea.*] Hoc eſt ſalvo meo, aliorumque jure. Ita interpretatur Budæus in prioribus Annotationibus ad Pandectas.

13. *Patrem Patratum Sp. Fuſium.*] Licet Fecialibus præficeretur Pater Patratus, à Feciali tamen alio, de totius, opinor, Fecialium Collegii ſententia, creabatur, uti manifeſtè docet hic Livii locus: nec publico illo munere fungebatur, niſi ſpeciatim delectus.

14 verbena 15 caput capilloſque tangens (pater patratus ad jusjurandum patrandum, id eſt ſanciendum, fit) fœdus, multiſq; id verbis, quæ 16 effata 17 longo carmine non operæ b eſt referre, peragit. Legibus deinde recitatis: *Audi*, inquit, *Jupiter, audi Pater Patrate populi Albani, audi tu populus Albanus, ut illa palam prima, poſtrema,* 18 *ex illis tabulis cerave recitata ſunt, ſine dolo malo, utique ea hic hodie* 19 *rectiſſime intellecta ſunt, illis legibus populus Romanus prior non deficiet.* c *Si prior defexit* 20 *publico conſilio, dolo malo;* 21 *tum illo die Jupiter populum Ro-*

Urb. cond. an. 87.

INTERPRETATIO.

b *Recitare non eſt opera pretium.*
c *Si ante defecerit,*

NOTÆ.

14. *Verbena.*] Ex his Livii verbis liquet verbenam fuiſſe herbam ſacram & puram, qua caput Patris Patrati Fecialis tangeret, vel potius circumdaret.

15. *Caput, capilloſque tangens.*] Buſſidianus codex, ut Nannius lib. 5. Miſcell. annotat, non *tangens*, ſed *tegens* habet. In Deorum ſacris caput operiri & tegi ſolet, ut jam cap. 18. demonſtratum. Nannius tamen non audet definire utra lectio melior ſit: non enim caput Patris Patrati totum verbena inumbrari ac tegi, ſed corona verbenacea circumdari ſolitum fuiſſe videtur: quod tangendo fieri poterat.

16. *Effata.*] Effari eſt eloqui, præſertim verba ſolennia. Et *effata* paſſivè propriè dicuntur Augurum preces: ex quorum diſciplina *ager effatus*, fuit ager verbis auguris notatus.

17. *Longo carmine.*] Carmina vocantur non ſolùm verſus, ſeu metra more poëtico ſuis pedibus adſtricta: ſed etiam formulæ certis ſolennibus & conceptis verbis compoſitæ, quæ rythmis & numeris quibuſdam conſtant. His formulis utebantur Romani, tum in rebus ſacris, tum in publicis belli, paciſque ritibus, veluti in rebus repetendis, bello indicendo, pangendo fœdere, evocandis urbium obſeſſarum præſidibus Diis, aliiſque ſimilibus. Quin & Juriſconſulti vix quicquam ſine ejuſmodi formulis agebant, à quibus non licebat recedere. Iliæ itaque verborum conceptiones Carmina vocabantur.

18. *Ex illis tabulis cerave.*] Hoc eſt ex ſcripto. Etenim ante chartarum & membranarum uſum, in tabulis dolatis, & plerumque cerâ obductis, ſcribebant Romani poſt Athenienſes ac Tuſcos. Hinc tabulæ pro teſtamento, aliave ſcriptura: Tabularius pro eo, qui publica conficit inſtrumenta, & Tabularii pro iis, qui literas fide publica portant. Hinc etiam prior pars teſtamenti alteriuſve ſcripturæ, *prima cera*, poſtrema pars *ima cera* nomine appellabatur.

19. *Rectiſſimè intellecta ſunt.*] Ut legum quæ in unaquaque civitate feruntur, & quibus tenentur privati; ita & conditionum quibus fœdera ſanciuntur, & quibus tanquam publicis legibus obſtringuntur diviſi inter ſe populi, non tam verba quam ſententiam, & verborum intellectum ſpectare oportet, & bona fide exequi. Meritò ergo damnatur fraudulenta fœderis interpretatio, cum ſententia ejus verè violatur, verba tamen in ſpeciem videntur ſervari: veluti cum Andrii in dies quindecim inducias cum hoſtibus pacti, noctu hoſtilia fecerunt, quaſi de noctibus nihil omninò cautum fuiſſet.

20. *Publico conſilio, dolo malo.*] Si quid peccatum à privatis fierit, aut etiam ſi quidpiam quod videatur in detrimentum fœderatorum vergere, publicè, non tamen data operâ, fiat; non ideo ſtatim ruptum cenſetur fœdus. Sed ſi quid publica auctoritate, & conſulto adverſus fœderis leges peccetur, aut ſi quod privatim peccatum eſt, non emendetur.

21. *Tum illo die Jupiter.*] Mureti codex, *tum tu illo die*: veteres libri plerique, *tum ille dies Jupiter*. Variantibus li-

manum sic ferito, ut ego, hunc porcum hic hodie feriam: tantoque magis ferito, quanto magis potes pollesque. Id ubi dixit [22] porcum saxo silice percussit. Sua item carmina Albani, suumque jusjurandum per suum Dictatorem suosque sacerdotes peregerunt.

Urb. cond. an. 87.

XXV. Fœdere icto, trigemini, sicut convenerat, arma capiunt. Quum sui utrosque adhortarentur, *Deos patrios, patriam ac parentes, quidquid civium domi, quidquid in exercitu sit, illorum tunc arma, illorum intueri manus:* feroces & suopte ingenio, & pleni adhortantium vocibus, in medium inter duas acies procedunt. Considerant utrinque pro castris duo exercitus, periculi magis præsentis, quam curæ expertes. quippe imperium agebatur, in tam paucorum virtute atque fortuna positum. itaque ergo [a] erecti suspensique in minime gratum spectaculum animo intenduntur. Datur signum: infestisque armis, velut acies, terni juvenes magnorum exercituum animos gerentes, concurrunt: nec his nec illis periculum suum; publicum imperium servitiumque obversatur animo: futuraque ea deinde patriæ fortuna, quam ipsi fecissent. Ut primo statim concursu increpuere arma, micantesque fulsere gladii, horror ingens spectantes perstringit: & [b] neutro inclinata spe, torpebat vox spiritusque. Consertis deinde manibus, quum jam non motus tantum corporum, agitatioque anceps telorum armorumque, sed vulnera quoque & sanguis spectaculo essent; duo Romani, super alium alius, vulneratis tribus Albanis, exspirantes corruerunt. ad quorum casum quum conclamasset gaudio Albanus exercitus, Romanas legiones [1] jam spes tota, nondum tamen cura deseruerat

INTERPRETATIO.

a *Excitati & dubii exercitus ambo advertunt animum ad certaminis haud quaquam jucundum spectaculum.*

b *Spe neutram in partem vergente, vox spectantium & anhelitus premebatur.*

NOTÆ.

bris Rhenanus scribendum censebat, *Tum die Jupiter*, quasi *dive Jupiter*. Veteres enim *Dium* pro *Deo* dicebant, ut Dium Fidium. At Sigonius conjicit legendum *tum ille Diespiter*. Erat enim hæc solennis & antiquissima formula, teste Festo lib. 10. *Silicem tenebant juraturi per Jovem hæc verba dicentes: si sciens fallo; tum me Diespiter salva urbe, arceque, bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem.* Fit autem apud Livium *dolo malo*, idem quod *si sciens fallo*: at vero *Diespiter* dictus est Jupiter, quasi diei pater ut ait Varro. Vide Turn. lib. 7. cap. 17. Advers.

22. *Porcum saxo silice percussit.*] Pluribus Diis fabulosa Antiquitas Porcum mactavit. In primis autem Jovi in feriendo fœdere porcus silice occidebatur; quod ex Livio hic. & libro etiam 9. elicimus. At Svetonius non Porcum, sed Porcam mactari solitam tradit. Sed nomine Porci veniunt mas & fœmina: verè tamen Porca fœmina in sacris mactabatur. Hinc fœdus ferire, percutere, icere dixerunt, a percussa scilicet, sive icta sue: quo alludit Virgilius lib. 6. Æn.

——— *posito certamine Reges*
Stabant, & cæsâ jungebant fœdera Porcâ.

1. *Jam spes tota, nondum tamen cura deseruerat.*] Ut de impossibilibus nemo sanus deliberat, quia inutilis omnis de illis consultatio: ita rerum omnino desperatarum cura penitus abjici solet, ac debet; si quidem frustra adhiberetur.

[a] exanimes vice unius, quem tres Curiatii circumſteterant. Forte [c] is Urb. cond. integer fuit, ut univerſis ſolus nequaquam par, ſic adverſus ſingulos an. 86. ferox. ergo, [d] ut ſegregaret pugnam eorum, capeſſit fugam, ita ratus ſecuturos, [e] ut quemque vulnere affectum corpus ſineret. Jam aliquantum ſpacii ex eo loco, ubi pugnatum eſt, aufugerat, quum reſpiciens videt magnis intervallis ſequentes: unum haud procul ab ſeſe abeſſe. in eum magno impetu redit. Et dum Albanus exercitus inclamat Curiatiis, ut opem ferant fratri, jam Horatius cæſo hoſte victor, ſecundam pugnam petebat. tum clamore, qualis ex inſperato faventium ſolet, Romani adjuvant militem ſuum: & ille defungi prælio feſtinat. Prius itaque quam alter, qui nec procul aberat, conſequi poſſet, & alterum Curiatium conficit. Jamque æquato Marte ſinguli ſupererant; ſed nec ſpe nec viribus pares. alterum [f] intactum ferro corpus & geminata victoria, ferocem [3] in certamen tertium dabat: alter feſſum vulnere, feſſum curſu trahens corpus, victuſque fratrum ante ſe ſtrage, [4] victori objicitur hoſti. nec illud prælium fuit. Romanus exultans, *Duos*, inquit, *fratrum Manibus dedi: [5] tertium cauſæ belli hujuſce, ut Romanus Albano imperet, dabo.* Male ſuſtinenti arma, gladium ſupernè jugulo defigit: jacentem ſpo-

INTERPRETATIO.

[c] *Non vulneratus erat.*

[d] *Ut ſeparatim cum unoquoque illorum dimicaret.*

[e] *Prout cuique permitteret corpus debilitatum vulneribus.*

[f] *Audaciorem ad tertium pugnam* duæ res *efficiebant*: *corpus* nempe *ſine vulnere, ac victoria duplex.*

NOTÆ.

Lubens igitur vocabulum *tota* deleverim: niſi forte *cura* non pro ſtudio ac diligentia, ſed pro angore animi accipiatur. Venùm ſic quoque redundabit adverbium *nondum*, quandoquidem hic dolor ex certa ſervitute apud Romanos augendus potiùs fuiſſe videtur, quàm eximendus tempore, (niſi admodum longo.)

2. *Exanimes vice unius.*] Gronovius legendum putat *vicem unius*, ut lib. 8. *ſuam vicem magis anxios, quam ejus cui auxilium à ſe petebantur*, &c. ſed quamvis ſæpius *vicem* dicamus, cum ſortem alicujus intelligimus, *vice* autem utamur magis pro loco & munere alterius: id tamen non eſt perpetuum. Hic certè *vice unius* malim, *quam vicem unius exanimes* pro eo quod eſt conſternati ob ſortem ſuperſtitis Horatii. Vox enim exanimis & exanimatus faciliùs cum ablativo jungitur: ut apud Cicer. pro Milone n. 62. *Nullâ conſcientiâ exanimatus.*

3. *In certamen tertium dabant.*] Hypallage: nam reverà ipſe Horatius intactum corpus & geminam victoriam afferebat ad tertium hoc certamen.

4. *Victori objicitur hoſti.*] Huic perſimilis hiſtoria ex Demarati 2. rerum Arcadicarum lib. refertur à Plutarcho 32. cap. Paralell.

5. *Tertium cauſa belli hujuſce.*] Legebatur anteà *cauſam*. Verùm non propter Curiatium bellabant Romani & Albani, ſed propter imperium. Nec facilè intellexeris quid ſignificent hæc: *tertium cauſam belli dabo*. Rectè itaque correxit Gronovius, *tertium cauſa belli hujuſce*, ut ſenſus ſit, priores duos Curiatios ſingulorum fratrum Manibus inferias dedi; tertium hunc impendam in cauſam belli, quæ eſt uter populus imperet: tertius cæſus efficiet ut cauſam obtineant Romani.

liat. Romani ovantes ac gratulantes, Horatium accipiunt: eo majore eum gaudio, [6] quò propiùs metum res fuerat. Ad ſepulturam inde ſuorum nequaquam paribus animis vertuntur, quippe imperio alteri aucti, alteri ditionis alienæ facti. Sepulcra extant, quo quiſque loco cecidit. duo Romana uno loco propius Albam, tria Albana Romam verſus; ſed diſtantia locis, ut & pugnatum eſt.

Urb. cond. an. 87. XXVI. Priuſquam inde digrederentur, roganti Mettio *ex fœdere illo quid imperaret*, imperat Tullus, *uti juventutem in armis habeat: uſurum ſe eorum opera, ſi bellum cum Vejentibus foret*. ita exercitus inde domos abducti. [1] Princeps Horatius ibat, tergemina ſpolia præ ſe gerens: cui ſoror virgo, quæ deſponſa uni ex Curiatiis fuerat, obvia [2] ante portam Capenam fuit: cognitoque ſuper humeros fratris [3] paludamento ſponſi, quod ipſa confecerat, [4] ſolvit crines, & [5] flebiliter nomine ſponſum mortuum appellat. Movet feroci juveni animum complorario ſororis, in victoria ſua, tantoque gaudio publico: Stricto itaque gladio, ſimul verbis increpans, transfigit puellam. *Abi hinc* [a] *cum immaturo amore ad ſponſum*, inquit, *oblita fratrum mor-*

INTERPRETATIO.

[a] *Amore intempeſtivo.*

NOTÆ.

6. *Quo propiùs metum res fuerat.*] Non pauci codices Mss. cum priſcis editionibus *prope metum*, quod Gronovio placet, idque ut intelligatur, dividi jubet *majore* in *magis magno*, ut ad præpoſitionem *prope* ſubaudiri etiam poſſit *magis*. Sic Tacitus Annal. 6. *Tantò acceptius in vulgum, quantò modicus privatis ædificationibus*: id eſt tantò magis acceptum, quanto ille modicus. Alia ex eodem Tacito & Seneca exempla Gronovius adducit. Verùm non ſemper Livio cum illis convenit in forma loquendi; & planius erit *eò majore cum gaudio, quò propius metum res fuerat*: (ſi quidem ita ſcriptum habet vetus liber, ut Sigonius teſtatur.) Id eſt quo magis metui vicina res fuerat, propiuſque acceſſerat ad imperii amittendi periculum.

1. *Princeps Horatius ibat.*] Primus ob honorem victoriæ in urbem regrediebatur, & cæteros anteibat.

2. *Ante portam Capenam.*] Porta urbis quâ ibatur ad oppidum Capenam, ex eo dicebatur Capena: hodie *porta Sancti Sebaſtiani*.

3. *Paludamento ſponſi.*] Nomen Paludamenti inde Varro deducit lib. 6. de Ling. Lat. quòd eo induti conſpiciuntur & fiunt palàm. Paludamenta autem ex eodem, & Feſto lib. 16. dicuntur omnia militaria inſignia & ornamenta. Nonius cap. 14. pro veſte militari accipit, quæ poſt Chlamys appellata: qua ſignificatione hic ſumit Livius. Proprie tamen auctore Iſidoro lib. 19. Origin. cap. 24. poſt Tranquillum in Cæſare, *Paludamentum* erat pallium bellicum imperatorum, cocco purpuraque & auro diſtinctum.

4. *Solvit crines.*] Ut in dolore & luctu mos eſt, quemadmodum apud Ovid. lib. 1. Triſt. eleg. 3.

Illa etiam ante lares ſparſis proſtrata capillis.

Sic & ſupra Sabinæ, cap. 13.

5. *Flebiliter ſponſum mortuum.*] Ejus orationem quâ in fratrem cum indignatione invehitur, fratriſque irati non improbabile omninò reſponſum, vide apud Dionyſ.

ſuorum

tuorum, vivique, oblita patriæ. b *Sic eat,* 6 *quæcumque Romana lugebit hoſtem.* Atrox viſum id facinus Patribus plebique : ſed 7 recens meritum facto obſtabat. tamen 8 raptus in jus ad regem. Rex, ne ipſe tam triſtis c ingratique ad vulgus judicii, aut, ſecundum judicium, ſupplicii auctor eſſet: concilio populi advocato, 9 *Duumviros,* inquit, *qui* 10 *o Horatio* 11 *perduellionem judicent* 12 *ſecundum le-*

Urb. cond. an. 92.

INTERPRETATIO.

b *Ita pereat.*

c *Judicii apud populum odioſi, & ſupplicii poſt ſententiam ſumendi.*

NOTÆ.

6. *Quæcumque Romana lugebit hoſtem.*] Vulgati libri *quæcumque Romanum*: quod quamvis Sigonio probetur, vix Latinum eſt, *Romanum hoſtem*, pro *hoſte Romanorum*: & quæ exempla illam loquendi formam probare videbantur, omnia corrupta eſſe oſtendit Gronov. ideoque Rhenanum ſequitur, cui placet *quæcumque Romana*, ut in Borbetomagenſi aliiſque ſcriptis melioris notæ codicibus legitur.

7. *Recens meritum facto obſtabat.*] Decus recens præclaræ victoriæ, qua Horatius optimè de populo meritus fuerat, retundebat, ut ita dicam, atrocitatem capitalis facinoris, occiſæ ſcilicet ſororis.

8. *Raptus in jus ad Regem.*] Sumitur hic jus figuratè pro loco ubi jus redditur. Hoc primum Romæ de parricidio capitale judicium fuit.

9. *Duumviros.*] Plura fuêre Duumvirorum genera. Hi ſunt *Duumviri Capitales*, qui in id extra ordinem creabantur, ut de perduellione alióve crimine cognoſcerent, quod in cauſa M. Manlii factum lib. 6. cap. 20. videbimus. Neque enim ordinarii eam in rem magiſtratus erant. Aliàs creati hac de cauſa Quæſtores parricidii, ac Triumviri rerum capitalium, ut habemus ex Pomponio Juris Conſulto l. 2. de Orig. Jur. §. 23. & 30. Conſulatu tamen Ciceronis, cum C. Rabirius manu ſua Saturninum Tribunum plebis necaſſet, Duumviri creati ſunt à Prætore, C. & L. Cæſares, qui de ejus perduellione judicarent: à quibus ille damnatus, provocavit ad populum, & defendente Conſule, cujus orationem habemus, abſolutus eſt, ut Dion. Caſſius memorat.

10. *Horatio ... judicent.*] Sic lib. 36. *Sempronius perduellionis ſe judicare Cn. Fulvio dixit*; ubi *judicare alicui* antiquo more dictum eſt, Græcorum quodammodo imitatione, qui κρίνειν (quod propriè ſignificat *judicare*) dicunt pro diem dicere. Hic pariter Helleniſmus eſt, quo dandi caſus pro genitivo ponitur: ut ſit *Horatii perduellionem judicent*. Neque verò de dicenda die, ſed de Judicando agitur. Hinc liquet Judicare cum dativo jungi, etiam cum ſignificat jus dicere alicui, ejus cauſam cognoſcere, illum condemnare: quâ formâ loquendi utitur vulgata in pſalmis, non ſemel.

11. *Perduellionem.*] Perduellis apud antiquos dicebatur, quem poſteà hoſtem vocarunt: hodie perduellis, ſeu perduellionis reus propriè habetur, qui hoſtili animo adverſus rempublicam, vel principem animatus eſt. Ejuſmodi autem criminis reum ideò eſſe actum Horatium cenſet Paul. Manut. quod Numa Parricidium quodvis in cognatos aut affines voluerit eſſe Perduellionem. Sigonius autem non aliam ejus rei cauſam afferri poſſe putat, quàm quod Horatius in conſpectu Regis, vel populi Romani, hominem interfecerit, quo facto civitatis imminuta majeſtas videbatur. Velcurio perduellionem idcircò dici vult, quod contra Remp. hæc cædes facta eſſet, Horatio ſupplicium privata auctoritate irrogante ſoroti; cujus ſi quod erat delictum, à magiſtratu vindicandum erat: quaſi ſic Horatius, non ſolum parricidium, ſed quodammodo majeſtatis crimen admiſerit.

12. *Secundum legem.*] Leges in genere dixit Dionyſius, quæ nemini quemquam indemnatum occidere permittunt

Urb. cond. an. 92. *gem, facio.* 13 Lex horrendi carminis erat, *Duumviri perduellionem judicent.* 14 *Si à Duumviris provocarit,* d *provocatione certato:* 15 *si vincent,* 16 *caput obnubito:* e *infelici arbori reste suspendito.* 17 *Verberato,* 18 *vel intra pomœrium, vel extra pomœrium.* Hac lege Duumviri creati, qui se absolvere non rebantur ea lege 19 ne innoxium quidem, posse, quum condemnassent; tum alter ex his, *P. Horati,* f *tibi perduellionem judico,* inquit: *I lictor, colliga manus.* Accesserat lictor, injiciebatque laqueum. tum Horatius, auctore Tullo, 20 clemente legis interprete, *Provoco,* inquit. 21 ita de provocatione certatum ad populum est. Moti homines sunt in eo judicio, maxime P. Horatio patre proclamante, *se* 22 *filiam jure cæsam*

INTERPRETATIO.

d *Persequatur appellationem reus.*
e *Ad stipitem.*
f *Adscribo tibi crimen majestatis,* te pronuncio reum parricidii.

NOTÆ.

Gruterus à Romulo latam existimat: Velcurio, inter Numæ instituta, legesque vigesimo primo loco recenset, Homicidium capite puniendum, & eadem civis pro parricidio habendam.

13. *Horrendi carminis.*] Carmen appellat concepta illa Legis verba, *Duumviri perduellionem judicent*, quemadmodum accipi hoc nomen jam observavi.

14. *Si à Duumviris provocarit:*] Reus ad populum.

15. *Si vincent:*] Duumviri apud populum, qui eorum sententiam confirmaverit.

16. *Caput obnubito.*] Caput damnati vela, aut obtege, per Lictorem tu, qui damnasti. *Obnubere* autem & nubere vetus verbum (unde nubes, & nuptiæ) pro eo quod est tegere, velare.

17. *Verberato.*] Sontes, sive securi percutiendi, sive suspendio, aut quo alio supplicio necandi, virgis prius cædebantur more Romano.

18. *Vel intra pomœrium.*] Non frustra hæc adjecta: quod nonnulla essent, quæ intra urbem non poterant ritè peragi.

19. *Ne innoxium quidem posse.*] Quidni absolvere possent, si judices creati? Aut quomodo innoxius esse poterat Horatius, qui indemnatæ sororis necem palàm intulerat? Poterat hic quidem innoxius haberi, si soror jure cæsa judicaretur. Sed Duumviri sic legem interpretabantur, quasi ex ea non de jure, sed de facto cognoscendi potestatem accepissent: idque duntaxat judicare deberent, an perduellionis, sive quod aliud atrox & perduellioni non dispar, crimen commissum esset; & sic, ut ait Gruterus, reum confessum, convictumque, parricidii damnare, nullâ distinctione admissâ, jure, an injuria id fecisset.

20. *Clemente legis interprete.*] Interpretem dicit, quod velut internuncium egerit inter reum & legem, monito Horatio quid per eam liceret. Alioquin nihil hic opus interpretatione, quasi in re dubia, cum lex ipsa provocare permitteret.

21. *Ita de provocatione certatum.*] Fœdum hic arguit mendum Tanaq. Faber, & quia paulò ante dictum est, *provocatione certato*; vult hic quoque legi: *Itaque provocatione certatum*, deleta præpositione. At mihi retinenda videtur lectio vulgaris, cujus alium sensum esse posse fatetur Faber: ut voluerit auctor post, vel propter provocationem Horatii, certatum fuisse apud populum in comitiis inter ipsum & Duumviros à quibus appellaverat. Atque hoc primum est capitale populi Judicium.

22. *Filiam jure cæsam.*] Patris præjudicium maximi ponderis fuit, tum ex jure patriæ potestatis; tum quod qui vindex esse debuerat filiæ, eadem ejus probabat.

Digitized by Google

judicare. ni ita esset, [23] *patrio jure in filium animadversurum*. Orabat deinde, *ne se, quem paulo ante cum egregia stirpe conspexissent, orbum liberis facerent*. Inter hæc senex juvenem amplexus, spolia Curiatiorum fixa eo loco, qui nunc [24] Pila Horatia appellatur, ostentans, *Hunccine*, ajebat, *quem modo decoratum ovantemque victoriâ incedentem vidistis, Quirites, eum sub furca vinctum inter verbera & cruciatus videre potestis? quod vix Albanorum oculi tam deforme spectaculum ferre possent. [25] I, lictor, colliga manus, quæ paulo ante armatæ imperium populo Romano peperierunt. I, caput obnube, liberatoris urbis hujus. Arbori infelici suspende: verbera vel intra pomœrium, modo [26] inter illa pila, & spolia hostium: vel extra pomœrium, modo intra sepulcra Curiatiorum. Quò enim ducere hunc juvenem potestis, ubi non sua decora eum à tanta fœditate supplicii vindicent?* Non tulit populus nec patris lacrymas, nec ipsius parem in omni periculo animum: absolveruntque [27] admiratione magis virtutis, quam jure causæ. Itaque ut cædes manifesta aliquo tamen piaculo lueretur, [28] imperatum patri, filium expiaret pecuniâ publicâ. Is quibusdam piacularibus sacrificiis factis, quæ deinde genti Horatiæ tradita sunt, transmisso per viam tigillo, capite adoperto, [29] velut sub jugum misit juvenem. Id

Urb. cond. an. 92.

NOTÆ.

23. *Patrio jure*.] Patria potestas, qua parentibus jus vitæ ac necis in liberos erat, licet duodecim tabulis sancita; tamen vetustior erat his legibus apud Romanos, à Romulo nempe constituta. Neque jus illud parentibus ademptum à Numa: quamvis post permissas filio à patre nuptias, quibus uxorem sacrorum bonorumque impositarum participem erat habiturus; jus filium deinde vendendi abstulisse patri perhibeatur à Dionysio; qui de hac re tota latè differit lib. 2.

24. *Pila Horatia*.] Columella fuit, cui affixa fuerunt Curiatiorum spolia. Sed spoliis vetustate consumptis, columella remansit ad tempus Halicarnassei, posita in angulo, à quo altera fori basilica incipiebat.

25. *I, Lictor colliga manus*.] Repetuntur ad invidiam verba Duumviri jubentis de more vinciri nocentem, de quo sumendum esset supplicium.

26. *Inter illa Pila*.] Nec *Pilum* in neutro genere pro columna alibi facile occurrit: & Dionysius unius tantum Pilæ Horatiæ meminit. Quid si *inter illa Pila spolia hostium?* id est *ad* vel *juxta* illa spolia hostium affixa Pilæ.

27. *Admiratione magis virtutis*.] Ingeniosè Florus: *Citavere leges nefas: sed absolutis virtus parricidam, & facinus in gloriam fuit*.

28. *Imperatum Patri*.] Hæc jussa regis à Pontificibus curata Dionysius tradit: à quibus positæ aræ duæ, altera Junoni cui jura Sororia Curæ; altera Jano patrio numini, ad quas Horatiæ & Curiationum manes vocati.

29. *Velut sub jugum*.] Cur ita? Quia opinor perduellis sive hostis pronunciatus à Duumviris fuerat Horatius: hostes verò devicti sub jugum mitti solebant. Hoc itaque servitutis externæ imitamento, satisfactum aliquatenus judicio Duumvirorum videri voluit Horatius pater. Moris enim Romani fuisse videtur, ut civi de cujus capite Judicium erat, perduellio ante judicaretur, id est perduellis sive hostis patriæ pronunciaretur: eoque nomine civium numero exemptus, atque in peregrinitatem redactus, supplicio afficeretur. Nam de Cive Romano capitale supplicium aliter sumere non licebat, quemadmodum Rævardus probat ad leges XII. tab.

hodie quoque publice ſemper refectum manet. 30 *Sororium tigillum* vocant. 31 Horatiæ ſepulcrum, quo loco corruerat icta, conſtructum eſt ſaxo quadrato.

Urb. cond. an. 95. XXVII. Nec diu a pax Albana mānſit. 1 invidia vulgi, quod tribus militibus fortuna publica commiſſa fuerit, vanum ingenium dictatoris corrupit: & quoniam recta conſilia haud bene evenerant, pravis reconciliare popularium animos cœpit. Igitur, ut prius in bello pacem, ſic in pace bellum quærens, quia ſuæ civitati animorum plus quàm virium cernebat eſſe, ad bellum palam atque 2 ex edicto gerendum, alios concitat populos: ſuis per ſpeciem ſocietatis proditionem reſervat. 3 Fidenates colonia Romana, Vejentibus ſociis conſilii aſſumptis, pacto 6 tranſitionis Albanorum, ad bellum atque arma incitantur. Quum Fidenæ apertè deſciſſent, Tullus Mettio exercituque ejus ab Alba accito, contra hoſtes ducit. ubi Anienem tranſiit; ad confluentes collocat caſtra. Inter eum locum & Fidenas, Vejentium exercitus Tiberim tranſierat. Hi & in acie prope flumen tenuere dextrum cornu: in ſiniſtro Fidenates propius montes conſiſtunt. Tullus adverſus Vejentem hoſtem dirigit ſuos: Albanos contra legionem Fidenatium collocat. Albano 4 non plus animi erat, quam fidei. nec manere ergo, nec tranſire apertè auſus, ſenſim ad montes ſuccedit. Inde ubi ſatis ſubjiſſe ſeſe ratus eſt, c erigit totam aciem: fluctuanſque animo, ut tereret

INTERPRETATIO.

a *Albanorum* cum Romanis *fœdus*.
b *Promiſſa Albanorum defectione* à Romanis ad Fidenates & Vejentes.
c *Totum exercitum in locum editum adducit*.

NOTÆ.

30. *Sororium Tigillum*.] Tignum illud ſeu lignum infixum duobus adverſis parietibus, unà cum aris, adhuc tempore Auguſti viſebatur in Angiportu, qui ducit à Carinis ad Cyprium vicum.

31. *Horatia ſepulcrum*.] Scribit Dionyſius eam fuiſſe Patris Horatii ſive duritiem in filiam, ſive caritatem in patriam; ut nec illius cadaver domum referri, nec majorum monumento inferri permiſerit, aut ſolennibus exequiis eam dignatus ſit: ſed deſtitutam curâ domeſtica, eo loco, ubi confoſſa fuerat, lapidibus, glebiſque à prætereuntibus obrutam, quæ prima ipſi ſepultura.

1. *Invidia vulgi*.] Mettii Dictatoris Albani ingenium inſtabile, perverti ſe paſſum eſt, ob invidiam & odium, quo apud plebem ſuam laborabat, eò quòd totius populi ſortem tribus Curiatiis commiſiſſet.

2. *Ex edicto*.] Edicta ſunt juſſa principum, aut magiſtratuum publicè propoſita ut omnibus innoteſcant. An ex *indicto* ut notetur ritus indicendi ſolenniter belli?

3. *Fidenates Colonia Romana*.] Romulus Coloniam Fidenas deduxerat poſt tertium cum Fidenatibus bellum. Nam hic quartum inchoatur, ad quod gerendum ſe comparaverat Tullus, quod illi pro illatis injuriis ſatisfacere detrectaſſent, & nihil ſibi cum Romanis poſt mortem Romuli commune eſſe declaraſſent. Dionyſ.

4. *Non plus animi erat, quam fidei*.] Nec ſatis fidi Romanis erant Albani ad permanendum in eorum ſocietate: nec animorum ſatis habebant ad deſciſcendum apertè ab ipſis.

tempus, ordines explicat. Consilium erat, [d] quâ fortuna rem daret, eâ inclinare vires. Miraculo primo esse Romanis, qui proximi steterant, ut nudari latera sua sociorum digressu sensérunt: inde eques citato equo nunciat regi *abire Albanos*. Tullus in re trepida duodecim vovit Salios, fanaque Pallori ac Pavori, equitem clarâ increpans voce, ut hostes exaudirent, *redire in prælium jubet: Nihil trepidatione opus esse: suo jussu circumduci Albanum exercitum, ut Fidenatium nuda terga invadant.* 5 idem imperat, ut *hastas equites erigere jubeat*. Id factum, magnæ parti peditum Romanorum conspectum abeuntis Albani exercitus intersepsit. [e] qui viderant, id quod ab rege auditum erat, rari, eo acrius pugnant. Terror ad hostes transit, & audiverant clarâ voce dictum: & magna pars Fidenatium, ut [6] qui coloni additi Romanis essent, Latine sciebant. Itaque ne subito ex collibus decursu Albanorum intercluderentur ab oppido, terga vertunt. Instat Tullus, fusoque Fidenatium cornu, in Vejentem alieno pavore perculsum ferocior redit. Nec illi tulere impetum: sed ab effusa fuga flumen objectum à tergo arcebat. Quò postquam fuga inclinavit; alii arma fœde jactantes, in aquam cæci ruebant; alii, dum cunctantur in ripis, inter fugæ pugnæque consilium oppressi.

XXVIII. Non alia ante Romana pugna atrocior fuit. Tum Albanus exercitus spectator certaminis, deductus in campos. Mettius [1] Tullo Urb. cond. an. 95.

INTERPRETATIO.

d *Copias suas in eam partem inclinare, cui fors faveret.*

e *Qui* Romanorum *conspexerant* Albanorum discessum, *persuasi verum esse quod audierant à rege* dici.

NOTÆ.

5. *Idem imperat.*] Tullus equiti, qui Albanorum discessum nunciaverat.

6. *Qui Coloni additi Romanis essent.*] Tan. Faber, *ut queis coloni additi Romani essent.* Fortè verior scriptura sensu eodem, *ut qui coloni additi è Romanis essent*, id est quorum plerique erant Coloni Fidenas deducti è numero civium Romanorum.

1. *Tullo devictos hostes gratulatur.*] Priùs, ut fidam Romanis operam se præstare ostenderet, Mettius fugientes Fidenates acriter Tulli jussu persecutus fuerat, & sibi attributum ab eo equitatum sub occasum Solis reduxerat in castra Romana. Tullus autem intra Vejentium Vallum usque ad primam vigiliam mansit, ubi postquàm, inquisitione ex captivorum nobilissimis habita, de Albanorum defectione, Mettii aliorumque primatum eam in rem in consiliis certior factus est; in urbem de nocte cum fidissimis properat; convocatoque Senatu, cum cæteri ne irritatis Albanis hostium numerus augeretur, ancipites hærerent; ipse Albam diruendam, civesque Romam transferendos censuit, ne quid imposterum novare possent; ac rei exequendæ rationem aperuit: tum facto secundum ejus sententiam Senatusconsulto, in castra reversus ante lucem, M. Horatium Curiatiorum victorem cum copiis Albam mittit. Tum Tribunos & Centuriones monet quid facto opus: ac paulò post adveniente gratulationis causâ Mettio, ab eo postulavit ut nomina sibi scripta daret Albanorum, quorum maximè egregia in prœlio fuisset opera, quasi eos remuneraturus. Quâ spe Mettius fidissimos, & secreti participes in tabella notatos obtulit, ut Tullus conjecerat. Hic

Urb. cond. an. 95. devictos hostes gratulatur : contra Tullus Mettium benigne alloquitur. *Quod bene vertat, castra Albanos Romanis castris jungere* jubet : [2] sacrificium lustrale in diem posterum parat. Ubi illuxit, paratis omnibus, ut assolet, *vocari ad concionem utrumque exercitum* jubet. Præcones ab extremo orsi, primos excivere Albanos : hi novitate etiam rei moti, ut regem Romanum concionantem audirent, proximi consistère. Ex composito armata [a] circumdatur [3] Romana legio. centurionibus datum negotium erat, ut sine mora imperia exequerentur. Tum ita Tullus infit : *Romani, si unquam antè alias ullo in bello fuit, quod primum Dis immortalibus gratias agere-tis, deinde vestræ ipsorum virtuti ; hesternum id prælium fuit. Dimicatum est enim non magis cum hostibus, quam, quæ dimicatio major ac periculosior est, cum proditione ac perfidia sociorum. Nam, ne vos falsa opinio teneat, injussu meo Albani subiere ad montes. nec imperium illud meum, [4] sed consilium, & imperii simulatio fuit : ut nec vobis, ignorantibus deseri vos, averteretur à certamine animus, & hostibus circumveniri se à tergo ratis, terror ac fuga injiceretur. [5] Nec ea culpa, quam arguo, omnium Albanorum est. ducem secuti sunt : ut & vos, si quò ego inde agmen declinare voluissem, feciſſetis. Mettius ille est ductor itineris hujus. Mettius idem hujus machinator belli, Mettius fœderis Romani Albanique ruptor. Audeat deinde talia alius nisi in hunc insigne jam documentum mortalibus dedero.* Centuriones armati circumsistunt. rex extera, ut orsus erat, peragit. *Quod bonum, faustum, felixque sit populo Romano, ac mihi vobisque, Albani : populum omnem Albanum Romam traducere in animo est : [6] civitatem dare plebi, primores in Patres legere, unam urbem, unam rempublicam facere. Ut ex uno quondam [7] in duos populos divisa Al-*

INTERPRETATIO.

[a] *Milites Romani circumfunduntur*, & Albanos ambiunt.

NOTÆ.

statim edixit ut milites ad concionem, positis armis, convenirent : clam nihilominùs jussis fortissimis suorum, ut brevem gladium sub vestibus afferrent. Dionys.

2. *Sacrificium lustrale.*] De hoc sacrificio infra cap. 44.

3. *Romana legio.*] Pro Legionibus, Legionem dixit : plures enim jam tum fuêre legiones, quarum & paulò post auctus ex ipsis Albanis numerus. cap. 30.

4. *Sed consilium fuit.*] Sed meum fuit Stratagema & commentum bellicum : cujusmodi, astutiarum utilissima exempla collegerunt Polyænus Græcè, Frontinus Latinè.

5. *Nec ea culpa omnium Albanorum.*] In socios tamen proditionis Tullus animadvertit.

6. *Civitatem dare plebi.*] Non tantum civitatem in tribus & Curias Romanas ascitis Albanis se daturum promisit Hostilius : sed & egenis prædia de publico divisurum, quâ re læti plerique minùs de Mettio fuere soliciti.

7. *In duos populos.*] Cum scilicet Roma condita est, ex Albanis maximam partem constans, & verè Albanorum colonia.

bona res est ; sic nunc in unum redeat. Ad hæc, Albana pubes inermis ab armatis septa [8] in variis voluntatibus, communi tamen metu cogente, silentium tenet. Tum Tullus. *Metti Fuffeti*, inquit, *si ipse discere posses fidem ac fœdera servare ; vivo tibi* [b] *ea disciplina à me adhibita esset. Nunc quoniam tuum insanabile ingenium est ; at tu tuo supplicio doce humanum genus* [9] *ea sancta credere ; quæ à te violata sunt. Ut igitur paulo ante animum* [c] *inter Fidenatem Romanamque rem ancipitem gessisti, ita jam corpus passim distrahendum dabis*. Exinde, duabus [10] admotis quadrigis, in currus earum distentum illigat Mettium. deinde in diversum iter equi concitati, lacerum in utroque curru corpus, qua inhæserant vinculis membra, [11] portantes. Avertêre omnes à tanta fœditate spectaculi oculos. Primum ultimumque illud [12] supplicium apud Romanos exempli [13] parum memoris [14] legum humanarum fuit. in aliis gloriari licet, nulli gentium [15] mitiores placuisse pœnas.

XXIX. Inter hæc jam præmissi [7] Albam erant equites, qui multi- Urb. cond. an. 95.

INTERPRETATIO.

[b] *Ejus rei præcepta.*
[c] *Inter Fidenatium & Romanorum partes.*

NOTÆ.

8. *In variis voluntatibus*.] Cum aliis non displicerent oblatæ à Tullo conditiones; plures, suum Patriæque casum vehementer dolerent.

9. *Ea sancta credere*.] Fidem nempe ac fœdera jurejurando sancita.

10. *Admotis quadrigis*.] Hoc supplicii genus legimus apud Plutarchum Parall. cap. 13. inventum esse ab Hercule, qui cum Pyrechmen Eubææ Regem bellum Bœotis inferentem vicisset, eum pullis equinis alligavit, in duas partes distrahendum. Mettius Fuffetius priùs flagris laceratus, longis deinde ioris, hinc brachiis ad alteram bigam, vel quadrigam, inde pedibus ad alteram revinctis, cum equos aurigæ agerent in contraria, discerptus raptatusque est.

11. *Portantes avertêre*.] Quidam sic distinguunt, ut vox *portantes* finiat periodum, & sic supplendum erit verbum, veluti *visi sunt*; vel potius *concitati* sunt. Alii continuatè legunt, ut equi *concitati*, &c. *membra portantes averterint omnes oculos*. Quâ ratione Glareanus mavult *omnium* (nimirum *oculos*.) quam omnes. Quâ ratione, si quis deleverit nomen *oculos*, nihil ad sensum deesse comperiet.

12. *Supplicium.... exempli*.] Exemplum hic sumi videtur pro modo rei agendæ in iis, quæ documento esse possunt.

13. *Parum memoria*.] Id est, parum curantis, non sollicitæ; ut *immemor herbarum, quos est mirata juvenca*. Exemplo tribuit per hypallagen, quod propriè exempli, sive facti illius auctori convenit.

14. *Legum humanarum*.] Rhenanus cogitandum ait num scribi possit *Legum Romanarum*: sequitur enim *in aliis gloriari licet, &c.* Id Sigonio non placet: quòd tum à veteribus Mss. tum à Varrone dissideat, qui ita scribit: *Mettium Fuffetium propter perfidiam interfecit, penè imperiosiùs, quàm humaniùs*. Potest & humanas leges auctor intellexisse, non tantum ad hominem pertinentes, sed ad humanitatem temperatas.

15. *Mitiores*.] Crux tamen, autè Tarpeja rupe. post crudeles virgarum flagrorumve laniatus in præceps dejectio, non adeò mitia supplicia sunt, ut de eorum lenitate gloriari oporteat.

manum sic ferito, ut ego, hunc porcum hic hodie feriam: tantoque magis ferito, quanto magis potes pollesque. Id ubi dixit 21 porcum saxo silice percussit. Sua item carmina Albani, suumque jusjurandum per suum Dictatorem suosque sacerdotes peregerunt.

Urb. cond. an. 87.

XXV. Fœdere icto, trigemini, sicut convenerat, arma capiunt. Quum sui utrosque adhortarentur, *Deos patrios, patriam ac parentes, quidquid civium domi, quidquid in exercitu sit, illorum tunc arma, illorum intueri manus:* feroces & suopte ingenio, & pleni adhortantium vocibus, in medium inter duas acies procedunt. Considerant utrinque pro castris duo exercitus, periculi magis præsentis, quam curæ expertes. quippe imperium agebatur, in tam paucorum virtute atque fortuna positum. itaque ergo a erecti suspensique in minime gratum spectaculum animo intenduntur. Datur signum: infestisque armis, velut acies, terni juvenes magnorum exercituum animos gerentes, concurrunt: nec his nec illis periculum suum; publicum imperium servitusque obversatur animo: futuraque ea deinde patriæ fortuna, quam ipsi fecissent. Ut primo statim concursu increpuere arma, micantesque fulsere gladii, horror ingens spectantes perstringit: & b neutro inclinata spe, torpebat vox spiritusque. Consertis deinde manibus, quum jam non motus tantum corporum, agitatioque anceps telorum armorumque, sed vulnera quoque & sanguis spectaculo essent; duo Romani, super alium alius, vulneratis tribus Albanis, exspirantes corruerunt. ad quorum casum quum conclamasset gaudio Albanus exercitus, Romanas legiones 1 jam spes tota, nondum tamen cura deseruerat

INTERPRETATIO.

a *Excitati & dubii exercitus ambo advertunt animum ad certaminis haud quaquam jucundum spectaculum.*

b *Spe neutram in partem vergente, vox spectantium & anhelitus premebatur.*

NOTÆ.

bris Rhenanus scribendum censebat, *Tum die Jupiter*, quasi *dive Jupiter*. Veteres enim *Dium* pro *Deo* dicebant, ut Dium Fidium. At Sigonius conjicit legendum *tum ille Diespiter*. Erat enim hæc solennis & antiquissima formula, teste Festo lib. 10. *Silicem tenebant juraturi per Jovem hæc verba dicentes: si sciens fallo; tum me Diespiter salva urbe, arceque, bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem.* Est autem apud Livium *dolo malo*, idem quod *si sciens fallo*. at vero *Diespiter* dictus est Jupiter, quasi diei pater ut ait Varro. Vide Turn. lib. 7. cap. 17. Adverss.

21. *Porcum saxo silice percussit.*] Pluribus Diis laudatis Antiquitus Porcum mactavit. In primis autem Jovi in feriendo fœdere porcus silice occidebatur; quod ex Livio hic. & libro etiam 9. elicimus. At Svetonius non Porcum, sed Porcam mactari solitam tradit. Sed nomine Porci veniunt mas & fœmina: verè tamen Porca fœmina in sacris mactabatur. Hinc fœdus ferire, percutere, icere dixerunt, a percussa scilicet, sive icta sue: quo alludit Virgilius lib. 6. Æn.

——— *posito certamine Reges*
Stabant, & casâ jungebant fœdera Porcâ.

1. *Jam spes tota, nondum tamen cura deseruerat.*] Ut de impossibilibus nemo sanus deliberat, quia inutilis omnis de illis consultatio: ita rerum omnino desperatarum cura penitus abjici solet, ac debet; si quidem frustra adhiberetur.

[2] exanimes vice unius, quem tres Curiatii circumſteterant. Forte[c] is integer fuit, ut univerſis ſolus nequaquam par, ſic adverſus ſingulos ferox. ergo,[d] ut ſegregaret pugnam eorum, capeſſit fugam, ita ratus ſecuturos, [e] ut quemque vulnere affectum corpus ſineret. Jam aliquantum ſpacii ex eo loco, ubi pugnatum eſt, aufugerat, quum reſpiciens videt magnis intervallis ſequentes: unum haud procul ab ſeſe abeſſe. in eum magno impetu redit. Et dum Albanus exercitus inclamat Curiatiis, ut opem ferant fratri, jam Horatius cæſo hoſte victor, ſecundam pugnam petebat. tum clamore, qualis ex inſperato faventium ſolet, Romani adjuvant militem ſuum: & ille defungi prælio feſtinat. Prius itaque quam alter, qui nec procul aberat, conſequi poſſet, & alterum Curiatium conficit. Jamque æquato Marte ſinguli ſupererant; ſed nec ſpe nec viribus pares. alterum [f] intactum ferro corpus & geminata victoria, ferocem [3] in certamen tertium dabat: alter feſſum vulnere, feſſum curſu trahens corpus, victuſque fratrum ante ſe ſtrage, [4] victori objicitur hoſti. nec illud prælium fuit. Romanus exultans, *Duos*, inquit, *fratrum Manibus dedi:* [5] *tertium cauſæ belli hujuſce, ut Romanus Albano imperet, dabo.* Male ſuſtinenti arma, gladium ſupernè jugulo defigit: jacentem ſpo- Urb. cond. an. 86.

INTERPRETATIO.

c *Non vulneratus erat.*

d *Ut ſeparatim cum unoquoque illorum dimicaret.*

e *Prout cuique permitteret corpus debilitatum vulneribus.*

f *Audaciorem ad tertium pugnam* duæ res *efficiebant: corpus* nempe *ſine vulnere, ac victoria duplex.*

NOTÆ.

Lubens igitur vocabulum *tota* deleverim: niſi forte *cura* non pro ſtudio ac diligentia, ſed pro angore animi accipiatur. Verùm ſic quoque redundabit adverbium *nondum*, quandoquidem hic dolor ex certa ſervitute apud Romanos augendus potiùs fuiſſe videtur, quàm eximendus tempore, (niſi admodum longo.)

2. *Exanimes vice unius.*] Gronovius legendum putat *vitem unius*, ut lib. 8. *ſuam vicem magis anxios, quam ejus cui auxilium à ſe petebantur, &c.* ſed quamvis ſæpius *vicem* dicamus, cum ſortem alicujus intelligimus, *vice* autem utamur magis pro loco & munere alterius: id tamen non eſt perpetuum. Hic certè *vice unius* malim, *quàm vicem unius exanimes* pro eo quod eſt conſternati ob ſortem ſuperſtitis Horatii. Vox enim exanimis & exanimatus faciliùs cum ablativo jungitur: ut apud Cicer. pro Milone n. 62. *Nullâ conſcientiâ exanimatus.*

3. *In certamen tertium dabant.*] Hypallage: nam reverà ipſe Horatius intactum corpus & geminam victoriam afferebat ad tertium hoc certamen.

4. *Victori objicitur hoſti.*] Huic perſimilis hiſtoria ex Demarati 2. rerum Arcadicarum lib. refertur à Plutarcho 32. cap. Paralell.

5. *Tertium cauſa belli hujuſce.*] Legebatur anteà *cauſam*. Verùm non propter Curiatium bellabant Romani & Albani, ſed propter imperium. Nec facilè intellexeris quid ſignificent hæc: *tertium cauſam belli dabo*. Rectè itaque correxit Gronovius, *tertium cauſa belli hujuſce*, ut ſenſus ſit, priores duos Curiatios ſingulorum fratrum Manibus inferias dedi; tertium hunc impendam in cauſam belli, quæ eſt uter populus imperet: tertius exſtus efficiet ut cauſam obtineant Romani.

Digitized by Google

liat. Romani ovantes ac gratulantes, Horatium accipiunt: eo majore eum gaudio, [6] quò propiùs metum res fuerat. Ad ſepulturam inde ſuorum nequaquam paribus animis vertuntur, quippe imperio alteri aucti, alteri ditionis alienæ facti. Sepulcra extant, quo quiſque loco cecidit. duo Romana uno loco propius Albam, tria Albana Romam verſus; ſed diſtantia locis, ut & pugnatum eſt.

Urb. cond. an. 87. XXVI. Priuſquam inde digrederentur, roganti Mettio *ex fœdere icto quid imperaret*, imperat Tullus, *uti juventutem in armis habeat: uſurum ſe eorum opera, ſi bellum cum Vejentibus foret*. ita exercitus inde domos abducti. [1] Princeps Horatius ibat, tergemina ſpolia præ ſe gerens: cui ſoror virgo, quæ deſponſa uni ex Curiatiis fuerat, obvia [2] ante portam Capenam fuit: cognitoque ſuper humeros fratris [3] paludamento ſponſi, quod ipſa confecerat, [4] ſolvit crines, & [5] flebiliter nomine ſponſum mortuum appellat. Movet feroci juveni animum comploratio ſororis, invictoria ſua, tantoque gaudio publico: Stricto itaque gladio, ſimul verbis increpans, transfigit puellam. *Abi hinc a cum immaturo amore ad ſponſum*, inquit, *oblita fratrum mor-*

INTERPRETATIO.

a *Amore intempeſtivo.*

NOTÆ.

6. *Quo propiùs metum res fuerat.*] Non pauci codices Mss. cum priſcis editionibus *prope metum*, quod Gronovio placet, idqueut intelligatur, dividi jubet *majore* in *magis magno*, ut ad præpoſitionem *prope* ſubaudiri etiam poſſit *magis*. Sic Tacitus Annal. 6. *Tantò acceptiùs in vulgum, quantò modicus privatis ædificationibus*: id eſt tantò magis acceptum, quanto ille modicus. Alia ex eodem Tacito & Seneca exempla Gronovius adducit. Verùm non ſempet Livio cum illis convenit in forma loquendi; & planius erit *eò majore cum gaudio, quò propius metum res fuerat*: (ſi quidem ita ſcriptum habet vetus liber, ut Sigonius teſtatur.) Id eſt quo magis metui vicina res fuerat, propiuſque acceſſerat ad imperii amittendi periculum.

1. *Princeps Horatius ibat.*] Primus ob honorem victoriæ in urbem regrediebatur, & cæteros anteibat.

2. *Ante portam Capenam.*] Porta urbis quâ ibatur ad oppidum Capenam, ex eo dicebatur Capena: hodie *porta Sancti Sebaſtiani*.

3. *Paludamento ſponſi.*] Nomen Paludamenti inde Varro deducit lib. 6. de Ling. Lat. quòd eo induti conſpiciuntur & fiunt palàm. Paludamenta autem ex eodem, & Feſto lib. 16. dicuntur omnia militaria inſignia & ornamenta. Nonius cap. 14. pro veſte militari accipit, quæ poſt Chlamys appellata: qua ſignificatione hic ſumit Livius. Propriè tamen auctore Iſidoro lib. 19. Origin. cap. 24. poſt Tranquillum in Cæſare, *Paludamentum* erat pallium bellicum imperatorum, cocco purpuraquè & auro diſtinctum.

4. *Solvit crines.*] Ut in dolore & luctu mos eſt, quemadmodum apud Ovid. lib. 1. Triſt. eleg. 3.

Illa etiam ante lares ſparſis proſtrata capillis.

Sic & ſupra Sabinæ, cap. 13.

5. *Flebiliter ſponſum mortuum.*] Ejus orationem quâ in fratrem cum indignatione invehitur, fratriſque irati non improbabile omninò reſponſum, vide apud Dionyſ.

ruorum, vivique, oblita patriæ. [b] *Sic eat,* [6] *quacumque Romana lugebit hoſtem.* Atrox viſum id facinus Patribus plebique : ſed [7] recens meritum facto obſtabat. tamen [8] raptus in jus ad regem. Rex, ne ipſe tam triſtis [c] ingratique ad vulgus judicii, aut, ſecundum judicium, ſupplicii auctor eſſet: concilio populi advocato, [9] *Duumviros,* inquit, *qui* [10] *Horatio* [11] *perduellionem judicent* [12] *ſecundum le-* Urb. cond. an. 92.

INTERPRETATIO.

b *Ita pereat.*

c *Judicii apud populum odioſi, & ſupplicii poſt ſententiam ſumendi.*

NOTÆ.

6. *Quacumque Romana lugebit hoſtem.*] Vulgati libri *quacumque Romanum:* quod quamvis Sigonio probetur, vix Latinum eſt, *Romanum hoſtem*, pro *hoſte Romanorum*: & quæ exempla illam loquendi formam probare videbantur, omnia corrupta eſſe oſtendit Gronov. Ideoque Rhenanum ſequitur, cui placet *quacumque Romana*, ut in Borbetomagenſi aliiſque ſcriptis melioris notæ codicibus legitur.

7. *Recens meritum facto obſtabat.*] Decus recens præclaræ victoriæ, qua Horatius optimè de populo meritus fuerat, retundebat, ut ita dicam, atrocitatem capitalis facinoris, occiſæ ſcilicet ſororis.

8. *Raptus in jus ad Regem.*] Sumitur hic jus figuratè pro loco ubi jus redditur. Hoc primum Romæ de parricidio capitale judicium fuit.

9. *Duumviros.*] Plura fuêre Duumvirorum genera. Hi ſunt *Duumviri Capitales*, qui in id extra ordinem creabantur, ut de perduellione alióve crimine cognoſcerent, quod in cauſa M. Manlii factum lib. 6. cap. 20. videbimus. Neque enim ordinarii eam in rem magiſtratus erant. Aliàs creati hac de cauſa Quæſtores parricidii, ac Triumviri rerum capitalium, ut habemus ex Pomponio Juris Conſulto l. 2. de Orig. Jur. §. 23. & 30. Conſulatu tamen Ciceronis, cum C. Rabirius manu ſua Saturninum Tribunum plebis necaſſet, Duumviri creati ſunt à Prætore, C. & L. Cæſares, qui de ejus perduellione judicarent: à quibus ille damnatus, provocavit ad populum, & defendente Conſule, cujus orationem habemus, abſolutus eſt, ut Dion. Caſſius memorat.

10. *Horatio ... judicent.*] Sic lib. 36. *Sempronius perduellionis ſe judicare Cn. Fulvio dixit*; ubi *judicare alicui* antiquo more dictum eſt, Græcorum quodammodo imitatione, qui κρίνειν (quod propriè ſignificat *judicare*) dicunt pro diem dicere. Hic pariter Helleniſmus eſt, quo dandi caſus pro genitivo ponitur: ut ſit *Horatii perduellionem judicent*. Neque verò de dicenda die, ſed de Judicando agitur. Hinc liquet Judicare cum dativo jungi, etiam cum ſignificat jus dicere alicui, ejus cauſam cognoſcere, illum condemnare: quâ formâ loquendi utitur vulgata in pſalmis, non ſemel.

11. *Perduellionem.*] Petduellis apud antiquos dicebatur, quem poſteà hoſtem vocarunt: hodie perduellis, ſeu perduellionis reus propriè habetur, qui hoſtili animo adverſus rempublicam, vel principem animatus eſt. Ejuſmodi autem criminis reum ideò eſſe actum Horatium cenſet Paul. Manut. quod Numa Parricidium quodvis in cognatos aut affines voluerit eſſe Perduellionem. Sigonius autem non aliam ejus rei cauſam afferri poſſe putat, quàm quod Horatius in conſpectu Regis, vel populi Romani, hominem interfecerit, quo facto civitatis imminuta majeſtas videbatur. Velcurio perduellionem idcircò dici vult, quod contra Remp. hæc cædes facta eſſet, Horatio ſupplicium privata auctoritate irrogante ſorori; cujus ſi quod erat delictum, à magiſtratu vindicandum erat: quaſi ſic Horatius, non ſolum parricidium, ſed quodammodo majeſtatis crimen admiſerit.

12. *Secundum legem.*] Leges in genere dixit Dionyſius, quæ nemini quemquam indemnatum occidere permittunt

Urb. cond. an. 92.

gem, facio. 13 Lex horrendi carminis erat, *Duumviri perduellionem judicent.* 14 *Si à Duumviris provocarit,* d *provocatione certato:* 15 *si vincent,* 16 *caput obnubito:* e *infelici arbori reste suspendito.* 17 *Verberato,* 18 *vel intra pomœrium, vel extra pomœrium.* Hac lege Duumviri creati, qui se absolvere non rebantur ea lege 19 ne innoxium quidem, posse, quum condemnassent; tum alter ex his, *P. Horati,* f *tibi perduellionem judico,* inquit: *I lictor, colliga manus.* Accesserat lictor, injiciebatque laqueum. tum Horatius, auctore Tullo, 20 clemente legis interprete, *Provoco,* inquit. 21 ita de provocatione certatum ad populum est. Moti homines sunt in eo judicio, maxime P. Horatio patre proclamante, *se* 22 *filiam jure cæsam*

INTERPRETATIO.

d *Persequatur appellationem reus.*
e *Ad stipitem.*
f *Adscribo tibi crimen majestatis,* te pronuncio reum parricidii.

NOTÆ.

Glareanus à Romulo latam existimat: Velcurio, inter Numæ instituta, legesque vigesimo primo loco recenset, Homicidium capite puniendum, & cædem civis pro parricidio habendam.

13. *Horrendi carminis.*] Carmen appellat conceptæ illa Legis verba, *Duumviri perduellionem judicent*, quemadmodum accipi hoc nomen jam observavi.

14. *Si à Duumviris provocarit:*] Reus ad populum.

15. *Si vincent.*] Duumviri apud populum, qui eorum sententiam confirmaverit.

16. *Caput obnubito:*] Caput damnati vela, aut obtege, per Lictorem tu, qui damnasti. *Obnubere* autem & nubere vetus verbum (unde nubes, & nuptiæ) pro eo quod est tegere, velare.

17. *Verberato.*] Sontes, sive securi percutiendi, sive suspendio, aut quo alio supplicio necandi, virgis prius cædebantur more Romano.

18. *Vel intra pomœrium.*] Non frustra hæc adjecta: quod nonnulla essent, quæ intra urbem non poterant ritè peragi.

19. *Ne innoxium quidem posse.*] Quidni absolvere possent, si judices creati? Aut quomodo innoxius esse poterat Horatius, qui indemnatæ sororis necem palam intulerat? Poterat hic quidem innoxius haberi, si soror jure cæsa judicaretur. Sed Duumviri sic legem interpretabantur, quasi ex ea non de jure, sed de facto cognoscendi potestatem accepissent: idque dumtaxat judicare deberent, an perduellionis, sive quod aliud atrox & perduellioni non dispar, crimen commissum esset; & sic, ut ait Gruterus, reum confessum, convictumque, parricidii damnare, nullâ distinctione admissâ, jure, an injuria id fecisset.

20. *Clemente legis interprete.*] Interpretem dicit, quod velut internuncium egerit inter reum & legem, monito Horatio quid per eam liceret. Alioquin nihil hic opus interpretatione, quasi in re dubia, cum lex ipsa provocare permitteret.

21. *Ita de provocatione certatum.*] Fœdum hic arguit mendum Tanaq. Faber, & quia paulò ante dictum est, *provocatione certato*; vult hic quoque legi: *Itaque provocatione certatum*, deleta præpositione. At mihi retinenda videtur lectio vulgaris, cujus alium sensum esse posse fatetur Faber: ut voluerit auctor post, vel propter provocationem Horatii, certatum fuisse apud populum in comitiis inter ipsum & Duumviros à quibus appellaverat. Atque hoc primum est capitale populi Judicium.

22. *Filiam jure cæsam.*] Patris præjudicium maximi ponderis fuit, tum ex jure patriæ potestatis; tum quod qui vindex esse debuerat filiæ, cædem ejus probabat.

judicare. ni ita esset, [23] *patrio jure in filium animadversurum.* Orabat deinde, *ne se, quem paulo ante cum egregia stirpe conspexissent, orbum liberis facerent.* Inter hæc senex juvenem amplexus, spolia Curiatiorum fixa eo loco, qui nunc [24] Pila Horatia appellatur, ostentans, *Hunccine*, ajebat, *quem modo decoratum ovantemque victoriâ incedentem vidistis, Quirites, eum sub furca vinctum inter verbera & cruciatus videre potestis? quod vix Albanorum oculi tam deforme spectaculum ferre possent.* [25] *I, lictor, colliga manus, quæ paulo ante armatæ imperium populo Romano pepererunt. I, capite obnube, liberatoris urbis hujus. Arbori infelici suspende: verbera vel intra pomœrium, modo* [26] *inter illa pila, & spolia hostium: vel extra pomœrium, modo intra sepulcra Curiatiorum. Quò enim ducere hunc juvenem potestis, ubi non sua decora eum à tanta fœditate supplicii vindicent?* Non tulit populus nec patris lacrymas, nec ipsius parem in omni periculo animum: absolverunt*que* [27] admiratione magis virtutis, quam jure causæ. Itaque ut cædes manifesta aliquo tamen piaculo lueretur, [28] imperatum patri, filium expiaret pecuniâ publicâ. Is quibusdam piacularibus sacrificiis factis, quæ deinde genti Horatiæ tradita sunt, transmisso per viam tigillo, capite adoperto, [29] velut sub jugum misit juvenem. Id Urb. cond. an. 92.

NOTÆ.

23. *Patrio jure.*] Patria potestas, quâ parentibus jus vitæ ac necis in liberos erat, licet duodecim tabulis sancita; tamen vetustior erat his legibus apud Romanos, à Romulo nempe constituta. Neque jus illud parentibus ademptum à Numa: quamvis post permissas filio à patre nuptias, quibus uxorem sacrorum bonorumque imposterum participem erat habiturus; jus filium deinde vendendi abstulisse patri perhibeatur à Dionysio; qui de hac re tota latè differit lib. 2.

24. *Pila Horatia.*] Columella fuit, cui affixa fuerunt Curiatiorum spolia. Sed spoliis vetustate consumptis, columella remansit ad tempus Halicarnassei, posita in angulo, à quo altera fori basilica incipiebat.

25. *I, Lictor colliga manus.*] Repetuntur ad Invidiam verba Duumviri jubentis de more vinciri nocentem, de quo sumendum esset supplicium.

26. *Inter illa Pila.*] Nec *Pilum* in neutro genere pro columna alibi facile occurrit: & Dionysius unius tantum Pilæ Horatiæ meminit. Quid si *inter illa Pila spolia hostium?* id est *ad* vel *juxta* illa spolia hostium affixa Pilæ.

27. *Admiratione magis virtutis.*] Ingeniosè Florus: *Citavere leges nefas: sed abstulit virtus parricidam, & factum in ipsa gloriam fuit.*

28. *Impetratum Patri.*] Hæc jussa regis à Pontificibus curata Dionysius tradit: à quibus positæ aræ duæ, altera Junoni cui jura Sororia Curæ; altera Jano patrio numini, ad quas Horatiæ & Curiationum manes vocati.

29. *Velut sub jugum.*] Cur ita? Quia opinor perduellis sive hostis pronunciatus à Duumviris fuerat Horatius: hostes verò devicti sub jugum mitti solebant. Hoc itaque servitutis extremæ imitamento, satisfactum aliquatenus judicio Duumvirorum videri voluit Horatius pater. Moris enim Romani fuisse videtur, ut civi, de cujus capite Judicium erat, perduellio ante judicaretur, id est perduellis sive hostis patriæ pronunciaretur: eoque nomine civium numero exemptus, atque in peregrinitatem redactus, supplicio afficeretur. Nam de Cive Romano capitale supplicium aliter sumere non licebat, quemadmodum Rævardus probat ad leges XII. tab.

hodie quoque publice ſemper refectum manet. 30 *Sororium tigillum* vocant. 31 Horatiæ ſepulcrum, quo loco corruerat icta, conſtructum eſt ſaxo quadrato.

Urb. cond. an. 95. XXVII. Nec diu a pax Albanâ mānſit. 1 invidia vulgi, quod tribus militibus fortuna publica commiſſa fuerit, vanum ingenium dictatoris corrupit: & quoniam recta conſilia haud bene evenerant, pravis reconciliare popularium animos cœpit. Igitur, ut prius in bello pacem, ſic in pace bellum quærens, quia ſuæ civitati animorum plus quàm virium cernebat eſſe, ad bellum palam atque 2 ex edicto gerendum, alios concitat populos: ſuis per ſpeciem ſocietatis proditionem reſervat. 3 Fidenates colonia Romana, Vejentibus ſociis conſilii aſſumptis, pacto 6 tranſitionis Albanorum, ad bellum atque arma incitantur. Quum Fidenæ apertè deſciſſent, Tullus Mettio exercituque ejus ab Alba accito, contra hoſtes ducit. ubi Anienem tranſiit; ad confluentes collocat caſtra. Inter eum locum & Fidenas, Vejentium exercitus Tiberim tranſierat. Hi & in acie prope flumen tenuere dextrum cornu: in ſiniſtro Fidenates propius montes conſiſtunt. Tullus adverſus Vejentem hoſtem dirigit ſuos: Albanos contra legionem Fidenatium collocat. Albano 4 non plus animi erat, quam fidei. nec manere ergo, nec tranſire apertè auſus, ſenſim ad montes ſuccedit. Inde ubi ſatis ſubjiſſe ſeſe ratus eſt, c erigit totam aciem: fluctuanſque animo, ut tereret

INTERPRETATIO.

a *Albanorum* cum Romanis *fœdus*.
b *Promiſſa Albanorum defectione* à Romanis ad Fidenates & Vejentes.
c *Totum exercitum in locum editum adducit*.

NOTÆ.

30. *Sororium Tigillum*.] Tignum illud ſeu lignum infixum duobus adverſis parietibus, unà cum aris, adhuc tempore Auguſti viſebatur in Angiportu, qui ducit à Carinis ad Cyprium vicum.

31. *Horatiæ ſepulcrum*.] Scribit Dionyſius eam fuiſſe Patris Horatii ſive duritiem in filiam, ſive caritatem in patriam; ut nec illius cadaver domum referri, nec majorum monumento inferri permiſerit, aut ſolennibus exequiis eam dignatus ſit: ſed deſtitutam curâ domeſtica, eo loco, ubi confoſſa fuerat, lapidibus, glebiſque à prætereuntibus obrutam, quæ prima ipſi ſepultura.

1. *Invidia vulgi*.] Mettii Dictatoris Albani ingenium inſtabile, perverti ſe paſſum eſt, ob invidiam & odium, quo apud plebem ſuam laborabat, eò quòd totius populi ſortem tribus Curiatiis commiſiſſet.

2. *Ex edicto*.] Edicta ſunt juſſa principum, aut magiſtratuum publicè propoſita ut omnibus innoteſcant. An ex *indicto* ut notetur ritus indicendi ſolenniter belli?

3. *Fidenates Colonia Romana*.] Romulus Coloniam Fidenas deduxerat poſt tertium cum Fidenatibus bellum. Nam hic quartum inchoatur, ad quod gerendum ſe comparaverat Tullus, quod illi pro illatis injuriis ſatisfacere detrectaſſent, & nihil ſibi cum Romanis poſt mortem Romuli commune eſſe declaraſſent. Dionyſ.

4. *Non plus animi erat, quam fidei*.] Nec ſatis fidi Romanis erant Albani ad permanendum in eorum ſocietate: nec animorum ſatis habebant ad deſciſcendum apertè ab ipſis.

tempus, ordines explicat. Consilium erat, [d] quâ fortuna rem daret, eâ inclinare vires. Miraculo primo esse Romanis, qui proximi steterant, ut nudari latera sua sociorum digressu sensérunt: inde eques citato equo nunciat regi *abire Albanos*. Tullus in re trepida duodecim vovit Salios, fanaque Pallori ac Pavori. equitem clara increpans voce, ut hostes exaudirent, *redire in prælium jubet: Nihil trepidatione opus esse: suo jussu circumduci Albanum exercitum, ut Fidenatium nuda terga invadant.* § idem imperat, ut *hastas equites erigere jubeat*. Id factum, magnæ parti peditum Romanorum conspectum abeuntis Albani exercitus interseptit. [e] qui viderant, id quod ab rege auditum erat, rati, eo acrius pugnant. Terror ad hostes transit, & audiverant clarâ voce dictum: & magna pars Fidenatium, ut [6] qui coloni additi Romanis essent, Latine sciebant. Itaque ne subito ex collibus decursu Albanorum intercluderentur ab oppido, terga vertunt. Instat Tullus, fusoque Fidenatium cornu, in Vejentem alieno pavore perculsum ferocior redit. Nec illi tulere impetum: sed ab effusa fuga flumen objectum à tergo arcebat. Quò postquam fuga inclinavit; alii arma fœde jactantes, in aquam cæci ruebant; alii, dum cunctantur in ripis, inter fugæ pugnæque consilium oppressi.

XXVIII. Non alia ante Romana pugna atrocior fuit. Tum Albanus exercitus spectator certaminis, deductus in campos. Mettius [1] Tullo

Urb. cond. an. 95.

INTERPRETATIO.

d *Copias* suas *in eam partem inclinare, cui fors faveret.*

e *Qui* Romanorum *conspexerant* Albanorum discessum, *persuasi verum esse quod audierant à rege* dici.

NOTÆ.

5. *Idem imperat.*] Tullus equiti, qui Albanorum discessum nunciaverat.

6. *Qui Coloni additi Romanis essent.*] Tan. Faber, *ut queis coloni additi Romani essent.* Fortè verior scriptura sensu eodem, *ut qui coloni additi à Romanis essent*, id est quorum plerique erant Coloni Fidenas deducti è numero civium Romanorum.

1. *Tullo devictos hostes gratulatur.*] Priùs, ut fidam Romanis operam se præstare ostenderet, Mettius fugientes Fidenates acriter Tulli jussu persecutus fuerat, & sibi attributum ab eo equitatum sub occasum Solis reduxerat in castra Romana. Tullus autem intra Vejentium Vallum usque ad primam vigiliam mansit, ubi postquàm, inquisitione ex captivorum nobilissimis habita, de Albanorum defectione, Mettii aliorumque primatum eam in rem in consiliis certior factus est; in urbem de nocte cum fidissimis properat, convocatoque Senatu, cum cæteri ne irritatis Albanis hostium numerus augeretur, ancipites hærerent; ipse Albam diruendam, civesque Romam transferendos censuit, ne quid imposterum novare possent; ac rei exequendæ rationem aperuit: tum facto secundum ejus sententiam Senatusconsulto, in castra reversus ante lucem, M. Horatium Curiatiorum victorem cum copiis Albam mittit. Tum Tribunos & Centuriones monet quid facto opus: ac paulò post adveniente gratulationis causâ Mettio, ab eo postulavit ut nomina sibi scripta daret Albanorum, quorum maximè egregia in prœlio fuisset opera, quasi eos remuneraturus. Quâ spe Mettius fidissimos, & secreti participes in tabella notatos obtulit, ut Tullus conjecerat. Hic

bana res eſt ; ſic nunc in unum redeat. Ad hæc, Albana pubes inermis ab armatis ſepta [8] in variis voluntatibus, communi tamen metu cogente, ſilentium tenet. Tum Tullus. *Metti Fuffeti*, inquit, *ſi ipſe diſcere poſſes fidem ac fœdera ſervare ; vivo tibi* [b] *ea diſciplina à me adhibita eſſet. Nunc quoniam tuum inſanabile ingenium eſt ; at tu tuo ſupplicio doce humanum genus* [9] *ea ſancta credere ; quæ à te violata ſunt. Ut igitur paulo ante animum* [c] *inter Fidenatem Romanamque rem ancipitem geſſiſti, ita jam corpus paſſim diſtrahendum dabis*. Exinde, duabus [10] admotis quadrigis, in currus earum diſtentum illigat Mettium. deinde in diverſum iter equi concitati, lacerum in utroque curru corpus, qua inhæſerant vinculis membra, [11] portantes. Avertêre omnes à tanta fœditate ſpectaculi oculos. Primum ultimumque illud [12] ſupplicium apud Romanos exempli [13] parum memoris [14] legum humanarum fuit. in aliis gloriari licet, nulli gentium [15] mitiores placuiſſe pœnas.

XXIX. Inter hæc jam præmiſſi [7] Albam erant equites, qui multi- Urb. cond. an. 95.

INTERPRETATIO.

b *Ejus rei præcepta.*
c *Inter Fidenatium & Romanorum partes.*

NOTÆ.

8. *In variis voluntatibus*.] Cum aliis non diſplicerent oblatæ à Tullo conditiones; plures, ſuum Patriæque caſum vehementer dolerent.

9. *Ea ſancta credere*.] Fidem nempe ac fœdera jurejurando ſancita.

10. *Admotis quadrigis*.] Hoc ſupplicii genus legimus apud Plutarchum Parall. cap. 13. inventum eſſe ab Hercule, qui cum Pyrechmen Eubœæ Regem bellum Bœotis inferentem viciſſet, eum pullis equinis alligavit, in duas partes diſtrahendum. Mettius Fuffetius priùs flagris laceratus, longis deinde loris, hinc brachiis ad alteram bigam, vel quadrigam, inde pedibus ad alteram revinctis, cum equos aurigæ agerent in contraria, diſcerptus raptatuſque eſt.

11. *Portantes avertêre*.] Quidam ſic diſtinguunt, ut vox *portantes* finiat periodum, & ſic ſupplendum erit verbum, veluti *viſi ſunt* ; vel potius *concitati* ſunt. Alii continuatè legunt, ut equi *concitati*, &c. *membra portantes averterint omnes oculos*. Quâ ratione Glareanus mavult *omnium* (nimirum *oculos*.) quam omnes. Quâ ratione, ſi quis deleverit nomen *oculos*, nihil ad ſenſum deeſſe comperiet.

12. *Supplicium.... exempli*.] Exemplum hic ſumi videtur pro modo rei agendæ in iis, quæ documento eſſe poſſunt.

13. *Parum memoris*.] Id eſt, parum curantis, non ſolliciti; ut *immemor herbarum, quos eſt mirata juvenca*. Exemplo tribuit per hypallagen, quod propriè exempli, ſive facti illius auctori convenit.

14. *Legum humanarum*.] Rhenanus cogitandum ait num ſcribi poſſit *Legum Romanarum* : ſequitur enim *in aliis gloriari licet, &c.* Id Sigonio non placet: quòd tum à veteribus Mss. tum à Varrone diſſideat, qui ita ſcribit: *Mettium Fuffetium propter perfidiam interfecit, penè imperioſiùs, quàm humaniùs*. Poteſt & humanas leges auctor intelleriſſe, non tantum ad hominem pertinentes, ſed ad humanitatem temperatas.

15. *Mitiores*.] Crux tamen, autè Tarpeja rupe. poſt crudeles virgarum flagrorumve laniatus in præceps dejectio, non adeò mitia ſupplicia ſunt, ut de eorum levitate gloriari oporteat.

tăretur, [2] eam ſedem Tullus regiæ capit, ibique deinde habitavit. Principes Albanorum in Patres, ut ea quoque pars reip. creſceret, legit, [3] Julios, Servilios, Quintios, Geganios, Curiatios, Clœlios: [4] templumque, ordini ab ſe aucto curiam fecit, quæ *Hoſtilia* uſque ad Patrum noſtrorum ætatem appellata eſt. & ut omnium viribus aliquid ex novo populo adjiceretur, equitum [5] decem turmas ex Albanis legit. Legiones & veteres eodem ſupplemento explevit, & novas ſcripſit. Hac fiducia virium Tullus [6] Sabinis bellum indicit; genti ea tempeſtate [a] ſecundum Etruſcos opulentiſſimæ viris armiſque. Utrinque injuriæ factæ, ac res nequicquam erant repetitæ. Tullus [7] *ad Feroniæ fanum mercatu frequenti negotiato-*

Urb. cond. an. 95.

INTERPRETATIO.

a *Proximè poſt Etruſcos.*

NOTÆ.

eſt. Eum Albanis Tullo Hoſtilio habitandi causâ conceſſum, & prolato pomœrio mœnibus ab eodem clauſum cenſet cum Dionyſio Livius: quod Strabo Anco Marcio, Tacitus Tarquinio Priſco adſcribit. Habet hic mons ab Occidente Suburram & montem Palatinum: à Septentrione, Carinas, Cœliolum, ſive minorem Cœlium, & Eſquilias; nomenque adhuc retinet: de illius appellatione poſteà urbis regio ſecunda Cœlimontium eſt appellata.

2. *Eam ſedem Tullus regia capit.*] Romulus regiam in Palatio ſedem delegerat. Numa in foro Romano, Tullus nunc in Cœlio collocavit: Priùs enim Tullus in foro Romano habitaverat.

3. *Julios, Servilios.*] Eadem nomina habet Dionyſius lib. 3. Julios, Servilios, Geganios, Metilios, Curiatios, Quintilios, Clælios. Pro Juliis apud noſtrum *Tullii* erant. Sed correxit Sabellicus. Et verò Tullii Corniculani fuêre, non Albani. *Quintilios* per C. ſcribi notat ex lapidibus Capitolinis Sigonius.

4. *Templumque Curiam fecit.*] Curiæ duorum generum ſunt: aliæ ubi Sacerdotes rem divinam curarent, ut *Curia veteres*: aliæ ubi Senatus humanas, ut *Curia Hoſtilia*, quæ duplex fuit, ſic dicta, quod eam primus ædificaverit Hoſtilius Rex. Auctor Varro lib. 4. de Ling. Lat. qui locum prioris indicat: addit enim ante hanc Roſtra fuiſſe, vetera ſcilicet in Comitio poſita, quæ pars Fori Romani. Templum autem idcircò dici hanc Curiam puto; quod inaugurata eſſet, quemadmodum & Roſtra, de quibus noſter lib. 8. cap. 14. Alia Curia Hoſtilia in monte Cœlio fuit, ubi nempè poſterior Hoſtilii Regia, quo loco nunc Eccleſia *SS. Joannis & Pauli*, teſte Marliano; à quo tertiam fuiſſe omiſſam queritur Godelevæus, eam quæ in Foro ad Templum Pacis: cum ſit eadem ac prima.

5. *Decem Turmas.*] Turma ex Varrone & Feſto, quaſi *Terma* dicta eſt, E, in U, abeunte: *Quod ter deni Equites ex tribus Tribubus Tatienſium, Ramnium, & Lucerum fiebant.* Cum autem ſub Romulo trecenti equites in legionem ſcripti eſſent, nunc Tullus totidem, id eſt decem tricenarias Turmas ex Albanis legit. De numero equitum cujuſque Turmæ Lipſ. de milit. Rom. lib. 2. c. 6.

6. *Sabinis bellum indicit.*] Sextum hoc contra Sabinos bellum fuit. Narrandum hic erat bellum adverſus Fidenates, qui fuſi, & obſeſſi ſeſe dedere coacti, Tullo triumphum pepererunt, ut meminerat Halicarnaſſ.

7. *Ad Feroniæ fanum.*] Feroniam nympham Campaniæ vocat Servius, quæ & Libertorum Dea eſt, & nemorum; ſive virgo, ſive Jovis Anxuris uxor, Cluver. trium Italiæ locorum meminit, quibus à *Luco, vel Fano Feroniæ nomen*. Primum in Agro Pometino fuit apud Volſcos, quod Dionyſius refert Lacedæmoniorum Lycurgi ſeveritatem fugientium fuiſſe coloniam. Hi enim

res Romanos comprehenſos querebatur. Sabini *ſuos prius* b *in lucum confugiſſe; ac Romæ retentos.* hæ cauſæ belli ferebantur. Sabini haud parum memores, & ſuarum virium partem Romæ ab Tatio locatam, & Romanam rem nuper etiam adjectione populi Albani auctam, circumſpicere & ipſi externa auxilia. Etruria erat vicina, proximi Etruſcorum Vejentes. Inde ob reſiduas bellorum iras maxime ſolicitatis ad defectionem animis, voluntarios traxere. & apud vagos quoſdam ex inopi plebe etiam c merces valuit. Publico auxilio nullo adjuti ſunt. 9 valuitque apud Vejentes (nam de cæteris minus mirum eſt) pacta cum Romulo 8 Induciarum fides. Quum bellum utrinque ſumma ope pararetur, vertique in eo res videretur, utri prius arma inferrent, occupat Tullus in agrum Sabinum tranſire. Pugna atrox 9 ad ſilvam Malitioſam fuit. ubi & peditum quidem robore, cæterum equitatu aucto nuper, plurimum Romana acies valuit. Ab equitibus repente invectis turbati ordines ſunt Sabinorum: nec pugna deinde illis conſtare, nec fuga explicari ſine magna cæde potuit.

Urb. cond. an. 119.

XXXI. 1 Devictis Sabinis, quum in magna gloria magniſque

INTERPRETATIO.

b *Perfugiſſe ad Aſylum.*

c *Stipendium effecit, ut egeni ex plebe impellerentur* ad arma.

NOTÆ.

agrum, ubi appulerunt, Feroniam dixere, quòd eò per mare ferri contigiſſet; templumque divæ Feroniæ conſtruxere, cui vota fecerant. Oppidum hoc in via Appia, vix tribus Tarracina milliaribus diſtans, nomen adhuc ex Ferrario in lacu proximo ſervat *Lago di Perona*. Alter locus in agro Tuſciæ Lucenſi, inter Macræ, & Arni oſtia: nunc vulgò *Pietra ſanta*. In agro quoque Etruriæ Capenate ſub monte Faliſcorum Soracte, ad Tiberim, templum Feroniæ fuit, inclytum divitiis, ubi hodie *Fiano*. De hoc Livius, itemque accipiendus Dionyſ. lib. 3. cum ait Fanum eſſe, quod Sabinis æquè ac Latinis ſummâ religione colitur, ſacrum *Deæ Feroniæ*. Hic itaque comprehenſos à Sabinis negotiatores ſuos Romani querebantur.

8. *Induciarum fides.*] Factæ quidem ſub Romulo inducie in annos centum cum Vejentibus: ſed, ut notatum à Glareano, eas hi jam ruperant ſupra cap. 27. Potuerunt tamen Vejentes videri velle Fidenatibus tantum Sociis ſuis opem tuliſſe, non bellum ipſi ſumpſiſſe ſuo nomine; & inſtauratæ, aut etiam in longius tempus productæ inducie, ea lege ne hoſtibus Romanorum auxiliarentur.

9. *Ad Silvam Malitioſam.*] Aliàs *Maliciſam*. Sed Dionyſius habet Silvam κακοεργων, id eſt, *Malitioſorum*. Ea circa Eretum, & Fidenas fuit in finibus Sabinorum. Hoc bellum vix triennio confectum. Primo enim anno pugnatum eſt æquo marte; deinde prælio ad Eretum 107. Stadiis ab urbe commiſſo, cum Tullus Saturno & Opi ſolennes ferias, Saliorumque numerum duplicaturum, voviſſet: vergente jam die victores Romani Sabinorum caſtra expugnarunt, tertiumque triumphavit Tullus; ac paulò poſt petentibus Sabinis pax data. Sed eâ ſtatim fractâ, debellandi adhuc fuerunt ad hanc Silvam Malitioſam.

1. *Devictis Sabinis.*] Sequutum eſt bellum cum Latinis, à noſtro prætermiſſum. Anno ab excidio Albæ 15. legatis ad Coloniæ Albanas miſſis, tranſiiſſe ad Romanos Albanorum imperium contendens Tullus Hoſtilius, poſtulavit, ut imperata facerent: quod La-

opibus regnum Tulli ac tota res Romana eſſet, nunciatum regi Patribuſque eſt, in monte Albano χ lapidibus pluiſſe. Quod quum credi vix poſſet, miſſis ad id viſendum prodigium, [2] in conſpectu, haud aliter quam quum grandinem venti glomeratam in terras agunt, crebri cecidere cœlo lapides. Niſi etiam audire vocem ingentem ex ſummi cacuminis luco, *ut* [3] *patrio ritu ſacra Albani facerent*, quæ, velut Diis quoque ſimul cum patria relictis, oblivioni dederant: & aut Romana ſacra ſuſcoperant; aut fortunæ, ut fit, obirati, cultum reliquerant Deûm. [2] Romanis quoque ab eodem prodigio [4] novemdiale ſacrum publice ſuſceptum eſt: ſeu voce cœleſti ex Albano monte miſſa (nam id quoque traditur) ſeu aruſpicum monitu. manſit certe ſolenne, ut [b] quandoque idem prodigium nunciaretur, feriæ per novem dies agerentur. Haud ita multo poſt peſtilentia laboratum eſt. unde quum pigritia militandi oriretur: nulla tamen ab armis quies dabatur ab bellicoſo rege: ſalubriora etiam credente militiæ quam domi juventum corpora eſſe. donec ipſe quoque [c] longinquo morbo eſt implicitus. Tunc adeo fracti ſimul cum corpore ſunt ſpiritus illi feroces: ut qui nihil ante ratus eſſet minus regium, quam ſacris dedere animum, repente omnibus magnis parviſque ſuperſtitionibus obnoxius degeret; religionibuſque etiam populum impleret. vulgo jam homines, eum ſtatum rerum qui ſub Numa rege fuerat, requirentes, unam opem ægris corporibus relictam, ſi pax veniaque ab Diis impetrata eſſet, credebant. Ipſum regem tradunt, volventem ϕ commentarios Numæ, quum ibi quædam occulta ſolennia ſacrificia [5] Jovi Elicio facta inveniſſet, operatum his ſacris ſe abdidiſſe: ſed non rite initum aut curatum id ſacrum eſſe: nec ſolum nullam ei oblatam [d] Cœleſtium ſpeciem; ſed [e] ira Jovis, ſolicitati prava religione, [6] fulmine ictum cum domo conſla-

Urb. condit. an. 113.

INTERPRETATIO.

a *Propter idem prodigium Romani pariter celebrarunt feſtum Novemdiale.*
b *Quandocumque.*
c *Diuturna agritudine.*
d *Deorum ſimulacrum.*
e *Cum iratus eſſet Jupiter, quod non eo ritu, cultuque quo par erat, evocaretur.*

NOTÆ.

tini habito apud Ferentinum concilio recuſarunt. Inde bellum ſine magna clade. Medullia tantum, quæ licet à tempore Romuli colonia Romana, ad Latinos defecerat, expugnatâ: Pax inter utroſque coaluit. Dionyſ.

2. *In conſpectu.*] Eorum qui miſſi erant.

3. *Patrio ritu Albani.*] Id ſacrum Albanum Perionius l. 3. de Magiſtr. Rom. vult appellatum fuiſſe ferias Latinas, quod Latini omnes ab Albanis eſſent oriundi; vel certè conjunctum cum feriis Latinis.

4. *Novemdiale.*] Fiebant Diis ſacra per dies novem continuos, duabus de cauſis: aut ut defunctorum Manibus parentarent: aut ut portentum aliquod expiarent. Hæc vel à Pontifice maximo, vel à Prætore urbano ex Senatus decreto indicebantur.

5. *Jovi Elicio.*] Vide ſupra cap. 20.

6. *Fulmine ictum conflagraſſe.*] Abſumptus eſt flammis cum uxore, tota-

graſſe. Tullus magnâ gloria belli regnavit annos duos & triginta.

Urb. cond. an. 114. XXXII. Mortuo Tullo, res, ut inſtitutum jam inde ab initio erat, ad patres redierat. hique *interregem* nominaverant. quo comitia habente, Ancum Martium regem populus creavit: Patres fuere auctores. Numæ Pompilii regis nepos, [1] filia ortus, [2] Ancus Marcius erat: qui ut regnare cœpit, & avitæ gloriæ memor, & quia [a] proximum regnum, cætera egregium, ab una parte haud ſatis proſperum fuerat; aut neglectis religionibus, aut prave cultis, [3] longe antiquiſſimum ratus, ſacra publica, ut ab Numâ inſtituta erant, facere; omnia ea ex commentariis regis pontificem maximum, [b] in album relata, proponere in publico jubet. inde & civibus ocii cupidis, & finitimis civitatibus facta ſpes, in avi mores atque inſtituta regem abiturum. Igitur Latini, cum quibus Tullo regnante ictum fœdus erat, ſuſtulerant animos: & quum incurſionem in agrum Romanum feciſſent, repetentibus res Romanis, ſuperbe reſponſum; addunt *deſidem Romanum regem*: inter ſacella & aras acturum eſſe regnum rati. Medium erat in Anco ingenium, & Numæ, & Romuli memor: &, præterquam quod avi regno magis neceſſariam fuiſſe pacem credebat, quum in novo, tum feroci populo; etiam quod illi contigiſſet [d] otium, ſine injuria id ſe haud facile habiturum: tentari patientiam, & tentatam contemni: temporaque eſſe Tullo regi aptiora, quam Numæ. Ut tamen, quoniam Numa

INTERPRETATIO.

a *Regnum* Hoſtilii *proximè antecedens in cæteris præclarum, hoc uno minus fortunatum fuiſſe*, &c.

b *Deſcripta in tabula dealbata*.

c *Indoles media*, inter priorum ingenia; & morum *tam Romuli, quam Numæ particeps*.

d *Pacem illam perpetuam quæ contigerat Numæ, ſe non facilè obtinere poſſe, niſi injuriam* à vicinis *accipiendo*.

NOTÆ.

que familia. Alii domum ejus de cælo tactam conflagraſſe ajunt, irato Deo propter neglectam ſacrorum patriorum curam. Alii Anci Marcii fraude extinctum putant, qui domeſticum quoddam ſacrificium parantem, & ea de cauſa paucis familiaribus comitatum, unà cum liberis oppreſſerit, atque injecto in ædes igne famam de fulmine ſparſerit.

1. *Filiâ ortus*.] Auctor eſt Plutarchus in Numa hanc Pompiliam Anci matrem, non ex Tatia, ſed ex alia Numæ uxore natam.

2. *Ancus Marcius*.] Marmora Capitolina, & Græci *Marcium* per *c* ſcribunt, ut notat Gronov. Hinc corrigendus idem Plutarchus in Coriolano ubi Γαΐος legitur pro Ἄγκος. *Ancus* verò appellatur, qui adunctum brachium habet, ut exporrigi non poſſit, auctore Sex. Pompejo. Regnum autem iniit Ancus Marcius Olymp. 35. an. 2. urb. cond. 114.

3. *Longè antiquiſſimum*.] Ita melius ex Gronovio, quam ut vulgo *longéque antiquiſſimum*, ne videantur tres eſſe cauſæ ſacra publica ex commentariis Numæ exſcripta proponendi per Pontificem (C. nempe Papirium) cum revera duæ tantum ſint, imitatio avi ob cultas religiones fortunati, & caſus Hoſtilii ob eas neglectas. Nam ſacrorum publicatio non cauſa eſt rei geſtæ, ſed ipſa res geſta. *Antiquiſſimum* porro non vetuſtum hoc loco ſignificat, ſed id quod antè alia omnia curæ eſt.

in pace religiones instituisset, à se bellicæ cærimoniæ proderentur; nec gererentur solum, sed etiam indicerentur bella aliquo ritu; jus ab 4 antiqua gente Æquicolis, quod nunc 5 feciales habent, descripsit, quo res repetuntur. Legatus ubi ad fines eorum venit, unde res repetuntur, capite velato (6 filo lanæ velamen est) *Audi Jupiter*, inquit, *audite fines* (cujuscumque gentis sunt, nominat) *audiat fas. Ego sum publicus nuncius populi Romani, juste pieque legatus venio; verbisque meis fides sit.* Peragit deinde postulata. Inde Jovem testem facit: *Si ego injuste impieque illos homines illasque res dedier nuncio populi Romani mihi exposco, tum Patriæ compotem me 7 nunquam sinas esse.* Hæc quum fines supra scandit; hæc, quicunque ei primus vir obvius fuerit; hæc, portam ingrediens; hæc, forum ingressus, paucis e verbis carminis concipiendique jurisjurandi mutatis, peragit. si non deduntur, quos exposcit, diebus tribus & triginta (tot enim solennes sunt) peractis, bellum ita indicit: *Audi Jupiter, & tu Juno, Quirine, Diique omnes cœlestes, vosque terrestres, vosque inferni audite. Ego* Urb. cond. an. 117.

INTERPRETATIO.

e *Mutatis aliquibus in formula prafationis, seu orationis & juris)urandi conceptis, & solennibus verbis interponendi.*

NOTÆ.

4. *Ab antiqua gente Æquicolis.*] Æquicolæ vel *Æqui*, aliis *Equiculi*, populi fuere priscis Latinis, Sabinis, Marsis, Hernicis, Volscisque finitimi; novo posteà Latio contributi. Juris Fecialis auctores eos plerique tradunt; voluntque ideò nonnulli ex eo appellatos, quod *Æquum colerent*. Ejus gentis rex Sertor Refis juris ejus inventor proditur: quamquàm sunt, qui Numam ab Ardeatibus hausisse velint.

5. *Feciales habent.*] Feciales tamen Roma habuerat à tempore Numæ ex Dionys. lib. 2. His usi erant Romani sub Tullo Hostilio suprà cap. 24. Verum ibi formula concipiendi fœderis refertur, non indicendi belli. Hanc igitur juris Fecialis partem ab illis Ancus mutuatus sit oportet. Dici videntur *Fœciales* à Fœdere faciendo. Numero erant viginti. Ideoque apud Cic. 2. de leg. mendum irrepsisse suspicor, cum illorum officium, & potestatem sic breviter describit, *Belli, Pacis, Fœderum, Inducierum, Oratores, Feciales, Judices duo sunto.* 11. pro xx. ni fallor scribuntur. Ex eorum collegio, quoties cum hostibus agendum, oratores quatuor deligebantur, quorum unus Pater Patratus, de quo cap. 24. Non tamen aliter eis licebat fœdera sancire, quàm auctoritate summi magistratus, ac permissu populi. Eamque in rem fiebat Senatusconsultum, *ut privos lapides silices, privasque verbenas secum ferrent: uti prætor Romanus his imperaret fœdus ferirent: illis pratorem sagmina poscerent*, ut ex nostro habemus hujus libri cap. 24. & lib. 30. cap. 43. Porrò, cum res populi jussu repetendæ erant, unus ex illorum quatuor Fecialium numero gramen cum terra evulsum ferebat, Verbenarius idcircò appellatus.

6. *Filo lana velamen est.*] ita Mss. & primæ editiones. Aliæ *Filum*, perspicuâ magis constructione: alioqui *capite velato fileo: lana velamen est*. Legatus itaque filo lanæ caput velatus, res sibi reddi clarâ voce poscebat, quæ *clarigatio dicta*. Qua de re tota Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 3.

7. *Nunquam sinas esse.*] Vetus, *nunquam siris esse* pro *siveris*: cujus exempla apud Gronov. ex Plauto, & nostro lib. 28. cap. 28.

Digitized by Google

vos testor, populum illum, (quicumque est, nominat) *injustum esse, neque jus persolvere. Sed de istis rebus in Patria* f *majores natu consulemus, quo pacto jus nostrum adipiscamur.* Cum his nuncius Romam ad consulendum redit. Confestim Rex his ferme verbis Patres consulebat: *Quarum rerum, litium, causarum* 8 *condixit Pater Patratus populi Romani Quiritium Patri Patrato priscorum Latinorum, hominibusque priscis Latinis, quas res dari, fieri, solvi oportuit, quas res nec dederunt, nec fecerunt, nec solverunt, dic,* inquit, *ei,* quem primum sententiam rogabat, *quid censes?* Tum ille: 5 *Puro pioque duello quærendas censeo; itaque consentio consciscoque.* Inde ordine alii rogabantur: quandoque pars major eorum qui aderant, in eamdem sententiam ibat, 9 bellum erat consensu fieri solitum; ut fecialis 10 hastam ferratam, aut sanguineam præustam, ad fines eorum ferret, & non minus tribus puberibus præsentibus diceret. *Quod populi priscorum Latinorum, hominesque prisci Latini adversus populum Romanum Quiritium fecerunt; deliquerunt, quod populus Romanus Quiritium bellum cum priscis Latinis jussit esse, senatusque populi Romani Quiritium censuit, consensit, conscivit, ut bellum cum priscis Latinis fieret: ob eam rem ego populusque Romanus populis priscorum Latinorum, hominibusque priscis Latinis, bellum indico facioque.* id ubi dixisset, hastam in fines eorum emittebat. Hoc tum modo ab Latinis repetitæ res, ac bellum indictum: moremque eum posteri acceperunt.

Urb. cond. an. 119.

XXXIII. Ancus demandatâ curâ sacrorum flaminibus, sacerdotibusque aliis, exercitu novo conscripto, profectus, 1 Politorium urbem Latinorum vi cæpit, secutusque morem regum priorum, qui rem Romanam auxerant, hostibus in civitatem accipiendis, multitudinem omnem Romam traduxit. & quum circa Palatium 2 sedem veteres Romani, Sabini

INTERPRETATIO.

f *Consuletur senatus.*
g *Bello justo & sancto.*

NOTÆ.

8. *Condixit Pater Patratus.*] Id est, denunciavit Fecialis, à rege vel magistratu delectus populi Romani legatus. Est enim *condicere* solenni ritu denunciare; verbum Jurisconsultis usitatum, v. Turn. 30. 29.

9. *Bellum erat consensu:*] Distinctionem hic Gronov. inserit: ut sit, quando major pars ita senserat, bellum erat, perinde ac si consensu omnium decretum esset. Quæ sequuntur novæ periodo assignat: *Fieri solitum ut Fecialis.*

10. *Hastam ferratam, aut sanguineam.*] Aut è sanguineis fruticibus, aut datâ opetâ cruentatam ad horrorem & terrorem; Turn. 8. 24.

1. *Politorium.*] Cum hoc oppidum plerumque conjungatur cum Ficana & Fellenis; conjicit Cluverius in eodem tractu fuisse, versus Solonium campum, Forte circa locum ubi nunc *Falegnana vecchia.*

2. *Sedem veteres Romani.*] Rhenan. ex antiqua lectione, *sedem veterem Romanorum*; ut distinguatur locus primorum civium ab ascititiorum sedibus. Sed nullum hic verbum erit à quo regatur accusativus *sedem*. Malim itaque vulgari lectione retentâ, sic auctorem interpretari, ut velit veteres Romanos *sedem*, id est loca circa Palatinum impleviſse.

Capitolium atque arcem, Cœlium montem Albani impleſſent; [a] Aventinum novæ multitudini datum: 3 additi eodem haud ita multo poſt, 4 Tellenis 5 Ficanaque captis, novi cives. Politorium inde rurſus bello repetitum, quod vacuum occupaverant priſci Latini. eaque 5 cauſa diruendæ urbis ejus fuit Romanis, ne hoſtium ſemper receptaculum eſſet. Poſtremo omni bello Latino, 6 Medulliam a compulſo, aliquandiu ibi marte incerto, varia victoria pugnatum eſt: nam & urbs tuta munitionibus, præſidioque firmata valido erat; & caſtris in aperto poſitis, aliquoties exercitus Latinus cominus 10 cum Romanis ſigna contulerat. Ad ultimum omnibus copiis connixus Ancus, acie primum vincit: inde ingenti præda potitus, Romam redit: tum quoque multis millibus Latinorum in civitatem acceptis; quibus ut jungeretur Palatio Aventinum, 7 ad Murciæ datæ ſedes, 8 Janiculum quoque adjectum, non inopiâ loci, ſed ne quando

Urb. cond. an. 123.

INTERPRETATIO.

a *Totâ vi belli redacta circa Medulliam.*

NOTÆ.

3. *Additi eodem.*] Placet hæc Gronovii lectio ex Florentino, *additi eodem i.* in eumdem locum, in Aventinum aliis adjecti; quod magis congruit, ni fallor, quàm *Additi eidem.*

4. *Tellenis.*] *Tellena*, vel in multitudinis numero *Tellenæ* nobile quondam Latinorum opp. Dionyſ. inter Ficanam & Lanuvium fuiſſe videtur; Kirchero circa *S. Abracolo*, in campi Solonii finib.

5. *Ficana.*] Ad viam Oſtienſem fuit ſecundum Tiberim, undecimo ab urbe milliario: poſteà dictum *Duilia ſaxa* ex Feſto. In colle, qui mille paſſibus, ultra diverſorium *Malæ Fedæ* ſitus, magna antiquorum ædificiorum veſtigia ſervat.

6. *Medulliam.*] Ab Albanis condita fuerat in dubio Latinorum, Sabinorumque confinio trans Anienem, non procul Cæninâ, Cameriâ, Corniculo. In eam deditione captam Romulus Coloniam deduxerat; ut Dionyſius tradit initio lib. 5. indeque ortus Hoſtus Hoſtilius Tulli regis avus.

7. *Ad Murciæ.*] Sub monte Aventino, qui Murcus anteà vocabatur, ſacellum fuit, & area vetus Veneris Myrteæ à Myrto ſic cognominatæ, quæ poſt Murcia eſt appellata, Plinio, Plutarcho, & Feſto auctoribus. In XI. urbis regione ponitur ab Aurelio Victore. Ab Murcia Venere diverſam putant Giraldus & Beroaldus Socordiæ Deam, quæ *Murcea*, ex eo dicta, quod Murcidos, id eſt ſegnes ſupra modum, ac deſides faceret. Huic contraria Dea *Strenua*, quæ Strenuos reddere credebatur, cujus meminit D. Auguſtinus 4. de Civit. Dei. Meminit & hujus Murciæ Tertullianus de Spectaculis, ubi *marmoris* Dea legebatur: ſed Turnebus *Marconis* ſcribendum monuit.

8. *Janiculum quoque adjectum.*] Janiculus mons trans Tiberim, in XIV. poſtea urbis regione, à Jano appellatur, qui in eo vel ſepultus ſit, vel habitaverit, ut Macrobius cenſet. Ab eadem origine fuit & Janiculum Caſtellum eidem monti impoſitum. Feſtus tamen ex eo nomen hoc derivat, quòd quaſi Janus Romanis eſſet, quâ in agrum Etruſcum tranſirent. Hunc urbi adjeciſſe dicitur Ancus à Livio: non quod Pomœrio incluſerit, id enim pluribus poſteà ſæculis factum. ſed quòd ne hoſtibus aditum in urbem daret (in quam ex eo deſpectus ob celſitudinem) cum munierit, propriiſque cinxerit muris. Hodiè *Montorio* vocatur à flavis, & quaſi aureis arenis.

eâ arx hoſtium eſſet. id non muro ſolum, ſed etiam ob commoditatem itineris, 9 Ponte Sublicio, tum primum 10 in Tiberi facto, conjungi urbi placuit. 11 Quiritium quoque foſſa, haud parvum munimentum à planioribus aditu locis, Anci regis opus eſt. Ingenti incremento rebus auctis, quum in tanta multitudine hominum b diſcrimine rectè an perperam facti confuſo, facinora clandeſtina fierent, 12 carcer ad terrorem increſcentis audaciæ media urbe, imminens foro, ædificatur. Nec urbs tantum hoc rege crevit, ſed etiam ager fineſque. 13 Silva Mæſia Vejentibus adempta: uſque ad mare imperium prolatum, & in ore Tiberis 14 Hoſtia urbs condita: Salinæ circa factæ, egregieque rebus bello geſtis, ædes Jovis Feretrii amplificata.

Urb. cond. an. 122. XXXIV. Anco regnante, 1 Lucumo vir impiger, ac divitiis potens, Romam commigravit, cupidine maximè ac ſpe magni honoris, cujus adipiſcendi 2 Tarquiniis (nam ibi quoque peregrina ſtirpe

INTERPRETATIO.

a *Cum in tam numeroſo populo non facile eſſet dijudicare benè an malè quiſque ageret.*

NOTÆ.

9. *Ponte Sublicio.*] Ab antiquo verbo *licio*, quod idem eſt ac connecto, dictæ ſunt Sublicæ, vel Subliciæ, Pali, quibus in aquam defixis pontes incumbunt; aut etiam ligneæ trabes ex quibus compinguntur. Hinc *Pons Sublicius* dictus. Eum meré ligneum fuiſſe, adeò ut nec ferri quicquam nectendis tignis immittere liceret, Dionyſius, aliique tradunt: ut nempe ſolâ contignatione compactus, facilè tempore belli eximi poſſet. Poſteà tamen Æmilius Lepidus lapideum, Antoninus pius Marmoreum fecere, inditis nominibus ſuis. Veſtigia adhuc viſuntur ad radices Aventini.

10. *In Tiberi facto.*] Veteres Libri ex Sigonio *in Tiberim*, quemadmodum in Epitome 1. ſuprà Tiberim.

11. *Quiritium quoque foſſa.*] *Quiritium Foſſa* quibus urbem Ancus Marcius circumdedit, ex Feſto ſic dictæ à Quiritibus ſeu Romanis, quorum operâ factæ, ad muniendam in planioribus locis urbem.

12. *Carcer ad terrorem.*] Inventorem Carceris variorumque ad torquendos homines Inſtrumentorum apud Romanos Tarquinium Eutropius lib. 1. memorat. Reliqui hoc inſtitutum Anco Marcio aſſignant. Is in foro fuit ſub Capitolii radicibus. Adjecit poſteà Tullius ſubterraneam partem, quam de illius vocabulo carcerem Tullianum nominarunt.

13. *Silva Maſia.*] In Etruria & veteri Vejentum agro hæc ſilva, ibi putatur fuiſſe, ubi hodie *Boſco de Baccano*. Scribit Plin. lib. 8. in ea glires nunquam niſi in partu reperiri.

14. *Hoſtia urbs condita.*] Alii *Oſtia*; utpote nomen ſortita ex ſitu ad oſtia Tiberina. Ad ſlexum eſt ſiniſtri Alvei milliaribus XVI. ab urbe, cujus inter Colonias nobilis fuit: maritimis commeatibus olim quam hodie opportunior; tria ferè paſſuum millia diſtans à mari Tyrrheno. De ea Dionyſ. Halicarn. fusè. Nomen hodieque retinet.

1. *Lucumo.*] Quod per ſe dignitatis titulus erat, proprium fuit Tarquinio nomen à patre impoſitum.

2. *Tarquiniis.*] A Tarcone, ſeu Tarchonte Tyrrheni Lydi fratre, vel duce, nomen hæc urbs accepit; quæ initio Tarconia aut Tarchonium, ut apud Suidam; poſteà *Tarquinii* & *Tarquinia* eſt appellata. Juſtinus tamen à Theſſalis & Spinambris conditam memorat. Florentiſſima vetuſtis temporibus fuit: XII. Etruriæ civitatum, aut prima, aut inter primas. Ejus rudera mille paſſibus à Corneto viſuntur, eo loco, qui adhuc

oriundus

oriundus erat) facultas non fuerat. 3 Demarati Corinthii filius erat: qui ob ſeditiones domo profugus, quum Tarquiniis forte conſediſſet, uxore ibi ducta duos filios genuit. Nomina his Lucumo atque Aruns fuerunt. Lucumo ſuperfuit patri bonorum omnium hæres: Aruns prior quam pater moritur, uxore gravida relicta. Nec diu manet ſuperſtes filio pater: qui quum, ignorans nurum ventrem ferre, immemor in teſtando nepotis deceſſiſſet, puero poſt avi mortem in nullam ſortem bonorum nato, ab inopia Egerio inditum nomen; Lucumoni contra omnium hæredi bonorum quum divitiæ jam animos facerent, 4 auxit ducta in matrimonium Tanaquil, ſummo loco nata, & quæ haud facile iis, in quibus nata erat, 5 humiliora ſineret. 6 Ea quum innupſiſſet, ſpernentibus Etruſcis Lucumonem exule advena ortum, ferre indignitatem non potuit; oblitaque ingenitæ erga patriam charitatis, dummodo virum honoratum videret, conſi- Urb. cond. an. 120.

NOTÆ.

la Tarquinia ab incolis, & vulgo ruſticorum, *la Turchina* dicitur, priſci vocabuli veſtigia ſervat. *In Tarquinienſi lacu magno, inſula dua nemora circumferunt, nunc triquetram figuram edentes, nunc rotundam complexu ventis impellentibus*, ut eſt apud Plinium: erroris eos arguit Cluver. qui hunc lacum putant eſſe hodie, *Lago di Bracciano*.

3. *Demarati Corinthii*.] Fuit hic Demaratus ex Bacchiadarum genere, qui ab Hercule orti, regnum Corinthi ad hæc uſque tempora tenuerant. Is, cum ex maritima è Græcia in Italiam negotiatione magnas opes eſſet adeptus, uti Dionyſ. narrat. lib. 3. oppreſſis deinde Cypſeli Tyrannide familiæ ſuæ principibus, parum ſecutum in patria ratus, domicilium Tarquinios tranſtulit: ubi nobili ductâ uxore, duos ſuſcepit filios, quibus Etruſca impoſuit nomina Aruntis & Lucumonis.

4. *Auxit ducta in matrimonium Tanaquil*.] Auxit animos, tum nobilitate ſua, tum adhortationibus.

5. *Humiliora ſineret*.] Nannius pro *ſineret*, reſcribit *ſentiret*; Muretus *ferret*: quorum neutrum tanti eſt. Nam nec ſententia mutatur, nec elegantiùs exprimitur. Vult enim Tanaquilem ingentium ſpirituum fœminam non facile poſt conjugium admiſſuram inferiorem natalibus ſuis conditionem.

6. *Ea cum innupſiſſet*.] Quod Rhenanus ex lectione, ut ait, veteri, pro *illi nupſiſſet* (quod ego in non admodum recenti invenio,) repoſuit *innupſiſſet*, nolim quidem improbare. Sed quod Gronovius conjicit hæc cum ſuperioribus ita eſſe conjungenda, ut legendum ſit *ea qua innupſiſſet*, (quaſi eſſet *eas res in quas nupſiſſet*:) non *ea* (id eſt Tanaquil) *cum innupſiſſet*, id ego non omninò extra aleam puto. Licèt enim optimè congruat ſententiæ, quam ex hac lectione eruit, nempe Tanaquilem in domo, in quam nupſiſſet, non facilè paſſuram minora iis, in quibus nata erat; non tamen loquendi hæc forma, *aliquid innubere*, vel *mulierem innubere domum, gentemve*, mihi probari poteſt, donec idoneum ejus exemplum proferatur. Præſertim cum nec præeant Mss. & ſententia alioqui optimè conſtet: ſive vulgatam interpunctionem admittamus, ut *ea cum innupſiſſet*. periodi ſit initium, & pronomen, *Ea*, pro Tanaquile ſumatur, ſive ex præcedentibus pendere velimus, deleto τὸ, *Ea*. cum Florent. Cod. ut ſit *humiliora ſineret, cum innupſiſſet*: quam ego ſcripturam non ægrè cæteris prætulerim. i. non inferiora ſequuturam ubi nupſiſſet. Cæterùm innubere propriè eſt in domum viri tranſire. Reſpicit enim familiam in quam mulieres nubendo migrant; ut enubere, eam ex qua per nuptias exeunt & prius ferè in meliorem partem, poſterius in deteriorem accipitur.

Urb. cond. an. 120.

lium migrandi ab Tarquiniis cœpit. Roma est 7 ad id potissimum visa, in novo populo, ubi omnis repentina atque ex virtute nobilitas sit, futurum locum forti ac strenuo viro: regnasse Tatium Sabinum: accersitum in regnum Numam a Curibus: & Ancum Sabina matre ortum, nobilemque 8 una imagine Numæ esse. Facilè persuadet, ut cupido honorum, & cui Tarquinii materna tantum patria esset. a Sublatis itaque rebus, commigrant Romam. Ad Janiculum forte ventum erat. ibi ei b carpento sedenti cum uxore, ββ aquila suspensis demissa leniter alis pileum aufert: superque carpentum cum magno clangore volitans, rursus c velut ministerio divinitus missa capiti apte reponit. Inde sublimis abiit. Accepisse id augurium læta dicitur Tanaquil; perita, 9 ut vulgo Etrusci, cœlestium prodigiorum mulier. *Excelsa, & d alta sperare*, complexa, *virum*, jubet. 10 eam alitem ea regione cœli & ejus Dei nunciam venisse. circa summum culmen hominis auspicium feciisse. levasse humano superpositum capiti decus, ut divinitus eidem redderet. Has spes cogitationesque secum portantes, urbem ingressi sunt, domicilioque ibi comparato 11 L. Tarquinium Priscum edidere nomen. Jam & Romanis conspi-

INTERPRETATIO.

a *Cum convasassent, res suas abstulissent.*

b *Et sedenti in vehiculo celeri.*

c *Tamquàm à Diis missa ad ministerium* exhibendum.

d *Amplexa maritum, hortatur* eum, *ut alta speret.*

NOTÆ.

7. *Ad id potissimùm visa.*] Gronov. *potissima*: rectè si adsit auctor ejus scriptionis: alioqui *visa* sumi poterit pro inspecta, spectata, quæ sc. ob oculos præcipuè versarentur, quasi ad propositum maximè idonea.

8. *Una imagine Numæ.*] Cum stemma suum non alia imagine illustrare posset, quàm Numæ avi materni. Notum autem nobilitatis indices fuisse majorum qui magistratus Curules gessissent, imagines in atrio dispositas.

9. *Ut vulgò Etrusci.*] Tages puer è terra natus, Festo Genii filius, Jovis nepos, dicitur disciplinam Aruspicii dedisse XII. populis Etruriæ, ad quos à Romanis adolescentes nobiles ejus perdiscendæ causâ mittebantur.

10. *Eam alitem.*] Aquila Rex avium, & Jovi sacra, in cujus tutela sunt Reges, repositusque pileus capitis ornamentum, portendebant supremam dignitatem. Et verò Tarquinius effigiem aquilæ in sceptri vertice ab Etruscis oblatam, inter præcipua regni insigni insignia deinde habuit. Atque inde fortè Romanorum Aquilæ. Eodem etiam exemplo Aquila Claudio in forum eunti cum dextro humero insedisset, imperium portendere credita est.

11. *L. Tarquinium priscum.*] Nomen suum cum edere jussus esset Tarquinius, utpote advena, Romanorum more Prænominis loco Lucius pro Lucumone appellari voluit; pro gentilitio nomine Tarquinius se de patriæ appellatione vocavit. Quod ad Prisci cognomen attinet, illud quasi Glossema inducendum Sigonius, nec immerito putat, quod cum ex Dionysio non alia de causâ hic Tarquinius Priscus appellatus sit quàm quòd natu major esset, quàm Tarquinius superbus Rex VII. non videtur illud ipsi statim advenienti inditum, nec prius, quam hic superbus florere cœperit. Si nihilominus Scoppam

cuium eum novitas divitiæque faciebant: & ipſe quoque fortunam benigno alloquio, comitate invitandi, beneficiiſque, quos poterat, ſibi conciliando, adjuvabat. donec in regiam quoque de eo fama perlata eſt; notitiamque eam brevi, apud regem 12 liberaliter dextreque obeundo officia, in e familiaris amicitiæ adduxerat jura, ut publicis pariter ac privatis conſiliis, 13 bello domique intereſſet. & per omnia expertus, poſtremo tutor etiam liberis regis teſtamento inſtitueretur.

XXXV. 1 Regnavit Ancus annos quatuor & viginti; cuilibet ſuperiorum regum belli paciſque & artibus & gloria par. Jam 2 filii prope puberem ætatem erant. 3 eo magis Tarquinius inſtare, ut quam primum comitia regi creando fierent. Quibus indictis, 4 ſub tempus pueros venatum ablegavit. Iſque primus & petiiſſe am- Urb. cond. an. 124. & ſeqq.

INTERPRETATIO.

e *Provexerat uſque ad privilegia intima familiaritatis.*

NOTÆ.

audiamus, apud quem in Collectan. Lucius lingua Etruſca ſenem, & Lucumo ſeniorem ſive Senatus Principem ſignificat: potuit hanc Priſci nomenclaturam (quaſi ſenis dixeris) jam tum affectare ominis cauſa.

12. *Liberaliter, dextrèque obeundo.*] Liberalem non uno modo ſe geſſit Tarquinius. Nam ingenuo non ſervili more, munia ſibi commiſſa peragebat: & in belli ſumptus pecunias non ſemel contulit.

13. *Bello, domique intereſſet.*] Quàm jejunè hic noſter egregia Tarquinii facinora, & complura Anci Marcii bella indicat, vel ſilet potius? Supplenda hæc nobis breviter ex Dionyſio lib. 3. Belli cum Latinis anno 1. captum ab Anco Politorium, altero receptum, 3. captæ Tellenæ, 4. & 5. Medullia, & Ficana, quam per triennium Latini detinuerant, receptæ; tum prœlia commiſſa, quorum altero fuſi, fugatique Latini: & præfectus præſidiis adverſus eos Tarquinius. Poſt hæc cuniculis expugnatæ, direptæque Fidenæ. Succeſſit bellum tertium in Sabinos, qui ducente equitatum Tarquinio, cæſi, pacem petierunt. Quarto poſt hoc ce bellum anno, Vejentium novorum hoſtium caſtris potitus ad Fidenas Marcius, in urbem triumphali portâ invectus eſt. Anno ſequenti iidem ob violatas inducias iterum victi ad Allas: ubi eximia Tarquinii virtus enituit, cujus cauſa Senatorum ordini à Marcio adſcriptus eſt. Volſci deinde ob prædas ex agro Romano factas, petiti; obſeſſæque Velitræ atque ad orandam veniam cives compulli. Acceſſit his bellum novum ab ulterioribus Sabinis, quibus minus adhuc cognitæ vires Romanæ: ſed eas experimento didicerunt, caſtris exuti.

1. *Regnavit Ancus.*] Ejus effigiem ſic exhibent veteres Nummi.

2. *Filii prope puberem ætatem.*] Major ſcilicet Anci Marcii filius: nam minor adhuc infans. Ex Dionyſ.

3. *Eò magis.*] Ne major natu filius ſuperioris regis, ſi pubes factus eſſet, cum eo de regno facilius contenderet.

4. *Sub tempus.*] Comitiorum nempe

Urb. cond. an. 139. bitioſe regnum, & orationem dicitur habuiſſe ad conciliandos plebis animos compoſitam: *quam, ſe* 5 *non rem novam petere: quippe qui non primus, quod quiſquam indignari mirarive poſſet, ſed tertius Romæ peregrinus regnum affectet. & Tatium non ex peregrino ſolum, ſed etiam ex hoſte regem factum. & Numam* [a] *ignarum urbis,* 5 *non petentem, in regnum ultro accitum. Se,* [b] *ex quo ſui potens fuerit, Romam cum conjuge ac fortunis omnibus commigraſſe: majorem partem ætatis ejus, qua civilibus officiis fungantur homines, Romæ ſe quam in vetere patria vixiſſe.* 6 *domi militiæque ſub haud pœnitendo magiſtro, ipſo Anco rege, Romana ſe jura, Romanos ritus didiciſſe. obſequio & obſervantia in regem cum omnibus, benignitate erga alios cum rege ipſo certaſſe.* Hæc eum haud falſa memorantem, ingenti conſenſu populus Romanus regnare juſſit. Ergo virum, cætera egregium, ſecuta, quam in petendo habuerat, etiam regnantem ambitio eſt. nec minus regni ſui firmandi, quam augendæ reipublicæ memor, 7 centum in Patres legit, 8 qui deinde minorum gentium ſunt appellati. factio haud dubia regis, cujus beneficio in curiam venerant. bellum primum cum Latinis geſſit, & oppidum ibi 9 Appiolas vi cœpit: prædaque inde majore, quam quanta belli fama fuerat, reve-

INTERPRETATIO.

a *Qui urbis mores non noverat.*
b Ex quo *ſui arbitrii fuerit.*

NOTÆ.

5. *Non rem novam.*] Quod exemplo fit, videtur jure factum. Idcircò tria hic affert exempla.

6. *Domi, militiaque.*] Publicis pariter, privatiſque conſiliis pace & bello adhibitus, ut ſupra; equitatui etiam præfectus.

7. *Centum in patres legit.*] Ad conciliandam plebis gratiam, centum ex ea ſelectos in Patriciorum primùm allectos ordinem, numero Senatorum adſcripſit. Quæ ſecunda centenarii numeri ad Senatum adjectio. Nam ex Sabinis à Romulo centum priori Senatui additi fuerant.

8. *Qui deinde minorum gentium.*] Patricios minorum gentium Tacitus XI. annal. exiſtimat à L. Bruto conſule primùm appellatos; cui & Patrum conſcriptorum originem attribuit Plutarchus: ita ut omnes Patricii à Regibus lecti, fuerint è majorum numero. Id tamen Livius hic Tarquinio adſcribit. Onuphrius in Civit. Rom. & in Faſtis contendit eos tantùm Patricios, qui à Romulo primum lecti ſunt, majorum gentium fuiſſe: quod ſanè verum erit, ſiquidem hi cum iis comparentur, qui inſecutis temporibus aſciti. Sed &, qui ex Sabinis ab eodem, & qui nunc à Tarquinio adſcripti, majores poſteriorum reſpectu dici poſſunt: uti fatetur idem Onuphrius.

9. *Appiolas vi cœpit.*] Tarquinio Regi primum cum Latinis bellum, negantibus ſe fœdere teneri poſt Marcii mortem. Initio belluni hoc non communi conſilio geſtum ab omnibus Latinis, ſed per partes: qua de cauſa facilius ſingula oppida ſuccubuere Romanorum armis. Appiolæ autem, ſive Apiolæ veteris Latii non ignobile oppidum quo loco ſteterit parum liquet: dirutum quippe, ac ſtatim concrematum eſt à Tarquinio. In Latinorum, Sabinorumque confinio, Anienе haud procul circa Cruſtumium, aut Corniculum fuiſſe, conjici poteſt ex Tarquinii per hæc tempora expeditionibus à Dionyſio memoratis lib. 3.

ctâ, 10 ludos opulentius inſtructiuſque quam pridres reges fecit. Tum primum 11 Circo, qui nunc maximus dicitur, deſignatus locus eſt. loca diviſa Patribus, equitibuſque, ubi ſpectacula ſibi quiſque facerent: 12 fori appellati. 13 Spectavere c furcis duodenos ab terra ſpectacula alta ſuſtinentibus pedes. d ludicrum fuit, equi pugileſque ex Etruria maxime acciti. ſolennes deinde annui manſere ludi 14 Romani magnique varie appellati. Ab eodem rege & circa forum privatis ædificanda diviſa ſunt loca; porticus, tabernæque factæ. Urb. cond. an. 144.

INTERPRETATIO.

c *Furcis ſuſtinentibus*, & fulcientibus *ſedilia è quibus ſpectabant, qua duodecim pedes eminebant ſupra terram.*

d *Ludi* illi *conſtabant equorum curſu, & pugilum certamine.*

NOTÆ.

10. *Ludos opulentius.*] Ludi publici, qui partim religionis, & placandorum deorum causâ; partim ob popularem lætitiam ad demerendam plebem celebrabantur. duo in primis genera fuere: Circenſes, ſive Gymnici; & Scenici, qui & Theatrales. Hi voce, ac fidibus, & Tibiis fiebant: illi hominum aut equorum curſu & certatione corporum, de quibus hic ſermo.

11. *Circo, qui nunc maximus.*] Circi à Curriculorum, ni fallor, circultu dicti ſunt; aut quod in iis circum metas pompa ferretur, id eſt effigies numinum. Non enim à circulari figura deductum hoc nomen videtur; ut quæ amphitheatris magis conveniat, cum Circorum forma longior eſſet, quàm latior, etſi duorum minorum laterum unum lunatum eſſet. Plures Romæ progreſſu temporis, Circi fuerunt. Hic qui *Maximus* dici meruit, inter montes Palatinum & Aventinum ſitus, nomen deinde dedit urbis regioni XX. Accuratam ejus deſcriptionem præ cæteris habet Dionyſ. lib. 3. qui centum quinquaginta millium hominum capacem fuiſſe ait. Sed eum, opinor, deſcribit qualis à Cæſare Dictatore inſtauratus fuit, potiùs quàm qualis nunc à Tarquinio conſtructus, vel deſignatus.

12. *Fori appellati.*] Fori, navium ſunt tabulata, quæ ſternuntur, ſeu ſpatia, quæ iter præbent perambulantibus naves, à ferendo dicti, quod inceſſus ferant. Sic etiam vocantur latera navium concava, ex eo quòd foris emineant. Eodem exemplo Fori in Circo vocantur loca ſpectaculorum cava, cancellis invicem ſeparata.

13. *Spectavere Furcis.*] Hoc priſcis Romanis ante Tarquinium attribuit Dionyſius, quaſi antea quidem furcis innixa fuerint ſpectacula; ſed hoc tempore è porticibus, jam tum commodius ſpectare cœperint.

14. *Romani, magnique.*] Iidem, licet variis nominibus appellari diverſis ex cauſis; *Circenſes*; vel à Circe, quæ omnium prima Circum in honorem Solis patris excogitavit; vel quod in Circo, aut quod circuitu exhiberentur, eorum imitatione, qui apud Elidem in honorem Jovis Olympici celebrabantur ad Alphei ripam, ita anguſto tramite, ut altero latere urgente flumine, altero poſitis gladiis, utrinque præſens periculum iis imminerer, qui bigarum curſu certabant, urait Serv. 3. Georg. *Romani* verò dicti ſunt, quod inter ſolennes Romanorum ludos antiquiſſimi: *magni* denique, ſive quod maximis impenſis fierent, (ducenris millibus nummûm) ſive quòd magnis Diis, Jovi, Junoni, Minervæ ſacri. Cæterùm initio Gymnici tantum erant, & unico die v. Idib. April. abſolvebantur. Poſtea Sceniei quoque fuere; & in alterum, ac tandem in plures dies producti. Hi autem Ludi Magni à Megaleſiis erant diverſi, de quibus ſuo loco.

Digitized by Google

Urb. cond. an. 147. XXXVI. [1] Muro quoque lapideo circumdare urbem parabat, [2] quum Sabinum bellum cœptis intervenit. Adeoque ea subita res fuit, ut priùs [3] Anienem transirent hostes, quam obviam ire ac prohibere exercitus Romanus posset. Itaquo trepidatum Romæ est: & primo dubiâ victoriâ magnâ utrinque cæde pugnatum est. Reductis deinde in castra hostium copiis, datoque spatio Romanis ad comparandum de integro bellum, Tarquinius equitem maxime suis deesse viribus ratus, [4] ad Ramnes, Titienses, Luceres, quas centurias Romulus scripserat, addere alias constituit, suoque insignes relinquere nomine. Id quia [a] inaugurato Romulus fecerat, [b] negare [5] Accius Nævius inclitus ea tempestate augur, neque mutari, neque novum constitui, nisi aves addixissent, posse. Ex eo ira regi mota, eludonsque artem (ut ferunt) *Agedum*, inquit, [c] [6] *divine tu, inaugura, fieri ne possit, quod nunc ego mente concipio*. Quum ille [7] in augurio rem expertus, profecto futuram dixisset: *Atqui hæc animo agitavi*, inquit, [8] *te novacula cotem di-*

INTERPRETATIO.

a Romulus id *fecerat observato augurio*.

b *Accius asseveravit non posse, sive mutari* numerum centuriarum, *sive novum* quid in ea re *institui, nisi aves indicassent fieri posse*.

c *Tu, ô augur, inquire per auguria num fieri possit, &c.*

NOTÆ.

1 *Muro quoque lapideo*.] Nunc se ad hoc opus accinxit Tarquinius Priscus: quod posteà, resumpsit; & si non omnino perfecit, saltem ex parte mœnia extruxit quadratis lapidibus quorum singuli justum plaustri onus conficiebant. Vide infrà c. 38.

2. *Quum Sabinum bellum*.] Octavum fuit hoc in Sabinos bellum.

3. *Priùs Anienem transirent*.] *Anio*, (*Anienis*, tarò *Anionis*) nomen est amnis omnium in Tiberim defluentium celebratissimi, cujus aquæ frigidissimæ, limpidissimæque, amœnæ aspectu sunt, potuque suaves. In monte Trebanorum ortus, per Trebam, Sublaqueum, aliaque Æquorum oppida; inde Sabinos à veteribus Latinis ferè disterminans, salutato Tibure (ubi aliâ præcipitatur cataractâ,) in Tiberim evolvitur, tertio supra Romam milliari. Nunc vulgò *Tevarone*.

4. *Ad Ramnes, &c.*] De his suprà cap. 23.

5. *Accius Nævius*.] Hic aliis *Navius Attius*, aliis *Attius Navus*, vel *Atius Navus* dictus; paupere natus patre, exigui nimirum ruris colono: à quo, propter mira quædam in puerili ætate, augurii experimenta (quæ à Cicerone ac Dionysio referuntur) Etruscorum peritissimo traditus in disciplinam, reliquos augures longo intervallo superavit. Quapropter auguribus Urbanis, in publicis negotiis adhibitus, licèt ex eorum Collegio non esset, hoc facto quod nunc à Livio narratur, summam gloriam, famamque adeptus est.

6. *Divine tu, inaugura*.] Vetus editio fortè non malè *divine inauguravò*.

7. *In augurio rem expertus*.] Tanaq. Faber ex Floro, & Latinitatis ratione, jubet legi *augurio rem expertus*. Gronovius utrumque ferri posse ait: & reverâ *in augurio* dici posse videtur pro eo quod est, *cum augurium cœpisset*. Quid si *inaugurio* dixerit Liv. unico vocabulo, pro actu inaugurandi? Sic certè scriptum in antiqua editione.

8. *Te novacula*.] Apud Dionysium & Florum cogitaverat Tarquinius, non utrùm Augur, sed utrum ipse ferro cotem secare posset: quod & ab eo, jubente Nævio, præstitum.

ſciſſurum. cape hæc, & perage quod aves tuæ fieri poſſe portendunt. tum illum haud cunctanter diſcidiſſe cotem ferunt. 9 Statua Accii poſita capite velato, quo in loco res acta eſt, in comitio, in gradibus ipſis ad lævam curiæ fuit: 10 Cotem quoque eodem loco ſitam fuiſſe memorant, ut eſſet ad poſteros miraculi ejus monumentum. Auguriis certe ſacerdotioque augurum tantus honos acceſſit, d ut nihil 11 belli domique poſtea, niſi auſpicato gereretur: concilia populi, exercitus vocati, ſumma rerum, ubi aves non admiſiſſent, dirimerentur. Neque tum Tarquinius de equitum centuriis 12 quicquam mutavit, numero 13 alterum tantum adjecit, ut 14 mille & octingenti equites in tribus centuriis eſſent. 15 Poſteriores modo ſub iiſdem nominibus qui additi erant, appellati ſunt, quas, nunc quia geminatæ ſunt, ſex vocant centurias.

XXXVII. Hac parte copiarum aucta, iterum cum Sabinis confligitur. Sed præterquam quod viribus creverat Romanus exercitus, ex Urb. cond. an. 147.

INTERPRETATIO.

d *Ut nihil fieret, ſive foris in bello, ſive in urbe, atque in pace, niſi Dius per auſpicia conſultis: atque ut cum aves fortunati eventus ſigna non dediſſent, tunc dimitterentur, ac differrentur comitia populi, exercituum conſcriptorum expeditiones, quæve denique maximi momenti negotia.*

NOTÆ.

9. *Statua Accii.*] Rex eum ærea ſtatua honorandum ad poſteros cenſuit, quæ auctoris tempore ante curiam in foro prope Ruminalem ficum ſpectabatur, ſtatuâ mediocri: cujus baſis conflagravit Curiâ incensâ P. Clodii funere.

10. *Cotem quoque.*] Defoſſa fuit *Cos*, cum *novacula* in comitio ſub ara quadam, qui locus Romanis Puteal dicebatur.

11. *Belli, domique.*] Diſtinguere videtur Cicero, 1. de Divinit. *Romani nihil in bello ſine extis agunt, nihil ſine auſpiciis domi habent.* Sed reverâ & exta victimarum, & auſpicia utrobique adhibita.

12. *Quicquam mutavit.*] Non quidem in nominibus Centuriarum, ſed in equitum numero.

13. *Alterum tantum.*] Indicat numerum equitum eſſe duplicatum, ut ex ſequentibus, & ex Victore patet. Dicimus enim *alterum tantum*, cum tantundem adjicitur, quantum antèa in numero, vel magnitudine fuit. Quam loquendi formam & noſter alibi, & Cicero aliique uſurparunt, ſumptam ex Demoſthene contra Midiam, ut Nannius obſervat. Creduntur ejus ignorantiâ ſcripſiſſe Librarii ordine inverſo *tantùm alterum*, ut vulgò habebatur: quâ ſcripturâ ſignificari poterat Tarquinium *numero* priori equitum, *ſolùm adjeciſſe alterum* numerum.

14. *Mille & octingenti equites.*] Antiqua lectio, hunc habet numerum: in pleriſque *mille & trecenti equites* ſunt, qui numerus conſtare nullo pacto poteſt: unde Glareanus 1200. reſcripſit, quod & Salmaſio placet, quia Romuli trescentenûm equitum Centuriæ, poſteà duplicato numero auctæ erant ad equites omnino 600. qui numerus hic à Tarquinio multiplicatus in duplum, equites 1200. reddit. Sed ſi ponantur bis antea geminati equites, ſemel ab ipſo Romulo, iterum à Tullo; nunc ex horum tertia geminatione exiſtent 1800.

15. *Poſteriores modo.*] Hoc tantum ſervatum, quod additi ad priorem ſingularum centuriarum numerum dicti ſunt *Ramnes, Tatienſes, Luceres Poſteriores*, quo à prioribus diſtinguerentur.

Urb. cond. an. 147. occulto etiam additur dolus, [a] missis qui magnam vim lignorum in Anienis ripa jacentem, ardentem in flumen conjicerent: ventoque juvante accensa ligna; & [1] pleraque in ratibus, impacta sublicis quum hærerent, [2] pontem succendunt. [3] Ea quoque res in pugna terrorem attulit Sabinis. Effusis eadem fugam impediit: multique mortales quum 5
hostem effugissent, in flumine ipso periêre: [b] quorum fluitantia arma ad urbem cognita in Tiberi, prius pene, quam nunciari posset, insignem victoriam fecere. Eo prælio præcipua equitum gloria fuit. [c] utrinque ab cornibus positos, quum jam pelleretur media peditum suorum acies, ita incurrisse ab lateribus ferunt, ut non sisterent modo 10
Sabinas legiones ferociter instantes cedentibus, sed subito in fugam verterent. montes effuso cursu Sabini petebant [d] & pauci tenuere; maxima pars, ut ante dictum est, ab equitibus in flumen acti sunt. Tarquinius instandum perterritis ratus, præda captivisque Romam missis, 15
spoliis hostium (4 votum id Vulcano erat) ingenti cumulo accensis,

INTERPRETATIO.

a *Qui jacentem in Anienis ripa ingentem lignorum struem* accenderent, & *accensam projicerent in flumen: & sic cum ligna, vento flammas excitante, ardentia*, quorum *pleraque ratibus* deferebantur, *incurrentia in Sublicas* (ex quibus Pons hostium compactus erat) *illis adhæresceret; Pontem incenderunt.*

b *Arma Sabinorum* submersorum *in Tiberi fluitantia, Romam usque* prono amne delata, *cum cognita fuissent* à Romanis, *penè antequàm nunciari victoria potuisset, eam manifestam nobilemque reddidere.*

c *Ferunt eos ad cornu dextrum & sinistrum collocatos, cum pedites Romani, qui mediam aciem obtinebant, pellerentur* loco, *in* hostium *latera tanta vi esse invectos*, &c.

d *Nec multi eò se recipere potuerunt.*

NOTÆ.

1. *Pleraque in ratibus.*] In re perspicua laborare Gronovius hoc loco videtur, vel nodum in scirpo quærere, cum quærit quæ sint *rates sublicia?* quasi nomen *Sublicius* aut *Sublicis* adjective sumendum sit, aut ad nomen *ratibus* referendum: aut quasi ex eo, quod ipsi visum sit Pontem hostilem ex ratibus, & sublicis fuisse paratum, sequeretur non potuisse & Romanos ratibus aliis uti, quibus arida ligna imponerent, quod ab his factum scribit Dionys.

2. *Pontem succendunt.*] Castra Sabinorum sub confluentibus Anienis & Tiberis posita, ripam utramque tenebant, & ponte ligneo scaphis ratibusque impositis conjungebantur. Tarquinius secundum Anienem supra hostes castrametatus, scaphas & rates aridis lignis refertas, sulphure quoque ac pice additis, ad incendium spargendum præparavit: tum ubi flavit ventus, injecto in materiam igne, ante quartam vigiliam secundo amne propulit in hostium pontem, qui statim flammam concepit. In hac restinguenda occupatis Sabinis, supervenit sub diluculum Rex Romanus, & ipse cum instructo exercitu citeriora castra, ulteriora per aliam manum, quæ flumen de nocte trajecerat, expugnavit. Dionys.

3. *Ea quoque res.*] Præter pontis absumpti damnum, & intercluſum mutuum inter duo castra commeatum: hoc pontis incendium valuit ad inferendum terrorem.

4. *Votum id Vulcano.*] Fore nimirum ut hostium spolia igni traderentur; cui præsidet Vulcanus, ideò ignipotens dictus à Poëta.

pergit

pergit porro in agrum Sabinum exercitum inducere: & quamquam male geſta res erat, nec geſturos melius ſperare poterant, tamen quia conſulendi res non dabat ſpatium, jere obviam Sabini tumultuario milite. iterumque ibi fuſi, perditis jam prope rebus 5 pacem petiêre.

XXXVIII. 1 Collatia & quicquid circa Collatiam agri erat, Sabinis ademptum. 2 Egerius (fratris hic filius erat regis) Collatiæ in præſidio relictus. deditoſque Collatinos ſta accipio, eamque deditionis formulam eſſe. Rex interrogavit, *Eſtiſne vos legati oratoreſque miſſi à populo Collatino, ut vos populumque Collatinum dederetis? Sumus. Eſtne populus Collatinus in ſua poteſtate? Eſt. Deditiſne vos populum Collatinum, 3 urbem, agros, aquam, terminos, delubra, utenſilia, divina humanaque omnia, in meam populique Romani ditionem? Dedimus. At ego recipio.* Sabino bello perfecto 4 Tarquinius triumphans, Romam rediit. 5 inde priſcis Latinis bellum fecit; ubi nuſquam ad univerſæ rei dimicationem ventum eſt. Ad ſingula oppida circum, Urb. cond. an. 150.

NOTÆ.

5. *Pacem petiere.*] Inducias in ſexennium impetrarunt.

1. *Collatia & quidquid.*] Collatiam, & alia quæ ſequuntur oppida, ſive dedita, ſive expugnata Dionyſius ad bellum Latinum refert, non ad Sabinum. Et ſanè Collatiam cis Anienem non procul Roma fuiſſe, Cluver. cenſet, locatque ſexto ab urbe milliari, ubi pars aquæ Crabræ (*la Marana*) miſcetur Anieni, eamque in rem Strabonem & Plinium laudat, *Collatiam* recenſentes inter vetera Latii oppida: licèt jam tunc in vicum abiiſſet. At Holſtenius longiùs removet, paulò ultra Oſæ & Anienis confluentem, quouſque via Collatina porrigebatur: & Collatiæ ruinas ad dextram Anienis collocans: paulò ſupra locum cui *à Sancta Symphoroſa* hodie nomen. Idcirco rectè à noſtro Sabinis tributi putat cum eo Kircherus, qui inter Fidenas & Cruſtumerium ponit. Sed ea, quamvis trans Anienem, & in Sabinorum reverà regione, ſuis legibus vixiſſe, ſuique fuiſſe juris videri poteſt ex formula deditionis, quæ mox refertur. Atque ita faciliè fiebat, ut parum per ſe potens, modò Sabinorum, modò Latinorum ſocietatem ambiret.

2. *Egerius.*] Hunc Arunte fratre ſuo natum, omnique patrimonio deſtitutum, Tarquinius Collatinis ſummo jure velut dominum præfeciſſe videtur. Dionyſius certè κύριον vocat. Hinc in eum, ejuſque ſtirpem cognomen Collatini.

3. *Urbem agros, aquam, &c.*] Extat non abſimilis formula deditæ Capuæ lib. 7. cap. 31.

4. *Tarquinius Triumphans.*] Tarquinium Priſcum Romæ primum triumphaſſe ſcribunt cum Floro, Eutropius, & Meſſala. Ter autem triumphavit auctore Dionyſio, & conſentientibus tabulis Capitolinis. Primò de Latinis, deinde de Etruſcis, tertio de Sabinis. Atque hunc triumphum Sigonius confert in annum Urb. cond. 120. & Idus Septembreis. Dionyſius refert ad confectum alterum bellum Sabinum, quod ex ejus narratione, ac bellorum intervallis ferè ad annum uſque 160. pertinere conjicio.

5. *Inde priſcis Latinis.*] Belli Latini facta jam mentio cap. 35. Id licèt plures annos tenuerit, Dionyſius ita deſcribit, ut ſine intercapedine geſtum & priùs abſolutum innuat, quam inchoatum fuerit Sabinum; quod & Capitolina marmora indicant. *Priſci Latini* fuêre circa Romam, in veteri & propriè dicto Latio. His acceſſere poſtea Æqui, Marſi, Volſci, Rutuli, Hernici, Latinis à Romanis victoribus aſcripti: unde eorum Regio novi Latii nomen accepit.

Urb. cond. an. 150. ferendo armâ, nomen omne Latinum domuit. 6 Corniculum, 7 Ficulnea vetus, 8 Cameria, 9 Cruſtumerium, 10 Ameriola, Medullia, 11 Nomentum, hæc de priſcis Latinis, aut qui ad Latinos defecerant, capta oppida. 12 Pax deinde facta. Majore inde animo pacis opera inchoata, quam quanta mole geſſerat bella: ut non quietior populus domi eſſet, quam militiæ fuiſſet. Nam & muro lapideo, cujus exordium operis Sabino bello turbatum erat, urbem, a quâ nondum munierat, 13 cingere parat: & infima urbis loca circa forum aliaſque interjectas collibus convalles, quia ex planis locis haud facile evehebant aquas, 14 cloacis 15 è faſtigio in Tiberim ductis ſiccat: & aream ad

INTERPRETATIO.

a *Ab ea parte quâ nondum urbem cinxerat lapidibus.*

NOTÆ.

6. *Corniculum.*] Inter Anienem, ac Tiberim ſitum, medio ferè itinere Fidenis Tibur petenti; à Tarquinio direptum, incenſumque. Cluverio eſſe videtur *Caſale*, Kirchero Eccleſia *di S. Margaritella* prope rivum *Magliano*; utrumque, non procul *Torre Vergata*. Holſtenius *S. Angeli* oppidulum nunc eſſe ſuſpicatur.

7. *Ficulnea vetus.*] Alias *Ficulea*. Trans Anienem fuit viâ Nomentanâ, quæ inde Ficulenſis appellata, nec procul Nomento, ubi nunc fanum *S. Vaſile*, ſeu *S. Baſilio*, ſecundum Cluver. & Kircher. milliaribus ab urbe ferme 12.

8. *Cameria.*] Vel Camerium, cis Anienem eodem tractu, cum Coenina, & Antemnis ſita, ex Cluver. Neque enim ab urbe, neque à Sabinorum finibus multùm abfuit. Antiquitus Aboriginum domicilium non ignobile, tum Albanorum, deinde Romanorum Colonia à Romulo deducta, unde Coruncanii Romæ. Ejus ſitus in *Palombaram*, quæ trans Anienem eſt, convenire videtur Holſtenio.

9. *Cruſtumerium.*] De hoc ſupra, cap. 10.

10. *Ameriola, Medullia.*] Cum Cruſtumerio & Corniculo plerumque memorantur: quod viciniam arguit. Unde Ameriolam circa *Caſtello di S. Mario*, Medulliam verſus *Monte di Molo*, fuiſſe conjeceris: quæ loca duo ad rivum *Magliano* in Sabina regione. Cluverius tamen cis Anienem in tractu Coninenſi & Antemnate fuiſſe putat duo illa vetera oppida.

11. *Nomentum.*] Anienem ac Tiberim inter ab Albanis primò conditum, Latini olim generis, poſteà Sabinis eſt contributum: viæ Nomentanæ nomen dedit, XII milliaribus longioribus ab urbe diſtans. Hodie vocatur, *Lamentana Vecchia*.

12. *Pax deinde facta.*] Belli per novennium cum Etruſcis geſti, Fidenarum per hos captarum ac per Tarquinium receptarum, triumphi de Etruſcis acti, inſignitumque regiorum ab ipſis miſſorum Livium non meminiſſe, quis non miretur? Sed ornamentorum regiorum originem perſtrinxerat cap. 8. Cuncta hæc fusè Dionyſius lib. 3. commemorat. Nec Florus omninò prætermiſit lib. 1. cap. 5. His addit Aurelius Victor à Tarquinio filium ſuum, quod XIII. tantum annos natus hoſtem in prœlio percuſſiſſet, prætextâ & bulla donatum: unde hæc ingenuorum puerorum inſignia eſſe cœperunt.

13. *Cingere parat.*] Jam ante paraverat cap. 36. nunc quod paraverat exequi cœpit, tandemque abſolvit, ſi Dionyſio fides: magnis ſaxis quadratis ad regulam formatis. Quod alii opus ab eo inchoatum, à Servio Tullio perfectum volunt.

14. *Cloacis.*] Inter ſtupenda Romanorum opera Cloacas urbis ponit Dionyſius Halicarn. Cloacas dixere à Colluendo, locæ cavæ in ingentem altitu-

ædem in Capitolio Jovis, quam voverat bello Sabino, jam præsagiente animo futuram olim amplitudinem loci, 16 occupat fundamentis.

XXXIX. 1 Eo tempore in regia ꝺꝺ prodigium visu eventuque mirabile fuit. Puero dormienti, cui Servio Tullio nomen fuit, caput 2 arsisse ferunt multorum in conspectu. Plurimo igitur clamore inde ad tantæ rei miraculum orto, 2 excitos reges. & quum quidam familiarium aquam ad restinguendum ferret, ab regina retentum: 3 sedatoque eam tumultu, moveri vetuisse puerum; donec sua sponte experrectus esset. Mox cum somno & flammam abiisse. Tum abducto in secretum viro Tanaquil. *Viden tu puerum hunc*, inquit, *quem tam humili cultu* Urb. cond. an. 155.

INTERPRETATIO.

2. *Vocatos Regem & Reginam.*

NOTÆ.

dinem depressa, ut essent commune purgamentorum receptaculum. Tarquinius Priscus hujus operis auctor, suffossis montibus, urbem fornicibus pensilem fecit, spatiumque subjectum in tres ductus divisit subter vias publicas directos; id est fossas, viasque subterraneas, parietibus in modum aqu æductus munitas & hæc Cloaca maxima fuit, cujus in Tiberim emissorium in regione posteà XI. memoratur. Alias deinde foderunt, tempore forte Superbi Tarquinii; ita ut aquæ pluviæ decidentes, septem quasi amnibus raperent omnes totius urbis sordes, atque in flumen conveherent.

15. *E fastigio.*] Gronovius ex veteribus libris legit, *Fastigio*. Est enim, inquit, *fastigio ducere*, per proclive ducere. Exempla adducit quorum maximè ad rem ex nostro lib. 44. *per proclive, sumpto fastigio, longi duo validi asseres, ex inferiore parte in terra defigebantur*. Sed nec ibi est *ducere fastigio*: nec alius erit sensus si legamus, *Cloacis è fastigio in Tiberim ductis*: cum nonnisi per declivia duci possint è superiore loco.

16. *Occupat fundamentis.*] At Capitolii fundamenta posteà jacienda fuerunt à Tarquinio Superbo infrà cap. 55. Designavit Priscus sedem Templi, quod bello Sabino voverat, in tumulo prærupto, quem amplexus ille quidem est substructionibus, & verticem congesto aggere complanavit, areamque ibi fecit: fundamenta tamen jacere fato præventus non potuit, teste Dionys.

1. *Eo tempore.*] Adde ex Dionysio, quod omissum à Livio, Collegium Vestalium à Tarquinio auctum usque ad Senarium numerum, qui posteà mansit. Ipse enim, quod crevisset numerus publicorum sacrificiorum, quibus virgines illæ interesse consueverant, duas adjecit ad quatuor, quæ hactenus fuerant. Idem Tarquinius auctor fertur supplicii, quo tum primum in Pinariam Vestalem, quæ in corpus suum peccaverat, ac deinde in alias stupri reas animadversum est.

2. *Arsisse ferunt.*] Id non solùm Ascanio Virgilius, aliisque alii poetæ attribuunt: sed simile prodigium L. Marcio, in Hispania exercitum Romanum ad ulciscendam Scipionum mortem hortanti, contigisse narrat ex Valerio Antiate Plinius. Nec de hominibus tantùm, sed & de jumentis Damasius apud Photium, exempla complura memorat. Causas Physicis inquirendas relinquimus. Sed innoviam ejusmodi circa caput flammam, claritate sua claram famam fortunamque portendere antiquitas credidit.

3. *Sedatoque eam tumultu.*] Melius *eam*, nempe Reginam, quàm *jam*; tum quod alioqui non satis appareret, quis vetuisset moveri loco, aut excitari puerum: tum quod non post sedatum tumultum; sed ad eum sedandum intervenienti Tanaquil, id statim prohibuisse videatur.

Urb. cond. an. 155. *educamus ?* b *Scire licet hunc* 4 *lumen quondam rebus noſtris dubiis futurum, præſidiumque regiæ afflictæ. proinde materiem ingentis publicè privatimque decoris, omni indulgentia noſtra nutriamus.* Inde puerum liberûm loco cœptum haberi, erudirique artibus, quibus ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitantur. Evênit facilè, quod Diis cordi eſſet. Juvenis evaſit vere indolis regiæ. nec quum quæreretur gener Tarquinio, quiſquam Romanæ juventutis c ulla arte conferri potuit. Filiamque ei ſuam Rex deſpondit. Hic quacumque de cauſa tantus illi honos habitus, credere prohibet ſerva natum eum, parvumque ipſum ſerviſſe. d Eorum magis ſententiæ ſum, qui Corniculo capto, Servii Tullii, qui princeps in illa urbe fuerat, gravidam viro occiſo uxorem, quum inter reliquas captivas cognita eſſet, ob unicam nobilitatem ab regina Romana prohibitam ferunt ſervitio; partum Romæ edidiſſe, in Priſci Tarquinii domo. Inde tanto beneficio, & inter mulieres familiaritatem auctam, & puerum ut in domo à parvo eductum, in charitate atque honore fuiſſe: 6 fortunam matris, quod capta patria in hoſtium manus venerit, ut ſerva natus crederetur, feciſſe,

INTERPRETATIO.

b *Sciendum eſt.*

c *Diſciplinâ aut exercitatione quavis comparandus.*

d *Eorum potius opinionem ſequor, qui dicunt poſt Corniculum expugnatum, uxorem Servii Tullii, qui primum in ea civitate locum tenuerat, interfecto marito cognitam pro* uxore principis *in numero captivarum, propter nobilitatem eximiam fuiſſe vindicatam à periculo ſervitutis, Regina Romana beneficio: cumque gravida eſſet, partum in Regia Tarquinii edidiſſe. Hinc factum ut familiaritas inter Tanaquilem & Servii matrem creverit tanto beneficio* (libertatis conceſſæ) *& puerum ab infantia apud ſe educatum proſecuti ſint amore ſingulari, atque in honore habuerint* Tarquinius ejuſque uxor.

NOTÆ.

4. *Lumen quendam.*] Prodigio quidem flammæ fulgentis reſpondet egregiè lumen: non piget tamen eorum ſententiæ accedere, qui *columen* malunt, id enim hoc loco magis convenit.

5. *Familiaritatem auctam.*] At nulla fuerat ab initio familiaritas inter Reginam & Servii Corniculani uxorem: cum auctam dicit Livius, indicat ſatis coaluiſſe, primum dato, acceptoque beneficio, dein progreſſu temporis creviſſe.

6. *Fortunam matris.*] Dionyſius *Ocriſiam* vocat initio lib. 4. additque virum habuiſſe regii ſanguinis; & quod formâ, cæteris captivis inter quas abducta fuerat, præſtaret, *Tarquinio* extra ſortem honoris causâ conceſſam fuiſſe. Hac de re ſic diſſerit Claudius Imperator in oratione apud Senatum habita de aſciſcendis in Curiam Gallis. Si vera ſunt ejus fragmenta, quæ in duabus Tabulis leguntur Lugduni in publicis civitatis ædibus. *Servius Tullius, ſi noſtros ſequimur, captivâ natus Ocreſia: ſi Tuſcos, Cœli, quondam Vivennæ ſodalis fideliſſimus, omniſque ejus caſus comes; poſtquàm variâ fortunâ exactus cum omnibus reliquis Cœliani exercitus, Etruriâ exceſſit, montem Cœlium occupavit; & à duce ſuo Cœlio ita appellitatus, mutatoque nomine: nam Tuſcè Mastarna ei nomen erat, ita appellatus eſt, ut dixi; & regnum ſummâ cum reip. utilitate obtinuit.*

XL. 1 Duodequadrageſimo ferme anno, ex quo regnare cœperat Tarquinius, non apud regem modo, ſed apud Patres plebemque 2 longè maximo honore Servius Tullius erat. 3 Tum Anci filii duo, etſi antea ſemper pro indigniſſimo habuerant, *ſe patrio regno tutoris fraude pulſos; regnare Romæ advenam*, 4 *non modò civicæ, ſed ne Italicæ quidem ſtirpis; tum impenſius his indignitas creſcere, ſi ne ab Tarquinio quidem ad ſe rediret regnum, ſed præceps inde porro ad ſervitia caderet: ut in eadem civitate* 5 *poſt centeſimum fere annum, quam Romulus Deo prognatus, Deus ipſe, tenuerit regnum, donec in terris fuerit; id* 6 *ſervus ſerva natus poſſideat. tum commune Romani nominis, tum præcipue id domus ſuæ dedecus fore, ſi Anci regis virili ſtirpe ſalva, non modo advenis, ſed ſervis etiam regnum Romæ pateret.* Ferro igitur eam arcere contumeliam ſtatuunt. Sed & injuriæ dolor in Tarquinium ipſum magis quam in Servium eos ſtimulabat: 2 & quia gravior ultor cædis, ſi ſupereſſet, Rex futurus erat, quam privatus: tum, Servio occiſo, quemcumque alium generum delegiſſet, 7 eumdem regni hæredem factu- Urb. cond. an. 175.

INTERPRETATIO.

2 *Et quia cædis* quam meditabantur *ultor magis metuendus erat futurus, ſi ſuperſtes foret* Tarquinius, qui jam *rex* erat, *quàm* Servius Tullius, qui adhuc erat *privatus*.

NOTÆ.

1. *Duodequadrageſimo.*] Non completo, ſed currente.

2. *Longè maximo honore.*] Nec injuriâ: cum prudentiâ facundiaque ſingulari omnibus gratus, in bellis præterea, cum adverſus Etruſcos ad Eretum, tum adverſus Sabinos apud Antemnam, nunc Magiſter equitum, nunc peditatus dux, egregiam adeò navaſſet operam, ut magnum præmiorum militarium numerum meruiſſet.

3. *Tum Anci filii duo.*] Hi triennio antè, quo Servium Tullium ſperato regno depellerent, eum apud populum accuſaverant, quaſi auctorem necis Accii Navii Auguris, repentino caſu ſublati. Sed ille calumniam egregiè diluit: coactique Marcii eo incœpto non ſine ignominia deſiſtere, cum rege fictè reconciliati ſunt.

4. *Non modò civicæ.*] Ita Gronovius ex Mss. & Aldo, quod confirmat ex Livio lib. 4. cap. 3. *Deinde Tarquinium non Romanæ modò, ſed ne Italicæ quidem ſtirpis.* Vulgò *non modo vicinæ.* Tarquinius in Italia quidem natus erat; ſed Græco Patre. Civicus porro pro civili, ſive ad Romanos cives pertinente ſumitur. Alii negationem repeterent *non modò, non Romanæ, ſed ne Italicæ quidem ſtirpis.* Verùm noſter iterandis vocibus abſtinere amat, quoad licet.

5. *Poſt centeſimum ferè annum.*] Rotundum numerum vero minorem dicunt ad augendam invidiam. Currebat enim annus ab urbe condita 175. aut certè 176. à morte Romuli 139.

6. *Servus ſervâ natus.*] Parum refert *Servius* an *Servus* legatur, Servii nomen poteſt opponi Romulo, qui ante nominatus eſt: atque id ipſum nomen ex eo a pleriſque deducitur, quod ſerva natus eſſet. Aliunde Servi cum nomine conditio ad indignitatem rei non parum pertinet. Sed *ſerva natus* idem ferè, tantoque invidioſius ſignificat, quantò ſervum natum eſſe deterius cenſetur, quàm ſervum factum.

7. *Eundem regni hæredem.*] Quid ita generum Tarquinius hæredem regni facturus eſſet, ſi filios ex ſe genitos habebat Lucium & Aruntem, ut mox cap. 42. Nimirum hos non filios, ſed ex filio paulò ante mortuo natos fuiſſe credendum eſt cum Dionyſ. lib. 4.

rus videbatur. Ob hæc ipsi regi insidiæ parantur. [8] Ex Pastoribus duo ferocissimi delecti ad facinus, quibus consueti erant uterque agrestibus ferramentis; in vestibulo regiæ quam potuere tumultuosissime, specie rixæ in se omnes apparitores regios convertunt. inde, quum ambo [b] Regem appellarent, clamorque eorum penitus in regiam pervenisset, vocati, ad Regem pergunt. Primo uterque vociferari, & certatim alter alteri obstrepere. coërciti ab lictore, & jussi invicem dicere, tandem obloqui desistunt. Unus rem ex composito orditur. Dum intentus in eum se Rex totus averteret, alter elatam securim in caput dejecit: [9] relictoque in vulnere telo, ambo se foras ejiciunt.

Urb. cond. an. 175. XLI. Tarquinium moribundum quum qui circa erant, excepissent, [a] illos fugientes lictores comprehendunt. clamor inde, concursusque populi, mirantium quid rei esset. Tanaquil inter tumultum claudi regiam jubet, [b] arbitros ejicit: simul quæ curando vulneri opus sunt, tamquam spes subesset, sedulo comparat: simul si destituat spes, alia præsidia molitur. Servio propere accito, quum penè exsanguem virum ostendisset; dextram tenens, orat ne inultam mortem soceri, ne socrum inimicis ludibrio esse sinat. *Tuum est*, inquit, *Servi, si* [c] *vir es, regnum: non eorum qui alienis manibus pessimum facinus fecere. Erige te, Deosque duces sequere, qui clarum hoc fore caput divino quondam* [1] *circumfuso igni portenderunt. Nunc te illa cœlestis excitet flamma. nunc expergiscere vere.* [2] *Et nos peregrini regnavimus. Qui sis, non unde natus sis, reputa.* [d] *Si tua re subita consilia torpent, at tu mea sequere.* Quum clamor [3] impetusque multitudinis vix sustineri posset, ex superiore parte ædium per fenestras in novam viam versas (habitabat enim Rex [4] ad Jovis Statoris) populum Tanaquil alloqui-

INTERPRETATIO.

b *Implorarent regem.*

a *Illi* sicarii, *cum fugerent, apprehensi sunt à satellitibus.*

b *Submovet* extraneos *testes.*

c *Si virile pectus geris, tuum est regnum, non Marciorum*, qui spe regni adipiscendi *per alios commisere nefarium scelus*, eædem regis.

d *Si re improvisa* (morte scilicet Regis) *hebetatur tibi* mens, ut per te ipse *consilium* capere non possis: *meum saltem* consilium *sequere.*

NOTÆ.

8. *Ex Pastoribus duo.*] Dionysius conjuratorum fortissimos Pastorali habitu, ab Anci filiis missos ait extremo lib. 3.

9. *Relictoque in vulnere telo.*] Etsi *telum* propriè dicatur de illo armorum genere, quæ longè jaciuntur: generalius tamen de omnibus dicitur, quæ vulnerare possunt.

1. *Circumfuso igni.*] Supra cap. 39.

2. *Et nos Peregrini.*] Tarquinius, & Tanaquil ex Etruria advenæ. Alia Tanaquilis ad Tarquinium oratio extat apud Dionys. lib. 4. quâ se, nepotesque suos in ipsius tutelam tradens, periculum utriusque demonstrat certissimum, si Marcii regnent.

3. *Impetusque multitudinis.*] Volentium regiam ingredi, ac regem videre, ut scirent sauciatus tantùm, an planè interemptus esset.

4. *Ad Jovis Statoris.*] In foro Romano ad Palatii radices.

tur: Jubet *bono animo esse*, [e] *sopitum fuisse regem subito ictu . ferrum haud alte in corpus descendisse . jam ad se rediisse . Inspectum vulnus abstersо cruore . Omnia salubria esse. considere propediem ipsum eos visuros. Interim Servio Tullio jubere populum* [5] *dicto audientem esse : Eum jura redditurum*, [6] *obiturumque alia regis munia*. Servius [7] cum trabea & lictoribus prodit ; ac sede regia sedens, alia decernit, de aliis consulturum se regem esse simulat . Itaquo per aliquot dies, quum jam expirasset Tarquinius, celata morte, [f] per speciem alienæ fungendæ vicis, suas opes firmavit. tum demum [8] palàm facto, & [9] compluratione in regia orta ; Servius præsidio firmo munitus, [10] primus injussu populi, voluntate Patrum regnavit. Anci liberi jam tunc comprehensis sceleris ministris, [11] ut vivere regem, & tantas esse opes Servii nunciatum est, [12] Suessam Pometiam exulatum jerant. Urb. cond. an. 176.

INTERPRETATIO.

e *Repentino vulnere oborpuisse regem: neque ictum in vitalia penetrasse. Jam Tarquinium sopore*, quem vulneris vis injecerat, *esse liberatum*.

f *Stabilivit potentiam suam, prætextu obeundi aliena munia*.

NOTÆ.

5. *Dicto audientem esse*.] Audio Latinum, & Græcum ἀκούω, sumuntur pro obedire. Dicto audientes itaque sunt, qui quidquid imperatur, statim ut dictum est exequuntur ; qui ad dictum, & quasi ad nutum parent : nec dicitur alicujus dicto ; sed *alicui dicto esse audientem*.

6. *Obiturumque*.] Jam anteà insueverat Tarquinius Servii generi operâ uti in iis, quæ morbo aut ætate impeditus obire non poterat. Quo minùs populo novum hoc ejus nomine prolatum à regina mandatum.

7. *Cum Trabea*.] Inter regum insignia, vel præcipuum fuit Trabea jam à tempore Romuli usurpata : vestis scilicet è purpura, non sine albo ; diversa, non modò à tunica palmata, & toga prætexta ; sed & à Deorum atque Augurum, aliorumque Sacerdotum trabeis, quarum illæ è sola purpura ; hæ purpura & cocco, seu puniceo colore alternis intertexto. Regalis album habuit purpuræ mixtum, teste Servio. Dionysius Halicarn. circum distinctam ait purpurâ, subtegmine puniceo. An ei ab intextis velut trabibus purpureis nomen? In repub. Consules rarò Trabeâ usi leguntur, nisi fortè in bello extra ordinem ; ut equites in transvectione. Aliud sub Imperatoribus. Manut. lib. 2. quæst. ep. 3.

8. *Palàm facto*.] Sic optimi Codices, pro tum demum re patefactâ, sive cum res manifesta esse cœpisset. Vulgò legitur, *palam factâ*, supple morte regis.

9. *Compluratione*.] Luctus in Palatio velut recenti Regis morte, simulari cœpit, artibus Tanaquilis & Servii. Quod non ante factum, quam populi judicio filii duo Anci Marcii absentes damnati exilio fuêre perorante Servio, cum ministri cædis se ab illis ad Regem occidendum missos confessi essent.

10. *Injussu populi*.] Dionysius à Livio diversus fatetur Servium Tullium præter morem regnasse, cum nequis interreges dicti, nec eum Senatus elegisset populi suffragiis confirmandum, nec ipse auspicatò regnum iniisset. Verùm regii Tutoris assumptâ personâ, à delinita largitionibus plebe regem creatum tradit præter voluntatem Senatus : quæ in primis causa fuit, cur hunc ille deinde minùs æquum fuerit expertus.

11. *Ut vivere regem*.] Falsò id vulgatum, & aliquandiu creditum.

12. *Suessam Pometiam*.] De hac Volscorum urbe infrà cap. 53.

Urb. cond. an. 182. XLII. Nec jam [1] publicis magis consiliis Servius quam privatis munire opes. & ne qualis Anci liberûm animus adversus Tarquinium fuerat, talis adversus se Tarquinii liberûm esset, [2] duas filias juvenibus regiis, Lucio atque Arunti Tarquiniis, jungit. [a] Nec rupit tamen fati necessitatem humanis consiliis, quin invidia regni etiam inter domesticos infida omnia atque infesta faceret. Peropportune ad præsentis quietem status bellum [3] cum Vejentibus (quæ jam enim [4] induciæ exierant) [b] aliisque Etruscis sumptum. In eo bello & virtus & fortuna enituit Tullii. fusoque ingenti hostium exercitu, [5] haud dubius Rex, seu Patrum, seu plebis animos periclitaretur; Romam rediit. Aggrediturque inde pacis longe maximum opus. Ut quemadmodum Numa divini auctor juris fuisset, ita Servium [c] conditorem

INTERPRETATIO.

a *Inevitabilem vim fati non dissolvit ratione, prudentiaque humanâ, nec* impedire potuit, *quominùs ob regnum orta* in eum *invidia*, etiam *inter affines omnia redderet suspicionibus, & odiis plena.*

b *Præterierat tempus induciarum.*

c *Ut posteritas eum extolleret laudibus*, velut *constitutorem omnis distinctionis* quæ *inter cives* est; *atque Ordinum, per quos diversi honorum, & bonorum gradus* secernuntur, atque *internoscuntur.*

NOTÆ.

1. *Publicis magis consiliis.*] Quod Livius perstringit, id Dionysius pluribus persequitur: ex quibus patet Servium Tullium omnes regni firmandi vias iniisse, tum publicè, tum privatim. Publicè quidem, quod initio Tarquiniorum adhuc puerorum nomen, ac fœcunditatem in omnibus prætenderit (quo facilius & Marcios pelleret, & sibi auctoritatem quasi temporariam conciliaret;) quod plebem ære alieno, de suo satisfaciens, liberaverit; quod leges æquissimas, de contractibus præsertim atque injuriis, tulerit; quod privatarum causarum judicia, quæ priores reges exercuerant, aliis permiserit, nec nisi publicorum cognitionem retinuerit. Privatim verò quod affinitatem cum Tarquinii regis liberis contraxerit, ad quos regnum hæreditario jure pertinere quodammodo videbatur.

2. *Duas filias.*] Servii Tullii Filiæ Tarquiniâ natæ, consobrinis nupsêrunt; Tullia major L. Tarquinio majori quoque natu; minor verò Tullia Arunti etiam minori.

3. *Cum Vejentibus.*] Mortuo Tarquinio Prisco, Vejentes primùm, cumque his Tarquinienses & Cæretani, ac deinde cæteri Etruriæ populi Romanorum imperium abnuerunt. Hinc Vicennale cum eis bellum Tullio, prœliorum omnium victori, Triumphorum trium materiam præbuit. Donec fractæ duodecim Etruscorum Civitates, ei sese dediderunt. Quibus ille pacem ita dedit, ut tres illos populos, qui primi arma moverant, agri parte mulctaret. Id in annum V. C. 202. referendum.

4. *Induciæ.*] Induciæ Vejentibus à Romulo datæ in centum annos suprà, cap. 15. sub Tullo Hostilio violatæ fuerant, cap. 27. & à morte Romuli ad hoc temporis annî plus quàm quadraginta supra centum effluxerant. Sed vide quæ antea cap. 31. ea de re dixi.

5. *Haud dubius Rex.*] Antea nutabat, quali dubium ejus regnum, quod non more majorum Patribus simul, & populo probatum esset. At post affinitatem cum Tarquiniis, & præclaram victoriam de Etruscis opportune reportatam, dubium nullum erat, quin, sive Senatus, sive plebis suffragia experiri vellet, suprema potestas ei communi consensu confirmanda, aut deferenda esset.

omnis

omnis in civitate diſcriminis, ordinumque, quibus inter gradus dignitatis fortunæque aliquid interlucet, poſteri fama ferrent. 6 Cenſum enim inſtituit, rem ſaluberrimam tanto futuro imperio: ex quo belli pacisque munia non viritim, ut ante, ſed pro habitu pecuniarum fierent. 7 Tum claſſes, centuriaſque, & hunc ordinem ex cenſu Urb. cond. an. 191.

NOTÆ.

6. *Cenſum enim inſtituit.*] Veteribus vocabulum *Cenſus*, non pro annuo reditu, & penſitatione ſumitur, ut poſteà uſurpatum: ſed pro bonorum æſtimatione; cum ſcilicet cujuſque civis familia, & facultates recenſentur, atque in tabulas publicas referuntur. Id autem ea præſertim de cauſa inſtitutum fuit à Servio Tullio, ut intelligeretur quantum quiſque, proportione, non arithmetica, ut anteà, ſed Geometricâ, in publicas neceſſitates conferre poſſet, ac deberet ex bono & æquo.

7. *Tum claſſes Centuriaſque.*] Antea Servius tum ruſticæ, tum urbanæ multitudinis numerum, ætatem, ſexum, & quot quoque anno nati, & mortui eſſent, quaſi aliud agendo compererat, imperata certorum nummorum pro unoquoque genere in diverſas ædes ſacras illatione. Nunc palàm Cenſûs & ſuffragiorum temperandorum causâ Claſſes & Centurias inſtituit. Claſſes Græci καλέσεις dicerent ex Dionyſio à verbo καλέω, à *calando* ſeu convocando. Totus populus habitâ ratione facultatum diviſus in ſex claſſes, Centurias 194. ex Livio, unâ minùs ex Dionyſio; quarum octodecim equitum attributæ primæ claſſi: reliquæ pedeſtribus copiis aſſignatæ. Centuriæ autem hæ non à Centenario civium numero dictæ, quem pleræque multis partibus excedebant: ſed quod imitatione Centuriarum equeſtrium, ad bellum comparatæ eſſent. Cujuſque Claſſis opes Livius millibus æris, id eſt aſſium. At Dionyſius, Græcorum more, drachmis & minis computat. Drachma Attica, ejuſdem fere ponderis cum denario Romano, decem aſſibus Romanis reſpondebat. Minæ ſingulæ centum drachmis permutabantur, aſſibus mille. Budæus Aſſem Romanum paulò plus quatuor denariolis, ſive denariis Turonenſibus æſtimat, tertia nimirum parte aſſis Gallici: Denarium autem Romanum, ut & Drachmam Atticam, tribus aſſibus noſtratibus ac dimidio exæquat: quæ ſumma decies repetita dabit aſſes Gallicos 35. quanti ſub initia Franciſci I. nummus aureus erat. Sic decem millia drachmarum, & centum millia æris componit cum mille ejuſmodi aureis coronatis. Verùm nec Dionyſiana æſtimatio, quæ tempore Aug. (cum ejus auctor ſcribebat) utcumque ſtare potuit, ad Servii Tullii ætatem quadrat: nec Budæana pecuniæ Romanæ cum noſtrate ante annos 150. inſtituta comparatio, cum hujuſce temporis uſu convenit, uti à me in præfatione diſputatum eſt. Itaque ob rationes ibi adductas, æris gravis ſive aſſium libralium ſummas, quibus plura ſæcula uſi ſunt Romani, habitâ ratione ponderis, & pretii quo nunc apud nos venit æs Cyprium, ita computabo, ut ſinguli aſſes Romani veteres noſtris aſſibus tredecim & quatuor inſuper denariis Turonenſibus æſtimentur. Glareanus, confecto in id abaco Cenſum cujuſque Claſſis ex Dionyſio, per drachmas minaſque, & ſecundum communem ſæculi ſui ſententiam per aureos coronatos exhibuit. Nobis ſufficiet æris veterum gravis comparatio cum hodierno monetæ Gallicæ pretio, quæ meo judicio verior. Ea eſt hujuſmodi

descripsit, vel paci decorum, vel bello.

Urb. cond. an. 191. XLIII. 1 Ex iis, qui a ζζ centum millium æris, aut majorem censum haberent, LXXX. confecit Centurias, quadragenas b seniorum ac juniorum. 2 Prima Classis omnes appellati. Seniores, ad urbis custodiam

INTERPRETATIO.

a *Quorum res familiaris centum millibus assium æreorum, vel pluris, æstimabatur.*

b *Eorum qui majores vel minores erant quadraginta quinque annos.*

NOTÆ.

CENSUS.

CLASSIS PRIMÆ.

Æris gravis, sive Assium Libralium	Librarum Francicarum:
Centum millia vel suprà.	. 65625. aut ultrà.

CLASSIS II.

Quinque ac septuaginta millia	. 49218 lib. 15 s.

CLASSIS III.

Quinquaginta millia	. 32812 lib. 10 s.

CLASSIS IV.

Quinque & viginti millia	. 16406 lib. 5 s.

CLASSIS V.

Undecim millia ex Liv.	. 7218 lib. 14 s.

Hæ propriè Classes dicebantur. Sexta omnium numerosissima à militia cæterisque muneribus ob paupertatem immunis, ideoque in nullo ferè numero erat; nisi quod ad nauticum usum reservabatur.

1. *Ex iis, qui centum millium æris.*] Æris gravis, id est assium ex ære, libræ pondere. Plinius lib. 33. c. 3. testatur æs à Servio rege primùm signatum; & maximum tunc Censum fuisse ex. M. assium, ideoque hanc fuisse primam Classem. A. Gell. lib. 7. c. 13. ait Classicos dictos primæ Classis homines, qui e. & xxv. millia æris ampliusve censi essent: reliquos omnes *infra Classem* appellatos. Nec tamen cum Livio & Dionysio pugnare credendi sunt. Hi minimam primæ classis summam describunt, illi autem majorem.

2. *Prima Classis.*] Hujus Classis primæ juventus, in acie primum semper locum tenebat, antiquis illis temporibus: secundum qui censi in secunda classe: tertium qui in tertia: postremum, opinor, qui in quarta. Nam quinta classis levem armaturam præbebat; sed hæc posteritas mutavit.

ut præſto eſſent: Juvenes, ut foris bella gererent. 3 arma his imperata, 4 galea, 5 clypeum, ocreæ, lorica, omnia ex ære. hæc ut tegumenta corporis eſſent. Tela in hoſtem, haſtaque & gladius. Additæ huic claſſi 6 duæ fabrûm centuriæ, quæ ſine armis ſtipendia facerent. 5 datum munus, ut machinas in bello ferrent. Secunda claſſis c intra centum uſque 7 ad quinque & ſeptuaginta millium cenſium inſtituta. & ex his ſenioribus, junioribuſque viginti conſcriptæ centuriæ: arma imperata 8 *in* ſcutum pro clypeo, & præter loricam omnia eadem, Tertiæ claſſis d in quinquaginta millium cenſum eſſe voluit. totidem cen- 10 turiæ & hæ; eodemque diſcrimine ætatum factæ: nec de armis quicquam mutatum; ocreæ tantum ademptæ. In quartâ claſſe cenſus quinque & viginti millium, totidem centuriæ factæ. arma mutata, nihil 9 præter haſtam & verutum datum. e Quinta claſſis aucta, centuriæ tri- Urb. cond. an. 191.

INTERPRETATIO.

c *Minùs quam centum millium.*
d *Uſque ad ſummam millium aris quinquaginta.*
e *Majori numero* centuriarum *conſtituta eſt Claſſis Quinta.*

NOTÆ.

3. *Arma his imperata.*] Servata ſermonis proprietate, rectè hic *arma*, quibus corpus tegitur, *armes défenſives*: *tela* vero, quibus petitur hoſtis, *armes offenſives*.

4. *Galea.*] Propriè *Galea*, ἀπὸ τῆς γαλῆς à Fele, aut Muſtela: fiebat enim ex horum aliorumve animalium pelle: ut Caſſis ex Lamina, teſte Iſid. hic tamen *Galea* ærea.

5. *Clypeum.*] Capro aliiſque Grammaticis apud Lipſium *Clupeum*, ſeu Clypeum in neutro genere, imaginem ſignificat, vel inſcriptionem in honorem alicujus poſitam. *Clypeus*, ſcutum orbiculare: ſed hanc diſtinctionem minus accurate ſervant auctores.

6. *Duæ Fabrûm Centuriæ.*] Has duas machinariorum Centurias ad ſecundam claſſem probabiliùs fortè refert Halicarn.

7. *Ad quinque & ſeptuaginta millium.*] Dionyſ. *ad minas ſeptuaginta* dicit, quinque minas infra Livii quantitatem. Sed hujus ratio inter primam & tertiam ſummam media, eoque congruentior. Notatur autem ab utroque minimus hujuſce Claſſis cenſus: qui à nonaginta novem millibus, deſcendendo ad ſeptuaginta quinque millia protendebatur: eſtque in ſumma ſequentium Centuriarum ſimilis ratio ſervanda.

8. *Scutum pro Clypeo.*] *Clypeus* rotundus & brevior: *Scutum* longum quatuor pedes, & incurvum: ut totum hominem tegeret. ille Græcis ἀσπὶς nobis *Bouclier*: hoc Gr. θυρεὸς, Gal. *Rondache*, alias *Pavois*. Formam & diſcrimen utriuſque Lipſius tradit 3. de milit. Rom.

9. *Præter haſtam & verutum datum.*] Ex hoc Livii loco non ſatis certò apparet an quartæ claſſis milites, gravi, an levi armaturæ ſint annumerandi. Si receptam ſequemur interpunctionem, dicendum erit leviter tantum armatos fuiſſe. Hoc enim oſtendunt *arma mutata*, id eſt, Galea, ſcutum, & gladius adempta, quibus armata Claſſis tertia: & nihil armorum *præter haſtam datum*, aut loco haſtæ *Verutum*; idque ſuadere videtur quòd ſequenti, quintæ ſcilicet Claſſi, aſſignantur fundæ tantùm ac lapides. Sic Rorarii jaculis brevibuſque haſtis pugnam ciere ſoliti, ex Quarta Claſſe; Accenſi verò qui lapidibus mittendis in hoſtem procurrebant, ex quinta fuerint. Duo tamen ſunt quæ hanc ſententiam minùs veriſimilem reddant, atque aliter hunc locum ſuadeant interpungendum: nempe *arma mutata nihil præter haſtam; & verutum datum*: id eſt, iiſdem armis uſi Quartæ Claſſis homines, quibus utebatur Tertia

Urb. cond. an. 191. ginta factæ : fundas, lapidesque missiles hi secum gerebant. 10 in his Accensi, 11 cornicines tibicinesque in tres centurias distributi. 12 Undecim millibus hæc classis censebatur, f Hoc 13 minor census

INTERPRETATIO.

f *Census minor illo, quem diximus fuisse Quintæ Classis.*

NOTÆ.

Classis: nisi quod illis pro hasta datum Verutum. 1. Dionysius lib. 4. testatur nominatim arma IV. Classi imperata, scuta, hastas & gladios. si quid ergo discriminis hac in re fuit inter utramque Classem; id in hoc solum versabatur, quod IV. Classi assignatæ fuere pro hastis longioribus breviores, quæ alio nomine veruta (genus teli acuto ferro præfixi, instar veru.) Altera ratio est, quod ad leviorem armaturam, cujus haud ita magnum momentum, minùs probabile est duas fuisse destinatas Classes, Quartam & Quintam. Et revera Dionys. paulò ante laudatus, utrumque leviter armatorum genus in hanc rejicit, cum Quintæ Classis civibus imperatum tradit, ut fundis, & jaculis militarent extra ordines.

10. *In his Accensi*.] Horum non meminit Halicarnasseus, fortè quòd eos in militum numero non poneret. Sed non unius generis Accensos, aut certè non unum eorum ministerium fuisse colligitur ex Varrone, ac Nonio Marcello. Hi *adscriptivi* quoque, seu adscriptitii dicti quod legionibus adscribi, & accenseri solerent, extra numerum tamen & censum legionum: idque ut in demortuorum militum locum subrogarentur, & supplerent defectum legionum interim pugnaturi inter leviter armatos: atque hæc prima ni fallor Accensorum institutio, primusque fuit usus. Deinde ex eorum numero aliqui à Consulibus ac Prætoribus, qui exercitui præerant, desumpti, qui ipsis ministeria necessaria exhiberent, ac præsto essent ad mandata perferenda, & exequenda. Quidam etiam Centurionibus, ac Decurionibus attributi. Unde Accensi appellati apparitores seu viatores in militia quoque togata.

11. *Cornicines, Tibicinesque*.] *Tibicines* Cornicinibus adjungit Dionysius, cum iis, qui aliis instrumentis signa canerent; in quibus sine dubio Tibicines auctori nostro nominati; Duas tantum hominum ejusmodi Centurias numerat Dionys. quas refert ad Quartam Classem. Livius vero *Accensos, Cornicines, tibicines* in tres centurias distributos ait. Hinc conjicias Accensorum unam aliquando centuriam fuisse, distinctam ab iis qui signa canerent.

12. *Undecim millibus*.] Minùs convenit ad superiores rationes hæc summa. Meliùs ea quam refert Halicarnasseus, duodecim nempe minarum cum dimidia. Hæc enim quantitas dimidium est, viginti quinque minarum, qui extremus census est Quartæ Classis; ut hæc partem dimidiam continet quinquaginta minarum, quibus taxabantur, qui in tertia Classe minùs locupletes erant.

13. *Minor census*.] Postremam Classem, licet unâ centuriâ constaret, postea in plures quasi gradus ratione census distributam fuisse Lipsius ratiocinatur ex Polyb. lib. 6. & Agell. lib. 16. cap. 10. Placuit enim ad militiam admitti, aut vocari eos, qui supra drachmas quadringentas, in bonis numerarent, quæ Romanis fuere quaterna millia æris. Reliqui, nisi in tumultu maximo, milites non scribebantur: aliquo tamen discrimine, ut videtur inter proletarios, & capite censos. Etenim qui non amplius quàm mille quingena æris deferebant in censum. *Proletarii* appellati, quod prolis gignendæ copiâ magis, quam re familiari rempublicam juvare possent; ii quandoque, cum nempe juventutis inopia erat, in militiam tumultuariam legebantur tuendorum murorum causâ. At quorum census aut nullus, aut non ultra æris trecenta viginti quinque erat, *capite censi dicti*, quod non ære, sed capite solo æstimarentur; vix etiam difficilibus reipublicæ temporibus armati leguntur ante

reliquum multitudinem habuit. inde una centuria facta eſt immunis militiâ. Ita pedeſtri exercitu ornato, diſtributoque, equitum ex primoribus civitatis XII. ſcripſit centurias. [14] Sex item alias centurias, tribus ab Romulo inſtitutis, ſub iiſdem, quibus inauguratæ erant nominibus, fecit. [15] Ad equos emendos, [33] dena millia æris ex publico data. & quibus equos alerent, [16] viduæ attributæ, quæ [11] bina millia æris in annos ſingulos penderent. Hæc omnia in dites à pauperibus inclinata onera. [17] Deinde eſt honos additus. non enim (ut ab Romulo traditum, cæteri ſervaverant Reges) [18] viritim ſuffragium Urb. cond. an. 191.

NOTÆ.

Marium, quem id præter legem ac morem feciſſe notant. Cur autem tanta ratio rei familiaris in militia haberetur, hæc cauſa fuit, quam refert Gellius; quod pecunia vice pignoris eſſe in rempublicam videbatur, amotiſque in patriam fides in ea firmamentumque erat.

14. *Sex item alias.*] Centuriarum Equeſtrium à Romulo inſtitutarum nomina & numerum Tarquinius Priſcus retinuerat aucto equitum numero, ſupra cap. 36. Servius harum centuriarum numerum duplicavit, ſervatis tamen nominibus. Atque huc referendum videtur Priorum & poſteriorum Ramnenſium &c. diſcrimen, quod ibi Livius indicavit: ita ut equitum hæ centuriæ à Servio & geminatæ, & aliquâ appellationis etiam notâ diſtinctæ fuerint.

15. *Ad equos emendos.*] De equo publico alibi.

16. *Viduæ attributæ.*] Suſpectus mihi locus: neque ſatis perſpicio, quomodo ad præbenda perpetuo eibaria certo & ſtabili equorum numero (centuriarum ſcilicet octodecim; id eſt, ni fallor, equorum quinque millium & quadringentorum) viduæ deſignatæ ſint, quarum, utcumque definitus fuerit numerus eo tempore quo hic cenſus inſtitutus: facile tamen potuerit, debueritque Servius providere ejus rei valde incertam rationem futuram, cum non tantum morte, ſed etiam alteris nuptiis viduarum numerus in annos minuatur; dubiumque omnino ſit, earum quæ viduæ ſubinde fient, & numerum & facultates deficientibus reſponſura. Præterea in tanta Romanorum penuria, quanta ex toto hoc cenſu apparet, viduas non multas fuiſſe oportet, quæ bina æris millia, id eſt, ultra 1358. Libras Francicas quotannis penderent: ſed mendum hic ſuſpicari facilius quàm tollere.

17. *Deinde eſt honos additus.*] Levati oneribus pauperes; divitibus pro oneribus honor auctus, & poteſtas in reipublicæ adminiſtratione major data.

18. *Viritim Suffragium.*] In his Centuriatis Comitiis à Servio introductis, ſuffragia quidem viritim in ſua quiſque centuria ferebat, non ſecus ac in ſua quiſque curia, cum curiata comitia ex inſtituto Romuli habebantur; atque id valebat quod plures centuriæ juſſiſſent, quemadmodum quod plures curiæ. Sed cum in Curiis plebeii patriciis, tenuiores divitibus permixti, longè numero præſtarent, ſuffragiis quoque, quæ omnibus eodem jure promiſcuè, nullo dignitatis aut opum diſcrimine, permiſſa, ſive in omnibus ſive in pleriſque curiis vincebant. At Centuriæ non loci, in quo quiſque habitaret, aut ſacrorum ratione, ſed facultatum per gradus æſtimatione conjunctis hominibus conſtabant, & prima ſola claſſis, locupletum ſcilicet, plures habebat Centurias, quàm cæteræ quinque Claſſes. Erant enim in ea Centuriæ octo & nonaginta. Nimirum equitum XVIII. peditum LXXX. Reliquæ Claſſes non niſi nonaginta quinque, aut ad ſummum nonaginta ſex centurias complectebantur. Secunda XXII., connumeratis machinarum opificibus: tertia, XX. Quarta, Inſertis cornicinibus aliiſque artificibus cantuum bellicorum, XXII. Quinta, ſi addatur Centuria una Accenſorum, XXVI. Sexta

Urb. cond. an. 192. eadem vi, eodemque jure promiſcuo omnibus datum eſt: ſed grādus facti, ut neque excluſus quiſquam ſuffragio videretur, & 19 vis omnis penes primores civitatis eſſet. Equites enim vocabantur primi: Lxxx inde primæ claſſis centuriæ: ibi 20 ſi variaret, quod raro incidebat, ut ſecundæ claſſis vocarentur: nec fere unquam infra ira deſcenderent, ut ad infimos pervenirent. Nec mirari oportet, 21 hunc ordinem, qui nunc eſt, 22 poſt expletas quinque & triginta

NOTÆ.

unam: ita ut tota pauperum multitudo unicum dumtaxat haberet ſuffragium; nec niſi poſtremo loco vocaretur. Itaque ſi Primæ Claſſis Centuriæ omnes convenirent in idem, fruſtra vocatæ eſſent reliquarum Claſſium Centuriæ.

19. *Vis omnis penes primores.*] Sic ditiores, majorem adepti auctoritatem, æquiore animo ſumptus & belli pericula ferebant: Pauperes immunitate ſuâ, & ſuffragiorum in maximis reip. rebus relicta ſibi imagine, ademptam ſibi æqualitatem priſtinam minùs ægrè ferebant. Reipublicæ verò meliùs proſpiciebatur, cum penes eos eſſent conſilia publica, quorum impenſis, operâ, periculo ea oportebat ad effectum perduci.

20. *Si variaret.*] Si in diverſas ſententias iretur à Centuriis primæ Claſſis, tunc duæ & viginti Centuriæ, quibus conſtabat ſecunda Claſſis ad ſuffragia vocabantur: & ita deinceps donec 97. Centuriæ conſenſiſſent: major ſcilicet pars Centuriarum omnium.

21. *Hunc ordinem qui nunc eſt.*] Pluribus ſæculis ſervatus fuit ille civitatis & Comitiorum Centuriatorum ordo ab Servilio Tullio inſtitutus, fuitque Populi diviſio per Tribus omnino diverſa à diviſione per Claſſes ſive Centurias. Verùm C. Gracchus legem promulgavit; ut ex confuſis quinque Claſſibus, ſorte vocarentur Centuriæ. Et poſtremis reip. temporibus, Claſſes & Centuriæ partes Tribuum fuerunt: ac tunc in Comitiis ſortitio fiebat Tribuum primò; tum Centuriarum ejus Tribus, cujus ſors prima exiiſſet: ut Centuria cujus nomen primo loco eductum eſſet, primo loco ſuffragium ferret; quæ *Prærogativa* Centuria dicebatur, quòd præ cæteris ſententiam rogaretur. Reliquæ deinde; ſervato Claſſium ordine priſtino, vocabantur ad ferendum ſuffragium, jure quæque ſuo; dicebanturque idcirco *jure vocatæ*: quæ ſemper ferè Prærogativæ ſequebantur ſententiam.

22. *Poſt expletas quinque, & triginta Tribus.*] Initio Romulus univerſum populum in tres diviſerat Tribus, genere, locisque diſtinctas. Nunc Servius Tullius, quoniam in immenſum excreverat numerus Adventitiorum, qui Luceribus adjungebantur; aliam inſtituit diviſionem in Tribus quatuor, habitâ regionum urbis ratione. Idem his Urbanis Tribubus Ruſticas adjecit. De numero minùs conſtat. Sed cum auctor, conſtitutas triginta quinque Tribus fuiſſe diſertè dicat, earum numero duplicato; Tribuum autem urbanarum auctus numerus non fuerit: eò ducit conjectura, ut quindecim tantùm Tribus Ruſticæ à Servio Tullio inſtitutæ videantur in agro Romano, licèt in plures regiones diſtributo; quibus paulatim multiplicatis, additæ fuerint totidem Tribus, atque una amplius ſervandi imparis numeri causâ; æque in Latio, Sabinis, Etruria, & Campania. Sic connumeratis quatuor Urbanis, Tribus omninò novemdecim initio fuêre. His adjectæ duo paulò poſt Reges exactos, atque ita Tribus una & viginti factæ, ut lib. proximi cap. 21. habetur. Aliæ ſubinde acceſſerunt: donec ſub annum U. C. 512. expletus eſt numerus Tribuum triginta quinque, adjectis Velina, & Quirina, ut refertur in Epit. lib. 19. Earum nomina primitus à locis petita, poſt à familiis Patriciorum appellationem aliquæ illarum mutuatæ ſunt. Id, ni fallor, ex eo contigit, quod cum vita Ruſtica in honore magis eſſet; optimi quique, quamvis urbem incolentium, in Ruſticis Tribubus cenſeri maluerunt,

tribus, 23 duplicato earum numero, 24 centuriis juniorum ſenio- Urb. cond.
rumque 25 ad inſtitutam ab Servio Tullio ſummam non convenire. an. 192.

NOTÆ.

atque in eas tranſlati ſunt, cujus rei arbitrium, Appio Cæco Cenſore, cuilibet permiſſum: donec circa annum U. C. 450. Q. Fabius, item Cenſor, tenuiorum multitudinem in quatuor Urbanas Tribus redegit: unde Tribus non urbis, aut agri, quemadmodum Servius inſtituerat; ſed Civitatis & populi partes eſſe cœperunt.

23. *Duplicato earum numero.*] Non Centuriarum, ſed Tribuum; quarum numerus quomodo auctus in duplum ſit, paulò ante eſt demonſtratum. Neque verò pronomen *earum* alio referri facilè patitur duplicatum hunc numerum, quàm ad *expletas* XXXV. *Tribus*, de quibus proximè ſermo fuerat.

24. *Centuriis juniorum ſeniorumque.*] Ex hoc, ut videtur, loco Sigon. emend. lib. 2. cap. 35. affirmat unamquamque triginta quinque Tribuum duas maximè Centurias habuiſſe, unam *Seniorum*, alteram *juniorum*. Verùm omnes fere Centuriæ Claſſium quinque, vel Seniorum, vel Juniorum erant ab inſtituto ipſius Servii. Quamobrem non apparet quid novitatis Seniorum & Juniorum in diverſas Centurias diſtributione, in Centuriarum numerum, aut in Cenſum, Comitiave Centuriata potuerit introduci. Et Centuriarum major erat numerus, quàm ut duabus, aut etiam tribus, imo nec quatuor Centuriis in Tribum quamque collatis, exhauriretur. Hoc itaque vult tantùm Livius, ni fallor, ſui temporis ordinem non convenille veteribus illis Seniorum & Juniorum Centuriis, ſecundum rationem Comitiorum à Servio Tullio conſtitutam.

25. *Ad inſtitutam ab Servio Tullio ſummam.*] Ad numerum videlicet Tribuum Servianarum: niſi malis *ad inſtitutam à Servio Tullio formam:* Comitiorum ſcilicet, quorum immutatam rationem, eaque aliter poſterioribus ſæculis acta oſtendimus, quàm à Servio inſtitutum eſſet. Idque omnes agnoſcunt: ſed in quo proprie poſita fuerit hæc mutatio nemo ſatis enucleatè explicat, nec Gruchius, nec Sigonius. Hic quidem lib. 3. de Antiq. Jure Provinc. cap. 3. auctum cenſet fuiſſe numerum Centuriarum, quod Tribus ad earum traductæ ſint diviſionem. Quo autem modo traductæ ſint Tribus ad Centuriarum diviſionem, ſicque major factus ſit harum numerus, aperire conatur lib. 1. de Antiq. Jure Civium Rom. cap. 4. ubi ait, *procedente tempore inſtitutum eſſe, ut Claſſes quodammodo Tribuum eſſent partes:* ac deinde ſubjicit, *Servii tempore populum uno modo in Tribus Curiaſque; altero in Claſſes Centuriaſque diviſum: ita ut alteram diviſionem altera non attingeret: poſt autem, utramque in unum eſſe collatam. Populum enim in Tribus* XXXV. *ſingulas autem Tribus in quinque Claſſes, eaſque in ſuas quamque Centurias eſſe deſcriptas.* Sic igitur ſingulæ Tribus per quinque Claſſes diviſæ, complectebantur Centurias ſaltem duas & nonaginta ſupra centum. Hoc autem admiſſo ſumma omnium Centuriarum ad numerum 4755. exereverit: quod nemini non abſurdum videatur. Niſi dicamus ita Claſſes earumque Centurias diſpertitas fuiſſe in Tribus; ut nihilominùs unaquæque tum Claſſis, tum Centuria, non pro numero Tribuum multiplicaretur: ſed una maneret, licèt in hanc, atque illam Tribum diſperſa per partes. Verùm ea ratione auctus non fuerit Centuriarum numerus. Hæc vellem perſpicuè magis explicaſſet Sigonius, & veterum teſtimonio ſententiam firmaſſet ſuam. Quod, cum nullum proferat, ego Livium hic cenſeo, non tam auctas numero Centurias, quàm immutatum ferendorum per eas ſuffragiorum modum indicare voluiſſe. Etenim circa annum ab Urbe condita 350. (quemadmodum elici poteſt ex iis, quæ Sigonius idem loco jam notato de Jure Provinciar. eruditè diſſerit) inſtitutum fuit, ut non Prima Centuriarum primæ Claſſis, uti anteà obſervatum fuerat, ſed ex omnibus Centuriis ea, cujus ſors prima

26 quadrifariam enim urbe divisa regionibus collibusque; quæ habitabantur partes, Tribus eas appellavit; ut ego arbitror, 27 ab tributo: nam ejus quoque æqualiter ex censu conferendi ab eodem inita ratio est. 28 Neque hæ tribus ad centuriarum distributionem numerumque quicquam pertinuere. 5

Urb. cond. an. 195. XLIV. Censu perfecto, a quem maturaverat 1 metu legis de xx incensis latæ, cum 2 vinculorum minis mortisque, edixit, ut omnes cives Romani, equites peditesque, in suis quisque centuriis 3 in campo

INTERPRETATIO.

a *Post peractum censum, quem accelerâsset* incusso *timore legis*, quam tulerat *contra eos, qui nomen fortunasque suas* non *deferrent in censum; pœna carceris & capitalis supplicii* adversus eos proposita.

NOTÆ.

exiisset, in suffragia ante alias mitteretur. Quinetiam insequutis temporibus sorte ducebatur non solùm Centuria, sed etiam Tribus, quæ præ cæteris roganda suffragium in singulis comitiis esset. Id verò, quantùm conjicere possum, eò pertinebat, ut in hac quoque parte inverso Ordine Serviano, Centuriæ Prærogativæ homines, non ea prorsus serie quâ in eam inscripti erant, ad suffragia vocarentur: sed honor primorum suffragiorum deferretur ei parti Civium in Prærogativam Centuriam relatorum, quæ ad Tribum Prærogativam spectaret. Alioqui, sparsis in omnes Tribus Centuriis omnibus, ut dictum est; non equidem video cui usui esse potuerit Tribuum sortitio.

26. *Quadrifariam urbe divisâ.*] Servius Tullius, septem Colles (additis ad priores duobus, Viminali, & Esquilino) amplexus muro, urbem in quatuor partes diviserat, *Palatinam*, *Suburranam*, *Esquilinam*, & *Collinam*; quæ tunc regiones urbanis Tribubus nomen dederunt. Agrum quoque in regiones viginti sex secundum quosdam; secundum alios, ut est apud Halicarn. lib. 4. in triginta, vel unam suprarriginta, divisit; ex quibus institutæ Tribus: ita ut harum una duas fermè regiones contineret; quemadmodum in urbe plures Colles uni Tribui contributi erant.

27. *Ab Tributo.*] Varro à tribus urbis partibus, quæ sub Romulo fuerant, deducit.

28. *Neque hæ tribus.*] Romulus populum in Tribus & Curias, Servius in Classes & Centurias divisit: sed hæ divisiones nihil inter se commune habebant. Illa quippe τοπικὴ erat ex Dionysio, ideòque localis; hæc γενικὴ quasi genericam dicas, sive ex diverso hominum genere distincto nimirùm opibus, ordinibus, ætate: sed posteà utraque in unum collecta, & permixta est, ut vidimus.

1. *Metu Legis.*] Malim, *metus legis*: sic enim clariùs intelligetur metus populo injectus ex lege, effecisse ut censum promptè exequerentur. Alioqui metus prima fronte videtur referri ad ipsum regem, quod abhorret ab auctoris mente.

2. *Vinculorum minis, mortisque.*] Pœna, quam lex Servii Tullii minabatur Incensis, qui dolo malo se, resque suas verâ æstimatione censeri non curassent, traditur à Dionysio aliisque fuisse, ut publicatis bonis verberati, trans Tiberim venundarentur in peregrinam servitutem. Mortis igitur comminatio non ad incensos, sed ad eos pertinet, qui lustrando exercitui in campo non adessent.

3. *In Campo Martio.*] Ager scilicet inter urbem ac Tiberim, qui post Martius dictus est, ex quo publicatis Tarquiniorum bonis, Marti est consecratus, infra lib. 2. cap. 5. Deinde fuit in regione 9. Circi Flaminii. extra urbem tamen ad Aureliani usque Imperatoris tempora. Vocatur hodieque *Campo Marzo*.

exercitum

Martio prima luce adeſſent. Ibi inſtructum exercitum omnem 4 Suovetaurilibus b luſtravit. idque conditum 5 luſtrum appellatum, 6 quia is cenſendo finis factus eſt. 7 Millia Lxxx eo luſtro civium cenſa dicuntur. Adjicit ſcriptorum antiquiſſimus Fabius Pictor, eorum qui ferre arma poſſent, eum numerum fuiſſe. Ad eam multitudinem urbs quoque amplificanda viſa eſt. Addit duos colles; 8 Quirinalem 9 Viminalemque. inde deinceps 10 auget 11 Eſquilias: ibique ipſe, c ut loco dignitas fieret, habitat. Aggere & foſſis & muro circumdat urbem. ita 12 pomœrium profert. Pomœrium, verbi vim ſolam intuen- Urb. cond. an. 195.

INTERPRETATIO.

b *Sacro piaculari purgavit.*
c *Ut conciliaretur honor ei loco:*

NOTÆ.

4. *Suovetaurilibus.*] Hæc ſacra fuerunt, quibus hoſtiæ Sus, Ovis, & Taurus, (unde huic ſacrificio nomen) circa exercitum ter mactabantur. Halicarnaſſeus pro Sue Hircum ſubjicit; eaſque victimas Marti fuiſſe immolatas refert. Hæc autem *Suovetaurilia*, ſive ut apud Feſtum legitur *Solitaurilia* (quaſi à ſolido tauro, exteriſque animalibus) non tantùm luſtrandis, ſive expiandis civibus, & militaribus copiis: ſed agris quoque, frugibuſve purgandis adhibebantur, cum Ambarvalia fiebant.

5. *Luſtrum.*] A luendo dictum, cum quinto quoque anno exacto fieri deberet: idcirco *luſtrum* pro quinquennio ſumitur.

6. *Quia is cenſendo finis.*] Particulam *quia* Sigonius mutat in *qui*: Gruterus delet: Gronovius retinet, omneſque præferunt libri. Conſtabitque ſententia, & ratio per eam particulam ſubjuncta, ſi Luſtri nomine totus cenſionis, & purgationis actus intelligatur. Sic enim rectè dicemus piaculare Suovetaurilium ſacrificium, quæ magiſtratus cenſum agentis ultima actio erat, *conditum* ſive perfectum *luſtrum*, idcirco appellatum, *quia is cenſendo* (id eſt cenſui peragendo) *finis factus erat*: quod non ſemper contingebat. Si enim annus inſigni aliqua calamitate funeſtus eſſet, nunc cenſus ſine luſtro fiebat, ut infra lib. 3. cap. 22.

7. *Millia* Lxxx.] Dionyſius ex tabulis Cenſoris numerat 84. minùs trecentis; noſtro rotundus numerus magis placuit.

8. *Quirinalem.*] Collis *Agonalis* priùs dicebatur, quem à Curibus Sabinorum eò ſub Tatio Rege tranſlatorum oppido, aut à Quirini, ſeu Romuli templo, Quirinalem dixere. In eo fuit præcipua pars regionis ſextæ ſub Auguſto, quæ *alta ſemita* dicta. Nunc vocatur *Monte-Cavallo*, ab Equeſtribus Alexandri Magni ſtatuis duabus eò translatis à Conſtantino.

9. *Viminalemque.*] Sive à Jove Viminio, cujus ibi aræ; ſive à Viminetis, quæ eo loco fuerunt, *Viminalis* vocatus eſt collis; qui & *Fagutalis* à Fagis, *aut* quod eo loci fuerit ſacellum Jovis Fagutalis ex Varr. In eo viſitur in primis Eccleſia ex titulis Cardinalium Presbyteralibus, cui vulgò nomen *S. Lorenzo in Panis perna*.

10. *Auget.*] Locum non auxit: is enim ſemper idem: ſed ædificia & incolas addidit.

11. *Eſquilias.*] An ab *Exubiis* Romuli Tatio parum fidentis, an à *Quiſquiliis*, quibus ibi ſparſis aucupes avibus illuderent, nomen acceperint Eſquiliæ, parum refert. Mons Eſquilinus plures habuit colles, Ciſpium, Oppium, Septimium. Hodie dicitur *Monte di Santa Maria Maggiore*. Complectitur enim hanc ſanctæ Mariæ Baſilicam, itemque ſanctæ Praxedis, protenſus à fano S. Petri ad vincula, ad S. Crucis.

12. *Pomœrium profert.*] Pomœrium proferre eſt mœnia urbis ampliare. Poſt Romulum, qui Palatinum tantùm montem primo Pomœrio incluſerat, Tatius Sabinus Tarpejum, ſeu Capitolinum cum intermedia valle ubi forum

tes, 13 postmœrium interpretantur esse. Est autem magis circa murum locus; quem in condendis urbibus quondam Etrusci, qua murum ducturi erant, certis circa terminis inaugurato consecrabant: ut neque interiore parte ædificia mœnibus continuarentur, quæ nunc 14 vulgo etiam conjungunt; & extrinsecus 15 puri aliquid ab humano § cultu pateret soli. Hoc spatium, quòd neque habitari, neque arari fas erat, non magis quod post murum esset, quam quod murus post id, *pomœrium* Romani appellarunt. & in urbis incremento semper, quantum mœnia processura erant, tantum termini hi consecrati proferebantur. 10

Urb. cond. an. 203. XLV. a Aucta civitate & magnitudine urbis, formatis omnibus domi ad belli, & ad pacis usus, b ne semper armis opes acquirerentur,

INTERPRETATIO.

a *Cum majore urbis ambitu facto, crevisset civium multitudo.*

b *Id egit* ut ditionem *arte* atque ingenio *amplificaret: ne semper armis utendum esset ad potentiam adipiscendam.*

NOTÆ.

Romanum, addidit; Tullus Hostilius Cœlium; Ancus Marcius Janiculum: Servius nunc Quirinalem & Viminalem cum Esquilino: quorum quidem montium aliquos antèa urbi adjutos nonnulli auctores tradunt: sed hoc ita est accipiendum, ut vel habitari cœpti, vel ex parte à priorum Regum aliquo intra urbis mœnia clausi fuerint, non tamen in totum. Aventinus autem munitus quidem ab Anco, sed extra urbis Pomœrium relictus, tanquam ominosus, quòd in eo Remus auspicatus, irritas aves habuisset, ut Gellius docet lib. 13. cap. 14.

13. *Postmœrium.*] Mœros pro muris prisci dixere. Pomœrium itaque ex Varrone quasi *postmœrium*; ex Festo autem quasi *Pomœrium*, id est, *proximum muro*. Pomœrium porrò ex Augurum definitione apud Gellium est locus intra agrum effatum per totius urbis circuitum, ponè muros, regionibus certis determinatus, qui facit finem Urbani auspicii. Illud Julius Pollux, & Plut. in Romulo intra mœnia tantùm agnoscere videntur: nostri aliique tam intra, quàm extra collocant. Sed hæc conciliari possunt ex Aggeno urbico in Julium Frontinum: qui in universum extra muros, sed in aliquibus urbibus, ut Romæ, etiam intra muros fuisse ait. Tacitus certis spatiis à Romulo interjectos fuisse lapides testatur ad significandos Pomœrii terminos. Varro Cippos vocat, hisque additæ fuerunt aræ.

14. *Vulgò etiam conjungunt.*] Conjungere dicit pro ita jungere, ut alterum alteri cohæreat & coagmentetur: eodem sensu quo lex XII. tab. Tignum ædibus *injunctum* dixit. Adeo autem Livii tempore Romani privatas ædes conjunxerant mœnibus, ut discerni vix possent, teste Dionysio.

15. *Puri aliquid.*] Solum *Purum* ab humano cultu, sumitur pro consecrato, & opponitur profano. Contrà apud Jurisconsultos locus *purus* religioso plerumque opponitur, accipiturque pro eo quod patet usibus humanis.

1. *Magnitudine urbis.*] Jam tum urbis Romæ magnitudinem parem Athenarum magnitudini fuisse Dionysius refert: nec tempore Augusti majorem, si quis mœnium ambitum metiretur. Nam Romana suburbia mœnibus connexa infinitæ urbis speciem præbebant.

consilio augere imperium conatus est. simul & aliquod addere urbi decus. Urb. cond.
Jam tum erat inclitum [2] Dianæ Ephesiæ fanum: id [3] communiter à ci- an. 103.
vitatibus Asiæ factum fama ferebat. Quum [c] consensum, Deosque
consociatos laudaret mire Servius inter proceres Latinorum, cum
quibus publice privatimque hospitia amicitiasque de industria jun-
xerat, sæpe iterando eadem, perpulit tandem, ut Romæ [4] fanum
Dianæ populi Latini cum populo Romano facerent. Ea erat con-
fessio, caput rerum Romam esse; de quo toties armis certatum fue-
rat. [d] Id quamquam omissum jam ex omnium cura Latinorum, ob
rem toties infeliciter tentatam armis, videbatur; [5] uni se ex Sabi-
nis fors dare visa est privato consilio imperii recuperandi. Bos in

INTERPRETATIO.

[c] *Concordiam* confinium, cognatorumque populorum, *& societatem ad communem eorumdem numinum cultum.*

[d] *Quamvis illud* certamen de imperio *jam excidisset ex mente omnium Latinorum, &c. visa tamen est fortuita occasio imperii privato consilio recuperandi, qui ex Sabinorum gente sese offerret.*

NOTÆ.

2. *Diana Ephesia Fanum.*] Ephesus nobilis fuit Joniæ urbs in Asia minori circa ostia Caystri. Androclus Codri Athenienſium Regis filius, pulsis Caribus, & Lelegibus incolis priscis, condidit, aut instauravit. In ea Dianæ templum inter septem orbis miracula habitum, cujus descriptionem habes apud Plin. lib. 36. cap. 14. Is mira arte fundatum, eximiaque magnificentia à tota Asia factum pluribus seculis tradit. Notanda in primis longitudo 425. pedum, latitudo 220, & columnæ 127. à singulis regibus factæ, 60. pedum altitudine. Jus habuit Asyli, ab omnibus, qui in Asia regnarunt firmatum.

3. *Communiter à civitatibus Asiæ.*] Adductum ad hæc Servium vult Dionysius exemplo Græcorum, apud quos primus Amphictyon rex Athenarum, concordiæ inter eos firmandæ causâ conventum, Amphictyonicum de suo nomine appellatum, certis legibus instituit apud Thermopylas, ut mutuæ amicitiæ vinculo invicem constricti, & inter se pacem colerent, & finitimis barbaris fierent formidabiles. Quod secuti Jones, ac Dores, ex Europa in Asiam transgressi, templa impensis communibus ædificarunt, illi Dianæ Ephesiæ; hi Apollini Epitropio: quò statis temporibus convenientes, unà saeris, ac ludis, commerciisque operam dabant; & civitatum dirempti dissidiis, si quæ essent, de bello quoque adversus hostes gerendo in commune consulebant.

4. *Fanum Diana.*] Collatis pecuniis ædificatum est templum in Aventino, eminentissimo urbis tumulo; & fœderis leges conscriptæ, addito ritu celebrandorum quotannis sacrorum communium, nominibusque civitatum. Quæ Decreta incisa sunt in ærea columna characteribus, qualibus olim Græcia utebatur. Eaque Columna in templo Dianæ permansit ad tempora saltem Augusti. Ibi nunc ædes est Sanctæ Sabinæ.

5. *Uni se ex Sabinis.*] Etsi diversa à Latinis revera fuerit gens Sabinorum: tamen & in confinio plura dubii juris oppida erant; & tanta Sabinorum multitudo Romam migraverat, ut in Latinorum propè numero haberi, deque consequendo in Latinos imperio cogitare potuerint, prodigio præsertim, atque Oraculo invitati: aliter quippe non videntur facilè ad eam mentem capiendam adduci potuisse. Sabinus autem ille ideo bovem suam adduxerat Romam, quòd responsum esset, immolandam esse vaccam illam eximiam Aventinensi Dianæ, ut Valerius Maximus lib. 7. cap. 3 tradit.

Sabinis nata [6] cuidam patrifamiliæ dicitur, miranda magnitudine, ac ſpecie. Fixa per multas ætates cornua in veſtibulo Templi Dianæ, [e] monumentum ei fuere miraculo. Habita, ut erat, res prodigii loco eſt, [f] & cecinere vates, *ea* cujus civitatis eam civis Dianæ immolaſſet, ibi fore imperium, idque carmen pervenerat ad antiſtitem fani Dianæ. Sabinus, ut primum apta dies ſacrificio viſa eſt, bovem Romam actam deducit ad fanum Dianæ, & ante aram ſtatuit. Ibi [7] antiſtes Romanus, quum eum magnitudo victimæ celebrata famâ moviſſet, memor reſponſi, Sabinum ita alloquitur: *Quidnam tu hoſpes paras?* inquit, [8] *inceſte ſacrificium Dianæ facere? Quin tu ante* [9] *vivo perfunderis flumine? Infima valle præfluit Tiberis*. Religione tactus hoſpes, qui omnia, ut prodigio reſponderet eventus, cuperet ritè facta, ex Templo deſcendit ad Tiberim. Interea Romanus immolat Dianæ bovem, id mirè gratum regi atque civitati fuit.

Urb. cond. an. 214.

XLVI. Servius, quamquam [1] jam uſu haud dubie regnum poſſederat, tamen quia interdum [2] jactari voces à juvene Tarquinio audiebat, *ſe injuſſu populi regnare*, conciliata prius voluntate plebis, [3] agro capto

INTERPRETATIO.

e *Ad* conſervandam *illius prodigii memoriam pro monimento fuerunt*;
f *Arioli prædixerunt*,

NOTÆ.

6. *Cuidam Patrifamiliæ*.] Antronem Curatium vocat Plutarchus problem. 5. Hujus rei nulla mentio apud Halicarnaſſeum, haud quaquam omiſſurum, niſi pro fabula habuiſſet.

7. *Antiſtes Romanus*.] Cornelius dicitur ab eodem Plutarcho. Quamquàm pius ille dolus, ſeu Sacrificii furtum, non Cornelio Sacerdoti, ſed Ædituo attribuitur à Varrone.

8. *Inceſtè Sacrificium*.] Caſtus pro puro ac religioſo dicitur: Quo ſenſu lex 12. tab. *ad Deos adeuntes caſtè*. Inceſtus autem minùs caſtus. Quamquam Feſtus à Græco ἀνίερος derivat, quod immedicabile, & inexpiabile quid ſignificat.

9. *Vivo perfunderis flumine*.] Illotis manibus ſacra tractare olim nefas apud Græcos, aliaſque gentes. Poſt cædem præſertim, aliudve ex facto licet innoxio contractæ ſordis genus. Hinc apud Virg. Æneas:

Me bello è tanto digreſſum & cæde Pelaſga
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

1. *Jam uſu*.] Alludit ad Uſucapionem per quam nobis ipſa poſſeſſione diuturna res acquiruntur.

2. *Jactari voces à Juvene Tarquinio*.] Paucis multa Livius complectitur, quæ Halicarnaſſeus latiùs memorat, graphicèque depingit: Servium nempe Tullium cognitis Tarquinii machinationibus, poſtquàm privata monita nihil proficiebant, Senatum convocaſſe, ibi utrumque orationibus egregiis, (quæ ab eo recitantur) cauſam ſuam egiſſe; denique à Servio rem totam ad populum eſſe rejectam: cui cum in concione oſtendiſſet ſe dignitatem deponere paratum; juſſus vel potiùs acclamationibus precibuſque multitudinis rogatus eſt regnum tenere. Quamobrem ſibi timens Tarquinius pœnitentiam ſimulavit; donec plebe ad colligendas fruges per agros diſperſâ in Senatum cum amicis, Servio ob populare nimis regimen infenſis, arma ſub veſte occultantibus, venit, regnumque per ſoceri cædem invaſit.

3. *Agro capto ex hoſtibus*.] Servius agrum publicum tenuioribus civibus bis diſtribuit: tum eum qui ſub initia regni vacabat, tum eum qui Etruſcis poſt ademptus eſt.

ex hoſtibus viritim diviſo, a auſus eſt ferre ad populum, 4 *vellent, juberentne ſe regnare?* tantoque conſenſu, quanto haud quiſquam alius antè rex eſt declaratus. Neque ea res Tarquinio ſpem affectandi regni minuit: imo eo impenſius, quia de agro plebis adverſa Patrum voluntate ſenſerat agi, criminandi Servii apud Patres, b creſcendique in curia ſibi occaſionem datam ratus eſt. & ipſe juvenis ardentis animi, & domi uxore Tullia inquietum animum ſtimulante. Tulit enim & Romana regia ſceleris tragici exemplum, ut tardio regum maturior veniret libertas; ultimumque regnum eſſet, quod ſcelere partum foret. Hic L. Tarquinius, Priſci Tarquinii regis 5 filius nepoſne fuerit, parum liquet: *n* pluribus tamen auctoribus 6 filium ediderim. Fratrem habuerat Aruntem Tarquinium, mitis ingenii juvenem. His duobus, ut ante dictum eſt, duæ Tulliæ regis filiæ nupſerant, & ipſæ longe diſpares moribus. Forte ita inciderat, ne duo violenta ingenia matrimonio jungerentur, fortunâ credo populi Romani, quo diuturnius Servii regnum eſſet, conſtituique civitatis mores poſſent. Angebatur ferox Tullia, c nihil materiæ in viro neque ad cupiditatem, neque ad audaciam eſſe: tota in alterum verſa Tarquinium, eum mirari, *eum virum*, dicere, *ac regio ſanguine ortum: ſpernere ſororem quod* d *virum nacta*, 7 *muliebri ceſſaret au-*

Urb. cond. an. 214.

INTERPRETATIO.

a *Non eſt veritus ſuffragiis populi committere.*

b *Majorem gratiam in Senatu*, & ſic altiorem dignitatem *adipiſcendi occaſionem offerri credidit*: & ſponte ſua, *ipſe ætate florens, ac vehementi animo*, &c.

c *Tullia* minor, eademque *violentior* *ægrè ferebat* Aruntı marito ſuo non ineſſe *animum idoneum*, & regnandi *avidum*, & *audacem* ad invadendum regnum.

d *Quod cum illi vir* fortis *obtigiſſet*, *ipſa ardore muliebri vacaret.*

NOTÆ.

4. *Vellent, juberentne.*] Formula eſt legum ferendarum magiſtratibus uſitata, *Velitis, Jubeatis, Quirites.*

5. *Filius, nepoſne fuerit.*] Nepotem fuiſſe ex L. Piſonis ſententia Dionyſius validiſſimis rationibus probat, petitis tum ex tempore quo Tarquinius Priſcus jam rebus agendis idoneus Romam venit, anno ſaltem 3. Anci; ex eo deinde quo ſub Anco Marcio vixit, & quo poſt eum regnavit: quibus computatis conſtat octogenarium deceſſiſſe, ut filios ſuperſtites relinquere vix potuerit viginti annis minores. Tum ex Tanaquilis ætate, & materno affectu, qui ſi ea filium jam grandem habuiſſet, haud quaquam paſſurus fuiſſet ipſi ab ea generum anteponi. Denique ex ipſius Superbi annis, quem, ſi moriente Priſco maturus fuiſſet, hoc eſt major annis 25. nunc, poſt 44. regnantis Servii annos ferè ſeptuagenarius inveniretur, & octo ſupra centum vixiſſet annos. Eam ſententiam tuetur Valla adverſus Livium.

6. *Filium ediderim.*] Ita quidam Codices, modeſtiùs, quàm *crediderim*. Vult enim ſe plures auctores habiturum, ſi filium dicere maluerit. Fabius in primis Pictor in ea ſententia fuit: quam ita poſſe defendi Halicarnaſſeus fatetur, ſi Lucium & Aruntem dicamus Tarquinii Priſci adoptione quidem filios, ſed naturâ nepotes.

7. *Muliebri ceſſaret audacia.*] Vult muliebrem ſexum, etſi natura molliorem; attamen ubi quid ardentiùs concupiſcit, vehementiùs quam virilem

dacia. e Contrahit celeriter ſimilitudo eos, ut ferè ſit 8 *Malum malo aptiſſimum*. ſed initium turbandi omnia à fœmina ortum eſt. f Ea ſecretis viri alieni aſſuefacta ſermonibus, nullis verborum contumeliis parcere, de viro ad fratrem, de ſorore ad virum, *& ſe rectius viduam, & illum cœlibem futurum fuiſſe contendere, quàm cum impari jungi, ut elanguescendum aliena ignaviâ eſſet. Si ſibi cum, quo digna eſſet, Dii dediſſent virum; domi ſe propediem viſurum regnum fuiſſe, quod apud patrem videat.* Celeriter g adoleſcentem luxæ temeritatis implet. h Aruns Tarquinius, & 9 Tullia minor prope concinnatis funeribus, quum domos vacuas novo matrimonio feciſſent, & junguntur nuptiis; magis non prohibente Servio, quam approbante.

Urb. cond. an. 219.

XLVII. Tum verò in dies a infeſtior Tullii lenectus, infeſtius cœpit regnum eſſe. jam enim ab ſcelere aliud ſpectare mulier ſcelus: nec nocte, nec interdiu virum conquieſcere pati, ne gratuita præterita parricidia eſſent. *Non ſibi defuiſſe, cui nupta diceretur, nec cum quo tacita ſerviret: defuiſſe qui ſe regno dignum putaret: qui meminiſſet se eſſe Priſci Tarquinii filium: qui habere, l quam ſperare regnum mallet.* b *Si tu is es, cui nuptam eſſe me arbitror, & virum & regem appello: ſin minus, eo nunc pejus mutata eſt res,* c *quod iſthic cum ignavia eſt ſceleris. Quin accingeris? Non tibi ab Corintho, nec ab Tarquiniis,* 2 *ut patri*

INTERPRETATIO.

e *Similitudo* morum *eos brevi conciliavit*, ut *ſolet malum malo facilè aptum & conjungi*.

f *Illa* (Tullia minor) in *ſecretis colloquiis cum marito alieno* (ſororis ſuæ,) *convicia ſpargebat in maritum* (ſuum Aruntem) *ad fratrem* illius, & *in ſororem* ſuam *apud maritum* proprium.

g *L. Tarquinii animum temerariis ſuis conſiliis replevit*.

h *Cum Aruns Tarquinius & Tullia*, L. Tarquinii uxor *eodem ferè tempore de medio ſublati, domos* conjugales *viduas morte ſua reliquiſſent, locumque feciſſent novis nuptiis*.

a *Provecta Tullii ætas magis, ac magis moleſta: moleſtius* filiæ ac genero *regnum* ejus *eſſe* cœpit. *Et jam Tullia, poſt crimen* (properatæ marito, & ſorori necis) *novum flagitium agitavit animo* (necem patris:) *nec ſinebat maritum, ſeu nocte, ſeu die quieſcere, ne ſcelera priora ſine fructu eſſent*.

b *Si tu*, ô Tarquini, *ejuſmodi es, quali me nupſiſſe judico*.

c *Quod in domo tua præter imbecillitatem animi*, qualis apud Aruntem erat, *flagitium* quoque eſt.

NOTÆ.

inflammaris; nihilque inauſum relinquere. Quo ſpectat illud Cicer. pro Cluentio: *mulier abundat audaciâ; conſilio & ratione deficitur*.

8. *Malum malo aptiſſimum*.] Paremia eſt, ex illa pendens, *ſimilis ſimili gaudet*.

9. *Tullia minor*.] Imò *major*, Lucii nimirum uxor, non Aruntis.

1. *Quam ſperare*.] Videtur ad hæc verba Livii alludere, tum Tacitus lib. 1. Annal. de Germanico, *ne habere imperium, quàm expectare mallet*, & Florus lib. 1. cap. 7. *regnum avitum rapere maluit, quàm expectare*. Et fortè ita ſcripſerat Livius *expectare*: cujus loco minus intelligentes ſubſtituere potuerunt *ſperare*.

2. *Ut patri tuo*.] Vide ſuprà cap. 34. & 35.

tuo, d *peregrina regna moliri neceſse eſt. Dii te penates, patriique, & patris imago*, 3 *& domus regia, & in domo regale ſolium*, e *& nomen Tarquinium creat, vocatque regem. Aut ſi ad hæc parum eſt animi, quid fruſtraris civitatem? quid te ut regium juvenem conſpici ſinis? Faceſſe hinc Tarquinios, aut Corinthum.* f *Devolvere retro ad ſtirpem, fratri ſimilior, quam patri.* His aliiſque increpando, juvenem inſtigat, nec conquieſcere ipſa poteſt: *ſi, quam Tanaquil peregrina mulier tantum moliri potuiſſet animo, ut duo continua regna viro, ac deinceps genero, dediſſet; ipſa regio ſemine orta* g *nullum momentum in dando adimendoque regno faceret.* His muliebribus inſtinctus furiis Tarquinius, circumire & prehenſare ** minorum maximo gentium Patres; admonere 4 paterni beneficii, ac pro eo h gratiam repetere: alliocere donis juvenes; tum de ſe ingentia pollicendo, tum i regis criminibus omnibus locis creſcere. poſtremò, ut jam agendæ rei tempus viſum eſt, ſtipatus agmine armatorum, in forum irrupit: inde omnibus perculſis pavore, in regia ſede pro curia ſedens, Patres in curiam per Præconem ad regem Tarquinium citari juſſit. Convenere extemplo, alii jam ante ad hoc præparati; alii metu, k ne, non veniſſe, fraudi eſſet; novitate ac miraculo attoniti, & jam de Servio actum rati. Ibi Tarquinius maledicta ab ſtirpe ultima orſus; e *Servium, ſervaque natum poſt mortem indignam parentis ſui, non in interregno, ut antea inito, non comitiis habitis, non per ſuffragium populi, non auctoribus Patribus, muliebri dono regnum occupaſſe. Ita natum, ita creatum regem, fautorem infimi generis hominum, ex quo ipſe ſit,* l *odio alienæ honeſtatis ereptum primoribus agrum ſordidiſſimo cuique diviſiſſe: omnia onera, quæ communia quondam fuerint, inclinaſſe in primores civitatis: inſtituſſe cenſum,* m *ut inſignis ad invidiam locupletiorum fortuna eſſet; & parata, unde, ubi vellet, egentiſſimis largiretur.*

Urb. cond. an. 219.

INTERPRETATIO.

d *Regnum apud exteros ægrè comparare.*

e Vel ipſum *Tarquinii nomen, te regem dicere*, & regem *appellare videtur. Quod ſi ad has res ſuſcipiendas ſatis animi non habes, cur civitatem fraudas*, &c.

f *Retrorſum delabere ad originem.*

g *Nullam haberet vim ad regnum tribuendum, vel auferendum.*

h *Mutuum officium poſcere.*

i *Præterea criminando regem, ſe ubique vendebat.*

k *Ne periculum incurrerent, ſi non adfuiſſent.*

l *Ex invidia in alios honeſtiores ac nobiliores.*

m *Ut ditiorum facultates manifeſtæ eſſent, quibus homines tenuiores invideret, eaſque paratas haberet* Servius, *quo ex iis largitiones faceret.*

NOTÆ.

3. *Et domus regia.*] Videtur ex his L. Tarquinium in regia Patris habitaſſe. Certè Servius Tullius regiam tranſtulerat in Eſquilinum, cap. 44.

4. *Paterni beneficii.*] Dignitatem Senatoriam ſignificat, ipſis à Tarquinio Priſco concellam à quo lecti fuerant, ſuprà cap. 35.

5. *Servum ſervaque natum.*] Vide cap. 39.

Urb. cond. an. 219. XLVIII. Huic orationi Servius quum interveniſſet, [a] trepido nuncio excitatus, extemplo à veſtibulo curiæ magna voce, *Quid hoc*, inquit, *Tarquini rei eſt? qua tu audacia me vivo vocare auſus es Patres? aut in ſede conſidere mea?* cum ille ferociter ad hæc, *Se patris ſui tenere ſedem*, [b] *multo quam ſervum potiorem filium regis regni hæredem: ſatis illum diu per licentiam eludentem inſultaſſe dominis*: clamor ab utriuſque fautoribus oritur, & concurſus populi fiebat in curiam: apparebatque regnaturum, qui viciſſet. Tum Tarquinius, [1] neceſſitate jam etiam ipſa cogente ultima audere, multo & ætate & viribus validior, medium arripit Servium: elatumque è curiâ, in inferiorem partem per gradus dejicit. Inde [c] ad cogendum Senatum in curiam redit. Fit fuga regis apparitorum, atque comitum. Ipſe prope exſanguis, quum ſemianimi regio comitatu domum ſe reciperet, perveniſſetque [2] ad ſummum Cyprium vicum, ab iis qui miſſi ab Tarquinio fugientem conſecuti erant, interficitur. Creditur, quia non abhorret à cætero ſcelere, admonitu Tulliæ id factum. carpento certe (id quod ſatis conſtat) in forum invecta, nec reverita cœtum virorum, evocavit virum è curia: *regemque* prima appellavit. à quo faceſſere juſſa ex tanto tumultu, quum ſe domum reciperet, perveniſſetque ad ſummum Cyprium vicum, [3] ubi Dianium nuper fuit; [4] flectenti carpentum dextrâ [5] in Virbium clivum, ut in collem Eſquiliarum evecheretur, reſtitit pa-

INTERPRETATIO.

a *Excitus propero nuncio.*

b Se, *qui filius regis ſit, longè potiori jure hæredem regni* eſſe, *quàm* Servium, *qui ſervus ſit.*

c *Ad Senatum convocandum*, & habendum.

NOTÆ.

1. *Neceſſitate*,] Etenim Servius rei indignitate commotus impetum in eum faciebat, ſolio deturbaturus. Dionyſ.

2. *Ad ſummum Cyprium vicum*.] Fuit hic vicus ex Auguſti deſcriptione in regione quarta cui à *via ſacra*, vel à Templo Pacis nomen. In hoc habitaſſe primùm Sabinos civitate donatos obſervat Pomponius Lætus in epit. Roman. antiquit. l. 3. cap. 23. additque nunc clivum eſſe, qui ad D. Petri ad vincula ducit.

3. *Ubi Dianium*.] Templum Dianæ interpretatur Velcurio.

4. *Flectenti carpentum dextrâ*.] Ita editiones aliquot. Alii libri *Flectente*. Gronov. tantiſper ſcribi jubet *flectenti carpentum*, is ſc. *qui jumenta agebat*. Quod quidem planius: Sed nullius Codicis ſcripturâ nititur. Poteſt tamen *Flectenti* referri ad Tulliam, cui cum ea flecteret, id eſt flecti ad dextram carpentum juberet, auriga jacentem Servium oſtenderit. *Flectente* autem figuratè, licet duriuſcule, intelligi poſſet de dextra via, quæ cogeret carpentum flectere.

5. *In Virbium clivum*.] Solinus Clivum *Urbicum* vocat, quem in regione v. ponit. Onuphrius Eſquilino colli ſubjectum fuiſſe putat. *Urbius* eſt in quibuſdam Livii, & Solini ſcriptis Codicibus. Dionyſio Ἀρβίου: *Orbius* Feſto, quod parum ab Urbio differt, deduciturque à flexuoſis Orbibus per quos ad Eſquiliarum Collem ducebat. Varro inter Colles tres Eſquilini montis *Oppium* nominat, cujus hic Clivum indicari non eſt abſimile vero. At Virbii Clivus ab hoc diverſus in Latio eſt 5. ab urbe milliari, Ariciam versus.

vidus,

vidus, atque inhibuit frenos is qui jumenta agebat, jacentemque dominæ Servium trucidatum oſtendit. Fœdum inhumanumque inde traditur ſcelus, [d] monumentoque locus eſt: [6] *Sceleratum vicum* vocant, quo amens, agitantibus furiis ſororis ac viri, Tullia per patris corpus [7] carpentum egiſſe fertur: partemque ſanguinis ac cædis paternæ cruento vehiculo, contaminata ipſa reſperſaque, tuliſſe ad penates ſuos virique ſui: [8] quibus iratis, malo regni principio ſimiles propediem exitus ſequerentur. Servius Tullius regnavit [9] annos quatuor & quadraginta, ita ut bono etiam moderatoque ſuccedenti regi difficilis æmulatio eſſet. Cæterum id quoque ad gloriam acceſſit, quod cum illo ſimul [e] juſta ac legitima regna occiderunt. Idipſum tam mite ac tam moderatum imperium, tamen quia unius eſſet, deponere eum in animo habuiſſe [10] quidam auctores ſunt, ni ſcelus inteſtinum liberandæ patriæ conſilia agitanti interveniſſet.

XLIX. Inde L. Tarquinius regnare occœpit, [1] cui *Superbo*, cognomen facta indiderunt, quia ſocerum genere [2] ſepulturâ prohibuit; [3] *Romulum quoque inſepultum periiſſe* dictitans: primoreſque Patrum, quos Servii rebus faviſſe credebat, interfecit. Conſcius deinde male quærendi regni ab ſeipſo adverſus ſe exemplum capi poſſe, [a] armatis corpus circumſepſit. Neque enim [4] ad jus regni quicquam præter vim habebat: ut qui neque populi juſſu, neque auctoribus Patribus Urb. cond. an. 220.

INTERPRETATIO.

d *Et locus* rel *memoriam ſervat.*

e *Deſiit Roma regnum jure partum, jure adminiſtrari.*

a Satellitibus *armatis ad cuſtodiam corporis ſui uſus eſt.*

NOTÆ.

6. *Sceleratum vicum.*] Aut idem fuit huic vicus cum Summo Cyprio, aut huic proximus.

7. *Carpentum egiſſe.*] Carpentum vehiculi genus petorito Gallico haud abſimile, quod penſile fuiſſe putant: dictum vel à Carmenta Evandri matre apud Ovid. vel à Carpendo itinere. Eo in Capitolium Sacerdotes, & ſacra vehi ſolebant.

8. *Quibus iratis.*] Penates Tarquinii & Tulliæ eis irati figuratè dicuntur, quod Servii ſanguine reſperſi, & quaſi parricidio ipſi quoque contaminati eſſent.

9. *Annos quatuor & quadraginta.*] Eoſque exactos auctore Dionyſio. Poſt regnum autem adeò diuturnum principis moderati, arduum fuiſſet ejus ſucceſſori, probo quantumvis ac temperato regi, nedum ſuperbo, velle cum illo in comparationem venire, laudes ejus exxquandi ſpe.

10. *Quidam auctores ſunt.*] Id quoque prodit Halicarnaſſeus non ſemel.

1. *Cui ſuperbo.*] Non ſtatim ſub initia regni, neque ob ſolam cauſam prohibiti ſepulturâ ſoceri; ſed poſt plura crudelia, & arrogantia facta, ut ex cap. ſequenti Gruterus probat.

2. *Sepultura prohibuit.*] Tarquinius pompam funebrem, quæ per forum ducenda erat, vetuit, metu ſeditionis. Sed Servius Tullius elatus eſt à paucis amicis & conjuge Tarquinia; quæ diris generum, filiamque proſequuta, ſequenti nocte extincta eſt.

3. *Romulum quoque inſepultum.*] Vide ſupra cap. 16.

4. *Ad jus regni.*] Non enim hæreditario jure, ſed electione populi deferebatur regnum apud Romanos.

Urb. cond. an. 220.

regnaret. [b] Eo accedebat, ut in charitate civium nihil ſpei reponenti, metu regnum tutandum eſſet : quem ut pluribus incuteret, cognitiones capitalium rerum, ſine conſiliis [5] per ſe ſolus exercebat: [c] perque eam cauſam occidere, in exilium agere, bonis mulctare poterat : non ſuſpectos modo aut inviſos, ſed unde nihil aliud quam prædam ſpectare poſſet. Ita Patrum præcipue numero imminuto, ſtatuit nullos in Patres legere ; quo contemptior paucitate ipſa ordo eſſet : [d] minuſque per ſe nihil agi indignarentur. Hic enim, regum primus, traditum à prioribus morem de omnibus Senatum conſulendi ſolvit. domeſticis conſiliis rempublicam adminiſtravit. bellum, pacem, fœdera, ſocietates per ſe ipſe, cum quibus voluit, injuſſu populi ac Senatus fecit, diremitque. Latinorum ſibi maxime gentem conciliabat, [6] ut peregrinis quoque opibus tutior inter cives eſſet. neque hoſpitia modo cum primoribus eorum, ſed affinitates quoque jungebat. [7] Octavio Mamilio Tuſculano, (is longe [e] princeps Latini nominis erat, ſi famæ credimus, [8] ab Ulyſſe Deaque Circe oriundus :) ei Mamilio filiam nuptum dat ; perque eas nuptias multos ſibi cognatos amicoſque ejus conciliat.

INTERPRETATIO.

b *Adjungebatur ad hæc, quod cum nihil fiducia collocaret in amore ſubjectorum, cogebatur regnum tueri terrore.*

c Atque *hac occaſione, non ſolum reos & odioſos*, ſed etiam quoſcumque, *ex quorum damnatione lucri ſpes ei apparebat, morte afficere*, &c.

d *Et Senatores non auderent conqueri, quod rex ipſorum operâ in rebus agendis non uteretur.*

e *In Latinorum gente multùm ſupra reliquos eminens.*

NOTÆ.

5. *Per ſe ſolus exercebat.*] At Servius Tullius, qui popularem ſe præſtiterat, cum privatarum controverſiarum judicium Senatui reliquiſſet præter regum ſuperiorum morem: læſæ tamen reip. criminum judicium ſibi retinuerat. Unde nihil novi feciſſe hac in re Superbus videri poſſet, quo nomen hoc mereretur. Verùm nec Servius omnia capitalia ſibi reſervaverat, ſed quæ recta ad remp. lædendam pertinerent: nec credibile eſt eum domi, & nemine in conſilium aſcito, de his ipſis cognoviſſe, quod Tarquinius uſurpabat. Præterea æquiſſimas Tullii leges abrogavit, cœtus Curialium, Paganorum, & alios ſuſtulit, omnibus diffidens.

6. *Ut peregrinis quoque opibus.*] Cauſam Dionyſius aliam indicat, Latinorum ope Sabinis dominandi.

7. *Octavio Mamilio.*] Cum Mamilius nomen gentis ſit, *Octavius* verò prænominis locum obtineat ; ſuſpicatur Sigonius legendum eſſe *Octavo*, non *Octavio*: Sic Quinctius, & Sextius nomina ſunt familiarum ; Quintus verò & Sextus prænomina. Sed Robortellus, Voſſius filius, & Gronovius aliud in Romanorum, aliud in Italorum cæterorum, atque adeò Latinorum appellationibus obtinuiſſe obſervant.

8. *Ab Ulyſſe, Deaque Circe.*] Circe maga celebris (Æetæ ac Paſiphaës ſoror) Solis filia in fabulis memoratur : (ex oriente profectam interpretari licet.) Ea Sarmatarum regno dejecta, quod poſt mortem mariti veneno extincti, crudeliter adminiſtrabat ; in Italiæ inſulam Ææam fugit, ubi poſt Circeii oppidum, & Circæum promontorium de ipſius nomine dicta. Ex Ulyſſe, mari ad eam delato, præter alios liberos Telegonum peperiſſe traditur. Hinc Octavius Mamilius Tuſculanus originem duxit.

L. Jam magna Tarquinii auctoritas inter Latinorum proceres erat, *quum in diem certam ut* [1] *ad Lucum Ferentinæ conveniant*, indicit: *esse, quæ agere de rebus communibus velit*. Conveniunt frequentes prima luce. ipse Tarquinius [a] diem quidem servavit, sed paulo antequam sol occideret, venit. Multa ibi tota die in concilio variis jactata sermonibus erant. [2] Turnus Herdonius 3 ab Aricia ferociter in absentem Tarquinium erat invectus; *Haud mirum esse, Superbo ei inditum Romæ cognomen:* (jam enim ita clam quidem mussitantes, vulgo tamen eum appellabant) *An quicquam superbius esse quam ludificari sic omne nomen Latinum? Principibus longe ab domo excitis, ipsum qui concilium indixerit, non adesse. tentari profecto patientiam, ut si jugum acceperint, obnoxios premat. Cui enim non apparere, affectare eum imperium in Latinos? [b] Quod si sui bene crediderint cives, aut si creditum illud & non raptum parricidio sit, credere & Latinos (quamquam ne sic quidem alienigenæ) debere. Sin suos ejus pœniteat (quippe qui alii super alios trucidentur, exulatum eant, bona amittant) quid spei melioris Latinis portendi? Si se audiant, domum suam quemque inde abituros. neque magis observaturos diem concilii, quam ipse, qui indixerit, observet.* Hæc atque alia eodem pertinentia seditiosus facinorosusque homo, hisque artibus opes domi nactus, quum maximè dissereret, intervenit Tarquinius. Is finis orationi fuit. Aversi omnes ad Tarquinium salutandum: qui silentio facto, monitus à proximis *ut purgaret se, quod id temporis venisset, disceptatorem* ait *se sumptum inter patrem & filium. Curâ reconciliandi eos in gratiam, moratum esse. & quia ea res exemisset illum diem, postero die actuum, quæ constituisset.* Ne id quidem [c] ab Turno [4] tulisse tacitum ferunt. dixisse enim: Urb. cond. an. 223.

INTERPRETATIO.

a *Venit quidem intra* conditam *diem, verùm sub vesperam.*

b *Quod* (imperium) si Romani *cives ipsius* (Tarquinii) *ei utiliter commiserunt; vel si illud ei commissum* revera *est* à suis, *& non potius ab eo occupatum per vim & parricidium:* dicebat *posse Latinos* quoque illud *eidem committere: imò ne sic quidem debere,* cum ille sit *alienæ gentis. At cum Romani* ipsi *ejus imperium ægrè ferant,* &c.

c *Memorant* Tarquinium *non abiisse absque responso à Turno, ab hoc enim dictum fuisse,* &c.

NOTÆ.

1. *Ad Lucum Ferentinæ.*] De hoc Luco, & capite aquæ Ferentinæ, ubi concilia Latinorum haberi solita, dicam ad lib. 2. cap. 38.

2. *Turnus Herdonius.*] Vir erat militaris, opibus & amicitiis inter Latinos pollens, ac civili præditus facundia: Mamilii perpetuus æmulator, ac Tarquinio infensus, quod is affinitatem Mamilii præstulisset.

3. *Ab Aricia.*] Ab Coriola, seu Coriolis ortum tradit Halicarnassæus. Sed Corioli Volscorum fuêre, qui hoc tempore distincti à Latinis. Quare probabiliùs noster Aricinum fuisse ait. De *Aricia* nos infra lib. 3. cap. 71.

4. *Tulisse tacitum.*] Quod Sigonius affert ex veteri suo codice, *ne id quidem Turnum tulisse tacitum ferunt*: sensum quidem habet perspicuum, ut in-

Nullam breviorem esse cognitionem, quam 5 *inter patrem & filium, pauciſque tranſigi verbis poſſe; ni pareat patri,* d *habituram infortunium eſse.*

Urb. cond. an. 223.

. LI. Hæc Aricinus a in regem Romanum increpans, ex concilio abiit. Quam rem Tarquinius aliquanto, quam videbatur, ægrius ferens, confeſtim Turno necem machinatur, ut eumdem terrorem, quo civium animos domi oppreſſerat, Latinis injiceret. & quia 1 pro imperio palam interfici non poterat, b oblato falſo crimine inſontem oppreſſit. per adverſæ factionis quoſdam Aricinos, 2 ſervum Turni auro corrupit, ut in diverſorium ejus vim magnam gladiorum inferri clam ſineret. ea quum una nocte perfecta eſſent, Tarquinius, paulo ante lucem accitis ad ſe principibus Latinorum, quaſi re nova perturbatus, *moram ſuam heſternam, velut Deorum quadam providentia illatam,* ait, *ſaluti ſibi atque illis fuiſſe.* c *ab Turno dici ſibi & primoribus populorum parari necem, ut Latinorum ſolus imperium teneat. Aggreſſurum fuiſſe heſterno die in concilio. dilatam rem eſſe, quod* 3 *auctor concilii abfuerit, quem maxime peteret. Inde illam* d *abſentis inſectationem eſſe natam,* e *quod morando* 4 *ſpem de-*

INTERPRETATIO.

d *Fore ut male mulctetur.*

a *Cum increpatione declamant contra Tarquinium.*

b *Ei affingendo crimen.*

c *Dici Turnum ſtruere inſidias ſibi, (Tarquinio,) & primariis apud Latinos viris.*

d *Criminationem in abſentem* Tarquinium.

e *Quod* Tarquinius *morâ ſuâ fruſtratus fuerit ſpem* Turni.

NOTÆ.

relligatur hæc Turnus ſilentio non prætermiſiſſe, ſed Tarquinii dictum refutaſſe. Verùm refragantur plerique omnes libri, eſtque forma loquendi elegantior cum dicitur quis *tacitum ferre* dictum, factumve aliquod; quoties nemo eſt, qui reclamet, aut obmurmuret; *ut ferre impunitum*, cum nulla ſequitur pœna: quemadmodum obſervat Gronovius. Auctor noſter lib. 3. cap. 45. *Ferro hinc tibi ſummovendus ſum Appi, ut tacitum feras, quod ſclari vis.* Cic. 2. ad Att. ep. 3. *Cætera ſi reprehenderis, non feres tacitum.*

5. *Inter patrem & filium.*] Certa eſt Juris Romani regula *actionem adverſus patrem filio non dari, dum in poteſtate ejus eſt*: eo enim Jure *non magis cum his quos in poteſtate habemus, quàm nobiſcum ipſi agere poſſumus.* Idque in univerſum, & ſine exceptione valuit quamdiu reſpſtetit. Latinos eodem Jure ſuos probabile eſt, cum id inſtitutum Romanis Romulus tradiderit, Albana & ſic Latina ſtirpe oriundus.

1. *Pro imperio palàm.*] Non poterat Turnus apertè occidi jure poteſtatis, quam nondum plenè habebat in Latinos Tarquinius, ſed ſocietatem dumtaxat.

2. *Servum Turni.*] Florent. Codex ſecundum Dionyſium *ſervos habet*; ſervorum ſcilicet deterrimos.

3. *Auctor Concilii.*] Ipſe Tarquinius, qui concilium indixerat.

4. *Spem deſtituerit.*] Ambigit fruſtra Sigonius utrùm meliùs Latinè dicatur *ſpem deſtituo, & ſpes me deſtituit.* Utrumque rectè, ſed aliud alio ſenſu. *Spem alterius deſtituo*, cum non reſpondeo ejus expectationi; cum ſpem ejus eludo, ſive datâ operâ & fallendi animo; ſive præter mentem meam, voluntate ipſius ignoratâ. *Spes me deſtituit*, cum id quod ſperaveram non evenit, ita ut ſpes me deſerat.

ſtituerit. Non dubitare, ſi vera deferantur, quin prima luce, ubi ventum in concilium ſit, inſtructus cum conjuratorum manu armatuſque venturus ſit. Dici gladiorum ingentem numerum eſſe ad eum convectum. id vanum necne ſit, extemplo ſciri poſſe. Rogare eos, ut inde ſecum ad Turnum veniant. Suſpectam fecit rem, & ingenium Turni ferox, & oratio heſterna, & mora Tarquinii; quod videbatur ob eam ſ differri cædes potuiſſe. Eunt, inclinatis quidem ad credendum animis, tamen niſi gladiis deprehenſis, cætera vana exiſtimaturi. Ubi eſt eò ventum, Turnum ex ſomno excitatum circumſiſtunt cuſtodes; comprehenſiſque ſervis, qui charitate domini vim parabant, quum gladii abditi f ex omnibus locis ‖ diverticuli protraherentur; enimvero manifeſta res viſa, injectæque Turno catenæ: & confeſtim Latinorum concilium magno cum tumultu advocatur. Ibi tam atrox invidia orta eſt, gladiis in medio poſitis, ut indictâ causâ, novo genere lethi, dejectus ad rr caput aquæ Ferentinæ,[6] crate ſuperne injecta, ſaxiſque congeſtis, mergeretur.

LII. Revocatis deinde ad concilium Latinis, Tarquinius, collaudatiſque qui Turnum novantem res pro manifeſto parricidio merita pœna aſſeciſſent, ita verba fecit: *Poſſe quidem ſe* [1] *vetuſto jure agere; quod quum omnes Latini ab Alba oriundi ſint* [a] *in eo fœdere teneantur, quo ab Tullo res omnis Albana cum colonis ſuis in Romanum ceſſerit imperium. Cæterùm ſe utilitatis id magis omnium causâ cenſere, ut renovetur id fœdus: ſecundaque potius fortuna populi Romani, ut participes Latini fruantur, quam urbium excidia, vaſtationeſque agrorum quas Anco priùs, patre deinde ſuo regnante, perpeſſi ſint, ſemper aut expectent, aut patiantur.* Haud difficulter perſuaſum Latinis, quamquam in eo fœdere ſuperior Romana res erat. cæterum [b] & capita nominis Latini ſtare, ac ſentire cum rege videbant; & Turnus ſui cuique periculi, ſi adverſatus eſſet, recens erat documentum. Ita renovatum fœdus, Urb. cond. an. 233.

INTERPRETATIO.

f *Ex locis omnibus domicilii ubi diverſabatur* Turnus.

a *Continearur in illa pactione, quâ per Tullum* Hoſtilium victi *Albani, cum rebus ſuis & colonis omnibus venerunt in ditionem Romanorum.*

b *Et videbant* Legati civitatum, *Primarios nationis* totius viros *ſequi partes & ſententiam Regis. Et Turnus recenti exemplo unumquemque commonebat, diſcriminis imminentis, ſi contradicerent* Tarquinio.

NOTÆ.

5. *Differri cædes potuiſſe.*] Hæc non referenda ſunt ad id quod fieri potuerat, ſed ad id quod probabiliter contigiſſe videbatur; afferebatur enim cauſa differendi cædem ſatis idonea.

6. *Crate ſupernè injecta.*] Carthaginenſes imprimis hoc Cratis ſupplicio uſi dicuntur, quod Plautus in Pœnulo ſic deſcribit: *ſub cratim ut jubeas ſeſe ſupponi, atque eò lapides imponi multos, ut ſeſe neces.* Nec Germanis incognitum id fuiſſe Tacitus docet.

1. *Vetuſto jure agere.*] Petere imperium Latinorum ex antiquo in eos Albanorum jure.

indictumque [c] juvenibus Latinorum, *ut ex fœdere die certa ad Lucum Ferentinæ armati frequentes adesſent*. Qui ubi ad edictum Romani regis [d] ex omnibus populis convenêre: ne ducem ſuum, neve [a] ſecretum imperium, propriave ſigna haberent, [3] miſcuit manipulos ex Latinis Romanisque, ut [77] ex binis ſingulos faceret, binoſque ex ſingulis. ita 5
geminatis manipulis, centuriones impoſuit.

Urb. cond. an. 116. LIII. Nec ut injuſtus in pace Rex, ita dux belli pravus fuit. quin [a] ea arte æquaſſet ſuperiores reges, [1] ni degeneratum in aliis, huic quoque decori offeciſſet. Is primus [2] Volſcis bellum [b] in [3] ducentos amplius poſt ſuam ætatem annos movit: [4] Sueſſumque Pometiam ex his vi cœpit. 10

INTERPRETATIO.

c *Latinis qui ætate ad militiam idonea eſſent.*

d *Ex cunctis civitatibus.*

a *Arte bellica principibus anterioribus poſt ejus tempora* propagatum eſt.

par fuiſſet, niſi hanc ejus *laudem minuiſſet*, quod *in cæteris* rebus ab eorum gloria *deſciverit* ab ipſo fuerat.

b *Quod plus quam ad ducentos annos*

NOTÆ.

2. *Secretum imperium.*] Per imperium intelligit Ducum juſſa, *ſecretum* autem appellat quod per diverſos à Romanis ductores exercereretur, quibus Latini ſeorſim parerent, id eſt diſcretum, ſeparatum.

3. *Miſcuit manipulos.*] Tempore Romuli Manipulus centum militum fuit, quemadmodum traditur apud Plutarchum, & in Collectaneis de Orig. Gent. Rom. ubi *Manipuli* hujuſmodi nomen ex eo deducitur, quòd Romulus coacta paſtorum manu, eaque in centenos homines diſtributâ, perticas *manipulis* fœni variè formatis in ſummo vinctas dediſſe dicatur, quò facilius eo ſigno ſuum quiſque ducem ſequeretur. Quo reſpicit Ovid. 3. Faſt.

Perticam ſuſpenſos portabat longa Manipulos.

Unde Manipularis nomina miles habet.

Poſtea Manipuli numerus auctus ad 120. milites, ut ex Polybio Lipſius oſtendit.

1. *Ni degeneratum.*] Forma loquendi eâ Livio aliiſque familiaris; quâ participium paſſivum in caſu recto pro verbali nomine ponitur; & factum aliquod ſignificatur, quod refertur ad verbum ſequens. Ita lib. 7. *diu non perlitatum tenuerat Dictatorem*; id eſt defectus litationis (ita exprimere liceat) moratus fuerat dictatorem: ſic apud Virgilium:

Notumque, furens quid fœmina poſſit.

pro notitia quam habebant Teucri, quid mulier furens poſſit. Hic quoque *degeneratum* ſumitur pro actu degenerandi, ut Tarquinii gloriæ militari nocuiſſe dicatur, quod in aliis rebus degeneraſſet.

2. *Volſcis.*] Conterminos Volſci, Rutulos, & Latinos habebant ad Occaſum, Æquos, Marſoſque, & aliquatenus Samnites ad Septentrionem; Campanos ad Ortum, Auruncos ad Meridiem; qua parte Tuſco etiam mari pulſabatur eorum regio, ampla illa præ vicinorum regionibus. Populus bellicoſus; diverſo à finitimis ſermone utebantur. Ubi à Romanis ſubacti, pars novi Latii fuêre. Civitatum capita, in ora quidem Antium, in montanis Ecetra, in campeſtribus Sueſſa, quæ ſequitur. Eo nunc tractu continentur epiſcopatus Tarracinenſis & Setinus, Signinus in Campania & provincia Romana, Aquinas & Soranus in Capuana provincia.

3. *Ducentos amplius annos.*] Ab hoc tempore ad annum U. C. 365. quo Volſci Camillo tertium Dictatori ſe dedidere, ut lib. 6. cap. 2. refertur, anni ſunt minus 140. Verùm illi aliquoties adhuc rebellarunt.

4. *Sueſſamque Pometiam.*] Hæc *Sueſſa*, cognomine *Pometia*, ad diſcrimen Sueſſæ Auruncæ, quæ ultra Lirim; unde

ubi quum divendita præda vv quadraginta ſ talenta argenti aurique Lib. cap. 6 recepiſſet; concepit animo eam amplitudinem Jovis templi, quæ ea. 26.

NOTÆ.

à Græcis populi Πομπτῖνοι: ex *Pometia*, eliſâ literâ *e* fit *Pomtia*; unde ager ſive campus Pomtinus, vel Pomptinus, quo nomine comprehenſa agri Volſcorum mediterranei pars maxima. Hinc etiam Pomtinæ Paludes, (de quibus ſiccandis toties ac ferè fruſtra actum) & Pontina Tribus. Fuit circa Coram & Velitras. Cluverius ad Aſturam Fl. locat: Campaniæ Romanæ apud Kircherum tabula ad Meridiem Setiæ ultra Velitras. Putem fuiſſe circa *S. Donato*.

ſ. *Talenta argenti, aurique.*] Non diverſi generis, ſed in diverſis metallorum ſpeciebus unius pretii talenta indicari rectè conjicit Glareanus: tantùm videlicet ſive auri, ſive argenti fuiſſe, ut in pecunia fierent talenta argenti quadraginta. Talentum autem, etſi variè ſumatur, tamen cum abſolutè dicitur, intelligi fermè ſolet argenti Talentum Atticum minus, quod ſexaginta minis conſtat, drachmarum verò ſex millibus. Mina quippe drachmas complectitur centum. In univerſum enim Talento vulgari continetur, apud alios quoque populos, numerus idem ſex millium, ſed ſuarum, cujuſque ſcilicet loci, drachmarum, quarum non idem ubique pondus, ac pretium. Minæ Atticæ comparari ſolet apud Romanos argenti Libra. Drachmæ Denarius quàm proximè reſpondet. Sed in his apud utrumque populum mutationem aliquam tempora induxerunt, ut à Budæo, aliiſque eſt annotatum. Budæus parvum illud argenti Talentum Atticum ſexcentis aureis noſtratibus ſolatis æſtimabat: quorum ſinguli tunc triginta quinque aſſibus, nunc autem quinque libris, & quatuordecim aſſibus Turonenſibus valent: ita ut Talentum relata ad tempus noſtrum æſtimatione futurum ſit librarum Turonenſium 3420. Verùm ſi, non auri cum argento (quorum inter ſe ratio minùs certa:) ſed argenti cum argento, & ponderum ac bonitatis, quoad licet, comparatio inſtituatur: non parum ex hoc pretio videbitur detrahendum. Ex Libra quippe Romana, (quæ, plurimorum judicio, decem uncias cum dimidia haud multum ſuperabat, reſpondebatque 36. fermè Libris Francicis) Denarii 96. drachmales cudebantur, qui pro centum computari ſolebant juxta numerum drachmarum, quibus Mina conſtabat apud Athenienſes. Sic Denariorum ſingulorum æſtimatio ſeptem aſſes noſtrates, ac ſemiſſem non excedet, parum diverſo à Regalibus Hiſpanicis, Juliis Romanis, & Schellingis Belgicis pretio. Denarii autem 5760. (qui in rotunda numeratione pro ſex millibus erant, detractis nimirum quatuor in ſingula centena, ut paulò antè indicavi) dabunt Librarum noſtrarum non ampliùs, quàm 3180. atque hic vulgaris Talenti valor. Et ſic quadraginta Talenta, ex manubiis Sueſſæ Pometiæ ad templum Jovi ædificandum à Tarquinio ſepoſita, efficient pecuniæ noſtræ octoginta & ſex millia, atque inſuper quadringentas libras Francicas, quas Turonicas vulgo appellamus. Dionyſius Talenta hic numerat quadringenta, quæ ſumma ad octingenta ſexaginta quatuor millia librarum excurreret. Sed aliter ſenſit Livius, ut liquet ex capite hujus libri 55. ejuſque ſententia probabilior videbitur temporum illorum notitiam habentibus. Calculus Dionyſianus à vero parum fortè abhorrebit, ſi ad univerſam Pometinam prædam referatur, cujus decima in Jovis cultum deducta fuerit. De variis Talentorum auri argentique generibus, deque Denariorum vario pondere actum in Præfat. ubi de veteri Pecunia.

6. *Recepiſſet.*] Gronovius mavult *refeciſſet*, quod & Latinum ſine dubio eſt, & ab auctoris ſententia non alienum. Mihi tamen hoc loco arridet magis, *recepiſſet*, ut habent pleraque exemplaria. Neque enim voluit Livius totam pecuniam ex præda Pometina collectam indicare; ſed partem dumtaxat ad ædificium templi ſepoſitam. Id clariùs explicat Halicarnaſſeus. Narrat enim po-

Urb. cond. an. 233. digna Deum hominumque rege, quæ Romano imperio, quæ ipsius etiam loci majestate esset. c Captivam pecuniam in ædificationem ejus templi sepositi. Excepit deinde eum lentius spe bellum, quo 7 Gabios propinquam urbem, nequicquam vi adortus, quum obsidendi quoque urbem spes pulso à mœnibus adempta esset; postremo minime arte Romana, fraude ac dolo, aggressus est. nam quum velut posito bello fundamentis templi jaciendis, aliisque urbanis operibus intentum se esse simularet; Sextus filius ejus, qui 8 minimus ex tribus erat, transfugit ex composito Gabios, 9 patris in se sævitiam intolerabilem conquerens; *Jam ab alienis* d *in suos vertisse superbiam: & liberorum quoque eum frequentiæ tædere; ut quam in curia solitudinem fecerit, domi quoque faciat; ne quam stirpem, ne quem hæredem regni relinquat. Se quidem inter tela ac gladios patris elapsum, nihil usquam sibi tutum, nisi apud hostes L. Tarquinii* 5 10

INTERPRETATIO.

c *Pecuniam ex hostibus captam. Deinde bellum diuturnius, quàm speraſſet* cum posteà exercuit.

d *Arrogantiam* & crudelitatem Tarquinii Regis *ab extraneis versam esse in domesticos.*

NOTÆ.

titum urbe Tarquinium armatos occidisse; eos qui se dedere malebant cum imbelli sexu & ætate, cumque mancipiis, rebusque omnibus mobilibus, quæ in urbe, quæque in agris erant in prædam militi permisisse; argentum quoque & aurum, unum in locum collatum, decimis tantum in templi fabricam reservatis, divisisse victoribus, quorum unicuique obtigerint quinque minæ. *Recipere* autem, eleganter dicitur pro eo quod est seponere ac reservare, ut apud Ciceronem 2. de Orat. & in Top. *recepta* dicuntur *ruta cæsa in venditione*, id est reservata fuisse. Et apud Gellium Cato dicit magnam pecuniam à muliere dotem dante receptam esse, quàm in viri potestatem non committeret.

7. *Gabios propinquam urbem.*] Valida fuit priscorum Latinorum civitas, sive à Galatio, & Bio Siculis fratribus constituta, ut ait Solinus: sive Albanorum colonia, ut refert Dionysius; qui Romulum, Remumque Græcis literis in hac urbe institutos notat: testaturque fuisse ad viam Prænestinam medio fermè itinere inter Romam & Prænestem, centum ab urbe stadiis, millibus scilicet passuum duodecim. Cluverius & Kircherus ibi locant ubi nunc diversorium cui à Fœniculo nomen, *l' Hosteria del Finocchio*: Holstenius, paulò ni fallor probabiliùs haud longè à diversorio, quod à Palude dictum, *l' Hosteria del Pantano*, circa Osam fluvium in collibus ad sinistram viæ Prænestinæ. Scribit Baudrandus locum adhuc *Campo Gabio* vocari inter Columnam & Montem Portium.

8. *Minimus ex tribus.*] Aliàs *minor*, ut Sextus videatur secundo loco genitus. At eum maximum natu filiorum Tarquinii Dionysius fuisse perhibet, non uno loco. Transfugit porrò Gabios tertio post susceptum in eos bellum anno, cum magna clientum manu, & pecuniæ vi.

9. *Patris in se sævitiam.*] Publicè virgis cæsus, aliisque contumeliis affectus, teste Dionysio, & Floro. Sextus, habebat reverà, quod de patris crudelitate quæreretur. Fortius adhuc, quod de Zopyro non dispari fraude Babylonios Cyro tradendos fallente memorant Herodotus, Plutarchus, Justinus.

credidisse.

credidiſſe. Nam, ne errarent, 10 *manere his bellum, quod poſtium ſimuletur: & per occaſionem eum incautos invaſurum. quod ſi apud eos ſupplicibus locus non ſit, pererraturum ſe omne Latium; pulſumque ſe inde, Volſcos & Æquos, & Hernicos petiturum: donec ad eos perveniat, qui à patrum crudelibus atque impiis ſuppliciis tegere liberos ſciant. Forſitan etiam ardoris aliquid ad bellum armaque ſe adverſus ſuperbiſſimum regem* 11 *ac ferociſſimum populum inventurum.* Quum, [e] 12 *ſi* nihil morarentur, infenſus ira porro inde abiturus videretur: benigne ab Gabinis excipitur, [f] *vetant mirari, ſi qualis in cives, qualis in ſocios, talis ad ultimum in liberos eſſet. In ſeipſum poſtremo ſævituram,* 13 *ſi alia deſint. Sibi vero gratum adventum ejus eſſe: futuramque credere brevi, ut illo adjuvante, ab portis Gabinis ſub Romana mœnia bellum transferatur.* Urb. cond. an. 235.

LIV. Inde in concilia publica adhiberi. *ubi quum de aliis rebus aſſentire ſe veteribus Gabinis* diceret, *quibus hæ notiores eſſent; ipſe identidem belli auctor eſſe, in eo ſibi præcipuam prudentiam aſſumere, quod utriuſque populi vires noſſet, ſciretque invi:ſam profecto ſuperbiam regiam civibus eſſe, quam ferre ne liberi quidem potuiſſent.* Ita quum ſenſim ad rebellandum primores Gabinorum incitaret, ipſe cum promptiſſimis juvenum prædatum atque in expeditiones iret, [a] & dictis factiſque omnibus ad fallendum inſtructis vana accreſceret fides; dux ad ultimum belli legitur. Ibi quum, inſcia multitudine quid ageretur, prœlia

INTERPRETATIO.

e *Si* eum *non retinerent.*
f *Aiunt mirari non debere.*
a *Et cum opinio*, quam falſa ſpe deluſi Gabini de Sexto conceperant, *in dies augeretur, omnibus ejus ſermonibus & geſtis ad decipiendum comparatis.*

NOTÆ.

10. *Manere his bellum.*] Ita melius ex Gronovio, quàm *imminere*, quod Sigonius ſuggerit. *Imminere* futurum; *manere* autem rem præſentem denotat; ut intelligatur perſtare adhuc bellum, ac durare, occaſionem tantùm expectari ejus conficiendi. Si autem *manere* accipiendum eſſet pro imminere, dicendum erat, *bellum eos*, non eis *manere*. Porrò mirum hic artificium Sexto attribuitur, ut Sinoni apud Virgilium. Decipit enim Gabinos, nec mentitur tamen; & quaſi arcano patris prodito, dum à patre metum injicit, metum propiorem à ſe ipſo avertit.

11. *Ac ferociſſimum populum.*] Tanaquillo Fabro videtur ferociſſimi populi nomen Romanis, qui ſub tyrannide eſſent, minimè convenire: ideo ſcribendum cenſet, *ferociſſimum patrem.* Sed cum ferocia vehementiam naturæ duntaxat indicet, videndum an adeò ſæviſſimo patri, & cruento in ſuos, ut ait Florus, conveniat; ut Livii textus ea de cauſa mutandus ſit. Certè Cicero lib. 10. ad Atticum epiſt. 13. non amantem ſuorum diſtinguit à feroce, & arrogante. Nec tyrannis domeſtica ferociam ſubjecti populi in exteros minuit.

12. *Si nihil morarentur.*] Non malè in quibuſdam Codicibus, *ſi nihil moverentur.* Sexti nempe queſtibus.

13. *Si alia deſint.*] Verius fortè quod ſuſpicatur Gronovius, *ſi aliis deſint*: in perſonas enim potius, quàm in res, ſævitur.

Urb. cond. an. 235. parvâ inter Romam Gabiosque fierent, quibus 1 plerumque Gabina res superior esset: tum certatim summi infimique Gabinorum Sex. Tarquinium dono Deûm sibi missum ducem credere. Apud milites vero obeundo pericula ac labores, pariter prædam munificè largiendo, [b] tanta charitate esse, ut non pater Tarquinius potentior Romæ, quam filius Gabiis esset. Itaque [c] postquam satis virium collectum ad omnes conatus videbat: tum è suis unum sciscitatum Romam ad patrem mittit, *quidnam se facere vellet? quandoquidem ut omnia unus Gabiis posset, ei eo Dii dedissent.* Huic nuncio, quia, credo, dubiæ fidei videbatur, nihil voce responsum est. rex velut deliberabundus, in hortum ædium transit, sequente nuncio filii: ibi inambulans tacitus, 2 summa papaverum capita dicitur baculo decussisse. Interrogando expectandoque responsum nuncius fessus, ut re imperfecta, redit Gabios, quæ dixerit ipse, quæque viderit, refert. *Seu ira, seu odio, seu superbia insita ingenio, nullam eum vocem emisisse.* Sexto ubi quid vellet parens, quidve præciperet tacitis ambagibus, patuit; primores civitatis, criminando alios apud populum, [d] alios sua ipsos invidia opportunos, interemit. multi palam: quidam, in quibus minus speciosa criminatio erat futura, clam interfecti. Patuit quibusdam volentibus fuga, aut in exilium acti sunt; absentiumque bona juxta atque interemptorum divisa fuêre. [e] Largitionis inde prædæque & privati dulcedine commodi, sensus malorum publicorum adimi, donec orba consilio auxilioque 3 Gabina res

INTERPRETATIO.

b *Adeo carus erat.*

c *Ubi perspexit sibi quæsitam satis magnam potentiam ad quidvis audendum.*

d *Alios interfecit obnoxios injuriæ propter odium in ipsos* jam conceptum.

e *Alienorum spoliorum divisio & rapina, propriaque utilitatis dulcedo, avertebant privatorum animos à cogitatione communium calamitatum.*

NOTÆ.

1. *Plerumque Gabina res superior.*] Nihil mirum si Gabini sæpius vincerent, cum datâ operâ Tarquinius pater loca quæ Sextus petiturus erat, præsidiis nudaret, sicque è civibus quos maximè suspectos habebat, ei trucidandos obiiceret; quò & major filio fides à Gabinis haberetur; & conjurationum semina Romæ extirparentur.

2. *Summa papaverum capita.*] Ovidius 2. Fast. sub finem Lilia pro Papaveribus nominat. Cæterùm hoc facto videtur Tarquinius Thrasybulum Milesium imitatus, qui Periandro Corinthiorum tyranno per nuncium quærenti, quâ maximè ratione imperium firmare posset, non aliter respondit, quàm contritis segetum eminentioribus spicis, teste Dionysio. Utriusque exemplo Pipinus Caroli Magni filius naturalis, patrem monuit, quid agendum conjuratis esset, herbas inutiles coram legatis ipsius resecando, si Aventino fides. Consilium Tarquinii ut filius executus, everso imprimis Antistio Perrone Gabinorum illustrissimo per litteras Tarquinii apud eum depositas, habes apud eumdem Halicarnasseum.

3. *Gabina res Regi Romano.*] Portis per fidos nocte apertis, potitus Gabiorum Tarquinius anno 7. belli Gabini,

regi Romano ſine ulla dimicatione in manum traditur.

LV. [1] Gabiis receptis, Tarquinius pacem [2] cum Æquorum gente fecit: fœdus cum Tuſcis renovavit. Inde ad negotia urbana animum convertit. quorum erat primum, ut Jovis templum in monte Tarpejo, [a] monumentum regni ſui nominiſque relinqueret; Tarquinios reges ambos, [3] patrem voviſſe, filium perfeciſſe. Et [b] ut libera à cæteris religionibus area eſſet tota Jovis, templique ejus quod inædificaretur, XX exaugurare fana ſacellaque ſtatuit; quæ aliquot ibi à Tatio rege primùm, [c] in ipſo diſcrimine adverſus Romulum pugnæ, vota, conſecrata, inaugurataque poſtea fuerant. Inter principia condendi hujus operis, [4] moviſſe numen ad indicandam tanti imperii molem traditur Deos. nam quùm omnium ſacellorum [5] exauguraticnes admitterent aves, in Termini fano non addixere. idque omen auguriumque ita acceptum eſt, *non motam* [6] *Termini ſedem, unumque eum Deorum non*

Urb. cond. an. 237.

INTERPRETATIO.

a *Relinqueret opus* quod ſervaret *memoriam regni & familiæ ſuæ: in templo quod* Tarquinius *ſenior voviſſe, junior abſolviſſe diceretur.*

b *Ut totum ſolum ſolutum ab aliorum Deorum cultu, ad Jovem, ejuſque templum ibi extruendum pertineret, decrevit profana facere loca ſacra, &c.*

c *In præſenti periculo prælii contra Romulum* commiſſi.

NOTÆ.

regem non tyrannum egit. Nam civibus convocatis, civitatis regimen, ac bona cuique ſua reliquit, initâ cum illis ſocietate; Sextoque filio ipſis rege impoſito. Addit Dionyſius Romæ in templo Jovis, Fidei præſidis, (quem Sangum nominarent) fuiſſe monumentum ejus fœderis Clypeum ligneum, inductum corio ejus bovis qui tunc mactatus eſt; in quo antiquis formis inſcriptæ literæ continebant fœderis leges.

1. *Gabiis receptis.*] Recuperatam dicit hanc urbem, quod cum è numero eſſet Latinarum quæ fœdus cum Tarquinio inierant, arma adverſus eum ſumpſiſſent Gabini, à Pometinis, Romaniſque exulibus perſuaſi.

2. *Cum Æquorum gente.*] De Æquis, ſive Æquicolis Latio veteri finitimis, Latio deinde novo contributis populis, dictum cap. 32.

3. *Patrem voviſſe.*] Bello Sabino ſupra cap. 38.

4. *Moviſſe numen.*] Deducitur *Numen* à *nuo*, quaſi nutum & poteſtatem Dei dicas, ex Feſto & Priſciano: & quia nutum Dei conſequitur eventus, Numen accipitur Metonymicè pro voluntate, imperio, ac providentia divina. Vult itaque Livius Providentiâ & vi quadam occulta motos Deos, ut præmonſtrarent futuram imperii Romani magnitudinem & potentiam. Nec verò de Diis tantùm, ſed de viris magna præditis auctoritate dicitur aliquando Numen. Ut Ciceroni Philip. 3. *magna vis eſt, magnum Numen, unum & idem ſententiæ Senatûs.*

5. *Exauguraticnes admitterent Aves.*] Fiebat exauguratio evocatis Diis ex locis, arisve cuique conſecratis, ut aliò migrare vellet. Eam in rem ſacra celebrari, extaque victimarum inſpici ſolita: quemadmodum in evocandis urbium obſeſſarum numinibus conſuetum ſcribit Macrobius Saturnal. lib. 3. cap. 9. Ejuſmodi certè exauguraticnes, ſive evocationes nonniſi auguratò, neque aliter factas, quàm ſi aves addicerent, ac volatu ſuo rem Diis placere oſtenderent; vel ex hoc Livii loco patet, quod & apertè tradit lib. 4. Dionyſ.

6. *Termini ſedem.*] In Colle Tarpeio Sacellum Termino Deo dicaverat Numa Pompilius, poſtquam agrum Romanum tum publicum, tum privatum

Urb. cond. an. 237. *evocatum ſacratis ſibi finibus, firma ſtabiliaque cuncta portendere.* Hoc perpetuitatis auſpicio accepto, ſecutum aliud magnitudinem imperii portendens prodigium eſt. 7 caput humanum integra facie aperientibus fundamenta templi dicitur apparuiſſe. Quæ viſa ſpecies, haud per ambages, *arcem eam imperii* 8 *caputque rerum fore* portendebat. Idque ita cecinere vates, quique in urbe erant, quoſque ad eam rem conſultandam 9 ex Etruria acciverant. d Augebatur ad impenſas regis animus. Itaque Pometinæ manubiæ, quæ perducendo ad culmen operi deſtinatæ erant, vix in fundamenta ſuppeditavere. eò magis 10 Fabio, præterquam quod antiquior eſt, credi-

INTERPRETATIO.

Rex ad ſumptus faciendos magis ac magis animo accendebatur.

NOTÆ.

certis limitibus definiiſſet; ſtatueratque eum qui limitem araſſet, unà cum bove quò in id eſſet uſus, Jovi ſacros eſſe, quemadmodum Dionyſius lib. 2. tradit. Porrò hic Deus non humana effigie pingebatur, ſed deſignabatur lapide. Quin & per ambitum agrorum in finibus poſiti lapides Jovi Terminali ſacrati fuerant ejuſdem Numæ juſſu; feſtumque inſtitutum nomine Terminalium, quo res divina quotannis ſolenni ritu fiebat in honorem Deorum, qui Terminis præſunt: idque non cæſis hoſtiis (quod nefas ſit eos lapides cruentari) ſed libis, frugumque primitiis. Nunc, cum cæterarum ædium ſacrarum, & ſacellorum in Tarpeii montis area poſitorum exauguratione auſpiciis probarentur; aves tamen non admiſerunt exaugurationem Sacellorum duorum, Termini ſcilicet, & Juventutis (hanc enim addunt Dionyſius lib. 3. qui rem totam Tarquinio Priſco attribuit, & Florus) quaſi hæc numina locis ſuis cedere recuſarent. Atque hinc factum ut eorum aræ, templi ambitu incluſæ fuerint. Altera ſita in Veſtibulo Minervæ, altera in ipſa æde prope Delubrum. *Placuit vatibus contumacia numinum, ſiquidem firma omnia & æterna pollicebantur*, ait Florus: apud quem in ſcriptis exemplaribus *Juventas* eſt, non Juventus, aut Juventa. Et reverà Acron in primum Horatii librum, Ode 30. *Juventatem*, ait Deam eſſe, Juventam vero ætatem, teſte Veneto. His duobus Diis tertium Martem adjicit D. Auguſtinus de Civitate Dei lib. 4. c. 24. atque ad hæc portenta alluſiſſe creditur Virgilius, ubi dicit,

— *Capitoli immobile ſaxum.*

7. *Caput humanum.*] Caput illud *Toli* cujuſdam fuiſſe, dictumque inde *Capitolium* Arnobius ex veterum monumentis refert lib. 6. contra gentes. Scribit autem Dionyſius fundamentis ad magnam profunditatem perductis, inventum caput illud occiſi paulò antèà hominis, vivo perſimile, & adhuc recenti ſanguine manans: quo viſo Tarquinium foſſionem intermiſiſſe. Non itaque ſpecies tantùm capitis fuit, ſed verum caput, cujus conſpectus rebus ſic ſe habentibus prodigio non carebat.

8. *Caputque rerum.*] Omnia ex rerum ſimilitudine veteres interpretabantur. Ita Vultures aſſuetæ ſanguine, & præda aves, bellatricem fore urbem ſpoponderant Romulo apud Florum: & Carthaginenſibus caput bellatoris Equi inventum virtutem bellicam promiſerat.

9. *Ex Etruria acciverant.*] Non accitus Romam, ſed domi conſultus ex Dionyſio hoc prædixit Olenus Calenus Augur Etruſcus; qui fatum illud ad ſuam gentem trahere conatus eſt deceptis legatis Romanorum; niſi ab ejus filio præmoniti captioſam ejus interrogationem fruſtrati eſſent.

10. *Fabio.*] Q. Fabius Pictor, Caii, qui cum Ogulnio Gallo anno urb. cond. 485. conſulatum geſſit, Filius, Caii nepos, qui pictâ æde Salutis cognomen Pictoris in familiam ſuam intulerat.

derim, quadraginta ea ſola talenta fuiſſe; [11] quam Piſoni, qui [12] quadraginta millia pondo argenti ſepoſita in eam rem ſcribit; [13] ſummam e pecuniæ, neque ex unius tum urbis præda ſperandam; & nullius, ne horum quidem magnificentiæ operum fundamenta non exſuperaturam.

LVI. Intentus perficiendo Templo, fabris undique ex Etruria accitis, non pecunia ſolum ad id publica eſt uſus, [a] ſed operis etiam ex plebe, qui quum haud parvus & ipſe militiæ adderetur labor, minus tamen plebs gravabatur, ſe templa Deûm exædificare manibus ſuis: quæ poſthac & ad alia, ut ſpecie minora, ſic laboris aliquanto majoris, traducebatur opera: [1] foros in Circo faciendos, [2] Cloacamque maximam receptaculum omnium Urb. cond. an. 240.

INTERPRETATIO.

[e] *Quæ* nummorum aut argenti *quantitas, nec expectari eo tempore poterat ex manubiis unius civitatis; & major eſſet, quàm ut inſumi poſſet in fundamenta ædificiorum* quorumvis, etiam eorum *quæ hodiè tantâ magnificentiâ extruuntur.*

[a] *Adhibuit etiam operas hominum plebeiorum. Et quamvis hic labor per ſe non levis adjiceretur ad militiam; Plebs nihilominus id non multùm ægrè ferebat,* cogitans *ſe propriis manibus extruere templa Deorum.* Sed *plebs* eadem à templo Jovis *tranſlata deinde eſt ad alia quoque opera, ſpecioſa minùs, & paulo magis laborioſa.*

NOTÆ.

Hic primus Romanorum hiſtoriam ſcripſit pedeſtri oratione per belli Punici 2. tempora.

11. *Quam Piſoni.*] Annales ſcripſit L. Calpurnius Piſo Frugi 78. circiter annos poſt Fabium. Conſul certe fuit an. 620. Cenſor verò an. 633.

12. *Quadraginta millia pondo argenti.*] Si hodiernam purioris apud nos argenteæ pecuniæ computationem ſequamur, qua ratione ſingula Pondo æſtimanda veniunt libris 36. noſtratibus: Quadraginta millia pondo argenti conficerent Decies ac quater centena & quadraginta millia lib. noſtrarum: 1440000. l. ingentem ſane jaciendis templi fundamentis pecuniam.

13. *Summam pecuniæ.*] Aliàs legebatur *quam ſummam*; Rhenanus reponebat, *quia ſummam*; Sigonius, *quia ſumma* & reliqua in recto caſu. Meliùs Glareanus poſt verbum *ſcribit*, ſubjungendum cenſuit nullo interjecto, *ſummam pecuniæ*, ut ſit appoſitio referenda ad quadraginta milia Pondo. V. Gronov. hic.

1. *Foros in Circo.*] Fori ſunt loca operta in quibus ſedilia ſpectandis ludis. *Des Iſoges.*

2. *Cloacamque maximam.*] Cloacam fodere cœperat Tarquinius Priſcus, ſuprà cap. 38. Ubi ea de re dictum. Cloaca maxima ad ædem Jovis Statoris in tres ductus, & velut amnes diviſa, quorum obſtructis duobus, tertius per lacum Curtium ſub foro Romano, per Palatini montis radices in Velabrum, indeque ingenti alveo è quadratis lapidibus extructo in Tiberim fluebat. Ejus operis difficultatem teſtatur quod plebeii, qui ad illud adigebantur, cum incertum eſſet longior, an periculoſior eſſet hic labor, ſibi paſſim mortem conſciſcerent, ut Plinius refert. Firmitas ex eo patet, quod nec reciprocantibus ſæpe inundantis Tiberis fluctibus, nec ruinis, aut incendiis, nec terræ motibus concuſſa moles tot ſæcula duraverit. Amplitudo tanta fuit, ut vehem ſœni largè onuſtam tranſmitteret. Impenſarum denique in Cloacas factarum magnitudinem ex eo licet conjicere, quòd cum aliquandiu neglectæ aquam non tranſmitterent, cenſores eas mille talentis, id eſt ſaltem vicies, & centum ſexaginta librarum noſtratium millibus purgandas locaverint, *Deux millions cent ſoixante mille livres*, ut poſt Aquilium Dionyſius affirmat.

Urb. cond. an. 240. purgamentorum urbis ſub terram agendam? 3 quibus duobus operibus vix b nova hæc magnificentia quicquam adæquare potuit. His laboribus exercita plebe: quia & urbi multitudinem, ubi uſus non eſſet, oneri rebatur eſſe; & colonis mittendis occupari latius imperii fines volebat; 4 Signiam 5 Circeioſque colonos miſit: præſidia urbi futura terra marique. Hæc agenti, portentum terribile viſum, 6 anguis ex columna lignea elapſus, quum c terrorem fugamque in regiam feciſſet, ipſius regis non tam ſubito pavore perculit pectus, quam anxiis implevit curis. Itaque quum ad publica prodigia 7 Etruſci tantum vates adhiberentur; 8 hoc, velut domeſtico exterritus viſu, 9 Delphos ad maxime inclitum in terris oraculum

INTERPRETATIO.

b *Recens magnificentia hujus noſtri temporis.*

c *Metum intuliſſet, & ad fugam compuliſſet in regiam uſque* eos qui aderant.

NOTÆ.

3. *Quibus duobus operibus.*] Circo maximo, & Cloacis. Dionyſius inter admiranda Romanorum opera Vias ſtratas addit & Aquæductus.

4. *Signiam.*] Hanc urbem in Volſcorum finibus, inter Sueſſam Pometiam & Ferentinum Hernicorum ſitam, caſu fortuito, Romanorum Coloniam factam aiunt, cum milites caſtra ubi hibernabant in oppidi modum communiiſſent. Nomen accepiſſe videtur à Signis quæ eo loco à militibus fixa fuerant. Hodiè vulgo *Segni* appellatur, Epiſcopatu, ac Ducatu inſignis, in Campaniæ Romanæ finibus, trigeſimo ab urbe milliari Ortum verſus.

5. *Circeioſque.*] Ad Circæum promontorium quod nunc *monte Circello* dicitur, & Circes Solis, vel potius Æetæ Colchorum regis filiæ, quæ magicis artibus inſignis eo loco habitaſſe in fabulis memoratur, nomen adhuc ſervat. Fuêre *Circeii* oppidum inter Cloſtra & Tarracinam, quo Tarquinius Coloniam deduxit, quòd in Pomptino campo totius Latii uberrimo locus is ſitus eſt, in tumulo qui mari Tyrrheno imminet: pars continentis, licet ab Homero tanquam inſula deſcribatur. Hanc verò Coloniam Tarquinius Arunti filio; Signiam Tito, velut conditoribus dicavit.

6. *Anguis ex columna lignea elapſus.*] Portentum hoc ſic deſcribit Ovid. 2. in Faſt. —— *mediis altaribus Anguis, Exit & extinctis ignibus exta rapit.* Aliud prodigium, quo ultimo Tarquinius de infortunio domeſtico præmonitus eſt, narratur à Dionyſio lib. 4. Nidum nempe qui ab Aquilis duabus in palmæ vertice non procul à regia conſtructus erat, ab advolantibus Vulturibus diſturbatum, necatis implumibus pullis, ipſaſque à paſtu redeuntes Aquilas à palma roſtris aliſque abactas.

7. *Etruſci tantum.*] Quia major, magiſque anxia domeſticarum rerum, quam publicarum cura, & major rebus è longinquo honor; non ſufficere nunc viſa Tarquinio eſt Etruſcorum è proximo auſpicina. Itaque ipſum Apollinis Oraculum conſulendum cenſuit.

8. *Hoc velut domeſtico exterritus viſu.*] Nomina *viſus* & *viſum* ac *viſio*, ſumuntur plerumque pro phantaſmate, ſeu ſpectro per ſomnium apparente: ſed nonnunquam dicuntur etiam de portentis, quæ à vigilantibus cernuntur, ut apud Virgilium 3. Æneid.

Ritè ſecundarent viſus, omenque levarent:

ubi agitur de ſanguine ex arboribus ab Ænea cæſis manante.

9. *Delphos.*] In Phocide regione, totiuſque Græciæ fermè umbilico, fuit urbs *Delphi* in auſtrali Parnaſſi montis latere, loco edito ſita. 16. ſtadiorum ambitu. Fuit in eâ urbe fanum donariis

mittere ſtatuit. neque [10] reſponſa ſortium ulli alii committere auſus, duos filios per ignotas ea tempeſtate terras, ignotiora maria, in Græciam miſit. Titus & Aruns profecti. comes his additus, [11] L. Junius Brutus, Tarquinia [12] ſorore regis natus, juvenis [d] longe alius ingenio quam cujus ſimulationem induerat. [e] Is quum primores civitatis, in quibus fratrem ſuum, ab avunculo interfectum audiſſet; neque in animo ſuo quicquam regi timendum, neque in fortuna concupiſcendum relinquere ſtatuit: contemptu tutus eſſe, ubi in jure parum præſidii eſſet. Ergo [f] ex induſtria factus [13] ad imitationem ſtultitiæ, quum ſe ſuaque prædæ eſſe regi ſineret, *Bruti* quoque haud abnuit cognomen: ut ſub ejus obtentu cognominis, liberator ille populi Romani animus, latens [14] opperiretur tempora ſua. Is tum ab Tarquiniis [g] ductus Delphos, ludibrium veriùs quam

Urb. cond. an. 240.

INTERPRETATIO.

d *Multùm alienus ab eo ingenii vitio, quod præ ſe ferre conſtituerat.*

e *Ille cum ab matris ſuæ fratre occiſos eſſe urbis primates, atque* inter eos *germanum ſuum* cognoviſſet: *decrevit nihil ſibi reliquum facere, aut in animo quod rex metuere deberet; aut in facultatibus, quod idem poſſet appetere: & cum auxilii ſpem ex jure nullam haberet, ſecuritatem petere* ex eo ipſo *quod contemptibilis videretur.*

f *Cum data opera ſe aſſuefeciſſet ad fingendam amentiam.*

g *Delphos deductus* eſt Brutus, *magis ut derideiculus, & ludificandi materia, quàm ut comes eſſet* Tarquiniis.

NOTÆ.

opulentiſſimum; cujus theſauri ſæpius tum ab aliis, tum præſertim à Gallis direpti, quorum pars non minima Toloſam delata: unde *aurum Toloſanum*. Celebrabatur Oraculo, quod initio Telluri cum Neptuno commune fuiſſe memoratur: poſteà cum Neptunus parte ſua ceſſiſſet, à Tellure Themidi donatum; à qua tandem Apollo accepit. Plura de his habes apud Strabonem lib. 9. & Pauſaniam in Phocicis. Locus *Delfo* adhuc dicitur ſecundum quoſdam. Nigro *Salona* appellatur, qui vicum nunc eſſe ait in planicie 9. milliaribus à ſinu Corinthiaco. Sophiano eſt *Caſtri*.

10. *Reſponſa ſortium.*] Dicuntur Sortes pro Reſponſis ſeu Vaticinationibus, quæ conſulentibus oracula, edebantur à Diis, Deorumve Sacerdotibus: ſive quòd ſeverâ per Sortes plerumque dabantur; ſive quod Sortem fortunamque conſulentium facerent, aut potiùs quòd per ſe obſcura, ex ſorte id eſt prout ſors & caſus ferret, interpretationem acciperent. Sic apud Cic. lib. 2. *Sors illa edita eſt Cræſo, Cræſus Halyn ſuperans.* &c. apud Virgilium quoque 4. Æn.

—— *Italiam magnam Gryneus Apollo,*
Italiam Lycia juſſere capeſſere ſortes.

11. *L. Junius Brutus.*] Originem ducens à Marco Junio uno ex Æneæ ſociis, ut ſcribit Dionyſius.

12. *Sorore regis natus.*] Veriſimilius mihi, æquè ac Glareano eſt, quod mavult Dionyſius, Tarquiniam Bruti matrem, Superbi, non ſororem, ſed amitam fuiſſe. Vide ſuprà cap. 46.

13. *Ad imitationem ſtultitiæ.*] Elegantèr idem Brutus *Stulti ſapiens imitator*; ab Ovidio dicitur in Faſt.

14. *Opperiretur tempora ſua.*] Expectaret opportunitatem rei gerendæ. Sic melius opinor ex Mss, quàm *aperiretur tempore ſuo*, id eſt, indolem ſuam, quam diſſimulabat, declararet, & quaſi detegeret data occaſione.

comes, aureum baculum incluſum corneo cavato ad id báculo tuliſſe donum Apollini dicitur, [h] per ambages effigiem ingenii ſui. Quo poſtquam ventum eſt, perfectis patris mandatis, cupido inceſſit animos juvenum ſciſcitandi, ad quem eorum Regnum Romanum eſſet venturum. [15] Ex infimo ſpecu vocem reddicam ferunt; *Imperium ſummum Romæ habebit, qui veſtrum primus, ó juvenes, oſculum matri tulerit.* Tarquinii, ut Sextus qui Romæ relictus fuerat, ignarus reſponſi, experſque imperii eſſet, rem ſumma ope taceri jubent; ipſi inter ſe uter prior, quum Romam rediſſet, matri oſculum daret, ſorti permittunt. Brutus aliò ratus ſpectare [16] Pythicam vocem, velut ſi prolapſus cecidiſſet, terram oſculo contigit: ſcilicet [17] quod ea communis mater omnium mortalium eſſet. Redicum inde Romam, ubi
Urb. cond. an. 243. [18] adverſus Rutulos bellum ſumma vi parabatur.

LVII. [1] Ardeam Rutuli habebant, gens ut in ea regione atque

INTERPRETATIO.

h *Quod* munus aurei baculi ſub corneo abditi, *indicium*, ac *per involucra* velut imago *erat propriæ* ipſius *indolis*.

NOTÆ.

15. *Ex infimo ſpecu.*] Illud Apollinis Oraculum ex Strabone antrum erat profundum ore anguſto, cui ſuper impoſitum ſublimem tripodem conſcendens Pythia, Sacerdos Apollinis, excepto ſpiritu ex ſpecu emiſſo, reſponſa carmine fundebat, aut ſolutâ oratione, quo caſu à quibuſdam Poetis templi adminiſtris in numeros & verſus redigebantur.

16. *Pythicam vocem.*] Apollo *Pythius* dictus vel ab occiſo Pythone (ſive is draco, ſive latro fuerat) vel à verbo Græco πυθέσθαι, quod eſt interrogare; quoniam ſcilicet interrogantibus oracula reddebat. Inde ludi ſive Agones Pythici, Olympicorum exemplo inſtituti, & intervallum ludorum *Pythias*, quemadmodum Olympias. Inde quoque *Pythia*, vates, quæ reſponſa ab Oraculo accepta edebat conſulentibus.

17. *Ea communis mater.*] Primum hominem ex terra factum fabulæ ipſæ ſecundum ſacræ hiſtoriæ veritatem agnoſcunt. Ejuſdem gremio mortui excipimur. Ideo Cybele, quam Terram interpretantur, *magna Mater appellata*. His de cauſis Brutus, quamprimum in Italiam appulit, oſculatus eſt Terram natalem. De quo Valerius Maximus non ineleganter, lib. 7 cap. 3. *Veſtè*, ait, *Telluri impreſſum oſculum, Urbi libertatem, Bruto primum in faſtis locum tribuit.*

18. *Adverſus Rutulos.*] Priſcis Latinis ad mare contermini fuere Rutuli, ab Oriente hiberno, exiguum terræ angulum incolentes inter Lanuvinos, & Laurentes Latinorum, Antiates, & alios Volſcorum populos; novo poſteà Latio haud dubiè contributi. Eorum rex Turnus Dauno progenitus Æneæ rivalis apud Virgilium & Livium ſuprà cap. 2. Hujus in eos belli cauſam Tarquinius prætexebat, quod Rutuli Romanos exules in patriam reducere conarentur: vera cauſa quod eorum opibus inhiaret.

1. *Ardeam Rutuli habebant.*] Rutulorum olim caput *Ardea* circiter tribus millibus paſſuum à mari: 20. millibus ab urbe Roma, nomen in vico adhuc ſervat, loco ut olim, ita nunc quoque inſalubri admodum, in ditione ducis Cæſarini. Condita dicitur à Danaë Perſei matre, quæ huc delata, Pilumno regi nupſerit, ex Servio, apud quem Hyginus de Italicis urbibus, ab augurio avis Ardeæ dictam vult: quamquam Ovid. 14. Metamorph. fabulatur hanc urbem ab Æneæ incenſam, in avem ejuſdem nominis converſam fuiſſe. Ex ea orti Saguntini in Hiſpania,

in-

in ea ætate, divitiis præpollens. eaque ipsa causa belli fuit, quod rex Romanus cum ipso ditari, exhaustus magnificentia publicorum operum, tum præda deliniri popularium animos studebat, a præter aliam a superbiam regno infestos, etiam quod se in fabrorum ministeriis ac servili tamdiu habitos opere ab rege indignabantur. 3 Tentata res est primo, si impetu capi Ardea posset. ubi id parum processit, obsidione munitionibusque cœpti premi hostes. In iis stativis, ut fit longo magis quam acri bello, b satis liberi commeatus erant: primoribus tamen magis, quam militibus. Regii quidem juvenes interdum ocium conviviis comessationibusque inter se terebant. forte potantibus his apud Sextum Tarquinium, ubi & Collatinus cœnabat Tarquinius 4 Egerii filius, incidit de uxoribus mentio: suam quisque 5 laudare miris modis. inde certamine accenso, Collatinus negat *verbis opus esse, paucis id quidem horis posse sciri, quantum cæteris præstet* 6 *Lucretia sua.* 7 *Quin, si vigor juventæ inest, conscendimus equos, invisimusque præsentes nostrarum ingenia? Id cuique* 8 *spectatissimum sit, quod, nec opinato viri adventu, occurrerit oculis.* Incaluerant vino 9 age sane, omnes citatis equis advolant Romam. Quò quum c primis se intendentibus tenebris pervenissent, pergunt

Urb. cond. an. 243.

INTERPRETATIO.

a *Infensos regia dominationi, tum alias ob causas ex superbia* ipsius *ortas, tum etiam quod ægrè ferrent*, &c.

b *Satis facilè concedebatur venia à castris abeundi*, seu facultas eundi ac redeundi.

c *Cum nocturna caligo inciperet densior fieri.*

NOTÆ.

2. *Superbiam.*] Etsi *superbia* nomen propriè pro arrogantia ex divitiis, indeque oriri solita violentia, sumatur: latiori tamen significatione ad omne genus iniquitatis producitur, quo sensu Virgilius 8. Æn.

Quos illi bello profugos egere superbo.

Eò spectat etiam illud nostri cap. 35. de Tarquinio eodem Superbo: *nec ut injustus in pace rex.*

3. *Tentata res est primo, si impetu.*] Ita rectiùs, ni fallor, ex sententia Gron. quàm, ut vulgo legebatur, *Tentata res est, si primo impetu* capi posset; aut ut veteres habuere *Tentata res est primùm si primo impetu capi Ardea posset.* Aliud enim impetu capere, *prendre d'assaut*; aliud primo impetu capere, *prendre de prime abord, insulter.* Hoc sperandum non videbatur de urbe benè munita, qualis Ardea; atque, ut exitus satis docuit, à fortibus viris defensa. Illud, etsi arduum, tentari tamen potuit.

4. *Egerii filius.*] Hunc L. Tarquinium Collatinum, qui post aliquandiu consul cum Bruto fuit, Dionys. lib. 4. temporum habitâ ratione, non Filium, sed Nepotem Egerii Collatiæ præfecti à Tarquinio Prisco, fuisse conjicit, de quo cap. 38.

5. *Laudare miris modis.*] Ejusmodi laudibus Candaules anteà, nunc Collatinus, malum sibi creavit.

6. *Lucretia sua.*] Sp. Lucretii Tricipitini Rom. Patricii & Præfecti urbis filia.

7. *Quin si vigor, &c.*] Verba sunt Collatini hortantis ad visendum uxores.

8. *Spectatissimum sit.*] Spectatum dicimus cujus perspecta virtus est: quo sensu apud Cic. pro Sexto Roscio, *Cæcilia spectatissima fœmina* vocatur.

9. *Age sanè.*] Intellige ita omnes dixisse, ut per eam particulam suum testarentur assensum.

inde Collatiam : ubi Lucretiam, haud quaquam ut regias nurus, quas 10 in convivio luxuque cum æqualibus viderant tempus terentes, ſed nocte ſerâ d deditam lanæ inter lucubrantes ancillas, in medio ædium ſedentem inveniunt. 11 Muliebris certaminis laus penes Lucretiam fuit. adveniens vir Tarquiniique excepti benigne. victor maritus cominiter invitat regios juvenes. Ibi Sextum Tarquinium mala libido Lucretiæ 12 per vim ſtuprandæ capit. tum forma, tum ſpectata caſtitas incitat. Et tum quidem ab nocturno juvenili ludo in caſtra redeunt.

Urb. cond. an. 244.

LVIII. Paucis interjectis diebus, Sextus Tarquinius, inſcio Collatino, cum comite uno Collatiam venit, ubi exceptus benigne 1 ab ignaris conſilii, quum poſt cœnam in hoſpitale cubiculum deductus eſſet : amore ardens, poſtquam ſatis omnia tuta circà, ſopitique omnes videbantur, ſtricto gladio ad dormientem Lucretiam venit, ſiniſtraque manu mulieris pectore oppreſſo, *Tace Lucretia*, inquit, *Sextus Tarquinius ſum, ferrum in manu eſt : moriere, ſi emiſeris vocem*. Quum 2 pavida è ſomno mulier, 3 nullam opem propè, mortem imminentem videret; tum Tarquinius fateri amorem; orare, miſcere precibus minas, verſare in omnes partes muliebrem animum. ubi obſtinatam videbat; & ne mortis quidem metu inclinari, a addit ad metum dedecus. *cum mortua jugulatum ſervum nudum poſituram* ait, *ut* 4 *in ſordido adulterio necata dicatur*. Quo terrore

INTERPRETATIO.

d *Lanificio occupatam in medio ancillarum ad lucernam laborantium.*
a *Metui* mortis *adjicit infamia* metum.

NOTÆ.

10. *In convivio luxuque*.] Licet hæc vulgaris lectio defendi facilè poſſit; non ægrè tamen acceſſerim Gronovii ſententiæ, qui mavult *in convivio, luſuque*.

11. *Muliebris certaminis*.] Non inter mulieres, ſed inter viros de mulieribus. Certabant enim mariti de uxorum ſuarum virtute ac præſtantia.

12. *Per vim ſtuprandæ*.] Stuprum propriè in virgine, aut vidua honeſtè vivente committitur: ſæpe tamen ſumitur pro adulterio, quod locum habet in muliere nupta.

1. *Ab ignaris conſilii*.] A Lucretia ejuſque familia, qui nihil mali de Sexto ſuſpicabantur.

2. *Pavida è ſomno mulier*.] Pavoris cauſa, non ſomnus, ſed verba, factaque Sexti; quæ tantò graviora erant, quanto ſubitâ & inopinata vi à ſomno excitatæ incidebant.

3. *Nullam opem propè*.] Ut *circà* paulo antè, ita vox *propè* adverbium eſt, eamque ſequi debet ſubdiſtinctio, ut hoc membrum à ſequentibus ſejungatur.

4. *In ſordido adulterio necata*.] Terribiles minæ in Sexti præſertim Tarquiniî perſona; qui cum L. Tarquinii Collatini Lucretiæ mariti, aut frater patruelis, aut certè ſobrinus eſſet, non improbabiliter fingere poterat ſe Lucretiam in adulterio ſervili deprehenſam jure occidiſſe, vindicandæ agnati injuriæ : tanto facilius id auſurus, quanto regibus regumque filiis nihil non licere videtur : ſimilique licentia ſæpius abuſi jam Tarquinii erant. Cæterùm legibus Romanis marito dumtaxat, aut patri adulteram ea de cauſa interficere licuit, ſive legem XII. Tabularum de qua A. Gel. lib. 10. cap. 23. ſive leges Julias de Adulteriis ſpectes: neque tamen id generaliter, ſed certis tantùm caſibus, in primis verò ſi in adulterio ſervi deprehenderetur.

quum vicisset obstinatam pudicitiam velut victrix libido, profectusque inde Tarquinius [b] ferox expugnato decore muliebri esset; Lucretia mœsta tanto malo, [5] nuncium Romam eumdem ad patrem, Ardeamque ad virum mittit, *ut* [c] *cum singulis fidelibus amicis veniant: ita facto maturatoque opus esse: rem atrocem incidisse*. Sp. Lucretius cum [6] P. Valerio Volesi filio, Collatinus cum L. Junio Bruto venit; cum quo forte Romam rediens, ab nuncio uxoris erat conventus. Lucretiam sedentem mœstam in cubiculo inveniunt: adventu suorum lacrimæ obortæ. quærentique viro, [7] *Satin' salvæ? minime*, inquit, *quid enim salvi est mulieri amissa pudicitiâ? Vestigia viri alieni, Collatine, in lecto sunt tuo. Cæterùm corpus est tantum violatum, animus insons, mors testis erit. Sed date dextras fidemque, haud impune adultero fore. Sextus est Tarquinius, qui hostis pro hospite, priore nocte vi armatus mihi sibique, si vos viri estis, pestiferum hinc abstulit gaudium*. Dant ordine omnes fidem: consolantur ægram animi, avertendo noxam ab coacta in auctorem delicti. MENTEM PECCARE, *non corpus: &* [8] *unde consilium abfuerit, culpam abesse. Vos*, inquit, *videritis quid illi debeatur: ego me, etsi peccato absolvo, supplicio non libero. nec ulla deinde impudica Lucretiæ exemplo vivet*. [9] Cultrum, quem sub veste abditum habebat, eum in corde defigit: prolapsaque in vulnus, moribunda cecidit. Conclamant vir paterque.

LIX. Brutus, illis luctu occupatis, cultrum ex vulnere Lucretiæ extractum manantem cruore præ se tenens, *Per hunc*, inquit, *castissi-* Urb. cond. an. 244.

INTERPRETATIO.

b *Superbus exorta* Lucretiæ *pudicitiâ, muliebrem ornamento:*
c *Unusquisque cum fido amico.*

NOTÆ.

5. *Nuncium Romam eumdem.*] Dionysius Lucretiam narrat non nuncium misisse, sed ipsam ad patrem venisse Romam, ubi manus sibi intulerit præsente cum aliis Valerio; postmodum casu supervenisse cum Bruto Collatinum, ad quos in castra missus P. Valerius eos in itinere obvios habuerat.

6. *P. Valerio Volesi filio.*] Benè Sigonius ex Capitolinis marmoribus *Volusi filio*. Hic ait ille P. Valerius ab uno Sabinorum, qui cum Tatio Romam migraverant, oriundus, qui post Poplicolæ cognomen tulit.

7. *Satin' salvæ.*] Interrogandi forma quærentium an res domesticæ incolumes sint.

8. *Unde consilium abfuerit, culpam abesse.*] Idcirco vim passa in legem de adulteriis non incidit.

9. *Cultrum, &c. in corde defigit.*] Ita erant Romanorum veterum mores: in re honesta manus sibi ipsi afferre laudi vertebatur. Apud Thebanos damnabatur hæc sui carnificina. Athenienses ejus, qui sibi mortem consciviſſet truncatam manum insepultam relinquebant. Plato & Seneca non licere cuiquam ex corporis, ut ita dicam, statione, injussu Dei summi imperatoris discedere meritò censuerunt. Unde D. Augustinus ex Christiana disciplina sic rectè de Lucretia philosophatur. *Si insons, cur occiditur: si noxia, cur laudatur?*

Urb. cond. an. 244.

num 1 *ante regiam injuriam, sanguinem juro; vosque Dii testes facio, me L. Tarquinium Superbum, cum scelerata conjuge, & omni liberorum stirpe, ferro, igni, quacumque dehinc vi possim,* 2 *exsequuturum; nec illos, nec alium quemquam regnare Romæ passurum.* Cultrum deinde Collatino tradit. Inde Lucretio ac Valerio, 3 stupentibus miraculo rei, unde novum in Bruti pectore ingenium, 4 ut præceptum erat, jurant: totique ab luctu versi in iram; Brutum, jam inde ad expugnandum regnum vocantem, sequuntur ducem. 5 Elatum domo Lucretiæ corpus, in forum deferunt, 6 concientque miraculo, ut fit, rei novæ, atque indignitate homines: pro se quisque scelus regium ac vim queruntur. Movet tum patris mœstitia, tum Brutus, castigator lacrymarum atque inertium querelarum, auctorque quod viros, quod Romanos decoret, arma capiendi b adversus hostilia ausos. Ferocissimus quisque juvenum cum armis voluntarius adest. sequitur & cætera juventus. Inde 6 pari præsidio relicto Collatiæ ad

INTERPRETATIO.

a *Et convocant homines novitate & atrocitate facti, ut fieri solet.*

b Tarquinios, *qui in Romanos digna hostibus exercere non dubitarint.*

NOTÆ.

1. *Ante regiam injuriam.*] Ante stuprum à Sexto regis filio illatum, qui & ipse Gabiorum rex à patre dictus fuerat auctore Dionysio. Sed & generaliter Regum filios Reges, eorumdem filias Reginas vocari receptum est. Ita mox *Regibus nunciaret*: id est Tarquiniis.

2. *Exsequuturum.*] Dicitur nonnunquam *exsequi* eadem significatione, quâ persequi, ulcisci, vindicare: sed adjecto casu accusandi, ad res magis, quam ad personas referri notat Gronovius. Eodem sensu Antoninus Imperator in rescripto, quod refertur in fine tituli Institutionum de his, qui sui vel alieni juris sunt. *Quod si meæ constitutioni fraudem fecerit; scias me hoc admissum severius exsecuturum.* Invenies ergo *exsequi jura violata, exsequi crimen admissum, exsequi injurias*, sed non aliquem exsequi, pro eo quod est punire. Atque hæc causa Rhenano fuit, ut scribendum conjiceret *exacturum*. Quod verbum signatum hoc loco. Nam reges exactos ubique legimus.

3. *Stupentibus miraculo rei.*] Apud Halicarnassæum Brutus eis aperit causam simulatæ à se stultitiæ.

4. *Ut præceptum erat.*] A quo præceptum? A Bruto nempe: non quod eos jurare jussisset (nulla enim hic ejus rei mentio) sed quod ipse primus jurare cœperat. Dicitur enim *præcipio* eodem sensu quo antecapio, prævorto, anteoccupo: nisi malimus præceptum referre ad superiorem Lucretiæ orationem, quâ postulaverat ut darent dextras, fidemque haud impunè adultero fore. Verùm manet adhuc dubia, aut certè suspensa constructio. Quò enim refertur illud *jurant*? Ad Lucretium puto & Valerium. At illi in dandi, non in nominandi casu nominantur. Sic tamen habent omnes libri. Dicendum itaque illa verba *stupentibus Lucretio*, &c. absolutè, & quasi per parenthesin scribi: verbum *jurant* ad superiora referri, *Sp. Lucretius cum P. Valerio, & Collatinus*, ut sit sequela verborum *inveniunt, consolantur*.

5. *Elatum domo.*] Hoc quoque signatum in funeribus verbum. Ad exequias enim, convocato per præconem populo, corpora defunctorum, locupletum quidem in lecto, tenuiorum in feretro, collocata efferebant domo.

6. *Pari præsidio.*] Sunt qui *par* hic accipiant pro idoneo. Mihi *par* referendum videtur ad eos, qui armati comitabantur Brutum Romam proficiscentem,

Digitized by Google

portas, cuſtodibuſque datis, ne quis eum motum regibus nunciaret; cæteri armati duce Bruto Romam profecti. Ubi eo ventum eſt, quacumque incedit armata multitudo, pavorem ac tumultum facit. rurſus ubi anteire primores civitatis vident, quicquid ſit, haud temerè eſſe rentur. Nec minorem motum animorum Romæ tam atrox res facit, quàm Collatiæ fecerat. Ergo ex omnibus locis urbis in forum curritur. Quo ſimul ventum eſt, præco *** ad tribunum Celerum, in quo tum magiſtratu forte Brutus erat, populum advocavit. Ibi oratio habita, nequaquam ejus pectoris ingeniique quod ſimulatum ad eam diem fuerat, de vi ac libidine Sexti Tarquinii, de ſtupro infando Lucretiæ & miſerabili cæde, de orbitate Tricipitini, cui morte filiæ, cauſa mortis indignior ac miſerabilior eſſet. addita ſuperbia ipſius regis, miſeriæque & labores plebis in foſſas cloacaſque exhauriendas demerſæ. Romanos homines, victores omnium circa populorum, opifices ac lapicidas pro bellatoribus factos. Indigna Servii Tullii regis memorata cædes, & invecta corpori patris nefando vehiculo filia: invocatique ultores parentum Dii. His atrocioribuſque, credo, aliis, quæ præſens rerum indignitas haud quaquam relatu ſcriptoribus facilia ſubjicit, memoratis, incenſam multitudinem perpulit, ut imperium regi abrogaret, exuleſque eſſe juberet L. Tarquinium cum conjuge ac liberis. Ipſe junioribus, qui ultro nomina dabant, lectis armatiſque, ad concitandum inde adverſus regem exercitum Ardeam in caſtra eſt profectus; imperium in urbe Lucretio, præfecto urbis jam ante

Urb. cond. an. 244.

NOTÆ.

quorum præſidium æque ex ferociſſimis juvenum, & ex cætera juventute Collatina:

7. *Quam Collatia fecerat.*] Horum nihil Collatiæ, omnia præter vim illatam, Romæ facta memorat Halicarn.

8. *Ad Tribunum Celerum.*] Jam cap. 15. dictum eſt Romulum ad cuſtodiam corporis delegiſſe trecentos juvenes, qui in equis, aut ſi opus eſſet etiam pedites militarent, Celereſque vocabantur. Horum præfectus dicebatur Tribunus Celerum, ſecundum à Regibus obtinens locum. Ejus muneris obtentu Brutus nunc populum convocavit. Dionyſius Præfectum ſacrorum fuiſſe Brutum ſcribit, idque ſimilius vero: quod hæc comitia curiata fuiſſe tradantur, qualia Pontificibus permiſſa. Nam jure Tribuni Celerum quidni, abſente Rege, centuriata potiùs indixiſſet, utpote novandis per patricios rebus magis accommodata.

9. *Demerſæ.*] Ad Cloacas, earumque undas alludit. Demerſa enim plebs dicitur, pro obruta, & oppreſſa; quemadmodum Cicero 2. de Off. *Demerſas leges opibus* dixit, & pro Sylla *patriam demerſam exſtuli*.

10. *Lapicidas.*] Vide cap. 56. initio.

11. *Haud quaquàm relatu.*] Alia lectu digna, præter hæc, refert Dionyſius extremo lib. 4. quæ à Bruto narrata memorat, cruento Lucretiæ cadavere in forum atratâ lecticâ delato, poſitoque ante Curiam in ſublimi & conſpicuo loco.

12. *Exuleſque eſſe juberet.*] Tarquinio abrogatum imperium, exiliumque indictum lege omnium curiarum ſuffragiis ſecundum Senatus Decretum lata.

13. *Præfecto urbis.*] Vox *Præfectus*, & nomen eſt ut hoc loco, & participium, quod dativo gaudet, quemadmodum verbum præficio: unde rectè quoque dicitur *Præfectus* urbi. Porrò hæc urbis

ab rege instituto, relinquit. Inter hunc tumultum Tullia domo profugit: execrantibus quacumque incedebat invocantibusque parentum furias viris mulieribusque.

Urb. cond. an. 244.

LX. Harum rerum [1] nunciis in castra perlatis, quum re nova trepidus rex pergeret Romam ad comprimendos motus, [2] flexit viam Brutus (senserat enim adventum) ne obvius fieret; eodemque fere tempore diversis itineribus Brutus Ardeam, Tarquinius Romam, venerunt. Tarquinio clausæ portæ, exiliumque indictum: liberatorem urbis, læta castra accepere, ΔΔΔ exactique inde liberi regis. Duo patrem secuti sunt, qui exulatum Cære in Etruscos jerunt. Sextus Tarquinius Gabios, tamquam in suum regnum profectus, ab ultoribus veterum simultatum, quas sibi ipse cædibus rapinisque conciverat, est interfectus. L. Tarquinius Superbus regnavit annos [3] quinque & viginti. Regnatum Romæ ab condita urbe ad liberatam annos [4] ducentos quadraginta quatuor. [5] Duo

NOTÆ.

Præfectura antiquissimus fuit apud Romanos magistratus. Etenim Tacitus lib. 6. Annal. Præfectorum urbis originem ad ipsum Romulum refert, aitque usitatum jam tum fuisse atque in rep. quoque servatum, ut profectis domo Regibus, eligeretur ad tempus, qui jus in urbe redderet ac subitis moderaretur. Eorum primum nominat Dentrem Romulium. Augustus posteà ordinarium magistratum consilio Mœcenatis instituit; qui etiam præsente imperatore, cæterisque magistratibus, urbis custodiæ invigilaret, deque gravioribus causis cognosceret.

1. *Nunciis in castra.*] Missi fuerant nuncii confestim à creatis Consulibus, qui ad præfectos castrorum T. Herminium, & M. Horatium scripserant, quid gestum esset in urbe; & literis milites ad defectionem hortati erant. Lectis pro concione literis omnes Centuriæ decreta urbana probarunt.

2. *Flexit viam Brutus.*] Brutus *se detourna du droit chemin*. Hujus in castra profectionis non meminit Dionysius; sed contrà scribit à Præfectis castrorum, repulso Tarquinio, qui ab mœnibus urbis rejectus, in castra redierat; pactas in quindecim annos cum Ardeatibus inducias, exercitumque reductum: quæ Bruti Consulis partes erant si in castris fuisset.

3. *Quinque, & viginti.*] Ita Dionysius & Solinus. At Eusebius & Cassiodorus, qui Servio Tullio decennium adimunt, Superbo Tarquinio annos assignant 35. sed ultimum annum inchoatum duntaxat fuisse existimo: cum 11. Kal. Majas indictum Tarquinio, ejusque familiæ fuerit exilium, cui postea diei adscriptum est Fastis Regifugium.

4. *Ducentos quadraginta quatuor.*] In hoc quoque annorum numero conveniunt Dionys. & Livius. Verùm Solinus, Sextus Rufus, Eutropius, D. Augustinus & Orosius 243. tantum annis Romæ regnatum fuisse volunt. Quæ duæ sententiæ haud ægrè in concordiam adducentur, si secundum hos numeremus annos 243. completos: nostrum autem cum Dionysio sic intelligamus, ut quartus supra ducentos, & quadragenos inceptus fuerit, cum regnari desitum est.

5. *Duo Consules.*] Dicti sunt *Consules* à consuiendo, sive quod plurimum reip. Consulerent, (ut Pomponius Jurisconsultus post Ciceronem ait;) sive, ex Varronis sententia, eo quòd Consulerent populum, cujus injussu nihil agebant, quod majoris esset momenti; ut Sp. Postumius differebat antequam Samnitibus dederetur apud nostrum lib. 9. cap. 8. Initio Prætores quoque dicti sunt, generali magistratuum appellatione, quod præessent, vel prærirent populo, uti manifestum est ex Varrone, Sexto Pompejo, Zonara, Apulejo & Novellis

γγγ consules inde [6] comitiis centuriatis [7] à ΔΔ præfecto urbis [8] ex commentariis Servii Tullii creati sunt, L. Junius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus.

NOTÆ.

Justiniani. Judicum etiam nomine appellatos fuisse Consules conjici potest ex lege, quam refert Cic. 3. de Legib. quæ ipsorum potestatem explicat. *Regio imperio duo sunto: iique prætundo, judicando, & consulendo, Prætores, Judices, Consules appellantor. Militia summum jus habento, nemini parento: Ollis salus populi suprema lex esto.* Græci nonnunquam σύμβουλος, aut συμβούλους, à consilio, ut plurimùm στρατοὺς ab eminentia dignitatis vocant. De causis duplicati sub novo nomine magistratus præter nostrum, Dionysius.

6. *Comitiis Centuriatis.*] Reges, aliosque summos magistratus non nisi calatis comitiis, seu convocato populo, creari fas erat. Comitia autem hoc tempore duorum erant generum: Curiata à Romulo instituta, quibus cives per Curias distincti suffragia ferebant; & Centuriata per Servium Tullium invecta, ubi unusquisque in sua Centuria quid de re quaque sentiret, voce (postea scripto seu per tabellas) testabatur. His post annos fermè 40. accessere Comitia Tributa, in quibus plebeii, per Tribus divisi, sententiam dicebant. Hic consules primi ab universo populo dicti traduntur Comitiis Centuriatis. Legimus tamen L. Junium Brutum de suo & collegæ imperio legem Curiatam exemplo Romuli aliorumque regum tulisse: quod idem est, ac ea de re ad Curiata comitia retulisse. Hinc fortè ad posteros manavit mos ille, cujus Cicero meminit non uno loco, bis de magistratibus decernendi: primùm in comitiis Centuriatis, cum crearentur; iterum in Curiatis, cum potestatem acciperent, suâ cuique mandatâ provinciâ. Cæterùm hæc mutatio contigit ex Dionysio sub initium Olympiadis 68. Isagro seu Isagora principatum annuum Athenis gerente, hoc est circa annum mundi 3493. juxta Armachani & meum calculum; qui fuit annus ante Christum 510. cum regnaret apud Persas Darius Hystaspis filius; eodem fermè tempore, quo pulsus ab Atheniensibus Hippias.

7. *A Præfecto urbis.*] His comitiis Centuriatis præfuit Sp. Lucretius, qui præfectus urbis esse potuit; sed probabilius quod tradit Halicarnasseus ab eo habita comitia, non jure Præfecturæ illius, sed eo quod Interrex dictus esset à Bruto Tribuno Celerum. Mos autem antèa fuerat reges creandi per Interregem.

8. *Ex commentariis Servii.*] Hæc ad ordinem Centuriatorum comitiorum, quorum auctor Servius Tullius. Mirum à Livio prætermissam fuisse historiam Sibyllæ, quæ ad Tarquinium carminum fatidicorum libros novem attulit, quorum sex prius exustis, tres qui supererant eodem pretio empti sunt, quo ab initio omnes indicati fuerant, qua de re Dionysius lib. 4. Hinc Carminum Sibyllinorum apud Romanos origo.

REM tibi PRINCEPS SERENISSIME non ingratam, & ad ea quæ sequentur utilem me facturum putavi, si hoc loco geminum veteris Romæ typum in brevem formam contractum subjicerem: quorum alter urbem exhibebit qualem Romulus moriens reliquit; alter qualem primi Consules acceperunt, aut intra annum constitutæ Reip. viderunt. Hinc apparebit ex quàm tenuibus initiis in quantam magnitudinem intra duo fermè sæcula urbs æterna excreverit.

TITI LIVII PATAVINI HISTORIARUM AB URBE CONDITA

DECADIS PRIMÆ

LIBER SECUNDUS.

EPITOME EJUSDEM LIBRI.

BRUTUS *jurejurando populum adstrinxit, neminem regnare Romæ passurum: Tarquinium Collatinum collegam suum, propter affinitatem Tarquiniorum suspectum, coëgit consulatu se abdicare, & civitate cedere: bona regum diripi jussit: agrum Marti consecravit: qui* Campus Martius *nominatus est. adolescentes nobiles, in quibus suos quoque &* 1 *sororis filios, quia conjuraverant de recipiendis regibus, securi percussit: servo indici, cui Vindicius nomen fuit, libertatem dedit; ex cujus nomine* vindicta *est appellata. Quum adversus reges, qui conjunctis Vejentium, & Tarquiniensium copiis bellum intulerant, exercitum duxisset, in acie cum Arunte filio Superbi commortuus est: eumque matronæ annum luxerunt. P. Valerius consul legem de provocatione ad populum tulit. Capitolium dedicatum est. Porsena Rex Clusinorum, bello pro Tarquiniis suscepto, quum ad Janiculum venisset; ne Tiberim transiret, virtute Coclitis Horatii prohibitus est; qui, dum alii pontem sublicium rescindunt, solus Etruscos sustinuit: & ponte rupto, armatus se in flumen misit, & ad suos tranavit. Alterum accessit virtutis exemplum à Mucio: qui, quum ad feriendum Porsenam castra hostium intrasset, occiso scriba, quem regem esse putabat, comprehensus, impositam altaribus manum, in quibus sacrificatum erat,*

NOTÆ.

1. *Et sororis filios.*] In plerisque Codicibus legitur *fratris filios*. Sed nec M. Junium L. Bruti fratrem, qui à Tarquinio superbo cæsus, liberos post se reliquisse; nec Bruto ullos sororis filios fuisse invenio. Uxoris dumtaxat fratres inter conjuratos occurrunt, de quibus mox cap. 4.

TYPUS URBIS ROMÆ
Constitutæ
qualis sub exitum Romuli
MONS FAGUTALIS qui et VIMINALIS
MONS ESQUILINUS sive ESQUILIÆ
MONS QUERQUETULANUS deinde CÆLIUS
MONS AGONALIS post ea QUIRINALIS
Porta Ianualis
Pomerium
Porta Mugionis
Porta Carmentalis post Scelerata
Porta Romanula
MONS AVENTINUS alias MURCIUS
IANICULUS


Oriens
Delineatio
URBIS ROMÆ
qualis fuit
Seculo Regn. I.
+ Via Gabina, Tiburtina, etc.
× Via Labicana, Prænestina
Via Nomentana
P. Collatina
Po-
mœ
Porta Esquilina
T. Veneris Erycinæ
Via Salaria
Hyperni Tarquinii
Mons
Esqui-
linus
Regia
Cali-
Caeliol.
Mon-
tium
Via Campana
Vallis
Egeriæ
P. Latina
Via Appia
T. Martis extramur.
Collis
Hortulo-
rum
Mons Quirinalis
T. Salutis
T. Pacis
Via Flaminia
Capi-
tol-
nus
Mons
Palatinus
Rostra
Regiæ Tarquinii
Ianus
Camp.
Mar-
tius
Ti.
Ripa
Ponte Sublicio
Mons
Aventinus
Tiberina Via Ostiensis
Janiculus
Porta Ianiculensis
Campus
Vaticanus
Via Aurelia
Occidens
Meridies



exuri paſſus eſt: dixitque tales trecentos eſſe conjuratos in mortem ipſius regis quorum admiratione coactus Porſena pacis conditiones ferre, bellum omiſit, acceptis obſidibus. ex quibus virgo una Cœlia, deceptis cuſtodibus per Tiberim ad ſuos tranavit: & quum reddita eſſet Porſenæ: honorifice remiſſa, equeſtrique ſtatua donata eſt. Ap. Claudius ex Sabinis Romam transfugit. ob hoc Claudia tribus adjecta eſt. Numerus tribuum ampliatus eſt, ut eſſent viginti una. Adverſus Tarquinium Superbum cum Latinorum exercitu bellum inferentem, A. Poſtumius dictator proſpere pugnavit apud lacum Regillum. Plebs, quum propter nexos ob æs alienum, Sacrum in montem ſeceſſiſſet, conſilio Menenii Agrippæ à ſeditione revocata eſt. Idem Agrippa quum deceſſiſſet, propter paupertatem publico impendio elatus eſt. Tribuni plebis quinque creati ſunt. Oppidum Volſcorum Corioli captum eſt virtute & opera C. Marcii, qui ob hoc Coriolanus vocatus eſt. Tib. Atinius, vir de plebe, quum in viſu admonitus eſſet ut de quibuſdam religionibus ad Senatum perferret, & neglexiſſet, amiſſo filio, debilis factus, poſteaquam delatus ad Senatum lectică, eadem illa indicaverat, uſu pedum recepto, domum reverſus eſt. Quum C. Marcius Coriolanus, qui in exilium erat pulſus, dux Volſcorum factus, exercitum hoſtium urbi Romæ admoviſſet, & miſſi ad eum primum legati, poſtea ſacerdotes, fruſtra deprecati eſſent ne bellum patriæ inferret: Veturia mater, & Volumnia uxor impetraverunt ab eo, ut recederet. Lex Agraria primum lata eſt. Sp. Caſſius conſularis, regni crimine damnatus eſt, necatuſque. Oppia virgo Veſtalis ob inceſtum viva defoſſa eſt. Quum vicini hoſtes Vejentes, incommodi magis, quam graves eſſent, familia Fabiorum id bellum gerendum depoposcit, miſitque in id trecentos ſex armatos: qui ad Cremeram ad unum ab hoſtibus cæſi ſunt, uno impubere domi relicto. Appius Claudius conſul quum adverſus Volſcos contumaciâ exercitus male pugnatum eſſet, decimum quemque militum fuſte percuſſit. Res præterea adverſum Volſcos, & Æquos & Vejentes, & ſeditiones inter Patres plebemque continet.

I. LIBERI [1] jam hinc populi Romani res, pace belloque geſtas, annuos magiſtratus, [2] imperiaque legum potentiora quam ho- Urb. cond. an. 244. Coſſ. L. Junio Bruto; L. Tarq. Collatino.

NOTÆ.

1. *Liberi jam hinc.*] Incipit ſecunda ætas populi Romani, & quaſi adoleſcentia, quam ducentis fermè annis Florus definit. Sed addendi ſunt anni quinque & quadraginta ut perveniatur ad annum 489. quo Conſules fuere qui ab ipſo deſignantur Appius Claudius Caudex & Q. vel M. Fulvius Flaccus. Horum annorum duos & quadraginta primos exequitur Livius hoc libro, ad T. Quinctium Barbatum & Q. Servilium Priſcum coſſ.

2. *Imperiaque legum.*] In regno potentior eſt homo legibus, utpote quibus ſolutus princeps, eas & condat, & abroget. In Republica ſecùs. Huc ſpectant quæ mox ſubjiciuntur cap. 3. *Regem hominem eſſe.*

Urb. cond. an. 244. Cos. Bruto, & Collat.

minum [a] peragam. Quæ libertas ut lætior esset, [b] proximi regis superbia fecerat. nam priores ita regnarunt, ut haud immeritò [c] omnes deinceps conditores partium 3 cœptæ urbis, quas novas ipsi sedes ab se auctæ multitudini addiderunt, numerentur: neque ambigitur, quin Brutus idem, qui tantum gloriæ Superbo exacto rege meruit, [d] pessimo publico id facturus fuerit, si libertatis immaturæ cupidine priorum regum alicui regnum extorsisset. Quid enim futurum fuit, si illa pastorum convenarumque plebs transfuga ex suis populis, sub tutela inviolati templi, aut libertatem, aut certe impunitatem adepta, soluta regio metu, agitari cœpta esset [e] tribunitiis procellis? & in 4 aliena urbe cum patribus ferere certamina, priusquam pignora conjugum ac liberorum, charitasque ipsius soli, cui longo tempore assuescitur, animos eorum consociasset? [f] Dissipatæ res, nondum adultæ, discordiâ forent: quas fovit tranquilla moderatio imperii, eoque nutriendo perduxit, ut bonam 5 frugem libertatis maturis jam viribus ferre possent. [g] Libertatis autem originem inde magis, quia annuum imperium consulare factum est, quam quod deminutum quicquam sit [6] ex regia potestate, numeres. Omnia jura, omnia insignia primi consules tenuere;

INTERPRETATIO.

a *Perscribam gesta Romanorum, &c.*

b Tarquinii, *qui ultimus paulò antè regnaverat.*

c *Omnes Reges* (qui post Romulum regnarunt) *censentur suo* quisque *ordine, auctores alicujus ex urbis* ab eo *inchoatæ partibus: quam* nempe *quisque adjecit, ut nova loca plebi tribuerentur, cujus ipsi numerum augebant.*

d *Cum maximo publicæ rei malo* damnoque.

e *Seditionibus Tribunorum plebis.*

f *Futurum erat ut res Romanæ, cum nondum confirmatæ essent, dissolverentur per dissidia.*

g *Initium libertatis ex eo potius* æstimare ac *numerare oportet.*

NOTÆ.

3. *Cœptæ urbis.*] Scribe cum Gronovio ex vett. codd. *partium certè urbis*: ut ostendatur reges plerosque, ut non totius urbis, ita pro sua quemque parte, conditores fuisse. Et sanè quamquàm in his variant scriptores: tamen ex maximè receptâ sententiâ pomœrio inclusis tempore Romuli montibus Palatino ac Tarpejo (qui post Capitolinus) addidere Quirinalem Numa; Tullus Hostilius Cœlium; Janiculum Ancus Marcius, qui & Aventinum (licet extra urbis mœnia) Latinis Politorio translatis habitandum concessit. Tarquinius Priscus muros vilius ædificatos, ingentibus quadratis lapidibus extru ere cœpit. Hoc opus à Servio Tullio perfectum, à quo & Esquiliæ urbi adjunctæ cum colle Viminali.

4. *Aliena urbe.*] Initio aliena fuit ipsis incolis Roma, utpote advenis: donec inter se in novam civitatem, velut in patriam, usu ipso coaluerunt.

5. *Frugem libertatis.*] Metaphora ducta ex agricultura.

6. *Ex Regia potestate.*] Omnia jura insigniaque regia de quibus lib. 1. cap. 8. initio penes Consules fuerunt. Excipit Dionysius lib. 3. Coronam, Sceptrum, Togam pictam: quâ tamen ipsa certis diebus festis, & in triumphali pompa Consules usi.

7 id modo cautum eſt, 8 ne, ſi ambo faſces haberent, duplicatus terror videretur. 9 Brutus prior concedente collega faſces habuit: qui non acrior vindex libertatis fuerat, quam deinde cuſtos fuit. Omnium primum, avidum novæ libertatis populum, ne poſtmodum flecti precibus aut donis regis poſſet, h jurejurando adegit, neminem Romæ paſſuros regnare. Deinde i quo plus virium in ſenatu frequentia etiam ordinis faceret, k cædibus regis deminutum Patrum numerum, primoribus 10 equeſtris gradus lectis, 11 ad trecentorum ſummam explevit. traditumque inde fertur, ut in ſenatum vocarentur,

Urb. cond. an. 244. Coſſ. Bruto, & Collat.

INTERPRETATIO.

h *Compulit ad deterrendum* addito *juramento, fore ut non permitterent quemquam* in poſterum *Romæ regem eſſe.*

i *Ut copia major Senatorum majus robur Senatus efficeret.*

k *Illatis à rege* Tarquinio *cædibus.*

NOTÆ.

7. *Id modo cautum eſt.*] Si legamus ut vulgò, *ne ſi ambo*, &c. poterit hæc eſſe loci hujus ſententia: *hanc ſolùm cautionem adhibitam*, ne appareret terror duplicatus; quod contigiſſet, ſi ambo Conſules habuiſſent faſces cum ſecuribus. Alioqui legendum videri poſſet: *id modò cautum eſt ne ambo faſces haberent, ne ſic duplicatus terror videretur*: ubi *cautum* accipi poterit, vel pro eo quod eſt *conſtitutum*; vel pro eo quod eſt *proviſum*.

8. *Ne ſi ambo faſces haberent.*] Conſulum uni tantum faſces cum ſecuribus à Lictoribus duodecim præferebantur, more regio. Cæterum alter quoque lictores ſuos, faſceſque habebat: ſed abſque ſecuribus, ex quibus maximè terror in vulgus. Cujus inſtituti auctorem Brutum Dionyſius cum Livio; P. Valerium Valerius Maximus facit lib. 4. cap. 1.

9. *Brutus prior.*] Ne videretur apud unum Conſulem imperium eſſe; lictores cum ſecuribus modò huic, modò illi apparebant, alternis menſibus: aliquando tamen alternis diebus faſces inter utrumque ambulaſſe probat Pighius init. lib. 2. Annal. ex fragmento actorum diurnorum populi Romani. Sed à Julio Cæſare in primo Conſulatu veterem morem reſtitutum eſſe colligit ex Svetonio. Apud quem erant ſecures, eum majorem conſulem vocabant: alterum, virgis inſignem dictum volunt. Hunc autem honorem primo menſe Collatinus Bruto conceſſiſſe hic memoratur: poſteà ei qui major natu eſſet lex Valeria; cui plures eſſent liberi lex Julia detulit apud Gellium. Aliàs ei deferebatur, qui conſul priore loco eſſet renuneiatus.

10. *Equeſtris gradus.*] Gradus, ex tranſlatione, pro ordine, loco, dignitate ſumitur. Equeſter autem ordo nativum erat Seminarium Senatus.

11. *Ad trecentorum ſummam.*] Primùm nonniſi centum Senatores lecti à Romulo lib. 1. cap. 8. Alii deinde centum ex novis civibus additi fœdere cum Sabinis inito, ut ex Dionyſio conſtat. Totidem Tarquinius Priſcus adjecit lib. 1. c. 35. & ſic trecenti fuêre. Qui numerus hactenus receptus, cæſis, pulſiſque à Tarquinio ſuperbo primoribus, nec in demortuorum locum ſublectis aliis, ad ſex & triginta ſupra centum redactus erat. Nunc ſuppletus eſt adſcitis ex plebe centum ſexaginta & quatuor, auctore Plutarcho in Valerio Poplicola, cui hæc novorum Senatorum creatio ab illo adſcribitur. Noſter aliique Bruto attribuunt; Dionyſius utrique poſt exilium Collatini, quod mihi paulò veroſimilius. Et Brutus ejus conſilii auctor eſſe potuit, quod vel eo ſuperſtite Valerius Poplicola ſuo menſe, vel poſt illius interitum executus ſit.

Urb. cond. an. 244. Coſſ. Bruto, & Collat. qui patres, quique conſcripti eſſent . 12 conſcriptos videlicet 13 in novum ſenatum appellabant 14 lectos . Id mirum quantum profuit ad concordiam civitatis, jungendoſque Patribus plebis animos.

NOTÆ.

12. *Conſcriptos* .] Patrum Conſcriptorum originem ad Brutum refert cum Livio Tacitus XI. Annal. At Dionyſius lib. 2. jam à primâ Romuli inſtitutione Conſcriptorum nomen Senatoribus datum ſcribit, quod lecti, atque albo inſcripti eſſent. Verùm hìc à noſtro allata vetus illa convocandi Senatus formula, *qui Patres, quique Conſcripti eſſent*, probat initio Conſcriptos à Patribus diſtinctos, diverſoſque fuiſſe . Unde non omninò diſplicet Onuphrii conjectura mediam viam amplectentis, nempe poſt *Patrum* nomen à Romulo primis Senatoribus inditum , eos qui ex Sabinis poſteà ab eodem ſimul & Tatio in ordinem allecti fuerint , Conſcriptorum titulum tuliſſe , quaſi prioribus adſcriptorum . Progreſſu temporis invaluit , ut omnes indiſtinctè dicerentur *Patres Conſcripti* .

13. *In novum Senatum* .] Ita corrigit Sigonius adjectâ præpoſitione: vetus lectio *novum Senatum*, hunc ſenſum ferre poteſt, ut per *novum Senatum* intelligamus novos Senatores , qui , non in novum Senatum lecti erant; ſed in Senatum qui jam erat , recèns Conſcripti , & prioribus additi , ipſi novi . Poteſt tamen *novus Senatus* dici ex utriuſque conflatus .

14. *Lectos* .] Majoragius in Libello de Senatu Romano cap. 2. apud Godelevæum quatuor ſtatuit Senatorum genera ; Patricios , Conſcriptos , Allectos, & Pedarios. *Patricios* dictos vult omnes, ex Senatoribus Patricii generis , ſive majorum , ſive minorum gentium poſt L. Bruti inſtitutionem ortos. *Conſcriptos* appellatos eos, qui à tempore Bruti , decreto Conſulum, Cenſorumve in Senatum eſſent adſcripti. *Allectos*, qui propter penuriam Senatorum aſciti eſſent . *Pedarios*, qui jus dicendæ ſententiæ non haberent , ſed in aliorum ſententiam pedibus irent . Verùm quid inter Conſcriptos & Allectos diſcriminis ſit , non ſatis explicat . *Conſcriptos* fortè intelligit eos tantum , qui cum magiſtratus geſſiſſent , in Senatum cooptabantur . *Aſcitos* verò eos, qui nondum geſto magiſtratu legebantur. Jam non quicumque in alienam ſententiam pedibus tranſibant, idcirco Pedarii vocabantur, ut oſtendit A. Gellius lib. 3. cap. 18. quandoquidem univerſi Senatores pedibus ſententiam ferebant, quoties Senatusconſultum per diſceſſionem fieret. Itaque Pedarii Senatores, vel ii appellati ſunt , qui cum nondum curulem magiſtratum cœpiſſent, non curru ut cæteri, ſed pedibus in Senatum ibant; vel ii qui ex equitum numero jam quidem honoribus functi in Senatum veniendi jus habebant, ſed cum nondum à Cenſoribus lecti eſſent, ſententiam nominatim non rogabantur ; ſed quas principes dixerant , in eas deſcendebant . Notandus his illuſtrandis Taciti locus XI. Annal. *Iiſdem diebus in numerum Patriciorum aſcivit Cæſar* (Claudius) *vetuſtiſſimum quemque ex Senatu , aut quibus clari parentes fuerant : paucis jam reliquis familiarum , quas Romulus majorum , & L. Brutus minorum gentium appellaverant : exhauſtis etiam quas Dictator Cæſar lege Caſſia , & Princeps Auguſtus lege Sania ſublegêre* . Ubi Vives, Canterus, & Lipſius ſcribendum putant , *familiarum quas Romulus majorum gentium, L. Tarquinius minorum , Brutus Conſcriptorum appellaverant :* quâ ratione antiquiſſima tria Senatus augendi , ſupplendique tempora notantur. Sed Tacitus prætermiſſo fortè Conſcriptorum diſcrimine, tanquam omnibus ad primos adjectis communi; majorum tantùm gentium Patricios, ab iis qui minorum gentium eſſent, diſtinguere voluit : prioribus omnes ſub regibus allectos annumerans , poſterioribus eos qui ſub exordia reip. aſciti eſſent.

" II. Rerum deinde divinarum habita cura. & quia quædam publicâ sacra per ipsos reges factitata erant, [1] necubi regum desiderium esset, [2] regem sacrificulum creant. Id sacerdotium Pontifici subjecere, ne [3] additus nomini honos aliquid libertati, cujus tunc prima erat cura, officeret. ac [4] nescio an nimis undique eam minimis quoque rebus muniendo, modum excesserint. [a] Consulis enim alterius, quum nihil aliud offenderit, nomen invisum civitati fuit. *Nimium Tarquinios regno assuesse. initium à Prisco factum. Regnasse deinde Servium Tullium.* [b] *ne intervallo quidem facto oblitum tanquam alieni regni Superbum Tarquinium, velut hæreditatem gentis, scelere ac vi repetisse. Pulso Superbo, penes Collatinum imperium esse. Nescire Tarquinios privatos vivere. non placere nomen. Periculosum libertati esse.* Hic primo sensim tentantium animos [c] sermo per totam civitatem est datus, solicitamque suspicione plebem Brutus ad concionem

Urb. cond. an. 244. Coss. Bruto & Collat.

INTERPRETATIO.

a *Solum* Tarquinii *nomen in altero consule odiosum civibus fuit, etsi in nulla re alia offensionis occasionem præberet.*

b *Tarquinium superbum, ne interjecto* quidem *spatio* (quo Servius Tullius regnaverit) *memoriam deposuisse regni velut ad se non pertinentis;* sed *tanquam familia propriam hæreditatem per vim & parricidium repposcisse.*

c *Hujusmodi sermones, primùm à paucis, experiri volentibus hominum mentes, jactati in vulgus, paulatim disseminati sunt.*

NOTÆ.

1. *Necubi Regum.*] Quamvis *ubi ubi* in affirmandi saltem significatione Livio quoque cognitum sit, pro *quocumque in loco*, ut Gronov. probat: cum tamen negativè receptum sit *necubi*, pro *ne ullo in loco*, omnesque ferè antiqui codices ita legant, nihil opus hic quicquam mutari.

2. *Regem sacrificulum.*] Dicebatur & Rex sacrorum. Causam cur regium nomen in sactis retinuerint libertatis auctores, veriorem afferre noster videtur, quàm, Dionysius, qui lib. 5. ait hoc ideò factum, quod magna in remp. beneficia Reges contulissent. Addit idem primum hoc Sacerdotio à Pontificibus, & Auguribus decoratum fuisse Manium Papirium patricium: atque huic dignitati attributam esse immunitatem à militia, cæterisque muneribus. Sed quisquis in eo Sacerdotio esset, ei neque magistratum gerere, neque orationem ad populum habere licuit, ut apud Gell. lib. 15. cap. 22. traditur. Quin & ubi ante comitium rem divinam fecerat, statim fugâ è foro se proripere erat solitus, auctore Plutarcho in Romanis quæstionibus; ut constaret nempe eum nonnisi in gratiam & cultum Deorum regnum habere, & sic ei à civilibus negotiis omninò abstinendum.

3. *Additus nomini honos.*] Magnum erat Regis titulum Sacerdotio huic tribui. Quid si regio nomini accessisset honos primi loci inter sacros Magistratus? Facilè contingere potuisset, ut cum titulo & gradu rem quoque, id est summam potestatem, affectarent, religionis præsertim obtentu; cujus quanta sit vis apud multitudinem nemo nescit. Ad imminuendam igitur ambitionem, subjiciendus fuit hic Sacerdos Pontifici maximo. Quidni eodem pertinere potuerit ipsa ejus appellatio? Ut quasi ad regii nominis extenuandam amplitudinem, non regem sacrificum, sed diminutivâ formâ (cujus frequens per contemptum usus) *Regem sacrificulum* dici placuerit.

4. *Nescio an.*] Dubitandi hæc formula plerumque affirmationem sapit.

Urb. cond. an. 244. Coss. Bruto, & Collat.

vocat: ibi omnium primum jusjurandum populi recitat, *Neminem regnare passuros, 5 nec esse Romæ unde periculum libertati foret. Id summa ope tuendum esse: neque ullam rem quæ eò pertineat, contemnendam. Invitum se dicere 6 hominis causâ: nec dicturum fuisse, ni charitas reipubl. vinceret. Non credere populum Romanum, solidam libertatem recuperatam esse. Regium genus, regium nomen, non solum in civitate, sed etiam d in imperio esse. Id officere, 7 id obstare libertati. Hunc tu*, inquit, *tuâ voluntate, L. Tarquini, remove metum. Meminimus, fatemur, ejecisti reges. Absolve beneficium tuum. Aufer hinc regium nomen. Res tuas tibi non solum reddent cives tui, auctore me: sed si quid deest 8 munifice augebunt. Amicus abi, e exonera civitatem vano forsitan metu. Ita persuasum est animis, cum gente Tarquinia regnum hinc abiturum*, Consuli primò tam novæ rei ac subitæ admiratio incluserat vocem. Dicere deinde incipientem primores civitatis circumsistunt, eadem multis precibus orant. Et cæteri quidem movebant minùs: postquam Sp. Lucretius 9 major ætate ac dignitate, socer præterea ipsius, agere varie, rogando alternis suaden-

INTERPRETATIO.

d *Supremum magistratum gerere.*

e *Liberæ Cives terrore*, licet *fortè inani. Sic in animum induxerunt* Romani, non aliter *regiam potestatem Romæ desinere posse*, quam *si* universa *Tarquiniorum familia urbe excesserit.*

NOTÆ.

5. *Nec esse Romæ unde periculum.*] Hoc caput Jurisjurandi formula expressum non reperio, sive apud nostrum cap. superiori, sive apud Halicarn. initio lib. 5. Sed, ex mente jurantium satis comprehensum videri potest: & hic extremo lib. 4. Curiatis comitiis decretum fuisse narrat, ut capitale esset si quis pro Tarquiniorum reditu quid diceret, aut faceret.

6. *Hominis causâ.*] Nempè Tarquinii Collatini, qui in ulciscenda uxoris Lucretiæ, suaque injuria, tuendaque adversus ejus auctores Tarquinios cæteros, libertate impigrum se ac strenuum hactenus præstiterat.

7. *Id obstare libertati.*] Hic metus ex solo nomine, causa fuisset levior indicendi Collatino exilii, nisi accessisset haud paulò gravior, nimirùm propensioris in regias partes animi suspicio. Hæc autem tum ex Collatini leniori de reddendis Tarquiniorum bonis sententia oriebatur non immeritò; tum vel maximè posteà inde confirmata est, quod Aquilios conjurationis convictos supplicio eximere conatus fuerit. Quod à Dionysio, Plutarcho, Zonara memoratum, mireris prætermissum esse à Livio; qui temporis ordine inverso, priùs abdicationem Collatini, quàm sumptum de sontibus supplicium narrat.

8. *Munificè augebunt.*] Et verò auxit Brutus, talenta viginti ex ærario, quinque de suo largitus, idest in totum quatuor & quinquaginta circiter librarum Francicarum millia. Observatum tamen est Consules, à quibus abdicati Collegæ, annum integrum non fuisse superstites.

9. *Major ætate ac dignitate.*] Quomodò Lucretius dignitate major Collatino consule, si consules regum loco? Sub Tarquinio quidem, præfecti titulo eminebat Lucretius: nunc honoris gradu inspecto, inferior erat. Verùm hic *dignitatis* nomine, non honor intelligitur, sed auctoritas, quæ ætatem clarorum virorum consequi solet.

doque cœpit, ut vinci se consensu civitatis pateretur; timens consul, ne postmodum privato sibi eadem illa cum bonorum amissione, additaque alia insuper ignominia, acciderent, abdicavit se consulatu: rebusque suis omnibus 10 Lavinium translatis, civitate cessit. Brutus ex Senatus consulto f ad populum tulit, *ut omnes Tarquiniæ gentis exules essent*: collegam sibi comitiis centuriatis creavit 11 P. Valerium, quo adjutore reges ejecerat.

III. Quum haud cuiquam in dubio esset, bellum ab Tarquiniis imminere, id quidem spe omnium serius fuit. cæterum id quod non timebant, per dolum ac proditionem propè libertas amissa est. Erant in Romana juventute adolescentes aliquot, nec ii tenui loco orti, a quorum in regno libido solutior fuerat, æquales sodalesque adolescentium Tarquiniorum; assueti more regio vivere. b Eam tum, æquato jure omnium, licentiam quærentes, libertatem aliorum in suam vertisse servitutem inter se conquerebantur. 1 *Regem hominem esse à quo impetres ubi jus, ubi injuria opus sit; esse gratiæ locum, esse beneficio; & irasci & ignoscere posse, inter amicum atque inimicum discrimen nosse.* 2 LEGES, REM SURDAM, *inexorabilem esse. salubriorem melioremque inopi quam potenti:* c 3 *nihil laxamenti, nec veniæ habere, si modum excesseris. periculosum esse in tot humanis erroribus sola innocentiâ vivere.* Ita, jam sua sponte 4 ægris animis, legati ab regibus superveniunt, d

Urb. cond. an. 244. Coss. L. Junio Bruto, & P. Valerio.

INTERPRETATIO.

f Habitis *populi comitiis* legem *rogavit*, promulgavitque.

a *Qui effrenatas cupiditates suas sub rege licentiùs exercebant.*

b *Eandem immoderatam libertatem nunc requirentes, postquam omnium par jus in rep. erat.*

c *Si quis extra præscriptum efferatur, nullam esse* per leges *pœnæ remissionem, nullum impunitati & gratiæ locum.* Et tamen *inter tot errata, quibus obnoxii homines sunt, valdè arduum esse innocentiâ tantum tutam vitam agere.*

d *Nullo de reversione* Tarquiniorum *sermone* injecto.

NOTÆ.

10. *Lavinium translatis.*] De Lavinio lib. 1. cap. 3. Ibi consenuit Collatinus.

11. *P. Valerium.*] Hic alter Bruti Collegæ fuit, de quo superioris libri c. 58. Eum in pellendo Tarquinio acerrimum Brutus adjutorem habuerat, optaveratque Collegam: ipse ægrè admodum ferebat antepositum sibi Collatinum, ex Dionys.

1. *Regem hominem esse.*] Quod Tamquil Fabor addit *unum hominum*, ut opponatur legibus, quæ plures sunt, minùs dignum videtur auctoris gravitate: neque in numero, sed in re hic oppositio quærenda.

2. *Leges, rem surdam.*] Affectibus enim leges carent, quibus obnoxii homines. Non desunt tamen rationes, quæ ab homine, quam à lege populum regi præstabilius esse suadent. Vide Aristot. in Polit. aliosque civilis doctrinæ auctores.

3. *Nihil laxamenti.*] Si legem velut plumbeam regulam inflectas ad veniam, aut quid ex ejus severitate remittas in gratiam amici, jam non lex erit, sed privilegium.

4. *Ægris animis.*] Ut corpori, sic animo sua ægritudo, sui sunt morbi, vitia nimirum. Imò si Tullium sequimur, propriè ut ægrotatio in corpore, sic ægritudo in animo. Hinc apud Satyricum Crispinus dicitur:

——*monstrum nullâ virtute redemptum*
A vitiis, ager, solaque libidine fortis.

ſine mentione reditus, 5 bona tantum repetentes. eorum verba poſtquàm in ſenatu audita ſunt, per aliquot dies ea conſultatio tenuit: e ne non reddita belli cauſa, reddita belli materia & adjumentum eſſent. Interim legati 6 alii alia moliri; aperte bona repetentes, clam recuperandi regni conſilia ſtruere: &, tamquam 7 ad id quod agi videbatur, f ambientes nobilium adoleſcentium animos pertentant. à quibus placidè oratio accepta eſt, his literas ab Tarquiniis reddunt: & de accipiendis clam nocte in urbem regibus colloquuntur.

Urb. condan. 244. Coſſ. Bruto, & Valer.

IV. Vitelliis Aquiliiſque fratribus primo commiſſa res eſt. 1 Vitelliorum ſoror conſuli nupta Bruto erat; jamque a ex eo matrimonio adoleſcentes erant liberi, Titus Tiberiuſque: eos quoque in ſocietatem conſilii avunculi aſſumunt. præterea & nobiles aliquot adoleſcentes conſcii aſſumpti, b quorum vetuſtate memoria abiit. Interim quum in ſenatu viciſſet ſententia, quæ cenſebat reddenda bona; eamque ipſam cauſam moræ in urbe haberent legati, quod ſpatium ad vehicula comparanda à

INTERPRETATIO.

e *Ne ſi non reſtituerentur, occaſionem præberent* indicendi *belli*: contra *ſi reſtituta eſſent, facultatem & ſubſidium ad bellum gerendum ſuppeditarent.*

f *Circumeundo, explorant mentes adoleſcentium ſummo genere natorum.*

a *Nati ex iis nuptiis erant filii duo puberes.*

b *Quorum memoriam antiquitas obliteravit.*

NOTÆ.

5. *Bona tantùm repetentes.*] Refert Dionyſius miſſos legatos a Tarquinienſibus aliiſque Etruſcis, quorum opem Superbus, Gabiis relictis, imploraverat, poſtulaſſe, ut ei coram Senatu & populo cauſam dicere liceret, ac Romanorum arbitrio, vel certis conditionibus regnum reſumere, vel certè privatam cum cæteris civibus vitam communi jure agenti, domeſticis facultatibus frui. Quâ poſtulatione, (objecto jurejurando, quod Interpoſitum fuerat) per Brutum rejectâ: bona ſua regi reſtitui petierint. Id verò à Bruto etiam negatum, à Collatino admiſſum. Senatus conſilii dubius, cum illum utiliora, hunc juſtiora ſuadere cenſeret; poſt plurium dierum deliberationem, judicio populi rem commiſit, in cujus comitiis, qui retinenda Tarquiniorum bona judicabant, ab iis qui reddi volebant, uno dumtaxat calculo victi ſunt.

6. *Alii alia moliri.*] Num melius *cum aliis alia moliri?* Non enim videntur diverſi fuiſſe legati, quorum alii palàm res Tarquiniorum repeterent, alii reditum Tarquiniorum clam urgerent; ſed iidem, ni fallor, varie agebant cum Conſulibus & Senatoribus de bonis; cum corrupta juventute de regibus reducendis: vel cum actione de bonis conſilia de reditu miſcebant.

7. *Ad id quod agi videbatur.*] Ad vendenda ſcilicet immobilia, & aſportanda mobilia: ſed numquid rectiùs demptâ præpoſitione, *tamquàm id quod agi videbatur ambientes*. Ita cenſet Glaream.

1. *Vitelliorum ſoror.*] Marcum Manlumque Gellios pro Vitelliis nominat Dionyſ. lib. 5. quorum ſoror in matrimonio Bruti conſulis eſſet; aitque jam maturos tractandæ reip. cum Titus, Tiberiuſque Junii ex illorum ſorore nati, vix puberes; horumque æquales eſſent Lucius, & Marcus Aquilii geniti ex ſorore Collatini. At Plut. in Poplicola Vitellios refert duos, jam Senatores, Collatini quoque ſorore natos, Brutique uxoris fratres, quæ plures jam ex eo liberos Tito & Tiberio juniores ſuſcepiſſet; Aquilios verò tres jam & ipſos Senatores.

conſulibus

conſulibus ſumpſiſſent, quibus regum aſportarent res; omne id tempus cum conjuratis conſultando abſumunt: evincuntque inſtando, ut literæ ſibi ad Tarquinios darentur: nam aliter quî credituros eos, non vana ab legatis ſuper rebus tantis afferri? Datæ literæ, ut pignus fidei eſſent, manifeſtum facinus fecerunt. nam quum, pridie quam legati ad Tarquinios proficiſcerentur, & cœnatum fortè [2] apud Vitellios eſſet, conjuratique ibi, remotis arbitris, multa inter ſe, de novo, ut fit, conſilio egiſſent; ſermonem eorum ex ſervis unus excepit, qui [3] jam antea id ſenſerat agi: ſed eam occaſionem, ut literæ legatis darentur, quæ deprehenſæ rem coarguere poſſent, expectabat. poſtquam datas ſenſit, [4] rem ad conſules detulit. Conſules ad deprehendendos legatos conjuratoſque profecti domo, ſine tumultu rem omnem oppreſsêre: literarum in primis habita cura, ne intercîderent. proditoribus extemplo in vincula conjectis, de legatis paululum addubitatum eſt: & quamquam viſi ſunt commiſiſſe, ut hoſtium loco eſſent, [5] jus tamen gentium valuit.

V. De bonis regiis, quæ [1] reddi antè cenſuerant, [a] res integra re- Urb. cond. an. 244. Coſſ. Bruto & P. Valer.

INTERPRETATIO.

[a] *Iterum in Senatu ventilatur ea res, quaſi de ea nunquam actum eſſet.*

NOTÆ.

2. *Apud Vitellios.*] Dionyſius & Plutarchus apud Aquilios: quorum ille patrem jam è vivis exceſſiſſe notat: hic horrendum adjicit epoto immolati hominis ſanguine jusjurandum.

3. *Jam anteà id agi ſenſerat.*] Plutarchus nihil tale cogitantem; Dionyſius ex ſervis poſt cœnam amandatis aliquid ſuſpicatum, tradit ad januam reſtitiſſe: unde tum colloquia exceperit auribus, tum admoto ad valvæ commiſſuram oculo ſcribi literas viderit.

4. *Rem ad Conſules detulit.*] Non auſus rectà ire ad Conſules, cum reis proxima neceſſitudine conjunctos, P. Valerium adiit, quem libertatis ſtudioſiſſimum noverat. Hic, incluſo indice, ſtatim cum magna clientum & amicorum manu profectus in Aquiliorum ædes, literis potitus, juvenes comprehenſos ad Conſules in forum trarit, cum legatis ab Tarquinii domo deductis.

5. *Jus tamen gentium valuit.*] Legati fide publicâ venientes, quaſi ex communi gentium pacto, ſacro-ſancti atque inviolabiles habentur: adeò ut etiamſi quid deliquerint, id impunè ferant. Quonam ut habet Cic. Philipp. 7. *Senatus* (aut Principis) *faciem ſecum ferunt, & auctoritatem Reip.* hinc injuria illis facta in eos recidit à quibus ll miſſi: ideoque ejus ultio, juſta belli cauſa viſa eſt Davidi adverſus regem Ammonitarum, Romanis adverſus Tarentinos, aliiſque innumeris. Et ſanè plerique, verbis Legati, revera ſpeculatores agunt, ut ajebat Poſtumius Dictator ad Legatos Volſcorum apud Dionyſium lib. 6. cap. 13. Bomilcar tamen Jugurthæ Legatus, cæſo Romæ Maſſivâ, reus factus narratur à Salluſt. Bel. Jugurth. cap. 13. & varia ſunt in utramque partem exempla.

1. *Reddi antè cenſuerant.*] Rectè Gronovius ſcriptos hic ſequitur. Eſt enim elegantius, quàm quod typis exarati exhibent *Reddenda cenſuerant*. Eadem ratione Columella lib. 8. cap. 17. *Hos autem meatus fieri cenſemus per imam conſepti partem*, pro *faciendos cenſemus*. Et Cic. 4. ad Att. ep. 16. *Cato tamen affirmat ſe vivo illum non triumphare.* id eſt *non triumphaturum*. Sic Juriſconſulti ſatisdationem dicunt *judicatum ſolvi*, & *rem ratam haberi*, pro *fore ut ſolvatur quod judicatum fuerit*, ut *rata habeatur res* à domino, cujus nomine agit procurator.

Urb. cond. an. 244. Coss. Bruto & P. Valer.

fertur ad Patres. illi victi irâ vetuêre reddi, vetuêre in publicum redigi. Diripienda plebi sunt data; [b] ut contacta regiâ prædâ spem in perpetuum cum his pacis amitteret. Ager Tarquiniorum, qui inter urbem ac Tiberim fuit, consecratus Marti, [2] Martius deinde campus fuit. Fortè ibi tum seges farris dicitur fuisse [3] matura messi. quem campi fructum, quia [4] religiosum erat consumere, defectam cum stramento segetem magna vis hominum simul immissa corbibus fudêre in Tiberim, tenui fluentem aqua, ut mediis caloribus solet. ità in vadis hæsitantes frumenti acervos sedisse illitos limo. [5] Insulam inde paulatim, & assis, quæ fert temere flumen, eodem invectis, factam. postea credo additas moles, [6] manuque adjutum, ut tam

INTERPRETATIO.

[b] Ut plebs quasi *contaminata spoliis regum, in perpetuum excideret* omni *spe pacis cum illis habendæ*.

NOTÆ.

2. *Martius deinde Campus fuit.*] Campus Martius sive Tiberinus, locus amœnissimus, ubi posteà pratum equis & juventuti in armis exercendæ accommodatissimum, (de quo videndus in primis Strabo) ad Portam Flumentanam, & viam Flaminiam fuit. Non hoc primùm tempore Marti dicatus, aut Martii nomen sortitus. Constat enim in Campo Martio primùm tempore Servii lustrum fuisse conditum, habitaque centuriata Comitia: unde probabile admodum fit ab ipso Romulo Marti sacratum. Dionysius scribit agrum, quem Tarquinii privatim possederant, inopibus ex plebe divisum, excepto Campo Martio, quem Tarquinius, ejusve magnam partem, contemptâ religione, segetibus suis oppleverat. Omittendum porro non est, quod ab A. Gellio lib. 6. cap. 7. traditur Campum Martium à C. Tarratia Virgine Vestali populo Romano donatum, eique idcirco ingentes honores delatos. Verùm id de agri parte Tarquinii Campo vicina, accipiendum: qualem populo Vestalis dono dedit, Tarquinia dicta apud Plut. in Poplicola, non Tarratia. Campus Martius diu extra urbem, tandem temporibus Augusti pomœrio inclusus fuit. Nomen hodieque retinet in urbis regione, quæ vulgò, *Campo Marzo*.

3. *Matura messi.*] In agro Romano circà Idus Junias maturæ messes in horrea condi solent. Fit sanè sub exitum Maji, IX. scilicet Kal. Jun. *Regifugium* in Kalendario notatum reperimus: quod non à die indicti Regii exilii circa Pallia, sed à die detectæ & vindicatæ conjurationis & bonorum direptorum numeratum esse hinc conjici potest: præsertim cum plurimi civium, qui cum rege profugerant, impunitate à Consulibus propositâ, reditum in patriam exilio antepoſuerint. Nam alterum Regifugium, quod in Kalendario notatur VI. Kal. Mart. desinente Februario, referendum puto ad insequentem annum, cum victis præsidio Tarquiniis, ut Plut. observat, Romani sese verè liberos, *regem* omnino *fugatum* putarunt.

4. *Religiosum erat consumere.*] Non tantùm quia Campus Marti Sacer: sed quia Tarquinius eum in privatos usus excolendo, religionem violaverat.

5. *Insulam inde paulatim.*] Hujus insulæ maxima latitudo teli jactum non excedit: longitudo stadiorum est duorum, aut circiter. In ea, præter Æsculapii templum, fuêre Templa alia, Jovis putà & Fauni. Hodiè Sancti Bartholomæi fano celebris est.

6. *Manuque adjutum.*] Nihil est quod obsequamur Gronovio jubenti corrigi *adjuta n*; quasi ad Insulam, aut ad aream necessariò referendum sit. *Adjutum* interpretor, eam rem quam casus inchoaverat, hominum arte promotam, & sic perfectum opus.

Digitized by Google

7 eminens area, firma templis quoque ac porticibus ſuſtinendis eſſet. Direptis bonis regum, damnati proditores, 8 ſumptumque ſupplicium: conſpectius eo, quod pœnæ capiendæ miniſterium patri de liberis conſulatus impoſuit: & qui ſpectator erat amovendus, eum ipſum fortuna exactorem ſupplicii dedit. 9 Stabant deligati ad palum nobiliſſimi juvenes. ſed à cæteris, velut ab ignotis capitibus, conſulis liberi omnium in ſe averterant oculos: « miſerebatque non pœnæ magis homines quam ſceleris, quo pœnam meriti eſſent; illos eo potiſſimum anno, patriam liberatam, 10 patrem liberatorem, conſulatum ortum ex domo Junia, Patres, plebem, quicquid Deorum hominumque Romanorum eſſet, induxiſſe in animum, ut Superbo quondam regi, tum infeſto exuli proderent. Conſules in ſedem proceſſere ſuam, miſſique lictores ad ſumendum ſupplicium, nudatos virgis cædunt, ſecurique feriunt: quum inter omne tempus pater, vultuſque & os ejus c ſpectaculo eſſet; 11 β eminente animo patrio inter publicæ pœnæ miniſterium. Secundum pœnam nocentium, ut 12 in utramque partem arcendis ſceleribus exemplum nobile eſſet, præmium 13 indici, pecunia ex ærario, libertas & civitas data. Ille primum dicitur vindictâ liberatus. quidam *vindictæ* quoque nomen tractum ab illo putant; 14 Vindicio ipſi nomen

Urb. cond. an. 244. Coſſ. Bruto, & P. Valer.

INTERPRETATIO.

c *Spectaretur* omnium in ſe converſis oculis.

NOTÆ.

7. *Eminens area.*] Eminebat verò ſupra inſulam Tiberinam Area velut in navigii formam.

8. *Sumptumque ſupplicium.*] Reluctante quamtumvis Collatino; cujus abdicatio huc referenda.

9. *Stabant deligati ad palum.*] Vides graphicè depictum ſupplicii de ſontibus apud Romanos ſumendi morem. Brutus in filios nihil ad objecta crimina reſpondentes, quaſi jure paterno animadvertit: reliquorum judicium Civibus permiſit.

10. *Patrem liberatorem.*] Nam Conſules per inſidias opprimere ſtatuerant Conjurati. Dionyſ.

11. *Eminente animo patrio.*] An paternum affectum, quamtumvis diſſimulatum, erupiſſe vult in Bruti facie? an ſtudium in patriam, omnes affectus in tam duro miniſterio ſuperaſſe? hoc ſuadet illud Virgilii:

Vincet amor patriæ. ——

12. *In utramque partem.*] Tam præmii, quàm pœnæ.

13. *Indici, pecunia.*] Quanta pecunia in præmium indicii nunc data fuerit, non indicatur, ſed lib. 22. cap. 33., lib. item 26. cap. 27. æris gravis viginti millia ſervis data. 1. circiter 13333. lib. At lib. 29. centum millia ea de cauſa liberis hominibus; ſervis cum libertate viginti quinque millia legibus perſolutæ 1. 16666 lib. & ſi quid excurrit.

14. *Vindicio ipſi.*] Cæninenſem patriâ, captumque bello, pincernam in convivio apud Aquilios egiſſe Dionyſius ſcribit, qui *Vindicem* appellat. Cum tribus modis ſervi libertatem ac Civitatem Romanam conſequerentur, Vindictâ, Cenſu, Teſtamento: Vindictam ab hoc ſervo, quaſi primùm hac ratione manumiſſo, quidam deducunt. Alii fortè probabiliùs à Virgâ, quâ lictor juſſu magiſtratus caput manumittendi tangebat, ut vindicaretur in libertatem, quinque idcirco dicebatur Vindicta, auctore Boëtio in Topica Cicer. *Feſtucam* vocat Plautus in milite glorioſo.

fuisse. Post illum observatum, ut qui ita liberati essent, in civitatem accepti viderentur.

Urb. cond. an. 244. Coss. Bruto, & P. Valer.

VI. His, sicut acta erant, nunciatis, incensus Tarquinius non dolore solùm tantæ ad irritum cadentis spei, sed etiam odio iraque, postquam [a] dolo viam obseptam vidit, bellum apertè moliendum ratus, circumire § supplex Etruriæ urbes; orare maxime Vejentes Tarquiniensesque, [1] *Ne se ortum, ejusdem sanguinis, exorrem, egentem,* [b] *ex tanto modò regno cum liberis adolescentibus ante oculos suos perire sinerent.* [c] *Alios peregrè in regnum Romam accitos: se regem* [d] *augentem bello Rom. imperium,* [2] *à proximis scelerata conjuratione pulsum. Eos inter se, quia* 10 *nemo unus satis dignus regno visus sit,* [e] *partes regni rapuisse: bona sua diripienda populo dedisse, ne quis expers sceleris esset. Patriam se regnumque suum repetere, & persequi ingratos cives velle. Ferrent opem, adjuvarent,* [f] *suas quoque veteres injurias ultum irent, toties* [3] *cæsas legiones, agrum ademptum.* Hæc moverunt Vejentes, ac pro se quisque, 15 Romano saltem duce, ignominias demendas, belloque amissa repetenda; minaciter fremunt. Tarquiniensis nomen ac cognatio movet. pulchrum videbatur [g] suos Romæ regnare. Ita duo duarum civitatum exercitus, ad repetendum regnum, belloque persequendos Romanos, secuti Tarquinium. Postquam in agrum Romanum ventum est, obviam hosti con- 20 sules eunt. Valerius [4] quadrato agmine peditem ducit: Brutus ad ex-

INTERPRETATIO.

a *Ubi cognovit fraudi, atque insidiis locum non patere.*

b *Post regnum tam præclarum,* quod *super* obtinuerat.

c *Alios ex peregrinis regionibus Romam, ut regnarent,* ultrò *accersitos.*

d *Dum Romanam ditionem amplificatum iret:* Ardeam obsidendo.

e *Regiæ muniæ.*

f Sibi *etiam ipsi illatas jam olim injurias.*

g *Ex Civitate suâ oriundos.*

NOTÆ.

1. *Ne se ortum.*] Gronovius *se* auferendi casu accipit, *ut sit ortum ex ipsis.* Id fortè ex oratione Tarquinii ad Porsenam confirmari potest, quæ sic cap. 9. refertur, *ne se oriundos ex Etruscis, ejusdem sanguinis nominisque,* id est, ex eadem natione. Nam Tarquinius Priscus maternum genus ab Etruscis, & Tarquinii nomen à patriâ ducebat, lib. 1. cap. 34.

2. *A proximis.*] A L. Junio Bruto, qui Tarquinii Superbi amitâ, vel sorore natus.

3. *Cæsas legiones, agrum ademptum.*] Vide in primis lib. 2. cap. 15. & 27.

4. *Quadrato agmine.*] Compositam ad prælium aciem intellige. Gall. *qui marchoit en bataille.* Quadrato agmine incedere solebat exercitus cum in conspectu, aut non procul esset hostis; vel ab eo periculum. Notat Servius ex Varrone *duo esse genera agminum. Quadratum, quod immistis etiam jumentis incedit, ut ubivis possit considere. Pilatum alterum, quod sine jumentis incedit, sed inter se densum est, quò facilius per iniqua loca tramittatur.* At Polybius duplicem incessus formam aliter distinguit. Priori, quæ vulgaris erat, eodem ferè ordine ingrediebatur exercitus, quo castra metabatur: factis scilicet peditum quinque ordinibus, quorum primus extraordinariorum, secundus primi sociorum Cornu, tertius primæ Legionis, quartus Legionis secundæ; postremus sociorum Cornu sinistri: singulorum ordinum impedimentis ordi-

plorandum cum equitatu anteceſſit. Eodem modo [h] primus eques hoſtium agminis fuit. Præerat Aruns Tarquinius filius regis. Rex ipſe cum legionibus ſequebatur. Aruns, ubi ex lictoribus procul [5] conſulem eſſe; deinde jam propius, ac certius facie quoque Brutum cognovit: inflammatus ira, *Ille eſt vir*, inquit, *qui nos* [6] *extorres expulit patria. Ipſe, en ille* [7] *noſtris decoratus inſignibus, magnifice incedit. Dii regum ultores adeſte.* Concitat calcaribus equum, atque in ipſum infeſtus conſulem dirigit. Senſit in ſe iri Brutus. Decorum erat tum ipſis [8] capeſſere pugnam ducibus: avide itaque ſe certamini offert. [i] adeoque infeſtis animis concurrerunt, neuter, dum hoſtem vulneraret, ſui protegendi corporis memor, ut contrario ictu [9] per parmam uterque transfixus, duabus hærentes haſtis moribundi [10] ex equis lapſi ſint. ſimul & cætera equeſtris pugna cœpit, neque ita multò poſt & pedi- Urb. cond. an. 244. Coſſ. Bruto, & P. Valer.

INTERPRETATIO.

h *In exercitu quoque hoſtili equites agmen ducebant.*

i *Animis ita infenſis conſtixere, ut (cum neuter cogitaret de proprio corpore tuendo, modo hoſtem ſauciaret)* ambo *per ſcutum* perforatum *mutuis vulneribus confixi, ſuâque, & hoſtili haſtâ impliciti, ex equis* in terram *deciderint.*

NOTÆ.

nem ſequentibus ſuum: Equitibus autem vel ſubſequentibus & ipſis ordines ſuos ſeorſim, vel ad latera tuentibus ordinum ſuorum ſarcinas. Altera forma minùs communis, quâ in hoſtico utebantur, erat ejuſmodi. ut triplex fieret peditum agmen, & præcuntia jumenta ſua agmen unumquodque, haſtati, Principes, Triarii ſequerentur, parati, inſtructique ad pugnam: niſi quod ingruentibus hoſtibus, evolvere ſe unumquodque agmen ab impedimentis oportebat, declinando & progrediendo ad latus, unde in illos iretur: jumentis interim ſubſiſtentibus, aut retrò ſubductis. At horum generum neutrum verè Quadratum, ſed in longum porrectum, neutrum impedimentis liberum: utcumque poſterius ad pugnandum paulò expeditius, & locis patentibus convenientius, ut Polybius innuit. Quadratum igitur agmen tunc propriè intelligitur, cum exercitus, hoſte ab omni parte ſuſpecto, pugnæ paratus eſt ab quatuor lateribus, etſi frons longior ſit: quam ordinationem Græci, πλαίσιον appellant, ſive παράθεσιν, à laterculi forma, ubi longitudo latitudinem, ſeu altitudinem, multis partibus ſuperat.

5. *Conſulem eſſe.*] Huc refert τὸ cognovit, quod ſubſequitur, Zeugmatis ſpecies.

6. *Extorres expulit.*] Si extorris pro exule dicitur, pulſum jam eſſe oportet: neque enim pellitur civitate, qui in exilio eſt. Sed intelligit Brutum, cum Tarquinios patriâ expulit, effeciſſe ut Extorres viverent. Sic apud Cic. 5. Verr. *Hinc centum Patresſum. Extorres profugerunt.*

7. *Noſtris decoratus inſignibus.*] Eadem ferè Conſulum ac Regum inſignia fuiſſe jam obſervatum eſt.

8. *Capeſſere pugnam.*] Id eſt, ultrò appetere, atque ipſi prælium incipere. Opponit priſcum morem poſteriori uſui; quo dum primum agmen confligeret, Duces poſt principia ſtantes, quæ agenda eſſent pro rerum ſtatu imperabant. Vix ſuâ manu pugnabant, niſi neceſſitate urgente.

9. *Per parmam.*] Parma ſcuti genus eſt brevioris ac rotundi.

10. *Ex equis lapſi ſunt.*] Letale vulnus uterque, alter per coſtas, per ilia alter, accepit. Equi nimio impetu colliſi, & in poſteriores pedes erecti, ſeſſores excuſſerunt.

tes superveniunt. Ibi 11 varia victoriâ, & velut æquo Marte pugnatum est. 12 dextra utrinque cornua vicere, læva superata. Vejentes vinci ab Romano milite assueti, fusi fugatique sunt. Tarquiniensis novus hostis non stetit solum, sed etiam ab sua parte Romanum pepulit.

Urb. cond. an. 244. Cos. P. Valerio.

VII. Ita quum pugnatum esset, tantus terror Tarquinium atque Etruscos incessit, ut omissa irrita re, nocte ambo exercitus, Vejens Tarquiniensisque suas quisque abirent domos. Adjiciunt miracula huic pugnæ; silentio proximæ noctis 1 ex silva Arsia ingentem editam vocem, 2 Silvani vocem eam creditam, hæc dicta, 3 *Uno plus Etruscorum cecidisse in acie:* 4 *vincere bello Romanum*. Ita certe inde abjere Romani ut victores, Etrusci pro victis. Nam postquam illuxit, 4 nec quisquam hostium in conspectu erat, P. Valerius Consul spolia legit: 5 triumphansque inde Romam rediit: 6 collegæ funus quanto

INTERPRETATIO.

4 *Romanos in summa victoria esse.*

NOTÆ.

11. *Varia Victoria.*] Victoria ita variavit, ut utraque pars victrix, utraque victa; & sic ambigua ex eo capite victoria fuerit.

12. *Dextra utrinque cornua.*] Dextrum cornu Romanorum cui Valerius præerat, profligatos Vejentes usque ad Castra est persecutum. Dextrum Etruscorum, ductu Sexti & Titi Romanos sibi oppositos in Castra compulit; à quorum oppugnatione per Triarios rejecti. Sed quomodo *Cornua* in quadrata ordinatione? Cornua scilicet vocantur Græcè κέρατα, extremæ ad dextram lævamque partes exercitus: etiamsi ab acie mediâ minùs distinctæ.

1. *Ex silva Arsia.*] Haud procul Janiculo fuit hæc sylva: & Campus in quo prælium commissum, inter Aureliam Claudiamque vias positus, videtur medius fuisse inter Janiculum & vicum, qui nunc *Borghetto*. Dionysius sylvam heroi *Orato* Sacram ait, & Castra in prato Vinio posita Plut. *Æsuvium* pratum, nemusque *Ursum* appellat. Sed Valerius Maximus, nostro concors in nomine sylvæ *Arsiæ*, vocem illam Silvani ante prælium editam scribit.

2. *Silvani vocem.*] Silvanus à Silvis; quibus gaudet, nomen sortitus, pecorum & agrorum Deus vulgò habebatur ex Servio, apud quem alii Deum, πᾶς ὕλης dicebant, quo vocabulo intelligi volebant elementorum omnium fœcem, ex qua cuncta procreentur. Ælianus de Histor. Animal. puerum ex capra apud Sybarin genitum, qui humanâ facie, caprinis cruribus esset, in Deos relatum scribit, dictumque Silvanum. Faunum hic Dionysius vocat, ad quem Romani Panicos terrores, & spectra retulisse tradit.

3. *Uno plus Etruscorum.*] Numeratis postridie cadaveribus, Etruscorum undecim millia, & trecenti cecidisse inventi sunt; è Romanis par omninò numerus, uno dempto.

4. *Nec quisquam hostium.*] Ante lucem tamen, animatus Silvani sive Fauni voce Valerius, vallum Etruscorum aggressus est; multisque cæsis, fugatis reliquis, castra etiam diripuit, ex Dionysio. Apud Plutarchum capti ex Etruscis ad quinque millia.

5. *Triumphansque.*] Hic Consulum primus quadrijugo curru in urbem invectus, ut Plutarchus observat, re divinâ factâ, spoliisque dicatis, diei reliquum inter epulas exegit, unà cum exercitu victore, quem plenis mensis populus excepit, ut est apud Dionysium.

6. *Collegæ funus.*] Corpus Bruti coronatum, fortissimorum equitum humeris relatum, Senatûs, qui obviam iverat, jussu in urbem triumphali pompâ illatum est. Postridie Valerius pullatus Bruti corpus in lectica ornatissima deferri jussit in forum, populoque in con-

ſum potuit apparatu, fecit. ſed multo majus morti decus publica fuit mœſtitia. eo ante omnia inſignis, quòd matronæ 7 annum, ut parentem, eum luxerunt: quod tam acer ultor 8 violatæ pudicitiæ fuiſſet. Conſuli deinde qui ſuperfuerat, ut ſunt mutabiles vulgi animi, 9 ex favore, non invidia modo, ſed ſuſpicio etiam cum atroci crimine orta, Regnum eum affectare, fama ferebat: quia nec collegam ſubrogaverat in locum Bruti, & ædificabat 10 in ſumma Velia. *ibi alto atque munito loco arcem inexpugnabilem fore*. Hæc dicta vulgo creditaque, quum indignitate angerent conſulis animum; vocato ad concilium populo, 11 ſummiſſis faſcibus in concionem deſcendit. Gratum id multitudini ſpectaculum fuit; ſummiſſa ſibi eſſe imperii inſignia, confeſſionemque factam, populi, quàm conſulis majeſtatem vimque majorem eſſe. Ubi audire juſſi, conſul laudare fortunam collegæ, *quod liberatâ patriâ in ſummo honore pro republica dimicans, maturâ gloriâ, nec dum ſe vertente in invidiam, mortem occubuiſſet, ſe ſuperſtitem gloriæ ſuæ ad crimen atque invidiam ſupereſſe: ex liberatore patriæ* b *ad Aquilios Vitelliosque recidiſſe. Numquamne ergo*, inquit, *ulla adeo*

Urb. cond. an. 244. Coſ. P. Valerio.

INTERPRETATIO.

b Eò *deveniſſe*, ut pro patriæ libertatis vindice *Aquiliorum & Vitelliorum inſtar haberetur* patriæ proditor.

NOTÆ.

elionem vocato funebrem orationem habuit: unde morem clarorum virorum laudes in funere pronunciandi plerique deductum putant. Quod ſervabant etiam Athenienſes in funere eorum qui bello exſi eſſent. Cæterùm hoc loco prætermittendum non videtur quod Dionyſ. notat. Brutum nullos reliquiſſe filios ſuperſtites; ac proinde Junios Brutos, qui poſteà claruerunt, omnes Plebejos fuiſſe.

7. *Annum, ut parentem.*] Annum intellige decem menſium, qualis ſub Romulo: hoc enim longiſſimum tempus lugendi apud Romanos. Nam nec Numa cum duos anno menſes adjiceret, tempora luctûs ampliavit, quemadmodum diſcimus ex Plutarcho. Unde Ovid. 1. Faſtorum:

Per totidem menſes à funere conjugis uxor
Suſtinet in vidua triſtia ſigna domo.

Theodoſius tamen maritos à mulieribus annum integrum lugeri conſtituit.

8. *Violatæ pudicitiæ.*] A Sextò Tarquinio in Lucretia.

9. *Ex favore.*] Pro gratia, quâ floruerat Valerius apud populum, oborta eſt in eum ſuſpicio, atque adeo gravis accuſatio affectati regni.

10. *In ſumma Velia.*] Erat hæc editior pars montis Palatini in ortum æſtivum ſpectans difficili acceſſu atque arduo, unde in forum Romanum deſpectus: ut Valerio hinc deſcendente pompa comitantium lictorum regii faſtus ſpeciem ingereret. Dictam autem Veliam Varro teſtatur, quòd antè inventam ovium tondendarum rationem, paſtores ibi lanam *vellere* ſoliti eſſent.

11. *Summiſſis faſcibus.*] Hæc poteſtatis inſignia. Faſces autem ſummittere, non eſt deponere omninò, & à ſe amovere, ut Velcurio cenſuit: ſed cum ſurrecti à Lictoribus præferri magiſtratibus ſolerent, eos demittere atque inclinare, ut rectè interpretatur Rhodiginus: quod honoris majoris deferendi causâ fiebat. Hinc adagio dicitur quis *faſces alteri ſummittere*, pro ei cedere, ut apud Cic. de Clar. Orat. *Tibi ætas noſtra cedit, faſceſque ſummittit*. Quo in genere laudatur mira Pompeii magni humanitas: qui Plinio teſte, poſt bellum Mithrida-

12 *à vobis ſpectata virtus erit, ut ſuſpicione violari nequeat? Ego me illum acerrimum regum hoſtem, ipſum cupiditatis regni crimen ſubiturum timerem? Ego ſi in ipſa arce Capitolioque habitarem, metui me crederem poſſe à civibus meis?* 13 *tam levi momento mea apud vos fama pendet? Adeone eſt fundata leviter fides, e ut* 14 *ubi ſim, quam qui ſim, magis referat? Non obſtabunt P. Valerii ædes libertati veſtræ, Quirites: tuta erit vobis Velia. Deferam non in planum modo ædes, ſed* 15 *colli etiam ſubjiciam: ut vos* d *ſupra ſuſpectum me civem habitetis. In Velia ædificent, quibus melius quam P. Valerio creditur libertas*, Delata confeſtim 16 materia omnis infra Veliam: & γ ubi nunc 17 Vicæpotæ eſt, 12a domus in infimo clivo ædificata.

Urb. cond. an. 244. Coſ. P. Valerio.

VIII. 1 Latæ deinde leges non ſolum, quæ regni ſuſpicione conſu-

INTERPRETATIO.

e *Ut intereſſe videatur in quo urbis ſim.*
loco habitem: potiùs *quàm qualis* ipſe
d *Supra me qui ſuſpectus Civis* videor

NOTÆ.

ticum, intraturus Poſidonii philoſophi domum, faſces Lictorios januæ ſummiſit, is nempè cui ſe Oriens Occidenſque ſummiſerat.

12. *A vobis ſpectata.*] Accedo libens Gronovio, qui propoſitionem delet, ut ſit *vobis ſpectata virtus*; non ſecus ac lib. 1. cap. 57. *quod cuique ſpectatiſſimum*, & apud Salluſt. in Jugurth. *Ni virtus fideſque veſtra ſpectata mihi forent.*

13. *Tam levi momento.*] Dicitur *momentum* de minima, & quaſi indiviſibili parte ſive temporis, ſive ponderis, aut etiam utilitatis. Non abſimili ſententiâ utitur Cic. 2. Orat. contra Rull. *Cætera vectigalia perlevi ſæpe momento fortunæ, inclinatione temporis pendere.*

14. *Ubi ſim.*] Vir probus ſemper & ubique ſibi ſimilis.

15. *Colli etiam ſubjiciam.*] Et verò domum ſuam detulit in infimum Clivum.

16. *Materia omnis.*] Ædium nimirum materia, trabes, cæmenta, &c.

17. *Vicapotæ.*] Lectio vetus ex Rhenano, *ubi nunc vicapoca* eſt: & ſic ſcribendum ſuſpicatur. *Ubi nunc Viriplaca eſt*, ædes nempe, qualis reverà in monte Palatino. Sanè in urbis deſcriptionibus, legitur Ædes *Deæ viriplacæ* in Palatio, atque ita ſub Velia. Sigonius affirmat in pleriſque libris eſſe *ubi nunc via publica*, tum auctoritatem Plutarchi adducit, qui in Poplicola hæc habet, ὅπου νῦν ἐστὶν ἱερὸν ἔν τινι πύκλῳ συνεζευγμένων; Addit Frontinum de aquæductibus 2. meminiſſe *vici Publici*; unde veretur ne legendum ſit *vicus Publicus*. Sed vicus Publicus non in X. urbis regione, quæ eſt Palatii, ſed in regione VI. fuit, cui ab Alta ſemita nomen: & templum Vici publici cuiquam auditum negat Lipſius in Epiſtolis, qui vult ſcribi *Vicapota*: eoque nomine ſignificari apud Priſcos Victoriam, ex Seneca in ludo; ubi *proximus interrogatur ſententiam Dieſpiter Vicapotæ filius*. In eam rem L. Higinium veterem ſcriptorem laudat idem Lipſ. ex Aſconio, apud quem dicitur *P. Valerio Voleſi filio Poplicolæ ædes publicas ſub Velia, ubi nunc ædes Victoriæ eſt, populum ex lege, quam ipſe tulerat, conceſſiſſe.* Cujus in ſententiam facilè jerim, quandoquidem *Ædes Clivuſque Victoriæ*, in eadem Palatii regione leguntur, in qua Velia, & Poplicolæ domus.

1. *Latæ deinde Leges.*] Plures hic Livius Leges populares à Poplicola, delin iendæ plebi latas perſtringit. Plutarchus quinque refert, quarum prima erat uti adverſus magiſtratum quemvis ad populum à Cive provocari poſſet. 2. uti magiſtratus imperiumque populus Romanus daret, qui populi injuſſu geſſeret, is capite lueret. 3. Uti

lem

lem absolverent, sed quæ adeo in contrarium verterent, ut populárem etiam facerent. inde cognomen factum 2 Poplicolæ est. ante omnes de provocatione 3 adversus magistratus ad populum, 4 & sacrandoque cum bonis capite ejus, qui regni occupandi consilia iniisset. Gratæ in vulgus leges fuêre, quas quum solus perrulisset, ut sua unius in his gratia esset: tum deinde comitia, collegæ subrogando habuit. Creatus 5 Sp. Lucretius Consul, qui b magno natu, non sufficientibus jam viribus ad consularia munera obeunda, intra paucos dies moritur. Suffectus in Lucretii locum 6 M. Horatius Pulvillus. Apud quosdam veteres auctores non invenio Lucretium consulem: Bruto statim Horatium suggerunt. credo, quia nulla gesta res insignem fecerit consulatum, 7 memoriâ intercidisse. Nondum dedicata erat in Capitolio Jovis ædes. Valerius Horatiusque 8 Consules sortiti uter dedicaret. Horatio sorte

Urb. condi an. 244. Cos. P. Valer.

INTERPRETATIO.

a *Ut horum beneficiorum meritum solus apud populum haberet*, nullo collega participante.

b *Ætate provectus*.

NOTÆ.

Cives tenuiores à vectigalibus & tributis immunes essent. 4. Uti Consularis majestatis læsæ mulcta in dies singulos quinque boum, duarumque ovium pretium non excederet. 5. Uti bona cum capite ejus devoverentur, qui regni occupandi consilia iniisset. Illud etiam adjicit, ex ejus instituto manare, ut Quæstores duo quotannis ex Patriciis juvenibus à populo crearentur; qui pecuniam publicam acciperent, in ærarium Saturni cogerent, & in tabulas rationum referrent. Quod eò spectabat ne Consulum potentia pecuniarum subsidio augeretur. Quid de re dicendum erit lib. 4. Præter Comitia & suffragia de rebus maximis populo à primis Consulibus restituta ex lege Romuli, in usum quoque revocata sunt, teste Dionysio ipsius Romuli, Numæ, Serv. Tullii de contractibus, leges salubres, nec obfuturæ libertati. Sacra etiam plebeja, à Tarquinio superbo sublata, Paganalia, Compitalia, &c. restituta.

2. *Poplicola*.] Sigonius ex fide Capitolinorum marmorum ita scribi jubet. Certum est ex Dionysio, aliisque id cognominis ex eo deductum, quòd populum coleret. Ideoque ea vox à Græcis vertitur, Δημοκόλης.

3. *Adversus magistratus*.] Appellandi à magistratibus facultas, eorum potestati procul dubio adversatur: adeo ut hac lege dissolutum Consulare imperium notet Liv. lib. 4. Soli fuêre Dictatores, à quibus provocare non licebat, quemadmodùm idem lib. 2. tradit.

4. *Sacrandoque cum bonis*.] Hoc loco *sacrare* est divis devovere, ac detestabile decernere, ut impunè violari possit: atque hominem morti addicere, factâ cuivis copiâ ejus impunè occidendi; uti Budæus annotat post Donatum. Huc illud spectat *intestabilis & sacer esto*. Pecunias autem ex bonis ejusmodi damnatorum relatas Cereri sacras fuisse scribit Dionys. lib. 10.

5. *Sp. Lucretius*.] Cognomine *Tricipitinus*, Pater Lucretiæ; ob cujus memoriam anno primo libertatis, & virum & patrem Consules factos scribit Cicero.

6. *M. Horatius Pulvillus*.] Hic ab Horatio Tergemino Curiatiorum victore originem trahens, patruus creditur P. Horatii Coclitis.

7. *Memoria intercidisse*.] Repete è proximo *Consulatum*.

8. *Consules sortiti*.] Non ita Plut. apud quem Primores Civitatis id muneris ex invidia in P. Valerium, qui mirum in modum illud ambiebat, Horatio à populo mandari curarunt.

Urb. cond. an. 245. Coss. P. Valerio, & M. Horat.

evenit. Poplicola ad Vejentium bellum profectus. Ægrius quàm dignum erat, tulêre Valerii necessarii, dedicationem tam incliti templi Horatio dari. id omnibus modis impedire conati, postquam alia frustra tentata erant, postem jam tenenti consuli, [c] fœdum, inter precationem Deûm, nuncium incuciunt: mortuum ejus filium esse, [d] funestaque familia 9 dedicare eum templum non posse. Non crediderit factum, an tantum animo roboris fuerit; nec traditur certum, nec interpretatio est facilis. Nihil aliud ad eum nuncium à proposito aversus quam ut cadaver efferri juberet, tenens postem, precationem peragit, & dedicat templum. Hæc post exactos reges domi militiæque gesta 10 primo anno.

INTERPRETATIO.

c *Cum jam solennes dedicationis preces pronunciaret, mali ominis nuncium afferunt.*

d *Cum ejus familia funere contaminata esset.*

NOTÆ.

9. *Dicare non posse.*] Observat Turnebus in Adversariis auguria duplicis generis apud Romanos fuisse, *impetrativa*, & *oblativa*. Illa, quæ quis à Diis petita impetrasset, in ejus potestate non fuisse, accipere & agnoscere vellet, necne. *Oblativa*, quæ non cogitanti offerebantur, vel repudiari, vel admitti pro arbitrio potuisse. Posterioris generis erat hic nuncius de morte filii, quem falsò fuisse allatum postea compertum est.

10. *Primo anno.*] Intra hunc vertentem annum ab exactis regibus quinque fuêre Consules, L. Junius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus primùm, deinde suffecti Collatino P. Valerius, Bruto Spur. Lucretius, atque huic M. Horatius. Quo mense ac die hic annus cœperit, quo desierit, non satis constat. Mihi perpensis accuratè omnibus, maximè videtur similè vero Brutum paulò post diem 12. Kal. Junias, in quem diem Ovid. 5. Fastorum Regifugium confert, & fortè ipsis Kal. Juniis, creatum Consulem cum Collatino. Hos, qui quadrimestres Consules à Dionysio dicuntur, (hoc est, ut ego interpretor, Collegæ per quatuor menses) ad ineuntem usque Septembrem rem Romanam simul rexisse, ut quartum mensem inchoarint; tum abdicato Collatino suffectum Valerium, qui Consulatum cum Bruto gesserit, ad anni sequentis, quo Plutarch. prælio cum Etruscis exsum Brutum commemorat: vel ad 6. Kal. Martii, quo die signatur in Kalendario alterum Regifugium. Tum Valerium solum toto saltem mense Martio sine Collega agentem, venisse in suspicionem, eique abolendæ Valerias tulisse leges; tandem cum Horatio Aprilis partem, ac Majum ferè totum exegisse, sicque annum implevisse. Hoc loco Bruti è nummis vultum exhibendum censui.

Cæterùm, cum regnante adhuc Superbo annus ab urbe condita 244. cœperit, ejusque anni menses aliquot ante eumdem pulsum effluxerint; videtur quinque Consulum, qui in annum eumdem conferuntur, postremos duos annum 245. attigisse. Tunc Quæstores duo

IX. 1 Inde P. Valerius iterum, T. Lucretius, conſules facti. Jam Tarquinii 2 ad Lartem Porſenam 3 Cluſinum regem perfugerant. ibi miſcendo conſilium preceſque, nunc orabant, ne ſe oriundos ex Etruſcis, ejuſdem ſanguinis nominiſque, egentes exulare pateretur: nunc 5 monebant etiam, *ne orientem morem pellendi reges inultum ſineret. ſatis libertatem ipſam habere dulcedinis, niſi quanta vi civitates eam expetant, tantâ regna reges defendant. Æquari ſumma infimis. nihil excelſum, nihil, quod ſupra cætera emineat, in civitatibus fore. Adeſſe finem regnis, 4 rei inter Deos hominesque pulcherrimæ.* Porſena 10 tum regem eſſe Romæ, tum Etruſcæ gentis regem, amplum Tuſcis ratus, Romam infeſto exercitu venit. Non unquam aliàs antè tantus terror ſenatum invaſit. Adeo 5 valida res tum Cluſina erat, ma- Urb. cond. an. 245. Coſſ. P. Valer. II. & T. Lucret.

NOTÆ.

populi ſuffragio creati, P. Veturius, & M. Minucius Patricii, qui pecuniam publicam in ærarium inferrent ad Templum Saturni, ex Poplicolæ ſententia, teſte Plutarcho. Paulo tamen aliter Tacitus, lib. 11. Annal. apud quem *Regibus etiam tum imperantibus, inſtituti ſunt Quæſtores: quod*, inquit, *lex Curiata oſtendit ab L. Bruto repetita: munuſque conſulibus poteſtas deligendi, & duos eam quoque honorem populus mandaret.*

1. *Inde P. Valerius iterum.*] Hic ſecundus fuit à Regibus pulſis annus: quo nihil memorabile actum Dionyſ. notat, præter Cenſum, & tributorum ordinationem ex Tullii Regis inſtituto in uſum revocatam. Obſidionem autem urbis à Porſena in annum ſequentem rejicit.

2. *Ad Lartem Porſenam.*] Lar Dignitatis nomen fuit apud Etruſcos: quorum duodecim populi ſuum quiſque Lucumonem, id eſt Dictatorem, & quaſi annuum Regem habebant, teſte Servio in 2. & 8. Æneid. Hic qui perpetuò præeſſet, unus ab omnibus Etruſcis eligebatur, Lartis nomine inſignis. Cæterum in nominandi caſu eſt *Lar*, ut contra Robortellum probat ex priſcis Grammaticis, aliiſque melioris notæ auctoribus Sigonius in lib. de nominibus Romanorum. Dionyſio & Plutarcho eſt, *Adem nominat*.

3. *Cluſinum Regem.*] Duplex fuit in Tuſcia oppidum *Cluſium*: alterum Cluſium novum ſoli Plinio cognitum (ad radices Apennini Armam inter & Tiberim; ubi adhuc nominis veſtigia ſervat locus, in territorio Florentino) & vetus longè illuſtrius, de quo hic ſermo, hodie *Cauori* appellatum; ut ex Liv. lib. 10. & Polyb. lib. 2. colligatur; ab Umbris vetuſtiſſimis incolis indito nomine. Cluſii autem appellatio à Cluſio Tyrrheni, aut à Telemacho Ulyſſis filio impoſita Servio auctore in 10. Æneid. Hæc una erat ex 12. primariis Etruſcorum urbibus, centeſimo ab Roma milliari, ſita ad paludem Cluſinam, quæ in longitudinem ſpatioſa, in latitudinem angusta Clanim fluvium tranſmittit, nunc *La Chiana*. Urbs vero vulgo hodie *Chiuſi*; in dominio Magni Tuſciæ Ducis, quâ vetus Senenſium ditio, Patrimonio S. Rom. Eccleſiæ, ejuſque territoriis, Perufino, & Urbevetano confinis.

4. *Rei inter Deos, &c.*] Inter Reipub. formas eam perfectiſſimam eſſe, in qua unus dominetur ad hoc naturâ comparatus, Politici plerique fatentur. Ariſtoteles ipſe excellentem virtute Principem, tanquam Deum in hominibus eſſe agnoſcit lib. 3. Polit. cap. 13. eamque gubernandi rationem primam & diviniſſimam vocat lib. 4. cap. 2. ideoque tyrannidem ei oppoſitam, omnium deterrimam.

5. *Valida res tum Cluſina.*] Summam ejus Civitatis potentiam & opes, vel ex eo colligere licet, quod de Italico Labyrintho ſcribitur: quem ſepulcri causâ Rex Porſena ſibi fecit, ut externorum Regum vanitas quoque ab Italis ſuperaretur. Opus enim magnificentiſſimum fuiſſe docet ejus deſcriptio ex Varrone apud Plin. lib. 36. cap. 13.

Urb. cond. an. 245. Coſs. P. Valer. & T. Lucret.

gnumque Porſenæ nomen. nec hoſtes modo timebant, ſed ſuoſmet ipſi cives, ne Romana plebs metu perculſa, receptis in urbem regibus, vel cum ſervitute pacem acciperet. Multa igitur blandimenta plebi per id tempus ab ſenatu data. annonæ in primis habita cura, & ad frumentum comparandum miſſi, alii in Volſcos, [6] alii Cumas. [7] Salis quoque vendendi arbitrium, [8] quia impenſo pretio venibat, in publicum omni ſumptu, ademptum privatis: Portoriis quoque & tributo [8] plebe liberatâ, [a] ut divites conferrent, qui oneri ferendo eſ-

INTERPRETATIO.

a Ut in belli ſumptus tributum *penderetur à locupletioribus, qui ad portandum onus illud ſufficerent.*

NOTÆ.

6. *Alii Cumas.*] Latinis Cumæ, Græcis Κύμη dicitur oppidum ad Campaniæ littus in colle arduo poſitum, Chalcidenſium & Eretrienſium ex Eubœa Græciæ inſula eò appulſorum Colonia, unde poſtea deducta Neapolis. Adhuc in ruinis nomen retinet, ductum vel à Cuma Æolica in Aſiæ civitate, ex qua ortus Hippocles, alter ex hujus Coloniæ ducibus: vel ἀπὸ τῶν κυμάτων, id eſt à fluctibus, qui ad ejus radices illiduntur. Vide Strabonem lib. 5. Vell. lib. 1. Agathiam lib. 1. & noſtrum lib. 8. Domicilium fuit Sibyllæ, quæ hinc Cumana dicta, vel Cumæa. Hinc antrum quarto in milliari, vocatur *Grotta della Sibilla*, ſeu verè, ſeu falsò. Nam ex Juſtino martyre habemus hanc Sibyllam, Beroſi Babyloniæ hiſtoriæ ſcriptoris filiam, eò profectam, intra ipſam urbem in Baſilicæ ingentis adyto oracula ſua fudiſſe. Hanc Baſilicam ex Virgilio diſcere poſſumus Apollinis templum fuiſſe, à Dædalo dicatum: à quo diverſum antrum illud quod ad lacum Avernum.

7. *Salis quoque vendendi arbitrium.*] Locus difficilis, in quo Turnebus, Nannius, Sigonius, & alii laborarunt: unus eum Gronovius planè videtur enucleaſſe, levi mutatione. Sic enim legit, *ſalis quoque vendendi arbitrium, quia impenſo pretio venibat, in publicum omne ſumptum, ademptum privatis*. Ubi notandum primò *arbitrium* ſumi aliquando pro pecunia Vectigali, quam redemptores ſolvebant Reip. Qua ratione ſalis vendendi arbitrium erit Gall. *Le Party du ſel; le pouvoir de vendre le ſel au peuple; la Ferme des Gabelles*. Hoc ſenſu Cic. in orationibus poſt reditum, & pro domo ſua dixit *arbitria funeris ſolvebantur; & nondum morte compleratâ arbitria petentes funeris*. Hiſpani hodieque Vectigalia, quæ per mancipes exercentur *alvedrios* vocant, ſi benè memini. Notandum præterea *impenſo pretio* accipi hoc loco, non pro depenſo, ſive erogato, ſed pro *immani*; atque hoc ſenſu accipiendum eſſe apud eumdem Cic. lib. 14. ad Att. ep. 12. quamvis ibi aliter Manutius. Ita adverbium *impenſè* idem ſignificat ac valdè, vehementer. Quintilianus *impenſam operam*, Svetonius & Tacitus *impenſiſſimas preces*, Gellius *impenſum damnum* in eamdem ſententiam dixere. Vult itaque Livius à Senatu plebi gratificaturo, decretum, ut Salinæ apud Oſtiam ab Anco Marcio inſtitutæ, quæ redemptoribus locari ſolebant; quoniam ab his, privatis hominibus, & privatæ dumtaxat utilitati ſervientibus, cariùs hæc annona vendebatur; non ampliùs ad haſtam locarentur exercendæ à publicanis, ſed in publicum receptæ, actoribus publicis mandarentur; longè viliori pretio plebi venditurî. *Que les Gabelles ne fuſſent plus baillées à Ferme aux Partiſans; mais à des Commis, qui en euſſent l'adminiſtration, & en fiſſent le debit à bon marché aux depens du public.*

8 *Plebe liberatâ.*] His ſcilicet levamentis ad imminutum ſalis pretium additis, demerendæ plebi.

ſent. pauperes ſatis ſtipendii pendere, ſi liberos educarent. Itaque hæc indulgentia Patrum, aſperis poſtmodum rebus in obſidione ac fame, adeo concordem civitatem tenuit, ut regium nomen non ſummi magis quam infimi horrerent: nec quiſquam unus 9 malis artibus poſtea tam popularis eſſet, quam tum bene imperando univerſus ſenatus fuit.

X. Quum hoſtes adeſſent, 2 pro ſe quiſque in urbem ex agris demigrant: urbem ipſam ſepiunt præſidiis: alia muris, alia Tiberi objecto videbantur tuta. 1 Pons Sublicius iter pene hoſtibus dedit, ni unus vir fuiſſet, 2 Horatius 3 Cocles: 4 id munimentum illo die fortuna urbis Romanæ habuit; qui poſitus fortè 5 in ſtatione pontis, quum captum repentino impetu 6 Janiculum, atque inde citatos decurrere hoſtes vidiſſet, trepidamque turbam ſuorum arma ordineſque relinquere; 7 reprehenſans ſingulos, obſiſtens, obteſtanſque Deûm & homi-

Urb. cond. an. 245. Coſſ. P. Val. & T. Lucret.

INTERPRETATIO.

2 *Unuſquiſque* agreſtium Romanorum *quantùm ad ſe attinebat*.

NOTÆ.

9. *Malis artibus*.] Per fraudes & largitiones cum crimine conjunctas, quibus ambitioſi homines tenuiorum ſibi gratiam, & ad prava obſequium quærunt.

1. *Pons Sublicius*.[Hoc ligneo ponte unico, Anci Marcii curâ extructo, cum urbe jungebatur Tranſtiberinum ſuburbium, arce in Janiculo monte poſitâ munitum.

2. *Horatius*.] P. Horatius Cocles à P. Horatio tergemino Curiatiorum victore ducebat originem; filius Horatii Pulvilli, qui frater erat M. Horatii ſuperiore anno Conſulis.

3. *Cocles*.] Ex Plinio lib. 11. cap. 37. *Coclites* appellati, qui altero lumine orbi naſcuntur. Servius in 8. Æneid. innuere videtur è Cyclopum nomine deductum Coclitum vocabulum. Huic autem Horatio id nominis inditum, quod oculum in bello amiſiſſet, memorant hiſtorici. Adjicit tamen Plutarch. in Poplicola, fuiſſe, qui hanc Horatii appellationem ex ſimilitate naſi tractam autumarent, qui ita depreſſus erat, ut nullo inter oculos diſcrimine, ſupercilia commixta eſſent; unde pleriſque eum Cyclopem nominare volentibus, obtinuerit, ut corrupto vocabulo *Cocles* à plurimis appellaretur.

4. *Id munimentum*.] Horatius munimenti loco fuit: ita urbem ac fortunam Romanorum tutus eſt. Et reverà fruſtra ſint munitiones & propugnacula, niſi à ſtrenuis viris defendantur. Ideò Lycurgus non aliis muris Spartam muniri voluit, quàm Civium animis atque pectoribus.

5. *In ſtatione Pontis*.] Statio eſt locus, in quo manus militum collocatur, quæ præſidium agitet ad cavendas hoſtium inſidias, primumque eorum impetum arcendum. Gallicè, *Un corps de Garde*.

6. *Janiculum*.] Mons à Jano appellatus ſeptem collibus Romæ urbis altior, ideoque urbi imminens in Suburbio Tranſtiberino; nunc Mons aureus & vulgò *Montorio dictus*. Eum Romani munierant, præſidioque firmaverant, ne hoſtibus ab Etruria venientibus patens, faciliorem aditum daret in urbem. Verum Etruſcorum impetum non diu ſuſtinuerat, & dimicatum acriter ac juſtâ acie trans flumen Dionyſius ſcribit, donec res demum Romana apertè inclinavit.

7. *Reprehenſans ſingulos*.] Reprehenſare non tam frequentativum eſſe puto à reprehendere, quàm reduplicativum à prenſare: magis enim obſecrandi, aut apprehendo retinendi, locus hic fuiſſe videtur, quàm objurgandi.

Urb. cond. an. 245. Coſſ. P. Val. & T. Lucret.

nunti fidem, teſtabatur, *neminem præſidio eos fugere. Si* 8
tranſitum pontem à tergo reliquiſſent, jam plus hoſtium in Palatio Capitolioque, quam in Janiculo fore. Itaque 9 *monere, prædicere ut pontem, ferro, igni, quacumque vi poſſent, interrumpant. Se impetum hoſtium, quantum corpore uno poſſet obſiſti, exceptorum.* Vadit inde 10 in primum aditum pontis: b inſigniſque inter conſpecta 11 cedentium pugnæ terga, obverſis cominus ad incundum prælium armis, ipſo miraculo audaciæ obſtupefecit hoſtes. duos tamen cum eo pudor tenuit, 12 Sp. Lartium ac T. Herminium, ambos claros genere factiſque. Cum his primam 13 periculi procellam, & quod tumultuoſiſſimum pugnæ 10
erat, parumper ſuſtinuit. deinde eos quoque ipſos exigua parte pontis relicta, revocantibus qui reſcindebant, cedere in tutum 14 coegit. Circumferens inde truces minaciter oculos ad proceres Etruſcorum, nunc

INTERPRETATIO.

b Inter eorum *terga*, *qui certamen delerebant*, ipſe *notabilis*, *ut* qui adverſo pectore, *armiſque in hoſtem verſis*, *ad pugnam ſe compararet*.

NOTÆ.

8. *Tranſitum pontem.*] Nannius ſ. miſcell. mavult, *ſi tranſitui pontem à tergo reliquiſſent*, id eſt, ad tranſitum opportunum: quod nullius alioqui ſenſus emergat, niſi nomen *tranſitus* ita inflectatur, ut ſignificet tranſibilem. Sed omnes libri conſtanter retinent *tranſitum*: atque hoc vocabulum aliquando participii paſſivi eſt. Nam & apud noſtrum lib. 21. legitur: *ut tergo Alpes urgent, aut integra vobis ac vigentibus tranſitus*. Idcirco, cùm voll *tranſitum* ſubſtantivè ſumpta nullam ſatis commodam accipiat interpretationem: eò, ni fallor, neceſſariò decurrendum eſt, ut vel *tranſitum* accipiamus pro eo quod tranſiri poteſt; quemadmodùm invictum dicimus pro eo, qui vinci non poteſt, (quæ tamen loquendi forma paulò durior) vel *tranſitum* intelligamus pro tranſiſſo; ut, ſi Romani, qui pontis caput Etruſcis obverſum obtinebant, ut tueri deſebant, cum, in urbem fugiendo tranſierint, tranſitumque & deſertum à ſe, hoſtibus inſequutis prodiderint, eò ſtatim in Capitolio viſuri dicantur. Quod Gallicè ſic expreſſeris: *Si en reculant ils paſſoient le pont pour ſe ſauver dans la Ville; & ſi en le laiſſant derriere eux, ils l'abandonnoient aux ennemis, ils les verroient auſſi-toſt qu'eux au milieu de la Ville.*

9. *Monere, prædicere.*] Rhenano placet magis *præcipere*. Eſt ſanè ad ſententiam accommodatum: ſed refragantur veteres libri: nec abſonum omnino *prædicere*. Sic Livius ipſe lib. 21. *monuiſſe, prædixiſſe ſe*.

10. *In primum aditum pontis.*] Imò, paulò ultra, opinor. Quo poſito, facilè defenditur lectio vulgaris loci mox ſequentis: ſic enim inſignior Cocles.

11. *Cedentium pugnæ.*] Etſi pugnâ cedere rectè dicatur, quemadmodum & civitate cedere, pro *excedere*, ut notat Oron. non idcirco vitioſum eſt *pugnæ cedere*: quâ ratione fortunæ, tempori, minis, telis, inſidiis, periculis, armis cedere Cicero dixit.

12. *Sp. Lartium.*] A Larte prænomine dicti Lartii, ex Sigo. Græcorum codices Λάρτιον habent: unde Glareanus ubique Largium legit.

13. *Periculi procellam.*] Intelligit primum impetum hoſtium, qui periculoſi turbinis inſtar ingruebant.

14. *Coëgit.*] Cocles nempe: nec ſatis eſt cauſæ cur cum Gronovio ſcribamus, *exigua pars pontis relicta*, &c. *cedere coëgit*. Nam conſtat non malè ſententia, etiamſi communis lectio retineatur, *exigua parte pontis relictâ*. Vult enim in

singulos provocare, nunc increpare omnes, 15 *Servitia regum superbo-* Urb. cond. an. 245. Cos. P. Valer. II. & T. Lucret.
rum, suæ libertatis immemores, alienam oppugnatum venire. Cunctati aliquandiu sunt, dum alius alium, 16 ut prælium incipiat, circumspectant. c pudor deinde commovit aciem, & clamore sublato undique in
1 unum hostem tela conjiciunt. Quæ quum in objecto cuncta scuto hæsissent, neque ille minus obstinatus 17 ingenti pontem obtineret gradu: jam impetu conabantur detrudere virum, quum simul fragor rupti pontis, simul d clamor Romanorum, alacritate perfecti operis sublatus, pavore subito impetum sustinuit. Tum Cocles, 18 *Tiberine pater*, in-
10 quit, *te sancte precor hæc arma & hunc militem propitio flumine accipias*. 19 Ita sic armatus in Tiberim desilut: multisque 20 super incidentibus telis incolumis ad suos tranavit; rem ausus plus famæ habituram ad posteros, quam fidei. Grata erga tantam virtutem civitas fuit: 21 statua in comitio posita; agri quantum uno die circumara-
15 vit, datum. Privata quoque inter publicos honores studia eminc-

INTERPRETATIO.

c *Efficit pudor, ut se agmen* Etruscorum *moveret*.

d *Stropitus à Romanis editus ob lætitiam ex rescisso ponte, repentinum terrorem hostibus incutiens, continuit* eorum *vim*.

NOTÆ.

tutum recedere coactos ab Horatio. Sp. Lartium ac Titum Herminium, quos fugientibus cæteris pudor cum eo retinuerat in ponte defendendo; & quos idem pudor adhuc retinebat, postquam relicta pontis fere jam omnino rescissi exiguâ tantùm parte, defensores revocabantur ab iis qui rescindebant.

15. *Servitia Regum*.] Verba sunt Horatii Coclitis Etruscos increpantis.

16. *Ut prælium incipiat, circumspectant*.] Hamelius ex Gron. quàm *prælium incipiant*; non tantùm constructionis, sed & soni causâ.

17. *Ingenti pontem obtineret gradu*.] Fatetur Tan. Faber non malè hic exprimi Homericum μένος ἔστη. Sed negat quicquam huic expressioni commune cum verbo *obtineret*: atque idcirco suspectum esse locum ait, ac pro *gradu* substitui posse *ausu*. Et verò minùs convenire videtur hoc loco grandis incessus. Verùm quidni gravitatem & ferociam, stabili gradu Pontem occupantis ac tuentis, indicare his verbis potuit auctor?

18. *Tiberine pater*.] Numen invocat fluvii, qui ex Servio in 8. Æneid. in sacris *Tiberinus*, in communi sermone *Tiberis*, in carmine *Tibris* vocatur.

19. *Ita sic armatus*.] Erunt qui bis idem non sine vitio dici, & harum particularum alteram abundare existiment. Verùm *ità* sumitur aliquando pro *itaque*, sive, *igitur*: quâ ratione si hoc loco accipiamus, nihil erit quod scrupulum movet.

20. *Super incidentibus telis*.] Antè tamen hasta in femore vulneratum, observat Plut. Multa in hoc casu mira Val. Max. annotat, *quòd nec alacritudine dejectus quassatusve Horatius, neque pondere armorum pressus, nec ullo vorticis circuitu actus, nec telis quidem, quæ undique congerebantur, læsus, tutum enatandi eventum habuit*.

21. *Statua in comitio*.] Comitium Foro contiguum fuit, & pars fori Romani à porta Palatii incipiens, in octava urbis regione. At Horatii Statuam Gell. lib. 4. cap. 5. in Campo Martio locat, qui tunc extra urbem, regione nonâ, Plut. in templo Vulcani ponit. Et nihil vetat pluribus eam locis positam fuisse ad magis celebrandam præclari adeo facinoris memoriam.

bant: nàm in magna inopia pro domeſticis copiis unuſquiſque ei aliquid, fraudans ſe ipſe victu ſuo, [22] contulit.

Urb. cond. an. 245. Coſſ. P. Valer. II. & T. Lucret.

XI. Porſena primo conatu repulſus, conſiliis ab oppugnanda urbe ad obſidendam verſis, præſidio in Janiculo locato, ipſe in plano ripiſque Tiberis caſtra poſuit: navibus undique accitis, [1] & ad cuſtodiam, ne quid Romam frumenti ſubvehi ſineret, & ut prædatum milites trans flumen per occaſiones aliis atque aliis locis [2] trajicerent. brevique adeo infeſtum omnem Romanum agrum reddidit, ut non cætera ſolum ex agris, ſed pecus quoque omne in urbem compelleretur, neque quiſquam extra portas propellere auderet. Hoc tantum licentiæ Etruſcis, non metu magis quam conſilio conceſſum. Namque Valerius conſul, intentus in occaſionem, multos ſimul & effuſos improviſo adoriundi, in parvis rebus negligens ultor, gravem ſe ad majora vindicem ſervabat: Itaque, ut eliceret prædatores, edicit ſuis, poſtero die frequentes [3] porta Eſquilina, quæ averſiſſima ab hoſte erat, expellerent pecus:

NOTÆ.

22. *Contulit*.] Aliquid annonæ ſcilicet aut pecuniæ, quantùm quiſque in diem ad ſuſtentandam familiam impenderet, quod tam arctis rebus ſubſidium non leve.

1. *Et ad cuſtodiam*.] Dux cauſæ deſignantur cur conquiſita undique ab Etruſcis fuerint navigia: altera ut flumen cuſtodirent, impedirentque, ne quid commeatus per illud deveheretur in urbem: altera, ut milites transferrentur in adverſam ripam, prædandi causâ. Atque hæc ſatis perſpicua ſunt, relato ad utrumque finem participio *accitis*. Neque adjiciendum participium *poſitis*, poſt *ad cuſtodiam*, ut Sigonius volebat, minùs eleganter.

2. *Trajicerent*.] Sic cum vulgato legas, ut Etruſci *traiicerent*; an cum Gronov. *traiiceret* Porſena, perinde eſt. *Trajicio* enim eſt verbum neutrum, & activum: nec minùs dicuntur milites flumen *trajicere*, id eſt, tranſire, paulò poſt hoc ipſo capite; quàm Dux exercitum *trajicere*, id eſt; traducere, ſeu tranſvehere.

3. *Porta Eſquilina, quæ averſiſſima ab hoſte*.] Hoſtes Etruſci trans Tiberim circa Janiculum Caſtra poſuerant ad dextram fluminis. Urbs Roma ad ſiniſtram. Portas tunc decem habebat, quantùm conjicio; in quibus Eſquilina medium ferè, atque à Tiberi maximè remotum obtinebat locum. Eas, quia non ſuis omnes locis videntur poſuiſſe priores antiquarii, operæ pretium erit hic ordine quamque recenſere juxta probabiliorem ſententiam, recentiaque cum priſcis nomina componere: idque facto ab ea parte initio quà primùm Tiberis mœnia ſubit, ac progrediendo per murorum ambitum, donec ad inferiorem fluvii ripam veniatur.

PORTARUM URBIS ROMÆ SUB PRIMIS CONSULIBUS NOMINA:

VETERA.	NOVA.
Porta Flumentana poſt Flaminia dicta.	*Porta del Popolo.*
P. Collina, ſeu Quirinalis, aliàs Agonenſis.	*P. Salara.*
P. Viminalis, anteà opinor Querquetulana.	*P. Pia*, aliàs, *di S. Agneſe.*

ſcituros

ſcituros id hoſtes ratus, quod in obſidione & fame ſervitia infida transfugerent. Et ſciere perfugæ indicio: multoque plures, ut in ſpem 4 univerſæ prædæ, flumen trajiciunt. P. Valerius inde Herminium cum modicis copiis ad ſecundum lapidem 5 Gabina viâ 6 occultum conſi- 7 dere jubet: Sp. Lartium, cum expedita juventute, ad portam Collinam ſtare, 7 donec hoſtis prætereat: deinde ſe objicere, 8 ne ſit ad flumen reditus. Conſulum alter T. Lucretius porta Nævia cum aliquot manipulis militum egreſſus: ipſe Valerius Cœlio monte cohortes delectas educit. 9 hique primi apparuere hoſti. Herminius, ubi tumul- 10 tum ſenſit, concurrit ex inſidiis: 10 verſiſque in Valerium Etruſcis, terga cædit: dextra lævaque, hinc à porta Collina, illinc ab Nævia 11 redditus clamor. ita cæſi in medio prædatores, 2 neque ad pugnam

Urb. cond. an. 245. Coſſ. P. Valer. II. & T. Lucret.

INTERPRETATIO.

2 *Cum & ad pugnandum impares eſſent viribus; & via omnes ad fugam* ipſis *clauſa eſſent.*

NOTÆ.

P. Tiburtina, quæ & Collatina.	*P. di S. Lorenzo.*
P. Eſquilina, quæ & Labicana; & Prænestina; &, ni falior, Gabina, ſeu Gabiuſa.	*P. Maggiore.*
P. Cœlimontana, poſt Aſinaria.	*P. di S. Giovanni.*
P. Ferentina, poſteà Latina.	*P. Latina.*
P. Capena, poſt Appia.	*P. di S. Sebaſtiano.*
P. Nævia; nunc clauſa.	
P. Trigemina, poſteà Oſtienſis.	*P. di S. Paolo.*

4. *Univerſa prædæ.*] Confidebant Etruſci totum pecus, magno numero eductum Româ, ſe abacturos, nec quicquam ingentis illius prædæ ſibi è manibus elapſurum, ſi magnis copiis rem aggrederentur. Hac ergo ſpe plures ſolito trajecerunt. Sed Valerii ſtratagemate deluſi, eadem loco prædæ invenerunt.

5. *Gabinâ viâ.*] Quæ ab urbe Gabios ducebat, ad lævam viæ Prænestinæ.

6. *Occultum conſidere.*] Herminium *occultum*, pro occultè, id eſt, in inſidiis.

7. *Donec hoſtis prætereat.*] A Superiore Tiberis parte veniens ad vicina portæ Eſquilinæ, Collinam prætergredi neceſſe erat.

8. *Ne ſit ad flumen reditus.*] Ne ſcilicet ab ea parte regreſſum ad Tiberim hoſtis haberet. Ne autem inferiora fluvii peteret, obſtabant reliquæ omnes copiæ.

9. *Hique primi apparuere hoſti.*] Porta quippe Cœlimontana, ad quam Valerius, proxima erat poſt Eſquilinam, quam prædaturi hoſtes petebant. Propior; quidem hoſtium trajectui Collina: ſed ibi Lartius intra muros expectare juſſus donec tranſiiſſent, à tergo eos adorturus. Herminius vero ad ſecundum lapidem in inſidiis adhuc latebat.

10. *Verſiſque in Valerium.*] Legebatur antea in Lucretium. Emendavit Glareanus, quod prælium circa portam Eſquilinam commiſſum fuiſſe appareat; huic autem propior Valerius, Cœlimontana eduxit cohortes, quæ primùm ab hoſtibus viſæ. At Lucretius porta Nævia egreſſus quidem: ſed hæc magis diſſita; & inde clamor poſt pugnam jam initam redditus.

11. *Redditus clamor.*] Militaris *clamor* alacritatem indicat pugnam ineuntium, ut lib. 4. cap. 37. Hic autem non editus, ſed redditus rectè dicitur, ut ab accurrentibus ad ſuorum jam certantium ſubſidium, & edito ab illis clamori reſpondentibus.

viribus pares, & ad fugam ſeptis omnibus viis. finiſque ille tam effuſe vagandi Etruſcis fuit.

Coſſ. P. Valer. II. M. Horat. ex Dionyſ. U. C. an. 246. ex Livio autem Coſſ. iiſdem. U.C.an.245.

XII. 1 Obſidio erat nihilominus, & frumenti, cum ſummâ caritate, inopia; ſedendoque expugnaturum ſe urbem, ſpem Porſena habebat: quum 2 C. Mucius 3 adoleſcens nobilis, cui indignum videbatur, populum Romanum ſervientem, quum ſub regibus eſſet, nullo bello, nec ab hoſtibus ullis obſeſſum eſſe; liberum eumdem populum ab iiſdem Etruſcis obſideri, quorum ſæpe exercitus fuderat; itaque magno audaciquo aliquo facinore eam indignitatem vindicandam ratus: primo ſua ſponte penetrare in hoſtium caſtra conſtituit: dein metuens ne ſi conſulum injuſſu & ignaris omnibus iret, fortè deprehenſus à cuſtodibus Romanis retraheretur ut transfuga, fortunâ tum urbis a crimen affirmante, ſenatum adiit: *Tranſire Tiberim*, inquit, *Patres*, & 4 *intrare*, *ſi poſſim*, *caſtra hoſtium volo: non prædo*, *nec populationum invicem ultor. Majus*, *ſi Dii juvant*, *in animo eſt facinus.* b Approbant Patres. abdito intra veſtem ferro proficiſcitur. Ubi eò venit, in confertiſſima turba prope regium tribunal conſtitit. Ibi quum ſtipendium fortè militibus daretur, & ſcriba cum rege ſedens 5 pari fere ornatu multa ageret, cum milites vulgo adirent; timens ſciſcitari uter Porſena eſſet, ne ignorando regem 6 ſemetipſe aperiret quis eſſet; 7 quo temere traxit fortuna facinus, ſcribam pro rege obtruncat. Vadentem inde qua per trepidam turbam cruento mucrone ſibi ipſe fecerat viam, quum concurſu ad clamorem facto, comprehenſum regii ſatellites retraxiſſent, b

INTERPRETATIO.

a *Credibile reddente crimen.*
b *Conſtitutus* ſive poſitus *coram Rege ſedente pro tribunali.*

NOTÆ.

1. *Obſidio erat.*] Porſena Romam tribus fermè annis obſedit.

2. *C. Mucius.*] Hic Mucius, Cordus cognomen habuit.

3. *Adoleſcens nobilis.*] Legit Sigon. *C. Mutio adoleſcenti nobili indignum videbatur* alioqui nullum verbum eſſe ait, quod reſpondeat nominativo illi. *C. Mucius.* Verùm hoc κατὰ σύνεσιν figuram eſſe, eamque eleganter veteribus uſitatam oſtendit Gronov. neque enim vocabulum *itaque* initium eſt novæ periodi, ſed prioris, ſuſpenſæ, atque interciſæ continuatio; in qua *ratus*, *conſtituit*, & quæ ſequuntur, ſenſum implent. qui reverà & ſine particula *itaque* conſtare potuit, & planior fuiſſet, ſi Livius repetito recto dixiſſet, *itaque Mucius ille*, de quo dixi. Non abſimilis oratio apud Cic. lib. 4. de finibus. *Poſteà tuus ille Pœnulus (ſcis enim Citiæos clientes tuos à Phœnicia profectos) homo igitur acutus, causâ non obtinens, repugnâte naturâ verba verſare cœpit.*

4. *Intrare caſtra hoſtium.*] Tuſco & habitu, quo indutus fuit, & ſermone, quem callebat, hoſtes eluſurum ſe ſperavit: ex Plut. & Zona.

5. *Pari ornatu.*] Reges à plebeiis non veſte, ſed mente diſtingui jubet Græca paræmia: ſed hunc purpuratum fuiſſe Florus.

6. *Semetipſe aperiret quis eſſet.*] Non inelegans ejuſdem rei expreſſio duplex; Græcorum imitatione. Satis erat, vel *ſemetipſe aperiret*, vel *aperiret quis eſſet.*

7. *Quo temerè traxit fortuna facinus.*] Parentheſis eſt, quâ oſtenditur ſortem ita rexiſſe Mucii factum, ut aliud fecerit caſu, quàm quod deſtinaverat.

ante tribunal regis destitutus, tum quoque inter tantas fortunæ minas, metuendus magis quam metuens: *Romanus sum*, inquit, *civis: C. Mucium vocant. hostis hostem occidere volui. nec ad mortem minus animi est, quam fuit ad cædem. Et facere & pati fortia, Romanum est. Nec unus in te ego hos animos gessi: longus post me ordo est idem petentium decus. Proinde c in hoc discrimen, si juvat, accingere, ut in singulas horas capite dimices tuo: ferrum hostemque in vestibulo habeas regia. Hoc tibi juventus Romana indicimus bellum. Nullam aciem, nullum prælium timueris. Uni tibi, & cum singulis res erit.* Quum rex, simul ira infensus, periculoque conterritus, c circumdari ignes minitabundus juberet, nisi expromeret propere, quas insidiarum sibi minas per ambages jaceret: *En tibi*, inquit, *ut sentias quam vile corpus sit iis g qui magnam gloriam vident:* dextramque accenso ad sacrificium foculo injicit. d quam, quum velut alienato ab sensu torreret animo, prope attonitus miraculo Rex, quum ab sede sua prosiluisset, amoverique ab altaribus juvenem jussisset: *Tu vero abi*, inquit, *in te magis quàm in me hostilia ausus. Juberem malle virtute esse, si pro mea patria ista virtus staret. Nunc jure belli liberum te, intactum, inviolatumque hinc dimitto.* Tum Mucius, quasi remunerans meritum, *Quandoquidem*, inquit, *est apud te virtuti honos, e ut beneficio tuleris à me, quod minis nequisti; trecenti conjuravimus principes juventutis Romanæ, ut in te hac via grassaremur. Mea prima sors fuit: cæteri, f ut cuique ceciderit primo, quoad te opportunum fortuna dederit, suo quisque tempore aderunt.*

XIII. Mucium dimissum, cui postea h Scævolæ à clade dextræ manus cognomen indictum, legati à Porsena Romam secuti sunt. Adeo moverat eum & primi periculi casus, quo nihil se præter errorem insidiatoris texisset; & subeunda dimicatio toties quot conjurati superessent: ut pacis conditiones h ultro ferret Romanis. Jactatum- Urb. cond. an. 245. Coss. P. Valer. II. & T. Lucret.

INTERPRETATIO.

c Compara atque *accinge te ad hoc periculum, ut quolibet momento certes* ac pericliteris *de tua salute.*

d *Quam cum torqueret, tanquàm nunc* ab omni *sensu* doloris *aversa* & liberâ.

e *Ut per beneficium* & gratiam *auferas à me, quod vim potuisti per terrorem extorquere.*

f *Prout unicuique contigerit* sors.

h *Sponte offerret.* Inter conditiones autem Pacis *frustra actum* est *de Tarquiniis*, &c.

NOTÆ.

g. *Magnam gloriam vident.*] Ita Gruterus è libris, cum antè legeretur, *magnam gloriam petunt*, sensu parùm diverso. Est enim hoc loco *videre*, vel oculis animi intueri, ac spectare, tanquam finem vel intelligere, & quanti pretii sit planè cognoscere. Exempla obvia ubique sunt.

h. *Scævolæ.*] Græci σκαιὸν vocant sinistrum: inde *scæva* Latinis, quæ sinistra sunt. *Scæva* quoque, qui lævâ manu pro dextra utuntur: sidem *Scævolæ*, seu diminutivo nomine, sive à scæva vola. Est autem *vola*, cava pars manus antpedis. Mucius ergo, exustâ dextrâ, necessariò sinistra uti cœpit, eaque primùm ensem sibi à Porsena redditum accepit. Inde ad Mucios ejus posteros cognomen manavit, ut Scævolæ dicerentur.

Urb. cond. an. 245. Coſſ. P. Valer. II. & T. Lucret.

2 in conditionibus nequicquam de Tarquiniis in regnum reſtituendis, magis quia id negare ipſe nequiverat Tarquiniis, quam quod negatum iri ſibi ab Romanis ignoraret. 3. De agro Vejentibus reſtituendo, impetratum: b expreſſaque neceſſitas 4 obſides dandi Romanis, ſi Janiculo præſidium deduci vellent. His conditionibus compoſita pace, exercitum ab Janiculo deduxit Porſena, & agro Romano exceſſit. Patres C. Mucio virtutis cauſa trans Tiberim agrum dono dedere, quæ poſtea ſunt 5 *Mucia prata* appellata. Ergo 6 ita honorata virtute, fœminæ quoque ad publica decora excitatæ. 7 Cloelia virgo, una ex obſidibus, quum caſtra Etruſcorum fortè haud procul ripa Tiberis locata eſſent, 8 fruſtrata cuſtodes, dux agminis virginum, inter tela hoſtium Tiberim tranavit: ſoſpiteſque omnes Romam ad propinquos reſtituit. Quod ubi regi nunciatum eſt, primò incenſus ira, oratores Romam miſit ad Cloeliam obſidem depoſcendam; alias haud magni facere: deinde in admirationem verſus, *Supra Coclites Mucioſque dicere id facinus eſſe*; & præ ſe ferre, *quemadmodum, ſi non dedatur obſes, pro rupto ſe fœdus habiturum; ſic deditam, inviolatam ad ſuos remiſſurum*. Utrinque con-

INTERPRETATIO.

b *Et à Romanis* extorta *obligatio dandi obſides*.

NOTÆ.

2. *Jactatum in conditionibus*.] Scribit Dionyſius Porſenam, cum conſuluiſſet qua ratione inſidias vitaret, quas à Romana juventute paratas Mucius denunciaverat, Legatos Romam miſiſſe, qui pacem offerrent eâ lege, ut Romani Tarquinium cum filiis reciperent: id ſi impetrari non poſſet, ut ſua ipſis bona redderent: poſtremò ſi neque hoc ipſum obtineretur, ſaltem agro Etruſcis pridem circa Tiberim adempto decederent. Priora omninò negata: ultimum, pacis deſiderio, promiſſum, obſideſque in eam rem dati, priuſquam Porſena præſidium de Janiculo deduceret.

3. *De agro Vejentibus reſtituendo*.] Quo mulctati fuerant à Romulo. Vide lib. 1. cap. 15. Tractus is fuit inter Aronem fl. & Tiberim ad mare uſque: ſeptem Pagos dixere, ut ex Dionyſio non ſemel & Plutarcho diſcimus. Hunc tamen agrum Porſena Vejentibus nequaquam reſtituit; ſed ſibi retentum, poſteà reddidit Romanis, cap. 15. hujus libri, apud Dionyſ. lib. 5. Videndum idcirco, num legendum potiùs ſit, *de agro Vejente reſtituendo*, aut *de agro Vejentibus erepto, reſtituendo*; quàm *Vejentibus reſtituendo*.

4. *Obſides dandi*.] Non modo ſuos omnes captivos recepit de Romanis Porſena, ſed viginti præterea obſides ab eis accepit, decem nimirùm adoleſcentes nobiles, virgineſque totidem.

5. *Mucia Prata*.] In Tranſtiberina regione apud inferiora urbis navalia, Nomen retinebant tempore Auguſti. Locus hodie vocatur, *la Ripa*.

6. *Ita honorata virtute*.] Mucio, præter agrum, quo donatus eſt, Equeſtris etiam ſtatua apud Curiam Hoſtiliam poſita eſt.

7. *Cloelia Virgo*.] Inter obſides Virgines præcipuæ fuere Cloelia & Valeria Poplicolæ Conſulis filia.

8. *Fruſtrata cuſtodes*.] Romanæ illæ Virgines petierunt ut ad flumen, abluendi corporis cauſâ, accedere liceret; eoque prætextu amoverunt deluſos cuſtodes, & ad ulteriorem ripam natando trajecere, Cloeliâ duce; nec modò animos addente, ſed & equo, cui inſidebat, vim fluminis infringente. Sunt tamen apud Plut. qui Cloeliam ſolam ad ſuos enataſſe dicant.

ſtitit fides: & Romani 9 pignus pacis ex fœdere reſtituerunt: & apud regem Etruſcum non tuta ſolum, ſed 10 honorata etiam virtus fuit: laudatamque virginem parte obſidum ſe donare dixit: ipſa quos vellet, legeret. Productis omnibus, elegiſſe impuberes dicitur: quod & virginitati decorum, & 11 conſenſu obſidum ipſorum probabile erat, eam ætatem potiſſimum liberari ab hoſte, quæ maxime opportuna injuriæ eſſet. Pace redintegrata, Romani novam in fœmina virtutem 12 novo genere honoris, 13 ſtatua equeſtri, donavere. in ſumma Sacra via fuit poſita virgo inſidens equo.

XIV. a Huic tam pacatæ profectioni ab urbe regis Etruſci abhorrens mos, traditus ab antiquis, uſque ad noſtram ætatem inter cætera ſolennia manet 1 bonis vendendis, 2 bona Porſenæ regis vendendi. Cujus originem moris neceſſe eſt aut inter bellum natam eſſe, neque omiſſam pace: aut b mitiore creviſſe principio, quam hic præ ſe ferat titulus, bona hoſtiliter vendendi. Proximum vero eſt ex iis, quæ traduntur, Porſenam deſcendentem ab Janiculo, caſtra opulenta, convecto ex propinquis ac fertilibus Etruriæ arvis commeatu, 3 Romanis dono de-

Urb. cond. an. 245. Coſſ. P. Valer. II. & T. Lucret.

INTERPRETATIO.

a *Ad noſtra uſque tempora inter reliquas ſolennes formulas in vendendis hoſtium bonis* uſurpari ſolitas, *durat mos ab antiquis traditus vendendi ea bona* ſub titulo *Porſenæ regis: qui* mos *abhorres ab hoc adeo pacifico Regis Etruſci diſceſſu ab urbe Roma.*

b *Aut ex initiis lenioribus, quam ille vendendorum hoſtiliter bonorum titulus ferat*, ortum morem, *auctum eſſe* in deterius. *Veri maximè ſimile*, &c.

NOTÆ.

9. *Pignus pacis.*] Tum Cloeliam, tum reliquas, quæ pacis causâ datæ obſides fuerant, Poplicola ſtatim ad Regem remiſit. Eas in itinere intercipere tentavit Tarquinius; Aruns Porſenæ filius liberavit.

10. *Honorata etiam virtus.*] Equo inſigni, phaleriſque pretioſis ornato donata eſt Cloelia, præter obſidum partem ipſi condonatam.

11. *Conſenſu obſidum ipſorum probabile.*] Sumitur hic probabile pro laudabili, quodque dignum eſt omnium approbatione.

12. *Novo genere honoris.*] Planè novo & inuſitato; ſi verum eſt quod Plinius refert lib. 39. cap. 6. nulli præterea Virgini ſtatuam Romæ poſitam.

13. *Statuâ equeſtri.*] Scribit Dionyſ. ſtatuam Equeſtrem, Virginis habitu, Cloeliæ poſitam fuiſſe in via Sacra, qua in forum itur: ſed eam ſuo tempore non extitiſſe, incendio abſumptam. Plutarchus autem notat fuiſſe, qui eam ſtatuam Valeriæ nomine dicatam affirmarent.

1. *Bonis vendendis.*] Hæ duæ voces à quibuſdam libris veteribus abſunt, teſtibus Rhenano, & Glareano. Videntur & à Livii gravitate abeſſe, cùm his demptis facilè intelligi res poſſit. Eas itaque tanquam gloſſema non illibenter expunxerim.

2. *Bona Porſenæ Regis vendendi.*] Quoties in auctione vendebatur præda ex hoſtibus capta, dicebat præco *Porſenæ bona venire*. Quod noſter ita explicat, quaſi Porſenæ bonorum nomine intelligantur, quæ citra laborem & ſine magno ſumptu obtigerunt, idque, ob rationem quæ ſubjicitur.

3. *Romanis dono dediſſe.*] Narrat Plutarchus in Popl. abſcedentem Porſenam, vetuiſſe, ne quis ſuorum quicquam præter

Urb. cond. an. 245. Coſſ. P. Valer. II. & T. Lucret.

diſſe; inopi tum urbe ab longinqua obſidione. ea deinde, ne populo immiſſo diriperentur hoſtiliter, veniſſe, bonaque Porſenæ appellata, a gratiam muneris magis ſignificante titulo, quam auctionem fortunæ regiæ, 4 quæ ne in poteſtatem quidem populi Romani eſſet. Omiſſo Romano bello Porſena, ne fruſtra in ea loca exercitus adductus videretur, cum parte copiarum filium Arunten 5 Ariciam oppugnatum mittit. Primo Aricinos res nec opinata perculerat. Arceſſita deinde auxilia & à Latinis populis, & 6 à Cumis, tantum ſpei fecere, ut acie decernere auderent. Prælio inito, adeo concitato impetu ſe intulerant Etruſci, ut funderent ipſo incurſu Aricinos. Cumanæ cohortes arreadverſus vim uſæ, declinavere paululum, d effuſeque prælatos hoſtes converſis ſignis ab tergo adortæ ſunt. Ita 7 in medio propè jam victores caſi Etruſci: pars perexigua, 8 duce amiſſo, quia nullum propius perfugium erat, Romam inermes, & fortunâ & ſpecie ſupplicum delati ſunt. ibi benigne excepti, diviſique in hoſpitia. Curatis vulneribus alii profecti domos, nuncii hoſpitalium beneficiorum. Multos Romæ hoſpitum urbiſque charitas tenuit. his locus ad habitandum datus, quem deinde 9 *Tuſcum vicum* appellarunt.

INTERPRETATIO.

a *Ita ut hoc nomen, gratum magis indicaret beneficii memoriam, quàm res* Porſenæ *regis* jure belli *publicè venditas.*

d *Et hoſtes nimio impetu abreptos ulterius.*

NOTÆ.

arma auferret: ut haberent Romani paratam omnis generis annonam, cujus inopiâ poſt diuturnam obſidionem eos laborare noverat.

4. *Quæ ne in poteſtatem quidem populi Romani eſſet.*] Et Juriſconſultis, & Ciceroni, Cæſari, ipſique Livio familiare eſt ut *in poteſtatem, ditionem*, &c. *eſſe* dicant, pro *eſſe in poteſtate*. Sed quò pertinet illa noſtri ratiocinatio, quâ, velut notatu dignum, obſervat fortunam Porſenæ in Romanorum poteſtate non fuiſſe. Non enim de fortuna Regis hic agitur; ſed de bonis, quæ ab ipſo in Caſtris relicta fuerant. Hæc autem eo animo relicta, ut venirent in poteſtatem Romanorum. Vult, ni fallor, Livius, non poſſe ad auctionem hoſtilem referri ejus formulæ originem; cum ejuſmodi publica venditio locum tunc tantùm habeat, cum à victoribus Romanis everſa eſt regis, aut populi alicujus fortuna, à quo longè aberant res Porſenæ.

5. *Aricinam.*] Latii antiqui Civitas ſub monte Albano, fuit *Aricia*, à conditore ſuo Archiloco vetuſtiſſimo Siculorum duce Ermina priùs dicta. Nunc *la Riccia*: Ducale atque amœnum oppidum 16. ab urbe milliari, cujus dominium à Savellis tranſiit ad Gbiſios. Hinc vicinus lacus Aricinus, quem Kircherus teſtatur, evaneſcentibus aquis, in agrum fœcundiſſimum evaſiſſe.

6. *A Cumis.*] Vide lib. 1. cap. 21.

7. *In medio.*] Inter Aricinos à fronte, & Cumanos à tergo.

8. *Duce amiſſo.*] Aruntem Porſenæ Regis filium, qui eo prælio cæſus.

9. *Tuſcum vicum.*] Fuit hic vicus in regione & juxta forum Romanum. Aliam antiquiorem hujus nominis cauſam habet apud Tacitum 4. Annal. à Cœle Vibenna duce gentis Etruſcæ, qui Tarquinio Priſco ſuppetias tulerat, ibi cum ſuis collocato. Varro Cœlii Vibennæ adventum ad tempus Romuli refert: à quo ei ſedes in monte Cœlio data: ſed poſt Cœlii obitum, Tuſcos eum ſequutos; quòd nimis munita loca tenerent, neque ſine ſuſpicione eſſent, deductos vult in planum; atque ab eo dictum, *Vicum Tuſcum*.

XV. 1 ^ P. Lucretius inde & P. Valerius Poplicola tertium conſules facti. Eo anno poſtremùm legati à Porſena de reducendo in regnum Tarquinio venerunt. quibus, quum reſponſum eſſet, miſſurum ad regem ſenatum legatos; miſſi conſeſtim honoratiſſimus quiſque ex Patribus. Urb. cond. an. 246. Coſſ. P. Valer. III. & P. Lucret.

2 *Non, quin breviter reddi reſponſum potuerit, non recipi reges, ideo potius delectos Patrum ad eum miſſos, quàm legatis eius Romæ daretur reſponſum: ſed ut in perpetuum mentio eius rei finiretur; non in tantis mutuis beneficiis invicem* b *animi ſollicitarentur: quum ille peteret, quod contra libertatem populi Romani eſſet: Romani, niſi in perniciem ſuam faciles eſſe vellent, negarent, cui nihil negatum vellent.* 2 *Non in regno populum Romanum, ſed in libertate eſſe. ita induxiſſe in animum, hoſtibus potius, quam regibus portas patefacere. Eam eſſe voluntatem omnium, ut qui libertati erit in illa urbe finis, idem urbi ſit. Proinde ſi ſaluam eſſe vellet Romam, ut patiatur liberam eſſe, orare.* Rex verecundia victus, *Quando id* 3 *certum atque obſtinatum eſt*, inquit, *neque ego obtundam ſæpius eadem nequicquam agendo:* c *nec Tarquinios ſpe auxilii, quod nullum in me eſt, fruſtrabor. Alium hinc, ſeu bello opus eſt, ſeu quiete, exilio quærant locum, ne quid meam vobiſcum pacem diſtineat.* Dictis facta amiciora adje-

INTERPRETATIO.

2 *Non ideirco miſſos potiùs fuiſſe ad Porſenam Senatores delectos, quàm datum Romæ reſponſum legatis, quod non abſcſſè reſponderi potuerit Tarquinios non admitti, Sed, &c.*

b *Sollicitè haberentur utrinque animi.*

c *Neque decipiam Tarquinios falsò data ſpe auxilii, quòd nullum eſt ipſis ſperandum; quantùm ad me attinet.*

NOTÆ.

1. *P. Lucretius inde.*] P. Valerio Poplicolæ tertium Conſuli Dionyſius M. *Horatium* Pulvillum iterum, Collegam adjungit anno U. C. 247. non P. Lucretium, quem alii Titum Lucretium vocant, addito Tricipitini cognomine, quod illi familiare. In Conſulatum autem Valerii tertium & Horatii alterum, confert Dionyſius idem Pacem cum Porſena, & dedicatum ab Horatio Templum Jovis Capitolini, quod triennio ante factum vult Livius, cap. hujus lib. 8. Sed, quoniam variat hic mirum in modum lectio, & in Voſſiano Codice altero teſtatur Gronovius, ſic eſſe: *P. Lucretius inde & T. Herminius, cum P. Val. Popl. Conſul. facti*; in Florent. autem libro *Spurius Publicius Lucret.* mendoſum & mutilum hunc Livii locum eſſe nemo negaverit: unde non invitus ejuſdem, Gronovii conjecturæ accefferim, ſic emendantis ex Faſtorum conditoribus, *M. Horatius iterum, & P. Valerius Poplicola tertium: tum Sp. Lartius, & T. Herminius Conſules facti*: Nam & hos duos initio cap. ſequentis interciendos Sigonius cenſet: quaſi qui non Livii, ſed librariorum vitio deeſſe videantur: ſunt enim apud Caſſiodorum, qui tabulas ſuas Conſulares ex Livio concinnaſſe putantur.

2. *Non in regno.*] Hæ ſunt rationes à Senatoribus adductæ cur negare Romani deberent, quod à Porſena petebatur.

3. *Certum atque obſtinatum eſt.*] Participium *obſtinatus*, de perſonis atque animis potiùs, quàm de rebus & conſiliis dicitur: ſed *obſtinatum* accipitur hoc loco pro eo quod affirmato, & conſtanti animo deſtinatum eſt.

[1] Omissum hic par Coss. Sp. Lartius, & T. Herminius. U. C. an. 247. Urb. cond. an. 248. Coss. M. Valerio, & P. Postumio.

cit. 4 obsidum quod reliquum erat, reddidit. agrum Vejentem, sor-
dere ad Janiculum icto ademptum, restituit. Tarquinius spe omni re-
ditus incisâ, exulatum ad generum 5 Mamilium Octavium Tusculum
abiit. Romanis pax fida ita cum Porsena fuit.

XVI. Consules deinde 1 M. Valerius, 2 P. Postumius. Eo anno 5
bene pugnatum cum Sabinis, consules triumpharunt. Majore inde mole
Sabini bellum parabant. adversus eos, & ne quid simul 3 ab Tusculo,
(unde, etsi non apertum, suspectum tamen bellum erat,) repentini
periculi oriretur, P. Valerius quartum, T. Lucretius iterum consules
facti. Seditio inter belli pacisque auctores orta in Sabinis, aliquantum 10
inde virium transtulit ad Romanos. namque 4 Attius Clausus,
cui postea Appio Claudio fuit Romæ nomen, cum pacis ipse
auctor 5 μ à turbatoribus belli premeretur, nec par factioni esset,

NOTÆ.

4. *Obsidum quod reliquum erat.*] Cur adhuc apud Porsenam pars obsidum Romanorum? An Pacis leges hi nondum impleverant? An agrum Vejentem nondum reddiderant? At ille hoc ipso tempore ipsis ab eo restitutus. Potuit hic ager eodem tempore quo redditus Porsenæ à Romanis, statim his ab illo condonari, remissis eadem operâ obsidibus qui supererant.

5. *Mamilium Octavium.*] Octavius Mamilius, Tusculanorum longè Princeps, Tarquiniam superbi filiam habuit in matrimonio, uti dictum lib. 1. cap. 49. Vid. & inf. cap. proximo.

1. *M. Valerius.*] Hic Volusi filius, Poplicolæ frater fuit, qui Sabinos contemptis Romanorum opibus, ut pote bello Etrusco fractis, bellum à latrociniis exorsos, bis in hoc magistratu vicit, deque illis triumphavit. Ejus virtutis remunerandæ causâ ædes in Palatio, publico sumptu, ædificatæ, cujus rei auctores Dionysius lib. 5. Plin. lib. 36. cap. 15. Plut. in Poplic.

2. *P. Postumius.*] *Tubertus* cognomento. *Postumum* autem & *Postumium* sine aspiratione scribi monet Sigonius laudatis Mss. & lapidibus antiquis, præsertim Capitolinis.

3. *Ab Tusculo.*] XII. ab urbe milliari versus ortum in clivo situm fuit oppidum Latii veteris *Tusculum* à quo Tusculani colles, & Tusculanum Ciceronis. Conditorem habuisse fertur Ulyssis, & Circes filium Telegonum, à cujus filia Mamilia ortum duxit Mamiliorum gens apud Festum. Locum ab ædificiorum cultu, terræ bonitate, plantarum & aquarum copiâ, laudat Strabo. Successit ejus loco, vicinum oppidum, quod nunc vulgò *Frascati* appellant, amœnitate celebratum: sedesque Episcopalis una è Cardinalitiis.

4. *Attius Clausus.*] Sive Attam, sive Attium, sive Actium Clausum dixeris hunc Sabinum, haud sanè multùm interest. Diversæ enim ab auctoribus appellationes proditæ sunt: & perperam Tatius à Svetonio, Titus à Dionysio dicitur. Qua de re Robortellus lib. 2. emend. cap. 31. & ipse Livius lib. 10. Is nomen mutavit in Appium Claudium, atque ab eo gens Claudia, potens, superba, plebique semper infesta, originem traxit.

5. *A Turbatoribus belli.*] Rectè advertunt Gronov. & Tan. Faber emersisse mendum. Qui enim diei possunt *Turbatores belli*, qui populum accendebant ad bellum? Ille itaque scribendum censet vel *bello*; vel *ab auctoribus belli*, vel à *Turbatoribus vulgi*: Faber non levi mutatione *à Turbatoribus reip.* Prima Gronovii correctio mihi maximè arridet: est enim unius tantum literæ; & cum sententiam facit elegantem, superioribus quoque optimè respondet: ut sit, *cum ipse auctor pacis, à turbatoribus bello premeretur.*

6 ab

6 ab Regillo magna clientium comitatus manu, Romam transfugit. His civitas data, 7 agerque trans Anienem. vetus 8 Claudia tribus, additis postea novis tribulibus, qui ex eo venerant agro, appellata. Appius inter Patres lectus, haud ita multo post 9 in principum dignationem pervenit. Consules infesto exercitu in agrum Sabinum profecti, quum ita vastatione, deinde 9 prælio afflixissent opes hostium, ut diu nihil inde rebellionis timere possent, triumphantes Romam redierunt. P. Valerius omnium consensu princeps belli pacisque artibus, anno post, Agrippa Menenio, P. Postumio Consulibus, moritur, gloria ingenti, copiis familiaribus adeo exiguis, ut funeri sumptus deesset: 10 de publico est elatus. Luxêre matronæ, ut Brutum. Eodem anno duæ coloniæ Latinæ, 11 Pometia & 12 Cora 13 ad Auruncos deficiunt. cum Auruncis bellum initum: fusoque ingenti exercitu, qui se ingredientibus fines consulibus ferociter obtulerat, omne Auruncum bellum Pometiam

Urb. cond. an. 249. Coss. P. Valer. III. & T. Lucret. II.

INTERPRETATIO.

a *In existimationem & gradum primariorum Senatorum.*

NOTÆ.

6. *Ab Regillo.*] Oppidum Sabinorum fuit *Regillum*, sive *Regilli*, aut *Regilla*, ultra Eretum & Nomentum, circa Alliam amnem. Ejus situm exacte notare difficile est. Apud Kircherum in Sabinæ tabula est *Castalupo*, inter amnes Aventem (hodie *Galantino*) & Curensem. Hic sedem habuit Attius Clausus, antequam Romam migraret. Cum eo autem loco nihil commune præter nomen videtur habere lacus Regillus, qui in Latio fuit, de quo paulò post cap. 19.

7. *Agerque trans Anienem.*] In Confinio Sabinorum inter Fidenas & Ficuleam, agrum Claudio Senatus ex publico dedit, teste Dionysio. Addit Pluth. Claudio quidem jugera quinque & viginti, cæteris duo, à P. Valerio fuisse assignata.

8. *Claudia Tribus.*] Fuerat jam à Servio Tullio vetus instituta tribus, quæ proprium ex loco nomen habebat; sed ea nunc adscripto cum magna clientum manu Appio Claudio, nomen mutavit, Claudia inde appellata, auctore Dionysio eodem lib. 5.

9. *Prælio afflixissent.*] Hoc prælium graphicè describitur à Plut. in Poplicola.

10. *De publico est elatus.*] Non publico sumptu: nam à civibus collati sunt singuli quadrantes, si Plutarcho fides: sed populus ei honorem hunc funeris publicè decrevit; atque ad illud ornandum, viritim facta est contributio. Præterea intra urbem juxta Velum sepultus est, ejusque sepulcri honos posteris ipsius permissus; cum cæteri extra urbem sepelirentur.

11. *Pometia.*] De Suessa Pometia Volscorum Civitate lib. 1. cap. 25. & 53. Adde à Kirchero lib. 4. Latii, ad dextram Asturæ fluvii poni, quemadmodum à Cluv. licet in Latii tabula generali ultra eum scribatur. Ager Pomtinus olim 23. oppidis frequentatus, horreum & penuarium Romanorum vocatur ab Halicarnasseo.

12. *Cora.*] In Volscis quoque fuit *Cora* paulò supra Pometiam, etsi Virgilius antiquis Latinis assignet. Conditam volunt à Corace Tiburti, & Catilli Tiburtinæ urbis fundatorum fratre. Imminebat viæ Appiæ. Vocatur hodie *Cori*, 6. ultra Velitras milliari.

13. *Ad Auruncos.*] In extremo Latio novo fuere *Aurunci*, Ausonum progenies, inter Volscos & Campanos ad utramque Liris fluvii ripam. Ea regio nunc Terræ Laborinæ pars est in regni Neapolitani aditu, ubi Fundi & Cajeta.

compulſum eſt. Nec magis poſt prælium, quam in prælio cædibus temperatum eſt. & eæſi aliquanto plures erant quam capti, & captos paſſim trucidaverunt. nec ab obſidibus quidem, qui CCC accepti numero erant, 14 ira belli abſtinuit. Et hoc anno 15 Romæ triumphatum.

Urb. cond. an. 251. Coſſ. Opi. Virginio, & Sp. Caſſio.

XVII. Secuti conſules 1 Opiter Virginius, & Sp. Caſſius, Pometiam primo vi, deinde 2 vineis aliiſque operibus oppugnaverunt. in quos Aurunci, magis jam 3 inexpiabili odio, quam ſpe aliqua, aut occaſione coorti, quum plures igni quam ferro armati excurriſſent, cæde incendioque cuncta complent: vineis incenſis, multis hoſtium vulneratis & occiſis, conſulum quoque alterum (ſed utrum, nomen auctores non adjiciunt) gravi vulnere ex equo dejectum propè interfecerunt. Romam inde malè geſta re reditum. inter multos ſaucios conſul ſpe incerta vitæ relictus. Interjecto deinde haud magno ſpatio, quod vulneribus curandis, ſupplendoque exercitui ſatis eſſet: tum irâ majore belli, tum viribus etiam auctis, Pometiæ arma illata. & quum vineis refectis, aliaque mole belli, jam in eo eſſet, ut in muros evaderet miles, deditio eſt facta. cæterùm nihilo minùs fœdè deditâ urbe, quam ſi capta foret, Aurunci paſſim principes ſecuri percuſſi: 4 ſub corona venierunt 5 coloni alii; oppidum dirutum,

NOTÆ.

14. *Ira belli abſtinuit.*] Ita per metaphoram dicitur *ira belli*, ut belli furor & bellum crudele, pro ira, furore & crudelitate bellantium. Neque alia hic lectio quærenda: etſi Latinæ ſint, quæ à Gronovio adducuntur. *Ira belli hoſtilis abſtinuit*, & *ira belli hoſtilia abſtinuit*, & quam ſuggerit Lipſius, *iram belli hoſtis abſtinuit*. Sed minùs elegantiam, & brevitatem Livianam ſapiunt.

15. *Roma triumphatum.*] De Auruncis ambo Conſules triumpharunt; de Sabinis triumphavit Agrippa: Poſtumius non triumphum duxit, ſed ovans urbem ingreſſus eſt primus, auctore Plin. lib. 15. De hoc minoris triumphi genere videndus in primis Sigon. lib. Commentarior. in Faſtos.

1. *Opiter Virginius.*] Nomen *Opiter* eum ſignificat, qui patre mortuo, vivo avo, editus eſt: dictus enim *Opiter*, vel ab obitu patris, antequam ipſe natus eſſet; vel quòd avum *ob.* patrem habuerit, id eſt ante, aut loco patris.

2. *Vineis aliiſque operibus.*] Machinæ tabulatis cratibuſque conſtratæ, & terra adopertæ, quæ rotulis impellebantur, & cujus tecto obſeſſores tuti murorum fundamenta ſubruebant. *Vineæ* dicebantur, teſte Vitruvio & Lucano, qui hoc machinæ genus egregiè deſcribit lib. 3. Harum nunc uſum præſtant, quas noſtri vocant Porticus, vulgò, *des Galeries*.

3. *Inexpiabili odio.*] Immane illud in Romanos odium non immeritò Aurunci conceperant, ob cæſos ab illis non ſolùm armatos ſuorum, ſed Captivos quoque, ipſoſque obſides à ſe datos.

4. *Sub corona venierunt.*] Auctione in ſervitutem venditi ſunt. Etenim Captivi coronati venire ſolebant, Feſto auctore: ideoque ſub Coronis venire dicebantur apud A. Gell. lib. 7. cap. 4. Ex quo diſcimus generaliter apud Romanos Coronam ſignum eſſe mancipiorum venalium.

5. *Coloni alii.*] Poſtquàm Principes Auruncorum paſſim ſecuri percuſſos dixit, addit Colonos alios ſub Corona veniſſe. An ergo Aurunci quoque inter Colonos Pometinos? At paulò antè Pometiæ Latina Colonia dicitur ad Auruncos, tanquam ſcilicet diverſos, deſeciſſe. Interpungendum fortè ita, *Coloni, alii*: ut venierint tam Cives ipſi ejus Coloniæ, quàm alii, ſive Aurunci plebeji in ſubſidium miſſi, ſive ſervi colonorum, & ſi qui in ea urbe reperti exteri.

Digitized by Google

ager veniit. Consules magis ob iras gnaviter ultas, quam ob magnitudinem perfecti belli [6] triumpharunt.

XVIII. Insequens annus [1] Postumum Cominium & T. Lartium, Consules habuit. Eo anno Romæ, quum per ludos ab Sabinorum juventute per lasciviam [2] scorta raperentur, concursu hominum rixa ac prope prælium fuit: parvaque ex re ad rebellionem [3] spectare res videbatur. [4] Supra belli Latini metum id quoque accesserat, quod triginta jam conjurasse populos, concitante Octavio Mamilio, satis constabat. In hac tantarum exspectatione rerum sollicita civitate, [5] dictatoris pri- Urb. con. an. 252. Cos. Postumo Cominio, & T. Lartio.

NOTÆ.

6. *Triumpharunt*.] Hujus de Aurunceis triumphi Dionysius, haudquaquam meminit. Cassium solùm confecto bello quod jam per quadriennium cum iis gerebatur, triumphasse memorat: eique consentiunt fragmenta Capitolina.

1. *Postumum Cominium*.] Annus post Reges exactos 8. qui aliis 9. numeratur, ab urbe condita 252. Consules habuit *Postum. Cominium* Auruncum, *T. Lartium* Flavum, Spurii fratrem.

2. *Scorta raperentur*.] De occasione hujusce raptus laborandum non videtur, quam frustra Lipsius & Bulengerus referunt ad prostibula, quæ in scena publicabantur. Nondum enim scenici illi apud Romanos ludi, quem in modum observat Gruterus. Frustra ipse Consulibus esse proposita fingit vilia scorta colore vestis notabilia, quæ post ludos raperentur à juventute absque ulteriore injuria, in memoriam raptus Sabinarum. Nihil hic solenne, sed lasciviam meram narrari cum Gronov. puto.

3. *Spectare res videbatur*.] Suspecta est eidem Gronovio repetitio nominis *res*: quòd dicatur, *parvaque ex re ad rebellionem spectare res videbatur*: adjicit loca Livii alia in quibus ea vox nolenti auctori adjecta videtur: ideo mavult *ad rebellionem spectare videbantur*. Verùm & noiter has minutias sæpenumerò spernit; & similes vocum iterationes Ciceroni, Cæsari, aliis, non sine aliqua elegantiæ affectatione, usurpantur.

4. *Supra belli Latini metum*.] Ex Dionysio, qui auctore nostro in his accuratior, discimus populos Latinorum, concitante Mamilio Tarquinii Regis genero Ferentinum (de quo lib. 1 cap. 50.) convenisse: absentibusque Romanis, quos ad consilium, uti ex fœdere tenebantur, non convocaverant, bellum adversus eos decreviſſe. Hi ergo triginta populi totidem sunt Civitates, sive oppida: neque id *supra belli Latini metum accesserat*; quasi hæc res à Latini belli suspicione diversum quid esset, (erant enim hi omnes populi Latini): sed ad suspicionem accesserat certa notitia conspirationis, cui color quæsitus ex eo quod Romani Etruscos, Arieiâ frustra obsessâ repulsos, fovissent, ex Dionysio. Quia tamen hæc loci hujus interpretatio non prorsus ambagibus carere videtur; mallem esset *Supra belli Sabini metum*: sic enim plana omnia, nec opus esset interpretatione.

5. *Dictatoris primùm creandi mentio orta*.] Mentio quidem facta est: nondum tamen reverà creatus est hoc anno Dictator; sed triennio post, nisi fallitur Dionysius. Hic Dictatoris nomen Romanos ab Albanis sumpsisse docet, qui post Numitorem, deficiente regiâ stirpe, summum imperium annuo magistratui sub eo titulo mandaverint. Causam nominis idem post Varronem lib. 4. de Ling. Lat. itemque Plut. in Marcello duplicem tradunt, vel quod ab uno diceretur, nec à populo crearetur, ut cæteri magistratus; vel quòd summam edicendi, seu jubendi potestatem haberet, ejusque dicto audientes esse omnes oporteret: dicebaturque *optimâ lege* fieri; quibus verbis quam plenissimum jus significabatur. Postquam verò provocatio ab eo magistratu ad populum data est, desitum est dici ut *optimâ lege*, utpote imminuto priori jure: quemadmodùm scribit Festus. Patricii tantùm, & Consulares ad hunc honorem his tem-

Urb. cond. an. 252. Coſſ. Poſt. Cominio, & T. Lart.

mum creandi mentio orta, ſed [6] nec quo anno, nec quibus conſulibus, [7] quia ex factione Tarquinia eſſent (id quoque enim traditur) parum creditum ſit, nec [8] quis primum dictator creatus ſit, ſatis conſtat. apud veterrimos tamen auctores T. Lartium Dictatorem primum, Sp. Caſſium [9] magiſtrum equitum, creatos invenio. Conſulares legêre, ſ ita lex jubebat de dictatore creando lata. Eo magis adducor, ut credam Lartium, qui conſularis erat, potius quam [t] Manium Valerium, M. filium, [10] Voleſi nepotem, qui nondum conſul fuerat, [11] moderatorem & magiſtrum conſulibus appoſitum. qui ſi maxime ex ea familia legi dictatorem vellent, patrem multo potius, M. Valerium ſpectatæ virtutis & conſularem virum legiſſent. Creato dictatore pri-

NOTÆ.

poribus evecti, nec niſi poſt centeſimum & quinquageſimum ferè annum plebi patuit. Cauſam Dictatoris primùm creandi refert Oroſius ad Sabinos bellum moventes: noſter ad Latini belli metum bello Sabino adjectum: Dionyſius ad coërcendam plebem, quæ demerſa ære alieno ad bellum Latinum detrectabat nomina dare. Er à prineipio quidem hæ cauſæ duæ memorantur, rei gerendæ, aut ſedandæ ſeditionis. His aliæ deinde acceſſerunt, Clavi tempore peſtis figendi, ludorum celebrandorum, feriarum Latinarum, habendorum Comitiorum, legendi Senatus, ac tandem reip. conſtituendæ.

6. *Nec quo anno.*] Euſebius & Eutropius, quod Livius injectam Dictatoris mentionem dixerat, Poſtumo Cominio, & T. Lartio Conſulibus, tanquàm rem geſtam videntur accepiſſe. Itaque nono poſt exactos reges anno creatum Dictatorem tradunt. Sed, ut dixi, Dionyſius ejus rei initium refert ad Conſulatum T. Lartii ſecundum, & Q. Cloelii, annum urbis 255. qui ab hinc tertius fuit. Eo anno Senatuſconſultum factum eſſe ait, ut Conſules cæterique magiſtratus abdicarent, unuſque vir, quem Senatus nominaret, populus ſciſceret, haud ampliùs quàm ſex menſium ſpatio, ſine provocatione imperaret. Itaque Cloelio, Conſuli negotium datum Dictatoris dicendi: ab hoc T. Lartium Collegam Dictatorem dictum.

7. *Quia ex factione Tarquinia.*] Hic indicatur nova Dictatoris creandi cauſa, ſuſpicio nempe in Conſules, qui tunc erant, quaſi æquo propenſiores in partes Tarquiniorum.

8. *Quis primùm Dictator creatus ſit.*] Sententiam Dionyſii, cum Livio ſentientis proxima annotatio aperuit. Alii inque his Feſtus, Manium Valerium, Marci filium, Voleſi Nepotem, primum Dictatorem creatum ſcribunt, qui tamen nondum Conſul fuerat.

9. *Magiſtrum Equitum.*] Ideo *Magiſtrum equitum* dictum tradit Varro lib. 4. de Ling. Lat. quòd ſumma ejus eſſet in equites & accenſos poteſtas, perinde atque Dictatoris in populum. Primò à T. Lartio dictatore Magiſtrum Equitum dictum Sp. Caſſium, qui jam Conſul fuerat, convenit inter Livium & Dionyſium: qui auctor eſt hinc eam ſemper conſuetudinem ad ſuam uſque ætatem manſiſſe, ut Dictator ſine Magiſtro Equitum, magiſtratum non gereret. Et hæc quidem fuit conſuetudo; id tamen Sigonius & bello Punico 2. & ab ipſo Julio Cæſare neglectum fuiſſe obſervat.

10. *Voleſi nepotem.*] Sigonius idem, non *Voleſi*, ſed *Voluſi* prænomen Valeriæ gentis proprium fuiſſe ex Feſto lib. 13. & ex Capitolinis lapidibus probat.

11. *Moderatorem, Magiſtrum Conſulibus appoſitum.*] Dictator alio nomine dicebatur *Magiſter populi*: ſed an is *appoſitus Conſulibus* rectè dicatur; an potiùs *impoſitus*, aut, *oppoſitus* dici debuerit, ambigi poſſet. Non enim unà cum Conſulibus, quaſi eorum moderator, magiſtratum geſſit *Lartius*, aut quis alius Dictator: ſed ſolus, abdicatione ſub-

Digitized by Google

mum Romæ, poſtquam præferri ſecures viderunt, magnus plebem metus inceſſit, ut intentiores eſſent ad dicto parendum. neque enim ut in conſulibus, qui pari poteſtate eſſent, alterius auxilium, neque provocatio erat: neque ullum uſquam, niſi in cura parendi, auxilium. Sabinis etiam, creatus Romæ dictator (eo magis quod propter ſe creatum crediderant) metum incuſſit. itaque legatos de pace mittunt: quibus orantibus dictatorem ſenatumque, ut veniam erroris hominibus adoleſcentibus darent; reſponſum ignoſci adoleſcentibus poſſe, ſenibus non poſſe, qui bella ex bellis ſererent. actum tamen eſt de pace: impetrataque foret, ſi quod impenſæ factum in bellum erat, præſtare Sabini (id enim poſtulatum erat) in animum induxiſſent. Bellum indictum. [12] tacitæ induciæ quietum annum tenuere.

XIX. [1] Conſules Servius Sulpicius, Manius Tullus. nihil dignum memoria actum. [2] T. Æbutius deinde & C. Veturius. His conſulibus [3] Fidenæ obſeſſæ, [4] Cruſtumeria capta, [5] Prænesta ab Latinis ad Romanos deſcivit. nec ultra bellum Latinum, gliſcens jam per aliquot annos, dilatum. [6] A. Poſtumius dictator, [6] T. Æbutius Magiſter equitum magnis copiis peditum Equitumque profecti [7] ad lacum Regil- Urb. cond. an. 254. Coſſ. Æbutio, & C. Veturio.

NOTÆ.

motis omninò Conſulibus. Potuit tamen illis *appoſitus*, & quaſi adjectus, eatenus intelligi, quatenus in eorum annum irrepſit, quamvis conjunctim cum iis rempublicam non adminiſtraverit.

12. *Tacitæ induciæ*.] Non pacto & conventione, ſed utriſque bello abſtinentibus.

1. *Conſules Servius Sulpicius*.] Conſules anno ab exactis regibus 10. ut Cic. tradit de claris Orator. id eſt, ab U. C. 253. fuêre *Servius Sulpicius* Camerinus, & *Manius Tullius*, ſeu *Tullus* Longus; quem in magiſtratu mortuum eſſe ſcribit Dionyſius, neque ejus loco quenquam ſubrogatum, quod in fine annus eſſet. Gronov. ex Cod. Voſſiano ſuſpicatur rotundiùs ſcriptum eſſe à Livio *Conſulibus Servio*, &c. nihil dignum memoriâ actum.

2. *T. Æbutius*.] Annus hic eſt 254. poſt exactos vero reges 11. Conſulum nomina *T. Æbutius* Elva T. F. & *P. Veturius* Geminus. Hunc Valer. Poplicola Conſule, quæſtorem primum creatum ſcribit Plut. qui Publium nominat, non Cajum, ut eſt in depravatis Livii libris: qui & *Vetuſium* habent antiquo more, quo *ſ.* pro *r*, ſcribebatur, ut in *Valeſiis*, *Fuſiis*, &c.

3. *Fidenæ*.] De his dictum lib. 1. cap. 14.

4. *Cruſtumeria*.] Cruſtuminorum oppidum: de quo lib. 3. cap. 9. ac 10.

5. *Prænesta*.] Ex antiquiſſimis & celeberrimis antiqui Latii oppidis fuit *Prænesta* conditum à Prænesto Latini filio, Ulyſſis & Circes nepote, ut Strabo; aut à Cæculo, ut Servius tradit. Fano in primis Fortunæ celebrabatur, unde ſortes Prænestinæ. Hinc etiam via Prænestina. Diſtat ab urbe millia paſſuum circiter 21. Eſtque Epiſcopatus Cardinalis, & Principatus hodie Barberinorum. Vulgò *Paleſtrina*, ſeu *Pilaſtrina* in Campania Romana, & Pontificia ditione, ſi id quoque in tanta Romæ vicinia admonere tanti eſt.

6. *T. Æbutius*.] Idem, qui hoc anno Conſul. Florus Coſſum magiſtrum equitum hic vocat, Feneſtella cap. 9. Sp. Caſſium.

7. *Ad Lacum Regillum*.] In agro Tuſculano, haud procul ab urbe fuiſſe lacum hunc *Regillum* ipſe Livius hoc loco docet. Eo in tractu non alium eſſe lacum teſtatur Cluverius, quàm qui Italis dicitur, *Lago di Caſtiglione*. Sed Lacus Sanctæ Praxedis (*di S. Praſſede*)

ſum in agro Tuſculano agmini hoſtium occurrerunt. & quia Tarquinios eſſe in exercitu Latinorum audicum eſt, ſuſtineri ira non potuit, quin extemplò conſligerent. Ergo etiam prælium aliquanto quam cætera gravius atque atrocius fuit. non enim duces ad regendam modo conſilio rem affuêre, ſed ſuîmetipſis corporibus dimicantes [a] miſcuêre certamina. nec quiſquam procerum ferme hac aut illa ex acie ſine vulnere; præter dictatorem Romanum, exceſſit. In Poſtumium, prima in acie ſuos adhortantem inſtruentemque, [8] = Tarquinius Superbus, quamquam jam ætate & viribus erat gravior, [b] equum infeſtus admiſit: ictuſque ab latere, concurſu ſuorum receptus in tutum eſt. Et [9] ad alterum cornu Æbutius magiſter equitum in Octavium Mamilium impetum dederat: [c] nec fefellit veniens Tuſculanum ducem: contra quem ille concitat equum. tantaque vis infeſtis venientium haſtis fuit, ut brachium Æbutio trajectum ſit, Mamilio pectus percuſſum. Huno quidem in ſecundam aciem Latini receepere. Æbutius quum ſaucio brachio tenere telum non poſſet, pugnâ exceſſit. Latinus dux nihil deterritus vulnere, prælium ciet: & quia ſuos perculſos videbat, arceſſit cohortem exulum Romanorum, cui L. Tarquinii filius præerat. ea quò majore pugnabat ira ob erepta bona, patriamque ademptam, pugnam parumper reſtituit.

Urb. cond. an. 254. Dictat. A. Poſtumio.

XX. Referentibus jam pedem ab ea parte Romanis, [1] M. Valerius, Poplicolæ frater, conſpicatus ferocem [2] juvenem Tarquinium oſtentantem ſe in prima exulum acie, domeſticâ etiam gloria accenſus, [a] ut cujus familiæ decus ejecti reges erant, ejuſdem interfecti forent; ſubdit calcaria equo, & Tarquinium infeſto ſpiculo petit. Tarquinius retro in agmen ſuorum infenſo ceſſit hoſti. Valerium

INTERPRETATIO.

a Ipſi *pugnam inter ſe commiſerunt*.
b *Equum concitavit hoſtili animo*.
c Et *advenienſ non latuit*.

2 *Quò reges interfecti decus afferrent familiæ* Valeriæ, *ut* decus jam attulerant *reges ejecti*.

NOTÆ.

idem eſt cum Lacu Caſtillionis, 14. milliari ab urbe ex Holſtenio, qui Gabinum veterem Lacum, ſic hodie vocari cenſet: *Regillum* verò eſſe parvum alium lacum, nec multùm inde diſſitum ſub Columna oppido, à quo illuſtris Columnenſium gens nomen traxit. Ab hac ad lacum Regillum victoria Poſtumii *Regillenſes* cognominati: ab urbe Sabinorum Claudii dicti Regillani.

8. *Tarquinius Superbus*.] Variaſſe hac in re hiſtoricos apparet. Dionyſius certè huic pugnæ interfuiſſe Tarquinium patrem negat, utpotè jam nonagenarium. Titum filium cum Dictatore congreſſum ait, Sextum etiam hoc prælio interfectum, quem Gabiis occiſum noſter ſub finem libri 1. ſcriptum reliquit.

9. *Ad alterum cornu*.] Nunc dicimus, *A l'aile gauche*.

1. *M. Valerius*.] Qui in Conſulatu de Sabinis triumphaverat.

2. *Juvenem Tarquinium*.] Titum Tarquinium, an Sextum? Sed ille cum Dictatore certaſſe dicitur à Dionyſio: hic cæſus: quorum neutrum huic juveni aſcribit Livius. Sed videtur tamen Titum intelligere: quandoquidem Sextum Gabiis interfectum lib. 1. cap. ult. tradidit.

temere invectum in exulum aciem, ex transverso quidam adortus transfigit: nec quicquam equitis vulnere equo retardato, moribundus Romanus 3 labentibus super corpus armis, ad terram defluxit. Dictator Postumius, postquam cecidisse talem virum, exules ferociter cito agmine invehi, suos perculsos cedere, animadvertit; cohorti suæ, b quam delectam manum præsidii causâ circa se habebat, dat signum, ut quem suorum fugientem viderint, pro hoste habeant. ita metu accipiti versi à fuga Romani in hostem, & restituta acies. Cohors dictatoris tum primum prælium iniit. integris corporibus animisque, fessos adorti exules, cædunt. Ibi alia inter proceres cohorta pugna. 4 Imperator Latinus, ubi cohortem exulum à Dictatore Romano propè circumventam vidit, 5 ex subsidiariis manipulos aliquot in primam aciem secum rapit. hos 6 agmine venientes 7 T. Herminius legatus conspicatus, interque eos insignem veste armisque Mamilium noscitans, tanto vi majore, quam paulò ante magister equitum cum hostium duce prælium iniit, ut & uno ictu transfixum per latus occiderit Mamilium, & ipse inter spoliandum corpus hostis 8 veruto percussus, quum victor in castra esset relatus, inter primam curationem exspiraverit. Tum ad equites dictator advolat, obtestans, ut 9 fesso jam pedite, descendant ex equis, & pugnam capessant. Dicto paruere: desiliunt ex equis, 9 provolant in primum, & 10 pro antesignanis parmas objiciunt. Recipit extemplo animum pedestris acies, post-

Urb. cond. an. 254. Dictat. A. Postumio.

INTERPRETATIO.

b *Quam* cohortem *habebat circa se*, tanquàm *multitudinem selectam, ad præsidium corporis sui*.

NOTÆ.

3. *Labentibus super corpus armis.*] Scutum, opinor, intelligit collo fortè appensum, cecidisse supra corpus morientis, & ex vulnere in terram labentis: alioqui cætera arma corpori cohærebant.

4. *Imperator Latinus.*] Oct. Mamilius.

5. *Ex subsidiariis manipulos.*] Duos. ut plurimùm peditum Centurias continet *Manipulus*. Subsidiarii autem dicebantur milites, qui post agmen subsidebant; ut laborantibus prioribus succurrerent nostro more, *le corps de reserve*.

6. *Agmine venientes.*] Id est nobis, *comme ils venoient serrez en un bon ordre.*

7. *T. Herminius Legatus.*] Qui nono ante anno Consulatum gesserat, T. Herminius Aquilinus, nunc legatum magistri equitum gerebat: *Il estoit Lieutenant dans l'armée*, & in locum Æbutii vulnerati successerat.

8. *Veruto percussus.*] *Verutum* est serrei teli genus instar veru: hastile nimirum trium pedum semis, præfixo ferro unciarum quinque, ut Modestus explicat, auctor libelli de vocabulis militaribus ad Tacitum Augustum.

9. *Provolant in primum.*] Intellige locum, aut agmen. Quæ loquendi forma nostro familiaris.

10. *Pro Antesignanis.*] Loco Antesignanorum fugientium, vel tanquàm Antesignani. Qui ante signa, iis tuendis in acie collocantur, dicuntur Antesignani Lipsio. Salmasius hoc nomen circa Cæsaris ætatem natum affirmat, & pro Velitibus intelligi, qui ante signa in hostem procurrerent, & primi pugnam cierent, ita ut tota legionariorum, seu gravis armaturæ acies Postsignanorum nomine contineretur.

quàm 11 juventutis proceres, æquato genere pugnæ, secum partem periculi sustinentes vidit: tum demum impulsi Latini, perculsaque inclinavit acies. 12 Equitibus admoti equi, ut persequi hostem possent, secuta & pedestris acies. Ibi nihil nec divinæ nec humanæ opis Dictator prætermittens, ædem Castori vovisse fertur; ac pronunciasse militi præmia, qui primus, qui secundus, castra hostium intrasset. tantusque ardor fuit, ut eodem impetu, quo fuderant hostem, Romani castra caperent. Hoc modo ad lacum Regillum pugnatum est. Dictator & magister equitum, 13 triumphantes in urbem redière.

Urb. cond. an. 255. Coss. Q. Cœl. & T. Lart.

XXI. Triennio deinde nec certa pax nec bellum fuit. Consules 1 Q. Cœlius & T. Lartius. Inde 2 A. Sempronius & M. Minucius. his consulibus 3 ædes Saturno dedicata: 4 Saturnalia institutus festus dies. 5 A. deinde

NOTÆ.

11. *Juventutis proceres.*] Num potiùs *Juventutem procerum?* Patricios enim Juvenes intelligit, qui tunc soli equis militabant.

12. *Equitibus admoti equi.*] Equites, qui in pedes desilierant, rursus in equos ascenderunt, ut fugientes insequerentur hostes.

13. *Triumphantes.*] Horum triumphorum in hunc annum non facilè alius auctor. Postumii Triumphum de Latinis, ut & Consulatum, & Dictaturam, refert Sigonius ad an. 257.

1. *Q. Cœlius, & T. Lartius.*] Anno 255. Consules fuêre *T. Lartius* Flavus anno 11. ab exactis regibus, & *Q. Cœlius* Siculus. T. Lartius idem est, qui antea Consul fuisse memoratur, & cujus tanquàm Dictatoris primi jam mentionem Livius fecit cap. 18. sed hanc ejus dignitatem in hunc annum rejicit Dionysius, qui & ab eo Fidenas captas, sumptumque de Fidenatibus supplicium, & lustrum sextum conditum narrat, censaque Civium capita 150700. quæ omnia Livius silentio involvit.

2. *A. Sempronius.*] Eduntur in annum 256. Consules *A. Sempronius* Atratinus, & *M. Minucius* Augurinus.

3. *Ædes Saturno.*] Nota est Saturni fabula. Primus ei simul & Opi templum Sabino bello vovit, atque in monte Capitolino construxit Tullus Hostilius. Aliud vovit Tarquinius Superbus. Dionysius hoc anno dedicatum narrat in clivo Capitolino, quà è foro ascenditur, ubi anteà fuerat ara ab Hercule sacrata. Apud hanc ædem Ærarium fuit populi Romani, in quo tum pecunia, tum acta publica asservari mos erat. Id tamen à Poplicola institutum vult Plutarchus, à quo destinari quidem ea res potuit, non perfici: si non ante hunc annum dicata ædes fuit. Hujus autem Instituti cum plures afferantur causæ, hæ maximè probabiles videri possunt, quòd locus munitus & conspicuus, eoque tutus esset; quodque Saturno regnante privatum nihil fuisse dicatur, ideoque nec furtum commissum. S. Cyprianus hanc rationem addit, quòd Saturnus nummum primus percussisset.

4. *Saturnalia.*] Ante Cæsarem Saturnalia uno die, nempe XIV. Kal. Januarias celebrabantur. Cum autem Cæsar in anno emendando dies duos mensi Decembri adjecisset, cœpit hoc Festum XVI. Kal. Januarias agi; unde cum alii ex veteri more, quidam ex instituto Cæsaris celebrarent, factum est paulatim ut pluribus diebus id festum ageretur: & Augustus deinde eas ferias triduo servari jussit. Saturnalibus autem munera mitti solebant, Cerei præsertim; serviisque convivio exceptis domini eo tempore ministrabant. De harum feriarum ritu atque origine plura apud Dionys. habes lib. 6. atque in primis apud Macrobium lib. 1. Saturn.

5. *A. deinde Postumius.*] Factos in an. U. C. 257. Consules *A. Postumium* Album, & *T. Virginium* Tricostum Cœlimontanum ex nostro, & fastis Siculis, aliisque discimus.

dc

de Poſtumius & T. Virginius conſules facti. Hoc demum anno ad Regillum lacum pugnatum, [6] apud quoſdam invenio: A. Poſtumium, [7] quia collega dubiæ fidei fuerit, ſe conſulatu abdicaſſe. dictatorem inde factum. [a] Tanti errores implicant temporum, aliter apud alios ordinatis magiſtratibus, ut nec qui conſules ſecundum quoſdam, nec quid quoque anno actum ſit, in tanta vetuſtate, non rerum modo, ſed etiam auctorum, digerere poſſis. [8] Ap. Claudius deinde & P. Servilius conſules facti. Inſignis hic annus eſt nuncio [9] Tarquinii mortis. Mortuus eſt [10] Cumis, quò ſe [11] poſt fractas opes Latinorum [12] ad Ariſtodemum tyrannum contulerat. Eo nuncio erecti Patres; erecta plebs. ſed Patribus [b] nimis luxurioſa ea fuit lætitia: plebi, [c] cui ad eam diem ſumma

Urb. cond. an. 257. Coſſ. A. Poſtum. & T. Virgin.

INTERPRETATIO.

a *Tanta ſunt ambages quibus tempora illa involuuntur; Conſulum cæterorumque magiſtratuum ſerie, aliter* atque aliter *apud hiſtoricos digeſta: ut in hac tam longinqua, tum rerum geſtarum, tum ſcribentium etiam antiquitate, diſcerni ac diſtingui nequeat, ex certa ſaltem aliquorum narratione; nec quinam tunc Conſules eſſent cum res gererentur, nec quo anno geſta ſint.*

b *Hoc gaudium nimis intemperans fuit.*

c *Quam hactenus* Senatores *benignè tractando* ſibi *demereri accuratè ſtuduerant.*

NOTÆ.

6. *Apud quoſdam invenio.*] Atque hoc probabilius, quod T. Lartius ante Poſtumium Dictator fuerit, illius autem dictaturam in an. 255. confert Dionyſ. nec Livius, qui antevertere videtur, aliud affirmat, quàm Dictatoris creandi mentionem factam. Deinde hoc anno triumphi de Latinis veſtigia ſunt in fragmentis Capitolinis. Hoc quoque anno pugnatum Idibus Quintilibus, priſtinamque ſocietatem Latinis hoc bello redditam, Dionyſ. eſt auctor.

7. *Quia Collega.*] T. Virginius.

8. *Ap. Claudius.*] Sequitur conſulatus Appii Claudii Sabini, P. Servilii Priſci, quem Conſulatum Plinius lib. 35. cap. 31. adſignat an. ab U. C. 259.

9. *Tarquinii mortis.*] Mortuus eſt nonagenario major nefarius parricida, ſuis omnibus ſuperſtes: quò gravius divinam per tot caſus ultionem experiretur. Tullia ejus uxor, agitantibus paternorum manium furiis; parricidii ſui pœnas propriis manibus jamdiù à ſeipſa exegerat, ſub initium tumultuum.

10. *Cumis.*] Inter Vulturni fl. oſtia, & Miſenum promontorium in Campania, quæ nunc Terra Laboris regni Neapolitani pars, fuit urbs *Cuma*, Græcis numero ſingulari Κύμη. Vicini populi olim Opici dicti. Antiquiſſima creditur Græcarum per Italiam Coloniarum, à Chalcidenſibus Euboeæ populis, duce Megaſthene condita, adjunctis Cumanis ex Æolide profectis, quorum dux Hippocles, Strabone teſte lib. 5. Eorum meminit etiam Paterculus lib. 1. Nomen accepiſſe videtur, vel à Cuma Hippoclis patriâ, vel ἀπὸ τῶν κυμάτων, à fluctibus. Contiguum quippe littus, inſtar ſcopuloſi ſaxi, mari eſt objectum; inter quod & proximam inſulam Ænariam ſeu Pithecuſas, immanium fluctuum motus, & ventorum impetuoſiſſimi flatus fiebant. Cumanorum Colonia Neapolis fuit, à qua nunc ſinus Neapolitanus, qui olim Cumanus. Hinc etiam nomen accepit Cumæa Sibylla in templo Apollinis reddens Oracula.

11. *Poſt fractas opes Latinorum.*] Addè & poſt eorum cum Romanis pacem, ex Dionyſio: quam nonniſi pulſis exulibus obtinuerant à Senatu & Poſtumio.

12. *Ad Ariſtodemum.*] Hujus Tyranni originem, artes, bella deſcribit Dionyſ. lib. 7.

opę inſervitum erat, injuriæ à primoribus fieri cœpere. Eodem anno 13 Signia colonia, quam rex Tarquinius dederat, ſuppleto numero colonorum iterum deducta eſt. Romæ 14 Tribus una & viginti factæ. 15 Ædes Mercurii dedicata eſt idibus Maiis.

Urb. cond. an. 258. Coſſ. App. Claud. & P. Sempron.

XXII. Cum 1 Volſcorum gente, Latino bello, neque pax, neque bellum fuerat. nam & Volſci comparaverant auxilia, quæ mitterent Latinis, ni maturatum ab dictatore Romano eſſet: & maturavit Romanus, ne prælio uno cum Latino Volſcoque contenderet. 2 Hac ira conſules in Volſcum agrum legiones duxere. Volſcos 3 conſilii pœnam non metuentes, 4 nec opinata res perculit. Armorum immemores, obſides dant trecentos, principum 4 à Cora atque Pometia liberos. ita ſine certamine inde abductæ legiones. Nec ita multo poſt Volſcis levatis metu, ſuum rediit ingenium: rurſus occultum parant bellum; 5 Hernicis in ſocietatem armorum aſſumptis. Legatos quoque 6 ad ſolicitandum Latium paſſim dimittunt. Sed recens ad Regillum lacum

INTERPRETATIO.

6 *Perturbandi bellum improviſum.*

NOTÆ.

13. *Signia Colonia.*] V. lib. 1. cap. 56.

14. *Tribus unâ & viginti.*] Fœdum quod hoc loco inhæſerat mendum (legebatur enim *unâ & triginta*,) emendavit Glareanus, & poſt eum Sigonius, qui vel ex judicio Coriolani, quod apud Halicarnaſſeum narratur, (de quo noſter cap. 35. hujus lib.) rem ita eſſe evincunt. Dicitur enim eo tempore, id eſt, poſt annos abhinc quatuor, Tribus fuiſſe XXI. quarum undecim Coriolanum damnaverint, decem abſolverint. Parem lib. 6. errorem invexerant librarii, cum quinque & triginta tribus ſcripſiſſent pro quinque & viginti. Initio in tres dumtaxat Tribus populum diviſerat Romulus, quemadmodum omnes Hiſtorici tradunt. Deinde quatuor Urbanas, ruſticas plures inſtituerat Servius Tullius, ut lib. 1. cap. 43. annotavimus. Auctus ſubinde numerus ad triginta & quinque tandem pervenit. De quarum progreſſu & nominibus Sigon. in primis & Gruchius.

15. *Ædes Mercurii dedicata.*] Idcirco Idibus Maiis dedicata, quod Mercurius eo die natus crederetur apud Martialem: Templa enim natali numinis ſolita dedicari ex Feſto, atque ex hoc Livii loco probat Turnebus lib. 2. Adverſar. cap. 11.

1. *Volſcorum gente.*] V. ſup. lib. 1. c. 55.

2. *Hac irâ.*] Conſules ob eam cauſam irâ accenſi.

3. *Conſilii pœnam.*] Solius quidem cogitationis pœnam neminem pati jura voluerunt: at Conſilium pravum & inceptum, quo quis ad rem perficiendam ſe comparavit, extra pœnam non eſt.

4. *A Cora atque Pometia.*] De his Volſcorum urbibus antea.

5. *Hernicis.*] Orti è Sabinis *Hernici*, nomen invenerunt à Saxoſis montibus, in quibus habitabant: Saxa enim Sabinis Marſiſque *Herna*, teſtibus Feſto & Servio. Volſcorum finibus magna ex parte ineluſi, niſi quod verſus occaſum priſcorum Latinorum terminos aliquatenus attingebant. Cætera Æquos ad Occidentem æſtivum, Marſos ad Septentrionem conterminos habuere. Valida gens, ſed limitibus ſatis anguſtis. Caput urbium, Anagnia. Latio poſtea addita ipſorum regio, pars nunc Campaniæ Romanæ, ac ditionis Eccleſiaſticæ, in regni Neapolitani confinio.

6. *Ad ſolicitandum Latinum.*] Ut Latinos inſtigarent ad bellum ſecum adverſus Romanos ſuſcipiendum. Nondum enim Volſci Latinis attributi.

accepta clades, Latinos ira odioque ejus, quicumque arma ſuaderet, ne ab legatis quidem violandis [b] abſtinuit. Comprehenſos [7] Volſcos Romam duxere. Ibi traditi conſulibus. indicatumque eſt, Volſcos Hernicoſque parare bellum Romanis. Relata re ad Senatum, adeo fuit gratum Patribus, ut & captivorum ſex millia Latinis remitterent: & de fœdere, quod prope in perpetuum negatum fuerat, rem ad novos magiſtratus rejicerent. Enimvero tum Latini gaudere facto, pacis auctores [8] in ingenti gloria eſſe. Coronam auream Jovi donum in Capitolium mittunt. [c] cum legatis donoque, qui captivorum remiſſi ad ſuos fuerant, magna circumfuſa multitudo venit. Pergunt domos eorum apud quem quiſque ſervierant: gratias agunt, liberaliter habiti cultiquo in calamitate ſua. inde hoſpitia jungunt. Nunquam alias antè publicè privatimque Latinum nomen Romano imperio conjunctius fuit.

XXIII. Sed & bellum Volſcum imminebat, & civitas ſecum ipſa diſcors inteſtino inter Patres plebemque flagrabat odio; maxime propter [1] nexos ob æs alienum. Fremebant ſe foris pro libertate & imperio dimicantes, domi à civibus captos & oppreſſos eſſe: tutioremque in bello quam in pace, inter hoſtes quam inter cives libertatem plebis eſſe: invidiamque eam ſua ſponte gliſcentem, inſignis unius calamitas accendit. Magno natu quidam [a] cum omnium malorum ſuorum inſignibus ſe in forum projecit. obſita erat ſqualore veſtis, fœdior corporis habitus, [b] pallore ac macie perempti. Ad hoc promiſſa barba & capilli [2] efferaverant ſpeciem oris. Noſcitabatur tamen in tanta deformitate; & [3] ordines duxiſſe ajebant, aliaque militiæ decora vulgo, miſerantes eum,

Urb. cond. an. 258. Coſſ. Ap. Claud. & P. Serv.

INTERPRETATIO.

b *Effecit ut non abſtinerent.*

c *Cum Legatis* Latinorum, *Coronam afferentibus*, Romam *redierunt magno numero eos circumſtantes captivi qui domum fuerant remiſſi.*

a *Cum notis omnibus arummarum à ſe perpeſſarum* in creditoris ſui domeſtico carcere.

b *Extabeſcentis & conſumpti macie.*

NOTÆ.

7. *Volſcos.* Volſcorum Legatos.

8. *In ingenti gloria eſſe.*] Scripti quidam teſte Gronovio, *ingenti gloria eſſe*, dempta præpoſitione: utrum quis maluerit, parum refert.

1. *Nexos ob æs alienum.*] Antiquiſſimo Romanorum jure, ſive lege, ſive moribus conſtituto, licuit creditoribus debitores ſuos, ſi pecuniam creditam non ſolverent, addictos ſibi nectere, & in vinculis habere, tanquam ſervos; eſſque ſerviles operas indicere. Ejus exequendi juris rationem præſcripſit Lex XII. Tabb. apud Gell. lib. 20. cap. 1. quam legem explicat Rævardus Juriſconſultus cap. 8. Hac licentiâ nunc abuſi multi Patriciorum, in terga quoque debitorum ſæviebant.

2. *Efferaverant.*] Tetrum atque horribilem vultum reddunt in primis inculta, & ſitu ſqualida, juſtoque prolixior barba, & cæſaries, totuſque habitus qualis hujus ſenis deſcribitur, ut & Achæmenidæ apud Virgil. 3. Æneid.

3. *Ordines duxiſſe.*] Ordines ducunt, qui ductandis militibus præſunt, veluti Centuriones.

Urb. cond. an. 258. Coſſ. Ap. Claud. & P. Servil.

jactabant. Ipſe teſtes honeſtarum aliquot locis pugnarum, cicatrices adverſo pectore oſtentabat. Sciſcitantibus unde ille habitus, unde deformitas, quum circumfuſa turba eſſet prope in concionis modum; *Sabino bello*, ait, *ſe militantem, quia propter populationes agri non fructu modo caruerit, ſed villa incenſa fuerit, direpta omnia, pecora abacta, 4 tributum c iniquo ſuo tempore imperatum; æs alienum feciſſe: id cumulatum uſuris, primò ſe agro paterno avitoque exuiſſe, deinde fortunis aliis; poſtremo velut tabem perveniſſe ad corpus. 5 Ductum ſe ab creditore, non in ſervitium, ſed in 6 ergaſtulum, & carnificinam eſſe.* Inde oſtentare tergum fœdum recentibus veſtigiis verberum. Ad hæc viſa auditaque, clamor ingens oritur. Non jam foro ſe tumultus continet, ſed paſſim totam urbem pervadit. 7 Nexu vincti,

INTERPRETATIO.

c *Tempore ſibi adverſo, atque* admodum *incommodo, indictum fuiſſe tributum*, ideoque *mutuam ſe ſumpſiſſe pecuniam, debitum uſuris auctum, effeciſſe, ut ipſe ſpoliaretur prædiis à Patre & avo poſſeſſis* &c.

NOTÆ.

4. *Tributum.*] Quod Gronovius legendum eſſe docuit, *tributo iniquo ſuo tempore imperato æs alienum feciſſe*; haud quaquàm placet, ſive ob geminatos, non ſine aliquo æquivocationis vitio, auferend. caſus; ſive quod Livium magis ſapiant, ſine conjunctione poſita ſeu aſyndeta illa, *Tributum imperatum, æs alienum feciſſ.* (ubi ſupplendum pronomen *ſe* nemo non videt). Nannius 5. Miſcellaneorum ex Codice Buſlidiano legit *Tributum iniquum & non ſuo tempore imperatum*: ut duplex ſit conquerendi cauſa de tributo; quod nempe majus quàm pro cenſu fuiſſet; quodque non expectato tempore quo dandum erat, extortum eſſet. Vulgatam lectionem tuetur Robortellus lib. 2. cap. 36. emendat. Et verò eò pertinet tota ſenis illius querela, quòd indictum eſſet tributum eo tempore quo ipſe ob belli calamitatem inopiâ laborabat: idcireo æs alienum, inferendo tributo, fuiſſe contrahendum; cui diſſolvendo cum non ſufficerent facultates, quibus à creditoribus fuerat ſpoliatus, crudeliſſime ſervitum eſſe in ſuum corpus querebatur.

5. *Ductum ſe ab creditore.*] Duci propriè dicuntur, qui publicâ auctoritate trahuntur in vincula.

6. *Ergaſtulum & carnificinam.*] Propriè *Ergaſtulum* officinam ſignificat, in qua opus fit, ut Græcè ἐργαστήριον: ſed quia vincti operari cogebantur ſervi nequiores, Ergaſtulum pro mancipiorum carcere ſumi cepit.

7. *Nexu vincti, ſolutique.*] Non dubitat Sigonius quin legendum ſit, *nexi, vincti, ſolutique.* Sic enim loquitur Liv. lib. 8. *ea nexi, ſoluti, cautumque in poſterum ne necterentur.* Item. *Eo anno initium libertatis factum eſt, quod ligari nexi deſierunt*; ubi *nexi* intelligimur ex mente Varronis homines liberi, qui fines operas in ſervitute, pro pecunia quam debebant, creditori præſtabant velut domino, donec ſatisfacerent. Robortellus lib. 2. emendat. cap. 35. correctionem hanc reprehendit; Livii que ſententiam ſic explicat, ut velit concurriſſe & eos, quorum corpus ob æs alienum creditori traditum erat in ſervitium, qui *nexu vincti* dicantur; & eos qui antè mancipio ducti à creditoribus, liberati fuerant diſſoluto ære alieno; qui ſint *nexu ſoluti.* Ego nihil mutandum cenſeo, exiſtimoque per *nexu vinctos* intelligi poſſe, non ſolùm qui addicti à magiſtratu jam in vinculis eſſent; ſed etiam eos, qui *nexu* obligati ſimilia crudelitatis exempla metuebant. *Nexum* certè ex Ælio Gallo apud Feſtum, & ex Manilio Juriſconſulto apud Varronem, dicitur *quodcunque per æs*

ſolutique ſe undique in publicum proripiunt; d implorant Quiritium fidem. Nullo loco deeſt ſeditionis voluntarius comes. multis paſſim ăgminibus per omnes vias cum clamore in forum curritur. Magno cum periculo ſuo, qui fortè Patrum in foro erant, in eam turbam incide- runt. nec temperatum manibus foret; ni propere conſules, P. Servilius, & Ap. Claudius, ad comprimendam ſeditionem interveniſſent. In eos multitudo verſa; oſtentare vincula ſua, deformitatemque aliam. *Hæc ſe meritos* dicere, *exprobrantes ſuam quiſque alius alibi militiam*. Poſtulare multo minaciter magis quam ſuppliciter, *ut ſenatum vocarent*: curiamque ipſi, futuri arbitri moderatoreſque publici conſilii, circumſiſtunt. Pauci admodum Patrum, quos caſus obtulerat e contracti ad conſules? cæteros metus non curia modo, ſed etiam foro arcebat. f nec agi quicquam per infrequentiam poterat ſenatus. *Tum vero* f *eludi atque extrahi ſe* multitudo putare: *& Patrum qui abeſſent, non caſu, non metu, ſed impediendæ rei cauſa abeſſe, & conſules ipſos tergiverſari: nec dubie ludibrio eſſe miſerias ſuas.* Jam prope erat, ut ne conſulum quidem majeſtas coërceret iras hominum: quum incerti, morando an veniendo plus periculi contraherent, tandem in ſenatum veniunt: frequentique tandem curia, non modo inter Patres, ſed ne inter conſules quidem ipſos, ſatis conveniebat. Appius, vehementis ingenii vir, *imperio conſulari rem agendam*, cenſebat. *uno aut altero arrepto, quieturos alios.* Servilius lenibus remediis aptior, *concitatos animos flecti, quàm frangi* putabat *quum tutius, tum facilius eſſe.* Inter hæc major alius terror.

XXIV. Latini equites cum tumultuoſo advolant nuncio: *Volſcos infeſto exercitu ad urbem oppugnandam venire*. quæ audita (adeo

Urb. cond. an. 258. Coſſ. App. Claud. & P. Servil.

INTERPRETATIO.

d *Patrocinium* opemque *civium*, ſolenni more *invocant*.

e *Congregati circa Conſules*.

f *Putabat vulgus ſe derideri, & conſumi* tempus.

NOTÆ.

& libram geritur: idque Mucius quoque Scævola apud eumdem affirmat. Erat enim hæc ſolennis contrahendæ obligationis forma omnium firmiſſima. Itaque ut obæratum appellamus eum, qui ære alieno premitur quoquo modo: ſic nexu ſolutos dicere generaliter Livius potuit omnes, qui in ære alieno non eſſent: nec tantùm eos, qui cum reverà in vincula dati fuiſſent, ſoluti poſtea erant; ſed & eos, qui nunquam *nexi*, id eſt, *nexu* obligati, eoque genere obligationis ſemper *ſoluti*, imò ab omni ære alieno liberi; tamen rei indignitate commoti, ſeſe cum iis conjunxerant, qui a creditoribus peſſimè habiti de illorum in ſe immanitate querebantur. Nam & apud Horat. *ſolutus omni fœnore* dicitur, qui nihil cuiquam debet, ſive ære alieno liberatus ſit, ſive in ære alieno nullo unquam fuerit. Atque hunc ſenſum totus contextus confirmare, vel potiùs requirere videtur.

8. *Nec agi quicquam per infrequentiam poterat.*] Certus quippè Senatorum numerus neceſſariò requirebatur, ut Senatus conſultum ritè fieret: atque hic numerus pro diverſis temporibus & vario Senatus ſtatu, diverſus fuit. Non minùs centum adeſſe oportuiſſe colligunt ex Livio lib. 39. Sic tertiæ Senatus partis præſentia neceſſaria erat.

Urb. cond. an. 258. Coſſ. App. Claud. & P. Servil.

duas ex una civitate diſcordia fecerat) longe aliter Patres ac plebem affecere. Exultare gaudio plebes; [a] *ultores ſuperbiæ Patrum adeſſe* dicere *Deos.* alius alium confirmare, *ne nomina darent: cum omnibus potius, quam ſolos perituros: Patres militarent, Patres arma caperent, ut penes eoſdem pericula belli,* [1] *penes quos præmia eſſent.* At verò [2] curia mœſta ac trepida ancipiti metu, & ab cive, & ab hoſte; Servilium conſulem, cui ingenium magis populare erat, orare, ut *tantis circumventam terroribus expediret rempublicam.* Tum conſul, miſſo ſenatu, [3] in concionem prodit. ibi *curæ eſſe Patribus* oſtendit, *ut conſulatur plebi. cæterùm deliberationi* [b] *de maxima quidem illa, ſed tamen parte civitatis, metum pro univerſa republ. interveniſſe: nec poſſe, quum hoſtes prope ad portas eſſent,* [c] *bello prævertiſſe quicquam nec,* [4] *ſi ſit laxamenti aliquid, aut plebi honeſtum eſſe, niſi mercede prius acceptâ, arma pro patria non cepiſſe; neque Patribus ſatis decorum per metum potius, quam poſtmodum voluntate, afflictis civium ſuorum fortunis conſuluiſſe.* [d] Concioni deinde edicto addidit fidem, quo edixit, Ne *quis civem Romanum vinctum aut clauſum teneret. quo minus ei nominis edendi apud conſules poteſtas fieret. Ne quis militis, donec in caſtris eſſet, bona poſſideret, aut venderet:* [5] *liberos nepoteſve ejus moraretur.* Hoc propoſito edicto, & qui aderant nexi, profitori extemplo nomina; & undique ex tota urbe proripientium ſe ex privato,

INTERPRETATIO.

a *Dicebat plebs adeſſe Deos ultores ſuperbiæ Senatorum. Unuſquiſque ſocium* hortando *corroborabat, ne nomen daret in militiam. Satius eſſe perire Plebejos cum omnibus civibus, quam ſolos.*

b *De civitatis parte, quæ maxima quidem eſſet,* ſed tantùm *pars.*

c *Bello aliquid anteponere.*

d *Per edictum credibilia reddit quæ dixerat in concione.*

NOTÆ.

1. *Penes quos præmia eſſent.*] Non ſolùm imperia & honorem triumphi: ſed & agros ex devictis hoſtibus captos Patricii ſibi ferè omnes vindicabant.

2. *Curia mœſta.*] Curia & locum, ubi habetur Senatus, & Senatores ipſos ſignificat, ut hoc loco.

3. *In concionem prodit.*] *Concio* eſt populi, ac præſertim plebis conventus, ut Curia Senatorum.

4. *Si ſit laxamenti aliquid.*] Supple, *datum:* vult Sempronius ne plebeiis quidem honeſtum forè fomentum aliquod, remittentibus de jure ſuo Patriciis. nunc obtinuiſſe, quaſi non aliter patriam armis defendere voluerint, quam relaxatione illâ præmii loco extortâ.

5. *Liberos nepoteſve ejus moraretur.*] A fructu poſſeſſionum, inquit Velcurio, ne ſcilicet liberi militantium, ab horum creditoribus rebus paternis frui prohiberentur. Ego de liberorum corporibus ipſis intelligendum cenſeo. Ea quippe parentum in liberos erat poteſtas, ut eos & venundare & occidere poſſent. Erant enim in manu mancipioque, ſervorum ferè inſtar unde nihil mirum, ſi pro ære alieno patris filius, aut avi nepos, qui in ejus erat poteſtate, tanquam res parentum, & pars bonorum, retineri aliquando potuere à creditoribus. Sic apud noſtrum lib. 8. cap. 28. C. Publilius L. Papirio, ob æs alienum paternum ſeſe nexum dederat. Sed ultro, quòd jam patris poteſtate exiiſſet.

quum retinendi jus creditori non eſſet, concurſus in forum, ut 6 ſacramento dicerent, fieri. Magna ea manus fuit: 7 neque aliorum magis in Volſco bello virtus atque opera enituit. Conſul copias contra hoſtem educit. parvo dirimente intervallo caſtrà ponit.

XXV. Proxima inde nocte Volſci diſcordia Romana freti, a ſi quâ nocturna tranſitio proditióve fieri poſſit, tentant caſtra. Senſere vigiles; excitatus exercitus; ſigno dato concurſum eſt ad arma. Ita fruſtra id inceptum Volſcis fuit. reliquum noctis utrimque quieti datum. Poſtero die prima luce Volſci, foſſis repletis, vallum invadunt. Jamque ab omni parte munimenta vellebantur, quum conſul quamquam cuncti undique, & nexi ante omnes, ut ſignum daret, clamabant; experiendi animos militum causâ parumper moratus: poſtquam ſatis apparebat ingens ardor, dato tandem ad erumpendum ſigno, militem avidum certaminis emittit. Primo ſtatim incurſu pulſi hoſtes: fugientibus, quoad inſequi pedes potuit, terga cæſa: eques uſque ad caſtra pavidos egit. mox, ipſa caſtra legionibus circumdatis, quum Volſcos inde etiam pavor expuliſſet, capta direptaque. Poſtero die ad 1 Sueſſam Pometiam, quo confugerant hoſtes, legionibus ductis, intra paucos dies oppidum capitur: captum prædæ datum. inde paulùm recreatus egens miles. Conſul cum maxima gloria ſua victorem exercitum Romam reducit. b decedentem Romam 2 Ecetranorum Volſcorum legati, rebus ſuis timentes poſt Pometiam captam, adeunt. His ex Senatuſconſulto data pax, ager ademptus. Urb. cond. an. 258. Coſſ. App. Claud. & P. Servil.

XXVI. Confeſtim & Sabini Romanos territavere: 1 tumultus

INTERPRETATIO.

a *Caſtra adoriuntur*, experimentum facturi, *an noctu tranſfugia* ad *ſe fierent.*

b *Eum, cum Romam versùs diſcederet.*

NOTÆ.

6. *Sacramento dicerent.*] Priſca loquendi forma auctori uſitata, pro eo quod eſt Sacramentum dicere, Jurejurando militiæ ſe obligare: Dicere hic ſumi putat Budæus pro deſtinare ac dicare, addicere.

7. *Neque aliorum.*] Quàm nexorum & ære alieno laborantium.

1. *Sueſſam Pometiam.*] De hac Volſcorum urbe antea lib. 1. cap. 53.

2. *Ecetranorum.*] Volſcorum urbem hanc clariſſimam fuiſſe, & optimo loco ſitam Dionyſ. teſtatur, quam ipſe ἐχέτραν, Livius modò *Ecetram*, modo plurali numero *Ecetras* vocat. Sita fuit in montana regione, inter Coram Volſcorum, & Anagniam Hernicorum oppida. V. lib. 3. cap. 4. & 10.

1. *Tumultus enim fuit verius quàm bellum.*] De propria *Tumultus* acceptione alii aliter. Verrius *Tumultum* dici ait, qui *ab aliis oriatur quàm ab Italicis & Gallicis hoſtibus.* Sed legendum ſuſpicor injecta negatione, *qui non ab aliis.* Etenim Cic. Philip. 8. *Majores noſtri Tumultum Italicum, quòd erat domeſticus, Tumultum Gallicum, quod erat Italiæ finitimus; præterea nullum Tumultum nominarunt.* Livius quoque noſter lib. 8. cap. 20. Nondum *perfunctos curâ Privernatis belli; Tumultûs Gallici fama atrox invaſit.* Iſidorus Orig. lib. 18. cap. 1. *Bellum* vocari vult, *quod contra hoſtes agitur; Tumultum qui civili ſeditione concitatur.* Atque ità Tumultum ipſe ſuo tempore dictum Cicero videtur agnoſcere, cùm Philip. 5. adverſus Anto-

enim fuit veriùs quam bellum. Nocte in urbe nunciatum eſt, exercitum Sabinum prædabundum [2] ad Anienem amnem perveniſſe. ibi paſſim diripi atque incendi villas. Miſſus extemplo eo cum omnibus copiis equitum A. Poſtumius, qui dictator bello Latino fuerat. ſecutus conſul Servilius cum delecta peditum manu. Pleroſque palantes eques circumvenit. nec advenienti peditum agmini reſtitit Sabina legio. Feſſi tum itinere, tum populatione nocturnâ, magna pars, in villis repleti cibo vinoque, [a] vix fugæ quod ſatis eſſet virium, habuere. Nocte una audito perfectoque bello Sabino, poſtero die in magna jam ſpe undique partæ pacis, legati Aurunci ſenatum adeunt: *ni decedatur Volſco agro, bellum indicentes.* Cum legatis ſimul exercitus [3] Auruncorum domo profectus erat. [b] cujus fama haud procul jam ab Aricia viſi, tanto tumultu concivit Romanos, ut nec conſuli ordine Patres, nec pacatum reſponſum arma inferentibus, arma ipſi capientes dare poſſent. Ariciam infeſto agmine itur: nec procul inde cum Auruncis ſigna collata: prælioque uno debellatum eſt.

Urb. cond. an. 258. Coſſ. App. Claud. & P. Servil.

XXVII. Fuſis Auruncis, victor tot intra paucos dies bellis Romanus, promiſſa conſulis [a] fidemque ſenatus expectabat: quum Appius & inſita ſuperbiâ animo, & ut collegæ vanam faceret fidem, quam aſperrime poterat, [1] jus de creditis pecuniis dicere. deinceps & qui ante nexi fuerant, creditoribus tradebantur, [2] & nectebantur alii. [b] Quod ubi cui militi inciderat, collegam appellabat, concurſus ad Servilium fiebat: *illius promiſſa jactabant,*

INTERPRETATIO.

a *Vix* tantùm *habuerunt virium, quod ſufficeret ad fugiendum.*

b *Cujus* exercitus *fama qui jam viſus non longè ab Aricia* dicebatur, *Romanos adeò tumultuosè concitavit*, &c.

a *Expectabat ut Senatus* datam per Servilium *fidem impleret*, ejus promiſſa præſtando.

b *Quod cum acciderat alicui militi*, is *ad* Servilium *collegam* Appii *confugiebat. Ad eum omnes concurrebant.*

NOTÆ.

nium *decerni* cenſet *Tumultum*. Cæterum Tumultum à bello differre ait, quod *poteſt eſſe bellum ut Tumultus non ſit: Tumultus autem eſſe ſine bello non poteſt*. Quâ in re non videtur ei cum auctore noſtro convenire, apud quem nunc *Tumultus* dicitur fuiſſe *verius quàm bellum*, id eſt, *Tumultus* ſine bello. Sed nimirum Cicero *Tumultum* propriè intelligit, decretum ac ſolenni more indictum, quo delectus habetur ſublatis vacationibus, & nemine immuni à militia: Livius hoc vocabulum generaliùs accipit pro ſubitâ quavis trepidatione.

2. *Ad Anienem.*] Anio amnis, Statio ex veteri uſu *Anien*, in Trebanorum ortus montibus, per Æquorum agrum fluens, Tibur alluit; diſcretoque magna ex parte Latio veteri à Sabinis, defluit in Tiberim tertio ferè ab urbe milliari. Vulgo *Teverone*, quaſi Tiberis minor.

3. *Auruncorum.*] De his, deque Sabinis anteà ſæpiùs.

1. *Jus de creditis pecuniis dicere.*] Nondum enim creato Prætore, Conſules jus reddebant.

2. *Et nectebantur alii.*] Hinc colligamus *nexos* pro vinctis ut plurimùm accipi.

illi

illi exprobrabant 3 *ſua quiſque belli merita, cicatriceſque acceptas*. Poſtulabant, *ut referret ad ſenatum*, 4 *ut auxilio eſſet conſul civibus ſuis, imperator militibus*. Movebant conſulem hæc: ſed tergiverſari res cogebat. adeo in alteram cauſam 5 non collega ſolum præceps jerat, ſed omnis factio nobilium. ita medium ſe gerendo, nec plebis viravit odium, nec apud Patres gratiam iniit. Patres mollem conſulem & ambitioſum rati, plebes fallacem. breviqueapparuit, c æquaſſe eum Appii odium. Certamen conſulibus inciderat, uter dedicaret Mercurii ædem. Senatus à ſe rem ad populum rejecit: utri eorum dedicatio juſſu populi data eſſet, 6 cum præeſſe annonæ, 7 mercatorum collegium inſtituere, ſolennia pro pontifice juſſit ſuſcipere. Populus dedicationem ædis dat M. Lætorio 8 primipili centurioni: d quod facile appareret, non tam ad honorem ejus, cui curatio

Urb. cond. an. 258. Coſſ. App. Claud. & P. Servil.

INTERPRETATIO.

c *Æquè ac Appium* plebi *eſſe odio*.

d *Quod factum* eſſe *apparebat, non tam ad honorem Laterii*, ut potè *cui commiſſa eſſet adminiſtratio eminentior ejus officio: quàm in opprobrium Conſulum*.

NOTÆ.

3. *Sua quiſque belli merita*.] *Merita belli*, pro operis in bello impenſis, rebuſque in bello, ſeu belli tempore geſtis. An ſimili formâ loquendi explicari poſſet, quod hoc eodem lib. cap. 16. dictum de *Turbatoribus belli*; ut intelligantur, (quemadmodùm ſententia poſtulat,) ii qui bello res turbabant apud Sabinos?

4. *Ut auxilio eſſet*.] Aliàs, *aut ut auxilio eſſet*. Variantibus libris, Gronovio placet expungi alternantem particulam, *aut*: volebant enim, inquit, utrumque fieri; tum ut fides & promiſſa patrum exſolverentur; tum ut impediretur Appii ſæva in debitores juriſdictio.

5. *Non Collega ſolùm præceps ierat*.] Libri ferè habent *præceperat*, quod Rhenano probatur, particulâ, *in*, mutatâ in, *vi*: ut ſit, *vi alteram cauſam non Collega ſolùm præceperat*, id eſt, antecceperat, prior ſumpſerat cauſam creditorum adverſus debitores; ita ut nobiles omnes adſtipulatores, fautoreſque haberet. Sed, cum Rhenanus ipſe in margine vetuſti ſui Codicis annotatum fateatur *præceps erat*, non immeritò hanc lectionem arripuit Sabellicus, legitque *adeo in alteram cauſam non Collega ſolùm præceps fuerat*, leviſſimâ textus mutatione. Monet idem legi poſſe *præceps ierat*, quod eodem ferme recidit, & magis congruere videtur.

6. *Eum præeſſe annonæ*.] Hoc quoque munere Conſules tunc fungebantur, necdum inſtituto Præfecto annonæ, nec Præfecto urbis perpetuo.

7. *Mercatorum Collegium*.] Sive à Numa inſtituta fuerint Collegia, ut Plutarchus ſcribit; ſive à Servio Tullio, ut Florus & Oroſius: ſodalitates fuêre, quæ proprium habebant magiſtratum. Jura Collegiorum ex Solonis legibus petita putat Cajus Juriſconſultus l. ult. de Colleg. Ea niſi ex Senatuſconſulto inſtituere nefas. Mercatorum autem collegium diem feſtum habuit Idus Majas, quo die dedicata Mercurii ædes, quod quidem initio cap. 22. vidimus. Mercurius autem mercaturæ, inter cætera, præſes habitus eſt; unde mercatores a Cic. in epiſtolis ad Qu. Fratrem *Mercuriales* appellantur.

8. *Primipili Centurioni*.] Splendidiſſima in militia Romana erat dignitas primipilatus. Dicebatur autem *primipili Centurio*, ſeu *Primipilus*, vel abſolutè *primus Centurio*, qui primæ Centuriæ præerat, eoque nomine reliquorum Centurionum cenſebatur caput, & quaſi præfectus; quem ideò ſequebantur om-

altior faſtigio ſuo data eſſet, factum, quam ad conſulum ignominiam. Sævire inde utique 9 conſulum alter, Patreſque. Sed plebi creverant animi, & longe aliâ quàm primo inſtituerant viâ graſſabantur. Deſperato enim conſulum ſenatuſque auxilio, quum in jus duci debitorem vidiſſent, undique convolabant. neque decretum exaudiri conſulis præ ſtrepitu & clamore poterat: neque, quum decreſſet, quiſquam obtemperabat. Vi agebatur, metuſque omnis & 10 periculum libertatis, quum in conſpectu conſulis 11 ſinguli à pluribus violarentur, in creditores à debitoribus e verterat. Super hæc timor inceſſit Sabini belli: delectuque decreto nemo nomen dedit, furente Appio, & inſectante 12 ambitionem collegæ, qui populari ſilentio rempublicam proderet; & ad id, quod de credita pecunia jus non dixiſſet, adjiceret, ut ne delectum quidem ex ſenatusconſulto haberet: *non eſſe tamen deſertam omnino rempublicam, neque projectum conſulare imperium. Se unum & ſuæ & patrum majeſtatis vindicem fore.* f Quum circumſtaret quotidiana multitudo licentiâ accenſa, arripi unum inſignem ducem ſeditionum juſſit. Ille quum à lictoribus jam traheretur, 13 provocavit: nec ceſſiſſet provocationi conſul, quia non dubium erat populi judicium, niſi ægre victa pertinacia foret, conſilio magis & auctoritate principum, quàm populi clamore. g adeo ſupererant animi ad ſuſtinendam invidiam. Creſcere inde malum in dies, non clamoribus modo apertis; ſed, quod multo perniciosius erat, ſeceſſione occultisque colloquiis. Tandem inviſi plebi conſules magiſtratu abeunt. Servilius neutris, Appius Patribus mire gratus.

Urb. cond. an. 259. Coſſ. Au. Virgin. & T. Veturio.

XXVIII. 1 A. Virginius inde, & T. Veturius conſulatum ineunt.

INTERPRETATIO.

e *Verſum erat.*

f *Cum quotidie ſtaret circum* forum, aut tribunal *multitudo inciſata per licentiam.*

g *Tantùm animi ultra modum habebat* Appius, *ad excipiendum* & contemnendum vulgi *odium.*

NOTÆ.

nes ſexaginta Centuriæ quibus Legio conſtabat. Imperatoris quippe & Tribunorum ipſis mandata ferebat, Aquilam, & primum ſignum regens: unde & Dux Legionis aliquando appellatur. Poſt diviſum imperium Primipili miniſterium potius paſcendis ad limitem militibus deſtinatum fuiſſe videtur, quàm honor. V. Lipſ. de Milit. Rom. lib. 2. Dial. 8.

9. *Conſulum alter.*] Appius Claudius.

10. *Periculum libertatis.*] Abeſt vox *libertatis* à membranis Florentinis, teſte Gronovio, nec de libertate creditorum agebatur. Ea itaque expungi poteſt.

11. *Singuli à pluribus.*] *Unus* ſcilicet creditor *à pluribus* debitoribus.

12. *Ambitionem Collegæ.*] Servilii, qui inter hæc tacebat, ſilentioque ſuo popularem auram captare, & gratiam plebis ambire videbatur.

13. *Provocavit.*] Appellavit à Conſule ad Populum ex lege P. Valerii.

1. *A. Virginius.*] Horum Conſulatum refert Dionyſ. ad annum urbis 260 & Archontem Athenienſium Themiſtoclem, initumque vult ante initium Olympiadis 72. Vetuſium autem pro Veturio habent quædam exemplaria: quemadmodum Fuſii pro Furiis dicti.

Tum vero plebes, incerta [a] quales habitura conſules eſſet, cœtus Urb. cond. an. 259. Coſſ. Au. Virgin. & T. Vetus. nocturnos, pars [3] in Eſquiliis, pars [4] in Aventino facere, [a] ne in foro ſubitis trepidaret conſiliis, & omnia temere ac fortuito ageret. Eam rem conſules rati, ut erat, perniciosam, ad Patres deferunt: ſed [b] delatam conſulere ordine non licuit. adeo tumultuoſe excepta eſt clamoribus undique, & indignatione Patrum, [c] ſi quod imperio conſulari exſequendum eſſet, invidiam ejus conſules ad ſenatum rejicerent. *Profecto [5] ſi eſſent in republica magiſtratus, nullum futurum fuiſſe Romæ niſi publicum concilium. Nunc in mille curias concioneſque, (quum alia in Eſquiliis, alia in Aventino fiant concilia) diſperſam & diſſipatam eſſe rempublicam. Unum hercule virum (id enim plus eſſe quam conſulem) qualis Appius Claudius fuerit, momento temporis diſcuſſorum illos cœtus fuiſſe.* [d] Correpti conſules, quum quid ergo ſe facere vellent (nihil enim ſegnius molliuſve, quàm Patribus placeat, acturos) percunctarentur; decernunt, *ut delectum quam acerrimum habeant, ocio laſcivire plebem.* Dimiſſo ſenatu, conſules [6] in tribunal aſcendunt. [7] ci-

INTERPRETATIO.

a *Ne* in Comitiis, aliiſve quæ *in foro* gerebantur, incerta *fluctuaret*, ubi *de improviſo*, & repentè incidentibus rebus *habenda eſſent conſilia*.

b *Non licuit* re ad Senatum *relata*, ſervato *ordine* ac *more* ſolito *deliberare* ſententiis ritè exquiſitis.

c Eò *quòd Conſules ut Senatum odio* plebis *objicerent, ad eum rejiciebant, quod* ipſi pro *imperio ſuo gerere debebant*.

d *Cum Conſules incepiſſe* à Senatu *ſciſcitarentur, quid vellent ergo à ſe fieri, (ſe enim non minùs diligenter, aut minùs fortiter agere paratos eſſe, quàm Senatus velit:) decrevere* Patres, *ut ab iis* in plebejos *aſperè dilectus militaris exerceretur*. Dicebant enim *plebejos petulantiùs agere, quòd* à labore *vacarent*.

NOTÆ.

2. *Quales habitura*.] Non dubitabat quos Conſules eſſet habitura: jam enim creati erant. Sed quales illi futuri eſſent.

3. *In Eſquiliis*.] *Eſquilia* tra tum continent montis *Eſquilini*. Hinc nomen accepit tribus & Porta Eſquillina, Forum itè Eſquilinum, ac deinde regio urbis quinta.

4. *In Aventino*.] Nondum mœnibus incluſus hic mons fuerat; id enim Tiberii tantùm tempore factum. Antèà Pomœrio claudi religio erat, tum quòd Romulus eum Remo fratri ſacrum eſſe voluiſſet, ibi ſepulto, ubi & prius Aventinus Albanorum, & poſteà Tatius Sabinorum Rex: tum quòd ex irrito Remi auſpicio is locus ominoſus cenſeretur. Dictus eſt etiam *Murcius*, ab æde Murciæ Deæ: & collis *Diane* ab hujus Deæ templo. Situs eſt inter Palatinum montem ac Tiberim fluvium. Ex eo decima tertia urbis regio facta ab Auguſto.

5. *Si eſſent in Rep. magiſtratus*.] Si tales eſſent Conſules, qui munere ſuo fungerentur; non paſſuros, ut ullus in urbe cœtus ageretur, niſi publicâ auctoritate, vel in Senatu ſcilicet, vel in Comitiis, quæ Conſules ipſi indixiſſent, & quibus iidem præeſſent.

6. *In tribunal aſcendunt*.] Præfert Gronovius *eſcendunt*, ex uno Cod. Pal. quod verbum idem ſignificare, rectumque eſſe contendit, optimâ analogiâ, ut in *elevare, eminere, emicare, &c.* aitque ſuprà quoque cap. 7. in Florent. Cod. legi *ſummiſſis faſcibus in concionem eſcendit*.

7. *Citant nominatim Juniores*.] Hæc forma delectus faciendi; de qua Polyb. lib. 6.

tant nominatim juniores. Quum ad nomen nemo reſponderet, circumfuſa multitudo in concionis modum, negare, *Ultra decipi plebem poſſe. Numquam unum militem habituros,* [8] *ni præſtaretur fides publica. libertatem unicuique prius reddendam eſse, quam arma danda: ut pro patria civibuſque, non pro dominis pugnent.* Conſules quid mandatum eſſet à ſenatu, videbant: ſed eorum, qui intra parietes curiæ ferociter loquerentur, neminem adeſſe [9] invidiæ ſuæ participem: & apparebat atrox cum plebe [10] certamen. Prius itaque quam ultima experirentur, ſenatum iterum conſulere placuit. tum vero ad ſellas conſulum propere convolavêre minimus quiſque natu Patrum, abdicare conſulatu jubentes, & deponere imperium, ad quod tuendum animus deeſſet.

Urb. cond. an. 259. Coſſ. A. Virgin. & T. Vetur.

XXIX. [1] Utraque re ſatis expertâ, tum demum conſules: *Ne prædictum negetis, Patres Conſcripti, adeſt ingens ſeditio. Poſtulamus, ut ii qui maxime ignaviam increpant, adſint nobis habentibus delectum. Acerrimi cujuſque arbitrio, quando ita placet, rem agemus.* Redeunt in tribunal, citari nominatim unum ex iis qui in conſpectu erant, deditâ operâ jubent. Quum ſtaret tacitus, & circa eum aliquot hominum (ne forte violaretur,) conſtitiſſet globus; lictorem ad eum conſules mittunt. quo repulſo, tum vero, indignum facinus eſſe, clamitantes, [a] qui Patrum conſulibus aderant, devolant de tribunali, ut lictori auxilio eſſent. [b] Sed ab lictore nihil aliud quam prehendere prohibito, quum converſus in Patres impetus eſſet, [2] conſulum intercurſu rixa ſedata eſt: in qua tamen ſine telo, plus clamoris atque irarum, quam injuriæ fuerat. Senatus tumultuoſe vocatus, tumultuoſius conſulitur, [3] quæſtionem poſtulantibus iis qui pulſati fuerant, decernente ferociſſimo quoque, non ſententiis magis, quam clamore & ſtrepitu. Tandem quum

INTERPRETATIO.

a *Qui ex Senatoribus.*

b *Verùm cum impetus* plebis, *omiſſo apparitore, qui tantùm vetitus fuerat* citatum non parentem *comprehendere, verſus eſſet in Senatores.*

NOTÆ.

8. *Ni præſtaretur fides publica.*] Quam Servilius Conſul dederat, curæ futurum patribus, ut conſuleretur plebi obæratæ, cap. 24. ſuprà.

9. *Invidiæ ſuæ participem.*] Repete *videbant.*

10. *Certamen.*] Supple, *futurum.*

1. *Utraque re ſatis expertâ.*] Conſules experti fuerant tumultum, & Senatus, & plebis.

2. *Conſulum intercurſu.*] Ita ſcripti apud Gronov. in editis pleriſque *interceſſu*: ſententia non abſimili. Nam utrumque tam *intercedendi*, quàm *intercurrendi* verbum, æquè ſumitur, pro intervenire, ac ſe interponere.

3. *Quæſtionem poſtulantibus.*] Senatores, qui à plebe pulſati fuerant, petebant ut quæſtio haberetur. Eſt autem *Quæſtio* inquiſitio, quæ fit in auctores criminis, ut in eos animadvertatur. Hinc *Quæſtor*, & per ſyncopen *Quæſtor*, Judex, qui quæſtionem habet de criminibus. *Quæſitor Minos urnam movet* apud Virg. Lælius itaque (apud nos actor Regius) quæſtionem petit, *demande qu'il ſoit informé & procedé criminellement.*

Digitized by Google

iræ resedissent, exprobrantibus consulibus, *nihilo plus sanitatis in curia, quam in foro esse*, ordine consuli cœpit. Tres fuêre sententiæ. P. Virginius 4 rem non v vulgabat: *de iis tantum, qui fidem secuti P. Servilii consulis, Volsco, Aurunco Sabinoque militassent bello, agendum censebat*. T. Largius, *Non id tempus esse, ut merita tantummodo exsolverentur: totam plebem ære alieno demersam esse; & nec sisti posse, ni omnibus consulatur. quin si alia aliorum sit conditio, accendi magis discordiam, quam sedari*. Ap. Claudius, & naturâ immitis, & efferatus, hinc plebis odio, illinc Patrum laudibus, *Non miseriis*, ait, *sed licentiâ tantum concitum turbarum: & 6 lascivire magis plebem, quam sævire. c Id adeo malum ex provocatione natum. quippe minas esse consulum, non imperium; 7 ubi ad eos, qui una peccaverint, provocare liceat. Agedum*, inquit, *dictatorem, à quo provocatio non est, creemus. Jam hic, quo nunc omnia ardent, conticesceat furor. Pulset tum mihi lictorem, qui sciet jus de tergo vitaque sua penes unum illum esse, cujus majestatem 8 violavit*.

XXX. Multis, ut erat, horrida & atrox videbatur Appii sententia: rursus Virginii Largiique, exemplo haud salubres: 1 utique Largii putabant sententiam, quæ totam fidem tolleret. medium maxime, & Urb. cond. an. 259. Coss. A. Virgin. & T. Veturio.

INTERPRETATIO.

c *Id verò incommodi ortum esse ab appellatione*, quæ potest ab Consulibus interponi.

NOTÆ.

4. *Rem non vulgabat*.] Hoc loco *vulgare* est commune omnibus è vulgo reddere. Ea sententia hujus Virginii erat, ut non censeret plebejos omnes æquali favore prosequendos: sed discrimen inter eos aliquod esse faciendum, eosque tantùm levandos ære alieno, qui postremis bellis sub P. Servilio Consule ultrò militassent.

5. *Nec sisti posse*.] Familiaris Livio phrasis, *sisti* pro pacatè agi, consistere, servari remp. & in eodem statu permanere: nisi navis subaudire *seditionem*; sic *sisti* erit sedari, aut repelli seditionem, plebi seditiosæ resisti.

6. *Lascivire magis*.] Metaphora ab equis ducta; qui lautiùs habiti luxuriant, exultantque plus satis. Cum his Appius plebem ociosam comparat.

7. *Ubi ad eos, qui unâ peccaverint*.] Ad populum, qui ferè universus seditionis particeps.

8. *Violavit*.] Rectè suspicatur meo judicio Rhenanus vitiosè scriptum *violavit*, pro *violabit*; mihi non displiceret, *violaris*.

1. *Utique Largii*.] Hunc locum variè legunt, atque interpungunt, eaque de re inter se mirum in modum digladiantur Rhenanus, Sigonius, Robortellus; quorum sententias persequi longum esset. Ego cum Gronovio Rhenanum sequor, qui unicam literam mutat, cùm *salubres* legit, pro *salubrem*: Planusque erit sensus, si per zeugma subintelligantur nomen *sententia*, & verbum *videbatur*. Si tamen quod Gebhardo, & Grutero ac Gronovio visum, illa, *putabant sententiam*, è scholio in textum irrepsisse constaret, his deletis haud paulò planiorem Livii sensum haberemus. Sic legendo. *Multis, ut erat horrida & atrox videbatur Appii sententia. Rursus Virginii, Largiique* (sententiæ nempe) *exemplo haud salubres* (repete videbantur:) *utique* (id est, maximè) *Largii* (sententia exemplo haud salubris videbatur, utpote) *quæ totam fidem tolleret: medium maximè*.

Urb. cond. an. 259. Coss. A. Virgin. & T. Veturio.

moderatum utroque consilium Virginii habebatur. Sed factione respectuque rerum privatarum, QUÆ SEMPER OFFECERE OFFICIENTQUE PUBLICIS CONSILIIS, Appius vicit: ac prope fuit, ut dictator ille idem crearetur. quæ res utique alienasset plebem periculosissimo tempore, quum Volsci Æquique & Sabini fortè unà omnes in armis essent. Sed curæ fuit consulibus & senioribus Patrum, ut [2] imperium, suo vehemens, mansueto permitteretur ingenio. [3] Manium Valerium dictatorem Volesi filium [4] creant. Plebs etsi adversus se creatum dictatorem videbat; tamen quum provocationem fratris lege haberet, nihil ex ea familia triste nec superbum timebat. edictum deinde à dictatore propositum confirmavit animos, [5] Servilii ferè consulis edicto conveniens. sed & homini & potestati melius rati credi, omisso certamine [6] nomina dedêre. Quantus numquam antè exercitus, legiones decem effectæ. ternæ inde datæ consulibus: quatuor dictator usus. Nec poterat jam bellum differri. Æqui Latinum agrum invaserant. oratores Latinorum à Senatu petebant, *ut aut mitterent subsidium, aut seipsos tuendorum finium causâ capere arma sinerent*. Tutius visum est, [a] defendi inermes Latinos, [a] quam pati retractare arma. Veturius con-

INTERPRETATIO.

a *Quamsi* Romani *permitterent* Latinis, ut *arma resumerent*, ex fœdere deposita.

NOTÆ.

& moderatum, utroque consilium Virginii habebatur; quod & atrocitatem Appii vitaret, nec tamen fidem penitus tolleret inter debitores & creditores, ut Lartius. Neque obstat, quod objicit Sigonius. Sic nimirum Virginii sententiam, modò probari, modo improbari. Verum enim est utriusque & Lartii & Virginii sententiam exempli fuisse non boni, quòd ex utraque sequebatur debitorum liberatio, eaque per seditionem extorta: sed pernicioris erat exempli Lartiana sententia, per quam fides præterea omnino tollebatur de Civitate: Virginiana in hoc temperatior, quòd iis tantùm censeret indulgendum, qui fidem Postumii Consulis sequuti, obsequio benignitatem hanc Senatus meruissent: & sic Virginii sententia media erat inter præfractam Appii negationem, ex qua periculum majoris seditionis; & inter ignavam Lartii lenitatem. Porro exemplo haud salubres sententias Gallicè dixeris, *avis de perilleuse consequence, dangereux pour la consequence*.

2. *Imperium suo, vehemens*.] Per zeugma subaudiendum, & ex proximè sequentibus, repetendum *ingenio*, id est, naturâ suâ, ex seipso, proprio genio.

3. *Manium Valerium*.] Hic, provectâ jam ætate electus tertius Dictator, frater erat natu minor P. Valerii Poplicolæ, qui cum Bruto Consul fuerat. Cæterùm Manios ex eo dictos volunt, quòd manè editi essent; vel ominis causâ, quasi bonos. *Manum* enim antiqui bonum dicebant, ut est apud Auctorem de nominibus impositivis & Isidorum: vel potiùs clarum ex Nonio Marcello. Hoc sic notabant M', cum Marcus simplici M. abbreviatè scriberetur.

4. *Creant*.] Suffragiis igitur Senatorum deligebatur Dictator, etsi à Consule aliove majori Magistratu diceretur. Hic porro Dictator, quod omittit noster, Q. Servilium, patrem Publii, qui anno proximo Consul cum Appio fuerat, magistrum equitum habuit.

5. *Servilii ferè Consulis edicto conveniens*.] Edixit enim Dictator, teste Dionys. ut interim, dum bellum esset, libera essent omnia corpora, omnia bona Civium Romanorum a Creditorum vexatione, cujuscumque obligationis nomine: ampliſſima præterea præmia promisit iis, qui fortiter pugnarent.

6. *Nomina dedere*.] In militiam.

ſul miſſus eſt. is finis populationibus fuit. 7 Ceſſere Æqui campis: locoque magis quàm armis freti, ſummis ſe jugis montium tutabantur. 8 Alter conſul in Volſcos profectus, ne & ipſe tereret tempus, vaſtandis maximè agris hoſtem ad conferenda propius caſtra, dimicandumque
5 acie, excivit. Medio inter caſtra campo ante ſuum quiſque vallum infeſtis ſignis conſtitere, multitudine aliquantum Volſci ſuperabant. Itaque effuſi, & contemptim pugnam inſere. Conſul Romanus nec promovit aciem, nec clamorem reddi paſſus, *& defixis pilis ſtare* ſuos juſſit; *ubi ad manum veniſſet hoſtis, 9 tum coortos tota vi gladiis rem gerere.*
10 Volſci curſu & clamore feſſi, quum ſe 10 velut ſtupentibus metu intuliſſent Romanis; poſtquam impreſſionem ſenſere ex adverſo factam, & 11 ante oculos micare gladios, haud ſecus quam ſi in inſidias incidiſſent, turbati vertunt terga: & ne ad fugam quidem ſatis virium fuit, quia curſu in prælium jerant. Romani contra, quia principio pugnæ quieti
15 ſteterant, vigentes corporibus facile adepti feſſos, & caſtra impetu ceperunt, & caſtris exutum hoſtem 12 Velitras perſecuti, uno agmine victores cum victis in urbem irrupere. pluſque ibi ſanguinis promiſcua omnium generum cæde, quam in ipſa dimicatione factum. paucis data venia, qui inermes in deditionem venerunt.

20 XXXI. Dum hæc in Volſcis geruntur, dictator Sabinos, ubi longe plurimum belli fuerat, fundit fugatque, exuitque caſtris. ♆ Equitatu immiſſo mediam 1 turbaverat hoſtium aciem, qua, dum ſe cornua Urb. cond. an. 259. Dictat. M. Valer.

NOTÆ.

7. *Ceſſere Æqui Campis.*] De Æquis, novi poſteà Latii populis, qui & Æquicolæ, & quorum hodie loca ab incolis Campaniæ Romanæ maximè Septentrioni Euroque obverſæ, occupantur, dictum anteà.

8. *Alter Conſul.*] A. Virginius.

9. *Tum coortos totâ vi gladiis rem gerere.*] Sic erumpere ſubito, & in hoſtem miſſilibus agentem impetu facto pugnare cominùs gladiis, fortium eſt atque expertorum: eoque præliandi genere ſæpe Galli noſtri hoc quoque ſæculo utiliter uſi.

10. *Velut ſtupentibus metu.*] Cum exiſtimarent metu attonitos Romanos, eoque confidentiùs eos cominùs aggreſſi eſſent.

11. *Ante oculos micare gladios.*] Quid hoc eſt, *ſenſere gladios micare ante oculos?* Nec loquendi forma, nec ſonus ſatis placet. Mallem *micuere gladii.* Nam, quod Gronovio arridet, *micare gladii*, phraſis quidem eſſet hiſtorica, quaſi dicas *micare* cœperunt. Sed obſtat è proximo verbum *ſenſere*, quod ad hoc infinitivum eſſet referendum.

12. *Velitras.*] *Velitræ*, aut *Belitræ* urbs Volſcorum cis Aſturam, non procul Sueſſa Pometia, millibus paſſuum 23. ferè ab urbe Roma, Eurum verſus, ab Alba longa ſex millibus. Ea ab Anco Marcio Rege obſeſſa, & pace in amicitiam recepta fuerat. Nunc per vim capta, Colonos Romanos accepit. Hodie vulgò *Velletri*, aut, *Beletri*, eſtque in Campania Romana ſub Pontificia ditione. Epiſcopatus Velitternus cum Oſtienſi eſt unitus.

1. *Turbaverat aciem, qua.*] Emendat Salmaſ. in opere poſtumo de re militari, *quia dum ſe, &c.* Sed non ſic vulnus ſanatur; ſupereſt enim parum digna Livio repetitio nominis *aciem*. Deleatur itaque poſteriore loco, & pro *qua*, vel *quia* reponatur *quam*, ut habent ſcripti quidam, Gronov. teſte. Pronomen *ſe* ante verbum *pandunt*, poteſt non incommodè expungi ex ejus mente, ut verbum illud ad hoſtes referatur,

Urb. cond. an. 259. Dictat. M. Valer.

latius pandunt, parum apte introrsum ordinibus aciem firmaverant: turbatos pedes invasit. eodem impetu castra capta. debellatumque est. Post pugnam ad Regillum lacum non alia illis annis pugna clarior fuit. Dictator triumphans urbem invehitur. Super solitos honores locus in Circo ipsi posterisque ad spectaculum datus. Sella in eo loco eburnis posita. Volscis devictis Velitermus ager ademptus: Velitras coloni aburbe missi & colonia deducta. Cum Æquis post aliquanto pugnatum est; invito quidem consule, quia loco iniquo subeundum erat, ad hostes: sed milites extrahi rem criminantes, ut dictator, priusquam ipsi redirent in urbem, magistratu abiret; irritaque, [2] sicut ante consulis promissa ejus caderent, populere, ut fortè temere in adversos montes agmen erigeret. Id male commissum, ignavia hostium in bonum vertit: qui, priusquam ad conjectum teli veniretur, obstupefacti audacia Romanorum relictis castris, quæ munitissimis tenuerant locis, [2] in adversas valles desiluere. [3] ubi satis prædæ, & victoria incruenta fuit. Ita [4] trifariam re bello bene gesta, de domesticarum rerum eventu, nec Patribus nec plebi cura decesserat. tanta quum gratia, tum arte præparaverant fœneratores, quæ non modo plebem, sed ipsum etiam dictatorem frustrarentur. Namque Valerius, post Veturii consulis reditum, [5] omnium actionum in Senatu primam habuit pro victore populo, retulitque *quid de nexis fieri placeret*. quæ eum rejecta relatio esset, *Non placeo*, inquit, *concordiæ auctor. optabitis Mediusfidius propediem, ut mei similes Romana plebs patronos habeat. Quod ad me attinet, neque frustrabor ultra cives meos, neque ipse frustra*

INTERPRETATIO.

2. Ut *Dictator se abdicaret magistratu: & sic promissa ipsius irrita fierent, quemadmodùm priùs Consulis* Servilii promissa inania reddita fuerant.

NOTÆ.

Nihil tamen vetat relinqui: & referri ad ipsa *cornua*. Apertus certè sensus erit si totus locus ita scribatur. *Equitatu immisso mediam turbaverat hostium aciem, quam, dum cornua latiùs pandunt, parùm aptè introrsum ordinibus firmaverant*. Sic lib. 4. *Non subsidiis firmata acie, non equite aptè locato*. In hoc enim peccaverant Sabini. *Pour estendre les ailes, & multiplier les rangs, ils avoient affoibli leurs files*.

2. *In adversas valles*.] Rectè, opinor, Gronov. & Tanaq. Faber *in aversas Valles*. Fronti enim Castrorum objecti & adversi Romani; eos autem fugientibus Sabinis quærenda loca, quæ à tergo ipsis fuerant, & sic *aversa*. Livius idem lib. 27. *Nocte jugum superare, & in aversis Vallibus considere jubet*. In Vallibus scilicet, quæ ultra montem & remotiores ab hostibus.

3. *Ubi satis prædæ*.] Non malè Tan. Faber, *ibi* legit.

4. *Trifariam re bene gestâ*.] Triplici hoste victo, Volsco Virginius, Æquos Veturius, Sabinos fuderat Valerius.

5. *Omnium actionum*.] Hoc loco *actionis* nomine intelligitur *Tractatio* negotii alicujus, ac *disceptatio* de publicis rebus: quomodò sæpiùs noster, & Cic. lib. 9. ad Atticum ep. 11. *Dispersione enim Consulum, actio de pace sublata est*: id est, *Tractatio pacis*.

Dictator

Dictator ero. Discordiæ intestinæ, bellum externum, fecere, ut hoc magistratu egeret respublica. Pax foris parta est, domi impeditur. privatus potius quam dictator seditioni interero. ita curia egressus, dictatura se abdicavit. b Apparuit causa plebi, suam vicem indignantem magistratu abiisse. itaque, velut persoluta fide, quoniam per eum non stetisset quin præstaretur, 6 decedentem domum cum favore ac laudibus prosecuti sunt.

XXXII. Timor inde Patres incessit, ne si dimissus exercitus foret, rursus cœtus occulti conjurationesque fierent. itaque quamquam per dictatorem delectus habitus esset, tamen, quoniam 1 in Consulum verba jurassent, sacramento teneri militem rati, per causam 2 renovati ab Æquis belli, educi ex urbe legiones jussere. quo facto maturata est seditio. Et primo agitatum dicitur de consulum cæde, ut solverentur sacramento: 2 doctos deinde 3 nullam scelere religionem exolvi, 4 Sicinio quodam auctore, injussu Consulum, 5 in Sacrum montem secessisse, trans Anie- Urb. cond. an. 260. Coss. A. Virginius & T. Vetur.

INTERPRETATIO.

b *Plebeii causam cognoverunt*: ideò scilicet Valerium *se abdicasse dictaturâ, quòd graviter ferret eorum sortem.*

a Sed *postea* plebejos, *cum edocti essent, obligationem ex religione ortam numquam per crimen dissolvi.*

NOTÆ.

6. *Decedentem Domum.*] An *decedentem*, an *discedentem* legas cum Gron. parùm interest.

1. *In Consulum verba jurassent.*] Aliud jusjurandum militare, sive conjuratio; aliud sacramentum fuit. Nam auctore Servio *sacramentum erat cum singuli jurejurando adigebantur: conjuratio dicebatur, cum milites ipsi qui convenerant, inter se jurabant.* Sacramento milites à Tribunis obstringebantur, jussu Consulum (sive alterius majoris Magistratus) se conventuros; neque eorum injussu abituros. At Jurejurando Equites In decuria, pedites in Centuria quisque sua, fidem suam mutuò adstringebant, sese fugæ causâ non abituros, neque ab ordine recessuros, allaque ejus generis: quod jusjurandum exigere Ipsi Tribuni ceperunt bello Punico 2. anno demum u.c. 537. C. Terentio Varrone, & L. Æmilio Paulo Coss. uti Livius noster memorat lib. 22. cap. 38. Dicuntur autem jurare in verba alicujus, qui alicui certa lege, certisque verbis, se parituros jurati promittunt.

2. *Renovati ab Æquis belli.*] Prætexebatur hæc falsa causa, quasi Sabini & Æqui contra populum Romanum conspirassent.

3. *Nullam scelere religionem exolvi.*] Religio quandoque est scrupulus ex metu divini numinis ortus: & sic religione solvi est ab eo quasi vinculo, seu animi scrupulo eximi. Porrò summa erat Romanorum in servando militari sacramento religio: adeò ut etiam qui in castris essent, si tamen eo sacramento non tenerentur, iis more majorum non liceret hostem interficere, aut vulnerare: qua de re Cicero 1. de Off. disputat, affertque Catonis exemplum, cujus & Plutarchus meminit in quæst. Rom.

4. *Sicinio quodam auctore.*] Cum eductis legionibus Consules vicina inter se castra haberent: milites in unum omnes congressi, duce Sicinio Belluto, raptis signis defecerunt à Consulibus.

5. *In Sacrum montem.*] Mons Sacer dictus postea est collis, qui primus trans Anienem via Nomentanâ occurrit, ubi hodie, *Castello di San Silvestro*, in Sabinorum, Latinorumque confinio, qua Crustumerium ibatur: unde ex eo prima hæc plebis secessio Crustumerina Varroni appellatur lib. 4. de Ling. Lat.

Urb. cond. an. 260. Coss. A. Virgin. & T. Veturi.

nem amnem, tria ab urbe millia passuum. ea frequentior fama est, quàm, cujus Piso auctor est, [6] in Aventinum secessionem factam esse. Ibi, sine ullo duce, vallo fossaque communitis castris, quieti, rem nullam nisi necessariam ad victum sumendo, per aliquot dies neque lacessiri, neque lacessentes, sese tenuere. Pavor ingens in urbe, metuque mutuo suspensa erant omnia. [b] Timere relicta ab suis plebes violentiam Patrum: timere Patres [7] residem in urbe plebem, [c] incerti, [8] manere eam an abire mallent: *[9] quamdiu autem tranquillam, quæ secessérit, multitudinem foret quid futurum deinde, si quod externum interim bellum existat? [d] nullam profecto, nisi in concordia civium, spem reliquam ducere. eam per æqua, per iniqua, reconciliandam civitati esse.* Placuit igitur [10] oratorem ad plebem mitti Menenium

INTERPRETATIO.

[b] *Plebeii à suis ordinis militibus derelicti, metuebant.*

[c] *Dubitabant* Patricii *utrum* ipsis *esset optabilius, ut* plebs quæ in urbe resederat, in ea *maneret, an urbe exiret.*

[d] *Existimabant sanè* Patricii *spem nullam superesse, præterquam in civium consensu*: ideoque, *eum sive æquis, sive iniquis conditionibus oportere restitui civitati.*

NOTÆ.

Cur Sacri nomen ei sit inditum explicat Halic. l. 6. ait enim, compositâ pace, Romanos Aram posuisse in summo colle, in quo castra habuerant: quam à Panico terrore, quo tunc correpti fuerant, patria lingua nominarunt Jovis Fauni: eoque sacrificiis placato, & ipso loco ubi confederant consecrato, cum Legatis in urbem reversi sunt. Alii autem *Sacrum Montem* nominatum volunt à Sacratis legibus in eo latis, quibus cautum fuit, ut qui Tribunum plebis violassent, eorum caput Jovi sacrum esset, uti notter lib. 3. c. 55. & Dionysius lib. 6. referunt.

6. *In Aventinum.*] Tres præcipuæ memorantur secessiones plebis à Senatu. Hæc prima, communi opinione in montem Sacrum ob creditorum sævitiam, an. u. c. 260. post pulsos Reges decimo sexto. Altera in Aventinum, atque inde in eumdem Montem Sacrum ob Decemvirorum impotentiam anno 305. de qua post lib. 3. cap. 50. Tertia in Janiculum, propter æs alienum, circa annum 469. de qua in Epitome lib. 11.

7. *Residem in urbe plebem.*] Nomen Reses hic sumitur, opinor, provocosa: quæ licet arma non moveret, timendum tamen erat, ne cum seditiosis extra urbem armatis communicato consilio, aliquid intra urbem moliretur. Quamquam *reses* dici etiam simpliciter potest pro residuo, quæ in urbe remanserat, ac per se metuenda erat.

8. *Manere, an abire mallent.*] Imo plebejos urbem deserere parantes à proposito diverterunt Patricii, aut etiam invitos retinere conati sunt, ex Halicarn.

9. *Quamdiu autem.*] Oratio est Patriciorum de secessionis exitu sollicitorum.

10. *Oratorem, Menenium.*] Rejectos primùm à plebe legatos à Senatu missos, quod certi nihil offerrent, Dionys. refert. Postea novi Consules Postumus Cominius, & Sp. Cassius, qui maturiùs solito, nempe Kal. Septembr. consulatum inierant, retulerunt ad Senatum de plebis reditu. Primarii Senatores diversa censuere. Agrippa Menenius mittendos ad plebem cum amplissima potestate componendi hæc dissidia. M. Valerius eamdem sententiam dixit, non sine infectatione Appii Claudii. Hic verò amarè in eum invectus, in pristina ferocia perseveravit, eademque ferè censuit, quæ anteà cap. 30. commemorata sunt; nullam scilicet ad desertores mittendam Legationem: æs alienum plebi

11 Agrippam, facundum virum, & 12 quod inde oriundus erat, plebi charum. Is intromiſſus in caſtra, priſco illo dicendi & 13 horrido modo, nihil aliud, quam hoc narraſſe fertur: *Tempore, quo in homine, non ut nunc, omnia in unum conſentiebant, ſed ſingulis membris ſuum cuique conſilium, ſuus ſermo fuerat; indignatas reliquas partes, ſuâ curâ, ſuo labore ac miniſterio ventri omnia queri; ventrem in medio quietum, nihil aliud, quam datis voluptatibus frui. Conſpiraſſe inde, ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent. e hac ira dum ventrem fame domare vellent, ipſa unà membra, totumque corpus, ad extremam tabem veniſſe. Inde apparuiſſe, ventris quoque haud ſegne miniſterium eſſe: nec magis ali, quàm alere eum; reddentem in omnes corporis partes hunc, quo vivimus, vigemuſque, divſum pariter in venas maturum confecto cibo ſanguinem.* Comparando hinc quàm inteſtina corporis ſeditio ſimilis eſſet iræ plebis in patres, flexiſſe mentes hominum.

XXXIII. 1 Agi deinde de concordia cœptum, 2 conceſſumque in

Urb. cond. an. 260. Coſſ. Spur. Caſſ. & Poſtum. Com.

INTERPRETATIO.

e *Per iram hujuſmodi.*

f *Sanguinem concoctum tibi elaboratum.*

2 *Et in conditiones* concordiæ *itum.* Videlicet, &c.

NOTÆ.

quæ in officio manebat, non in commune, ſed viritim; ei verò quæ ſeceſſerat nullatenus remittendum: quin potius bellum cum ea habendum, armatis, ſi opus eſſet, ſervitiis. Ei toti Patriciorum juventus adhærebat. Sed cum Conſules pro poteſtate ſua rem ad comitia totius populi deducerent, plerique juniorum victi precibus, & lacrymis à parentibus, & liberis eorum qui ſeceſſerant, permiſere ſenioribus, ut quod è republica eſſe judicarent, id decernerent. Sic electi ſunt decem Legati nobiliſſimi ſeniorum, in quibus Largius Flavus, & Agrippa Menenius. Quod itaque hunc tantùm Livius memorat, ita eſt accipiendum, ut ille non ſolus, ſed quod plebem apologo ſuo maximè demulſerit atque inflexerit, præcipuus fuerit habitus. Cæterùm verba prior fecit M. Valerius Legatorum maximus natu; cujus pro Senatu, & L. Junii, ac Sicinii pro plebe orationes fuſè narrat Dionyſ.

11. *Agrippam.*] Quorum in naſcendo non caput, (quod ſecundum naturam eſt) ſed pedes primi exſerunt, *Agrippæ* appellati ſunt, quaſi ægrè parti, ex Plin. lib. 7. cap. 8. vel ex ægritudine, & pedibus, ex Gellio lib. 18. cap. 16.

12. *Quod inde oriundus erat.*] Illud *inde* idem ſignificat atque *ex plebe*. Scrupulum tamen injicere poteſt, quod hic Agrippa Menenius Lanatus C. Menenii filius, Conſul fuiſſe dicatur hujus libri cap. 16. nec dum tamen in plebem vulgati erant honores: quin nec connubium adhuc plebi cum patribus erat, ut ne materna quidem origine videri poſſit plebem attigiſſe. Verùm Meneniorum hæc familia, initio plebeja, vel à Tarquinio Priſco, cum is Senatorum numerum augeret, (cujus rei noſter lib. 1. cap. 35. meminit) inter patricias fuerat aſcita: vel Agrippa ipſe in ordinem allectus fuerat à Bruto, & Poplicola, exhauſtum Tarquinii Superbi crudelitate Senatum ſupplentibus, ut refert Dionyſ. lib. 3. quod mihi probabilius videtur.

13. *Horrido modo.*] In verbis fortè rude quid: ſed fabula ipſa (quam Dionyſius & cæteri rerum Romanorum ſcriptores referant,) non illepida.

1. *Agi de concordia cœptum.*] Diſcordiæ fons præcipuus, cauſa nexorum, id eſt debitorum ex plebe, quorum corpora creditoribus patriciis obnoxia: quæ res ut compoſita fuerit, tacet Livius, quod ſanè mirum. Petendæ igitur ex

Urb. cond. an. 260. Coſſ. Spur. Caſſ. & Poſtum. Com.

conditiones, [2] *ut plebi ſui magiſtratus eſſent ſacroſancti* [b] *quibus auxilii latio adverſus Conſules eſset*, [3] *neve cui Patrum capere eum magiſtratum liceret*. Ita [4] Tribuni plebei creati duo, [a] C. Licinius,

INTERPRETATIO.

b *Qui poteſtatem haberent ferendi opem.*

NOTÆ.

Dionyſ. lib. 6. conditiones, quas propoſuit in Monte Sacro Agrippa, tollendis diſſidii cauſis aptiſſimas: ut qui ſolvendo non eſſent, iis omnibus æs alienum remitteretur: ſi quorum debitorum corpora, elapſo die ſolutionis, creditoribus eſſent obnoxia, aut per judicem creditoribus addicta; ut libera haberentur: & quæcumque in futurum de communi ſententia ſtatuerentur, Senatuſconſulto & lege ſancirentur; Legatis, & Senatoribus, ſe ſuaque obſtringentibus rata fore, quæ concederentur. Deinde ſermonem fabulâ concluſit: quâ auditâ parum abfuit quin è veſtigio plebs abiret in urbem, re tota legatis permiſsâ: niſi L. Junius cognomento Brutus ſecuritatis cauſâ petiiſſet, ut plebi liceret annuos ſibi magiſtratus creare, qui plebejis injuriâ oppreſſis ſuccurrerent. Quod cum Legati inconſulto Senatu concedi à ſe non debere exiſtimarent; Romam Valerius cum parte Legatorum advolavit, factumque eſt Senatuſconſultum, quod & cætera Legatorum pollicita plebi confirmabat, & hanc ſecuritatem permittebat.

2. *Ut plebi ſui magiſtratus eſſent Sacroſancti.*] Poſtquam à plebe ad Senatum miſſi L. Junius Brutus, M. Decius, & Sp. Icilius, pacem cum eo per Fetiales compoſuerant, fidemque ab eo acceperant: plebs curiatis comitiis, ut tradit lib. 6. Dionyſius, annuos magiſtratus creavit quarto Idus Decembres, L. Junium Brutum, & C. Sicinium Bellutum, quos anteà duces habuerat, cumque his C. & P. Licinios, & Sp. Icilium Rugam: Brutuſque plebi ſuaſit, ut eum magiſtratum *ſacroſanctum*, atque inviolabilem eſſe lege latâ, & perpetuo jurejurando addito, decerneret. Legis hæc capita refert idem Halicarnaſſ. *Tribunum invitum nemo quicquam facere cogito: nec verberato, nec alium verberare jubeto. Si quis contrà fecerit, Sacer eſto; & bona ejus Cereri dicata ſunto: qui eum occiderit, purus à cade eſto*: adjectâ imprecatione, ut ejus confirmatoribus ſuperi ac inferi propitii, tranſgreſſoribus verò irati utrique ſorent. Hæ ſunt, quæ *Sacratæ leges* dicuntur: atque hinc Tribuni *ſacroſancti* viſi: quod tamen propriè dici negabant Juris Interpretes apud noſtrum lib. 5. cap. 55. qua de re nos ſuo loco.

3. *Neve cui Patrum.*] Sed poſteà Senatoribus quoque, & conſularibus patuit Tribunatus ab anno U. C. 306. ut videbimus lib. 3. cap. 65.

4. *Tribuni plebei creati duo.*] Duos initio Tribunos plebis creatos Tullius quoque auctor eſt in Orat. pro Cornel. ubi de Romanis civibus verba faciens: *tanta igitur*, inquit, *in illis virtus fuit, ut anno 16. poſt Reges exactos, propter nimiam dominationem potentium, leges Sacratas ipſi ſibi conſtituerent; duos Tribunos crearent; montem illum trans Anienem, qui hodie mons Sacer nominatur, in quo armati conſederant, æterna memoriæ cauſâ conſecrarent.* Eumdem numerum ſequitur Zonaras tom. 2. Contra Dionyſius, aliique ſtatim ab initio quinque tribunos numerant. Notat quoque Sigonius in nominibus duorum, qui primo loco creati, diſſentire à cæteris omnibus Livium, qui C. Licinium, & L. Albinum profert; cum Dionyſius L. Julium (vel emendatiùs Junium) Brutum, & C. Sicinium Bellutum primos nominet: eaque ſententia cuivis probabitur, cogitanti horum hominum primas fuiſſe in ſeditione partes; nec facile ad alios, quam ductores ſuos reſpecturam multitudinem. Plutarchus in Coriolano, & Suidas in voce Δημαρχοι, eoſdem habent. Aſconius Pedianus in

5 & L. Albinus. hi, tres collegas ſibi creaverunt. in his [6] Sicinium fuiſſe ſeditionis auctorem; de duobus, qui fuerint, minus convenit. Sunt qui duos tantum in Sacro monte creatos Tribunos eſſe dicant, ibique [7] ſacratam legem latam. [c] Per ſeceſſionem plebis [8] Sp. Caſ-
5 ſius, & Poſtumus Cominius conſulatum injerunt: his conſulibus

Urb. cond. an. 261. Coſſ. Sp. Caſſ. & Poſtum. Com.

INTERPRETATIO.

c *Durante* adhuc *plebejorum ſeceſſione*.

NOTÆ.

Corneliana C. Sicinium L. F. Bellutum, & L. Junium, C. F. Paterculum, edit. Sed quoniam ab hoc ea nomina proferuntur ex Livio, corrupta illa apud noſtrum poſteà fuiſſe cenſet Robortellus lib. 2. emendat. cap. 29. ita ut ex C. Sicinio, C. Licinius, & ex L. Junio L. Albinus prodierint. Verùm neque hæc conjectura ſtare poteſt, quandoquidem Sicinius ab eodem Livio, tanquàm diverſus à Licinio, eique additus collega, ſubjungitur. Mihi placet magis levi correctione Sicinium priori loco pro Licinio, poſteriori verò pro Sicinio Licinium legere. Hac ratione Livio cum reliquis conveniet. Quo poſito numerum etiam conciliare non erit difficile, ſi dixerimus duobus à plebe electis permiſſam ab eadem fuiſſe aſciſcendorum trium Collegarum poteſtatem, atque ab his tribunos ſtatim alios tres dictos eſſe; quorum duos poſteriores, quaſi minùs certos Livius omiſerit. Poſtea duplicatus eſt Tribunorum numerus, ac decem creati; duo in ſingulas quinque claſſes, anno ab hinc 36. prout lib. 3. c. 30. dicemus. Porrò illi plebis patroni, ſeu defenſores, idcirco *Tribuni* dicti ſunt, quod ex Tribunis militum facti eſſent, teſte Varrone lib. 4. de Ling. Lat. ſive ex Tribunis legionum. Præter Tribunos impetravit quoque plebs à Senatu facultatem magiſtratus ſibi duos creandi, qui tunc Tribunorum miniſtri aut ſocii, ac judices: poſteà ab Ædium ſacrarum cura, *Ædiles plebeii* ſunt nominati: & magna ex parte Græcorum Agoranomis ſimiles fuere.

5. *Et L. Albinus*.] Apud Halicarn. hic Albinus inter primos quinque tribunos plebis non numeratur: ſed ejus loco nominari videtur P. Licinius: quâ de re paulò antè.

6. *Sicinium fuiſſe*.] Hunc ſeditionis auctorem C. Sicinium Bellutum appellatum fuiſſe, non ut poſt apud noſtrum legitur, L. Sicinium Velutum, Sigonius tradit ex Græcorum auctoritate. Bellutus autem belluæ ſimilem ſignificat apud Feſtum.

7. *Sacratam legem*.] De ejus nominis cauſis dictum anteà cap. proximo. Utrum autem una lex fuerit, an plures, dubitat Godelevæus: unam hic nominat Livius & Dionyſius; & tamen idem Livius alibi, & Cicero, pluribus locis *ſacratas* dicunt numero plurali. Quod etiamſi de Lege in ſecuritatem Tribunorum latâ accipiamus, intelligi rectè poteſt de pluribus ejus capitibus, quæ ſingula totidem leges ſint. Alioqui *ſacratæ leges* in genere nominantur à conſecratione, quam duplicem Cicero facit in Orat. pro Corn. Balbo. *Sanctiones*, inquit, *ſacrandæ ſunt, aut genere ipſo, ut obteſtatione, & conſecratione legis; aut pœnâ, cum caput ejus, qui contrafacit, conſecratur*.

8. *Sp. Caſſius, & Poſtumus Cominius Coſſ.*] Poſt irritam Senatus primam ad ſeditioſos legationem, Indictis ante tempus comitiis conſularibus: cum nemo eum honorem in rebus turbidis ambiret; deſignati ſunt Conſules utriſque partibus gratì, *Poſtumus Cominius*, (ſic enim legendum non *Poſtumius* quod nomen eſt, non prænomen) idem *Auruncus* dictus à devictis Auruncis: & Spur. Caſſius Viſcellinus, quorum auſpiciis debellati fuerant Sabini. Hic eorum ſecundus Conſulatus incidit in 72. Olympiadem principe Athenis Diogneto, ut Dionyſius notat. Illi ſanctâ concordiâ, & rebus ſedatis, munia ſortiti ſunt: obtigitque Caſſio cura rerum urbanarum; Poſtumio res militaris.

Digitized by Google

Urb. cond. an. 261. Coſſ. Sp. Caſſ. & Poſt. Comin.

cum Latinis populis ictum fœdus: ad id feriendum conſul alter Romæ manſit, alter ad Volſcum bellum miſſus, 9 Antiates Volſcos fundit fugatque: compulſos in oppidum 10 Longulam perſecutus, mœnibus potitur. 11 inde Poluſcam, item Volſcorum, cepit: tum magna vi adortus eſt 12 Coriolos. Erat tum in caſtris inter primores juvenum 13 C. Marcius, adoleſcens & conſilio & manu promptus, cui cognomen poſtea *Coriolano* fuit. Quum ſubito exercitum Romanum Coriolos obſidentem, atque in oppidanos, quos intus clauſos habebat, intentum, ſine ullo metu extrinſecus imminentis belli, Volſcæ legiones profectæ ab Antio invaſiſſent, eodemque tempore ex oppido erupiſſent hoſtes; fortè in ſtatione Marcius fuit. Is cum delecta militum manu, non modo impetum erumpentium retudit, ſed per patentem portam ferox irrupit: 14 cædeque in proximo urbis facta, 15 ignem temerè arreptum, imminentibus muro

NOTÆ.

9. *Antiates Volſcos.*] De Volſcis dictum lib. 1. cap. 53. de Antio dicetur cap. 63. hujus libri.

10. *Longulam.*] Volſcorum Antiatum hoc oppidum, cum ſequentibus, quo ſitu fuerit, mox indicabitur.

11. *Inde Poluſcam item.*] Legebatur anteà. *Inde protinùs Mucamitem.* At ex Mſſ. nonnullis, ubi habetur, *protinus Volſcamitem* rectè Sigonius emendavit *Poluſcam item*: cujus correctionis conjecturam hauſit ex eo quod paulò poſt noſter de Coriolano ageus, ait, *Longulam, Poluſcam, Coriolos, novella hæc oppida Romanis ademit*; quanquàm eo loco legitur, *Poluſtiam* pro Poluſcam, vitiosè quidem ut Sigonio videtur. Sed tamen Poluſtinos in eo tractu nominat Plinius lib. 3. cap. 5. ut ejus ſcilicet oppidi incolas: unde bifariam formatum hujus loci vocabulum Cluverius exiſtimat, ut & Poluſca, & aliis Poluſtia diceretur. Cæterùm in hoc nomen apud Halicarnaſſeum quoque fœdum irrepſerat mendum, qui hanc Poſtumii expeditionem deſcribens lib. 6. refert eum, capta Longula, exercitum duxiſſe in aliam urbem Volſcorum, *quæ dicitur Polus*, intervallo non magno à Longula diſtans, ἣ κεκλῆται μὲν Πόλαι, κατὰ διάστημα δὲ ὀλίγον τῆς Λογγόλας ἀπέχει. Legendum itaque cenſet Poluſca, repetitâ prima ſequentis vocabuli ſyllaba, ut ſit Πολουίσκαι κατὰ διάστημα, &c. idque & ſequenti firmatur Halicarnaſſei loco, ubi hæc civitas vocatur, Πολουίσκων πόλις.

12. *Coriolos.*] Græcis Coriola dicitur, & Suidæ Corilla, vel Coriolla (ſunt enim hæc duo unius apud eum, & ejuſdem urbis nomina.) Volſcorum quaſi caput appellat Halicarnaſſeus. Plutarchus autem in Coriolano hanc urbem in ea gente maximam obtinuiſſe dignitatem teſtatur. Ejus hodie nulla extant veſtigia; non magis quam Poluſcæ, & Longulæ. Hoc tantum conſtat Coriolos Lanuvino agro & Solonio campo vicinos ad ortum: atque hæc tria oppida poſita fuiſſe in Volſcorum regione, Velitris atque Antio interjacente.

13. *Cn. Marcius.*] Plutarcho & Halicarnaſſeo Cajus Marcius dicitur, & genti Marciæ familiare prænomen Caji, non Cneji ex Sigonio; quæ nobiliſſima inter patricios familia Ancum Marcium Regem in numero gentilium ſuorum habuerat.

14. *Cædeque in proximo urbis facta.*] Id eſt, in locis urbi proximis, ſive in parte, quæ portæ urbis proxima. Rhenanus malebat *cæde in proxima urbis facta*, id eſt, uſque in loca proxima, non male.

15. *Ignem temerè arreptum.*] Conſtat optimè phraſis: ut neceſſe haud ſit mutare, ac legere *abreptum*, ut vult Rhenanus: quid enim ignem abreptum ?

ædificiis injecit. Clamor inde oppidanorum mixtus muliebri puerilique ploratu ad terrorem, ut ſolet, [16] primo ortu, & Romanis auxit animum, & turbavit Volſcos: utpote capta urbe, cui ad ferendam opem venerant. Ita fuſi Volſci Anciates, Corioli oppidum captum. tantumque [17] ſua laude obſtitit famæ conſulis Marcius, ut, niſi fœdus cum Latinis columnâ æneâ inſculptum monumento eſſet, ab Sp. Caſſio uno, quia collega abfuerat, ictum, Poſtumum Cominium bellum geſſiſſe cum Volſcis, memoria ceſſiſſet. Eodem anno Agrippa Menenius moritur: vir omni vita pariter Patribus ac plebi charus: poſt ſeceſſionem charior plebi factus. Huic interpreti arbitroque concordiæ civium, legato Patrum ad plebem, reductori plebis Romanæ in urbem, [18] ſumptus funeri defuit. extulit eum plebs [19] ex ſextantibus collatis in capita.

XXXIV. Conſules deinde [1] T. Geganius, P. Minucius facti. Eo anno, quum & foris quieta omnia à bello eſſent, & domi ſanata diſcordia; aliud multo gravius malum civitatem invaſit. [2] caritas primum annonæ, ex incultis per ſeceſſionem plebis, agris: fames deinde, [a] qualis clauſis ſolet. ventumque ad interitum ſervitiorum utique & plebis

Urb. cond. an. 261. Coſſ. T. Geganius & P. Minucius.

INTERPRETATIO.

[a] *Qualis conſuevit obſeſſis* (contingere.)

NOTÆ.

foco neceſſe fuit, dum undecumque illato uſus ad ſpargendum incendium Marcius fuerit?

16. *Primo ortu.*] Alias *ad terrorem, ut ſolet, primum, ortus*, non omnino diſplicet, ſi modo *primum* non tamquam adverbium ſumas; ſed referas ad terrorem, ut ſit ad primum terrorem ortus clamor, &c.

17. *Suâ laude obſtitit fama Conſulis.*] Major gloria minorem obſcurat: & cognomen Coriolani Marcio inditum, non Poſtumio, ſatis arguit primas fuiſſe Marcii partes in expugnandis Coriolis. Ille tamen ex totius belli victoria cognomen Auruncî retuliſſe videtur.

18. *Sumptus funeri defuit.*] Tanta in viro conſulari paupertas, invictum adverſus avaritiam animum demonſtrans, plurima Romæ, atque Athenis habet exempla, quæ videre licet Valerii Max. lib. 4. Quid igitur mirum, ſi mortales cæteros imperio ſuo ſubjecerint, qui ſe primi viciſſent, ſuaſque cupiditates haberent in poteſtate?

19. *Sextantibus collatis in capita.*] Sextans eſt ſexta pars aſſis Romani, qui eo tempore aſſibus noſtratibus 13. ac dimidio reſpondebat, ut in præfat. oſtendi.

1. *T. Geganius. P. Minucius.*] Illi Macerini, huic Augurini cognomina addunt faſti Græci & liber Cuſpiniani; quorum prius Geganiorum, poſterius Minuciorum cognomen fuit. Geganiorum familiam Tullus Hoſtilius Albâ tranſtulerat, uti lib. 1. cap. 30. obſervatum eſt: Ex ea primus hic Titus Conſul fuit.

2. *Caritas primùm annonæ.*] Hæc frugum penuria ex agris ob plebis ſeceſſionem incultis, proculdubio eſt orta. Plebs enim à Patriciis ſeceſſerat ante æquinoctium autumnale ſub ipſum ſementis initium; & per eos motus (qui non niſi ſub brumam deſiere) deſerta fuerant à Colonis rura, cum alii Senatui, alii plebi ſtuderent. Quin & regreſſis ad ſua agricolis, fugæ ſervorum, jumentorumque pernicies difficile opus effecerant; deeratque frugum copia, tum ad ſemen, tum ad alimenta inſequentis anni, quemadmodum refert Dionyſ.

Urb. cond. an. 261. Coss. T. Gegan. & P. Minuc.

esset, ni Consules providissent, 3 dimissis passim ad frumentum coëmendum, non in Etruriam modo 4 dextris ab Ostia littoribus, lævoque per Volscos mari usque 5 ad Cumas, 6 sed quæsitum 7 in Sicilia quoque; adeò 8 finitimorum odia longinquis coëgerant indigere auxiliis. Frumentum Cumis, quum coëmptum esset, 9 naves, pro bonis Tarquiniorum, 10 ab Ari- 5

NOTÆ.

3. *Dimissis passim ad frumentum coëmendum*.] Supple *mercatoribus*, quos mox frumentatores appellat.

4. *Dextris ab Ostia littoribus*.] Tiberi devectis in mare Tyrrhenum, ad dextram versus Occasum Etruria; ad lævam autem versus Ortum est Latium vetus, inde Rutuli, Volsci & Aurunci, atque initium Campaniæ, ubi Cumæ.

5. *Ad Cumas*.] Cumæ, Gr. Κύμη, Chalcidica in Opicis urbs dicitur à Thucydide lib. 5. Condita enim fuit a Chalcidensibus & Eretriensibus ex Eubœa insula In Italiam deductis ab Hippocle & Megasthene apud Vell. Paterc. lib. 1. & Strabonem lib. 5. Hic tamen Hippoclem Cumanum facit. Quod non de Cuma Asiatica est accipiendum (quam nondum ab Æolibus conditam ex Vellejo liquet) : sed de Cuma Eretriæ vicina in Eubœa insula, ubi oppidum ejus nominis memorat Stephani Epitomator. At Cumæ Italicæ paulo ultra Liternum fl. ad mare Tyrrhenum in colle sitæ fuerunt. Nomen in minis, hodieque servat inter Vulturni ostia & Puteolos.

6. *Sed quæsitum*.] Quærit hoc loco Gronovius *quid* quæsitum ? (quasi non appareat quo illud debeat referri) : ideoque eò propendere videtur, ut velit legendum potiùs, sed *transfretum*, (Siculum scilicet). Est tamen satis plana locutio, ut nihil sit opus correctione, si conjungatur cum præcedenti voce *dimissis* quasi *missis* hominibus *quæsitum* sive ad quærendum frumentum.

7. *In Sicilia quoque*.] Neque hic necesse est quicquam mutare, & accusativum pro ablativo subjicere cum Gronovio. Etsi enim rectè dici posset *dimissis in Siciliam*; non ideo tamen vitiosum est *quæsitum in Sicilia*. Hanc autem insulam miræ fœcunditatis, & postquàm in provinciæ formam redacta est, horreum urbis fuisse præcipuum nemo nescit. In eam nunc missi sunt P. Valerius Poplicolæ filius, & L. Geganius Titi Consulis frater, Olympiadis 72. anno 2. quo tempore inter Siciliæ Tyrannos eminebat Gelo, Dinomenis filius, qui recens fratri Hippocrati successerat in Syracusano principatu. Hi Romanorum Legati, in Italiam æstate demum reversi, quinquaginta millia medimnûm Siculorum advexerunt referente Halicarnass. lib. 7. quorum dimidium vili pretio emerant, reliquum Gelo liberaliter donaverat suoque sumptu vehendum curaverat. Capit autem medimnus ex Budæo sex medios, creditur que Minæ Francicæ respondere.

8. *Finitimorum odia*.] Latinorum, Sabinorum, Vejentium.

9. *Naves retenta sunt*.] Rem ita narrat Dionys. lib. 7. ubi Romanorum Legati frumenti coëmendi causâ Cumas advenerunt, ii qui cum Tarquinio evaserant ex ultimo prælio, illos primùm ad mortem deposcere; eaque re non impetratâ, postulare à tyranno cœperunt, ut eos detinere sibi liceret, donec sua ipsis bona redderentur à populo Romano. Legati negabant se ad judicium venisse, causæque hujusmodi agendæ ullam habere potestatem. Sed cum hæc exceptio non admitteretur, petitâ dilatione, datisque interim vadibus, sese furtim inde proripuerunt. Eorum tamen servitia, Jumenta, pecuniam tyrannus retinuit.

10. *Ab Aristodemo tyranno*.] Cumanorum respublica, cum per optimates regeretur; ejus tyrannidem Aristodemus Aristocratis filius, cognomine malacus, patriâ, Hetruscorum, mbrorum, Daunio rum obsidione liberatâ, liberatâ item Aricià, victoriis ferox, per insidias & cædes invaserat. Atque ad eum Tarquinius Superbus post exsum Mamilium generum, Tusculo profugerat, ibidem mortuus, uti antea hujus lib. cap. 21. est annotatum.

stode-

ſtodemo tyranno, qui hæres erat, retentæ ſunt. 11 In Volſcis 12 Pomptinoque, ne emi quidem potuit: periculum quoque ab imperu hominum ipſis frumentatoribus fuit. Ex Tuſcis frumentum Tiberi venit: eo ſuſtentata eſt plebs. Incommodo bello in tam arctis commeatibus vexati forent, ni Volſcos jam moventes arma, peſtilentia ingens invaſiſſet. ea clade conterritis hoſtium animis, ut etiam ubi ea remiſiſſet, terrore aliquo tenerentur, & 13 Velitris auxere numerum colonorum Romani, & 14 Norbæ in montes novam coloniam, quæ arx in Pomptino eſſet, miſerunt. 15 M. Minucio deinde, & A. Sempronio Conſulibus, magna vis frumenti ex Sicilia advecta: agitatumque in Senatu, quanti plebi daretur. 16 Multi veniſſe tempus premendæ plebis putabant, recuperandique jura, quæ extorta ſeceſſione ac vi Patribus eſſent: in primis Marcius Coriolanus 17 hoſtis

Urb. cond. an. 261. Coſſ. T. Geganio & P. Minuc.

NOTÆ.

11. *In Volſcis.*] Nuper devicti Volſci, conceptâ rei benè gerendæ ſpe ex fame Romæ graſſante, defectionem parabant: niſi calamitoſiſſima peſtilentia conatus eorum intercepiſſet.

12. *Pomptinoque.*] Pertiliſſimus ager Pomptinus, à fontibus Aſturæ fl. ad Uſentis oſtia protenſus, dimidiam ſaltem Volſcorum partem complexus fuiſſe videtur; dictus quaſi Pometinus à Sueſſa Pometia Volſcorum urbe, quam Tarquinius Superbus ceperat, uti libri ſuperioris cap. 53. dictum eſt: eam quippe urbem elisâ vocali e Pomptiam dixere, imo & Pontiam, indeque Pomptinæ, vel Pontinæ paludes, ac Tribus etiam Pontina dicta. Sic certè Feſtus; *Pontina Tribus à Pontia* urbe dicta, *à qua & Palus quoque Pontina appellata eſt, juxta Terracinam* (*lege* Tarracinam.)

13. *Velitris.*] Coloniam Velitras deductam, poſtquàm hæc Volſcorum urbs ab A. Virginio Conſule expugnata fuerat, ante memoravit Livius c. 30. & 31. Nunc, poſt biennium, urbem iſtam, magnam priùs & populoſam, ſic peſtis exhauſerat, ut decima tantùm incolarum pars reliqua eſſet. Quapropter legatis Romam miſſis novos colonos petierunt, qui pluribus de cauſis conceſſi; tum quòd aliò migrante plebis portione haud contemnendâ, levabatur in urbe fames; tum quòd ſeditioſorum numerus minuebatur. Sed cum metu peſtilentiæ, plebejorum pauci nomina darent; quique nomina dederant, pœnitentiâ ducti, proficiſci detrectarent; factum eſt Senatuſconſultum, ut ex omni civium numero ſorte Coloni ducerentur; adverſus ire recuſantes propoſitâ graviſſimâ pœnâ, ex Halicarn. lib. 7. Sic auctus eſt colonorum numerus, quò faciliùs Volſci alii nondum ſubacti in officio continerentur.

14. *Norbæ in montes.*] Ut non tantùm plana, ſed etiam montana Volſcorum in poteſtate Romanorum eſſent, Norbam deducta Colonia eſt: quod oppidum Coræ Signiam euntibus occurrit: eſtque huic propius. Id in ruinis ad montium radices, nomen adhuc ferè ſervat, in Campania Romana: vocatur enim incolis *Norma*. Alia eſt in veteri Luſitania Norba Cæſarea ad Tagum, quæ nunc Regni Caſtellani eſt, vocaturque *Alcantara*.

15. *M. Minucio deinde.*] Anni hujus Conſules memorantur à Dionyſ. adjectis cognominibus Aulus Sempronius Atratinus iterum, & M. Minucius Auguri nus itidem iterum: eademque cognomina habent Faſti Siculi, & liber Cuſpiniani.

16. *Multi veniſſe tempus.*] Senatorum ſcilicet plerique.

17. *Hoſtis Tribunitiæ poteſtatis.*] Coriolano inſitum ex ſtudio Patricii decoris in tribunos plebemque odium exaſperaverat repulſa conſulatus, quàm à plebe proximis comitiis tulerat.

Urb. cond. an. 262. Coſſ. M. Minuc. & A. Sempron.

tribuniciæ poteſtatis. *Si* [18] *annonam*, inquit, *veterem volunt, jus priſtinum reddant Patribus. Cur ego plebejos magiſtratus, cur Sicinium potentem pollentemque video,* [19] *ſub jugum miſſus, tamquam à latronibus redemptus? Egone has indignitates diutius patiar, quam neceſſe eſt?* [20] *Tarquinium regem qui non tulerim, Sicinium feram? Secedat nunc,* § *avocet plebem, patet via in Sacrum montem, alioſque colles. Rapiant frumenta ex agris noſtris, quemadmodum* [21] *tertio anno rapuere. Fruantur,* ββ *utantur* [22] *annona, quam furore ſuo fecere. Audeo dicere, hoc malo domitos ipſos, potius cultores agrorum fore, quam ut armati per ſeceſſionem coli prohibeant.* Haud tam facile dictu eſt, faciendumne 10 fuerit, quam potuiſſe arbitror fieri, ut conditionibus laxandi annonam, & tribuniciam poteſtatem, & omnia invitis jura impoſita Patres [23] demerent ſibi.

NOTÆ.

18. *Annonam veterem.*] Vilem nempe, ac eodem pretio, quo ante ſeditionem fuerat.

19. *Sub jugum miſſus.*] Metaphoricè, quaſi dicat cum reliquis patriciis velut in ſervitutem redactus. Erat enim jugum patibuli ſpecies, tribus haſtis tigniſve conſtans, quarum duobus erectis, atque in terram defixis, tertia tranſverſa imponebatur. Sub eo victi à Victoribus diſcincti traducebantur, ut ſubactos, domitoſque eſſe intelligeretur: uti ex noſtro lib. 3. cap. 28. Cic. 3. de Off. aliiſque colligere eſt.

20. *Tarquinium Regem, qui non tulerim.*] Notat hic Tanaquill. Faber à Livio in tempora peccari, qui Coriolanum paulò ante (nimirùm cap. 33.) adoleſcentem fecerit, poſteà faciat ſenem. Et ſanè ſi ante triennium adoleſcens erat, nec dum annis quinque & viginti major; qua ratione jactare potuit ſe Tarquinium non tuliſſe, qui ante annos octodecim pulſus fuerat, quo tempore Coriolanus vix annos duodecim natus, ad excutiendum Superbi regis jugum parum, aut nihil, opinor, conferre potuerat. Adjicit Faber explicari poſſe, nec tamen explicat. Sed nimirùm, ut cum paulò ante Coriolanus ſub jugum ſe miſſum à Tribunis conqueritur, non tam ex perſona ſua, quàm generatim, ut patricius loquitur: ita hoc loco ab eodem ordine patriciorum, è quorum ipſe numero ſit, redactum in ordinem Tarquinium innuit.

21. *Tertio anno rapuere.*] Tertium annum dicit, ante hoc tempus, quo loquebatur. Ceperat enim ſedirio deſinente A. Virginii, & T. Veturii conſulatu anno 260. quo tempore commeatum aliaque vitæ ſubſidia vicinis ex agris petere ceperunt ſeditioſi. Interceſſerant conſulatus duo, alter Sp. Caſſii & Poſtumii Cominii; alter T. Geganii, & P. Minucii.

22. *Annona, quam furore ſuo fecere.*] Reſcribendum *quam furto ſuam fecere*, putat vir doctus apud Gronov. qui nihil mutandum cenſet. Nec enim rapina, & direptio vi palàm facta furtum dici poteſt, ex Juriſconſultorum ſententia; neque fames orta ex eo, quod patriciorum ex agris triennio ante rapta eſſent frumenta, ſed quod inculti omninò relicti eſſent agri. Senſus eſt itaque, utantur annona arctâ ac durâ, qualem ſua perniciosa & ad furorem uſque accensâ ſeditione, ipſi ſibi fecerunt, agrorum culturam negligendo, aut etiam prohibendo. Paulò prolixiorem hac de re, nec minùs luculentam Coriolani orationem refert Halicarnaſſ. lib. 7.

23. *Demerent ſibi.*] Poteſtate Tribunitiâ Senatui ſemper infeſtâ, aliiſque juribus nuper in plebis gratiam introductis, ſeſe liberare, ac velut à ſuis cervicibus nova hæc incommoda amovere reſtituto priſtino jure patricia juventus unà cum C. Marcio, & App. Claudio cupiebat.

Digitized by Google

XXXV. Et [1] Senatui nimis atrox viſa ſententia eſt, & ira plebem prope armavit. *Fame jam ſe ſicut hoſtes peti, cibo victuque fraudari: peregrinum frumentum, quæ ſola alimenta ex inſperato fortuna dederit, ab ore rapi, niſi C. Marcio vincti dedantur tribuni, niſi de tergo plebis Romanæ ſatisfiat. Eum ſibi carnificem novum exortum, qui aut mori, aut ſervire jubeat.* In exeuntem è curia impetus factus eſſet, ni peropportune [2] Tribuni diem dixiſſent. [3] Ibi ira eſt ſuppreſſa. ſe judicem quiſque, ſe dominum vitæ necisque inimici factum videbat. [4] Contemptim primo Marcius audiebat minas tribunicias: [5] auxilii, non pœnæ jus datum [a] illi poteſtati: plebiſque, non patrum tribunos eſſe. ſed adeo [6] infenſa erat coorta plebs, ut [7] unius pœna defungendum eſſet Patribus. [8] Reſtiterunt tamen Urb. cond. an. 262. Coſſ. M. Minuc. & A. Sempr.

INTERPRETATIO.

a *Illi magiſtratui.*

NOTÆ.

1. *Senatui nimis atrox.*] Auctor eſt Dionyſius lib. 7. tribunos, qui vocati à Coſſ. in Senatu aderant, cum viderent plures eſſe, qui vellent poteſtatem plebi conceſſam adimere, quam qui cuperent ſtare conditionibus, è curia ſe proripientes plebi quid Marcius dixiſſet indicaſſe.

2. *Tribuni diem dixiſſent.*] Diem dicere eſt denunciare alicui, ut ad cauſam dicendam certâ die veniat. Et more Romano, in jus vocatus, niſi confeſtim ſequeretur, poterat invitus ab adverſario trahi, modò is teſtem adhiberet, rogatum an liceret anteſtari, id eſt teſtem eum accipere; idque ne actor injuriam facere vi illata videretur: Hinc reſpicit Horat. lib. 1. Serm. ſat. 9.

3. *Ibi ira eſt ſuppreſſa.*] *Ibi*, pro tunc adverbium loci, pro adverbio temporis. Sigon. ex fide vet. Cod. legit. *ubi*, id eſt, poſtquàm; ſed commodior videtur vulgata lectio. Sic enim ratio redditur cur mitigata fuerit plebis ira, nempe quod ſe quiſque inimici judicem futurum ſperaret.

4. *Contemptim primò.*] Jufſerant primò Tribuni, atque in primis Sicinius C. Marcium Coriolanum cauſam apud populum dicere, eumque per viatores ſeu miniſtros ſuos monuerant, quos ille cum verborum contumelia rejecerat.

5. *Auxilii, non pœnæ jus.*] Inſtituendorum Tribunorum cauſa fuit, ut plebem adverſus potentiores tuerentur, uti cap. 33. dictum, non ut pœnas à patriciis exigerent.

6. *Infenſa erat coorta plebs.*] Ita emendat Sigon. ex vet. lib. cum vulgò legeretur, *adeo coorta erat infenſa plebs*, exiguo ut videtur ad ſententiam diſcrimine: utravis enim lectio ſignificat iratam plebem inſurrexiſſe in Coriolanum.

7. *Unius pœnâ defungendum.*] Defungi pœnâ hoc loco non ſic accipiendum eſt, ut dicimus munere aut laboribus defungi. Hic enim factum noſtrum verſatur, in re aliqua implenda, vel perficienda. At Livius vult tolerandum Senatoribus fuiſſe unius Coriolani ſupplicium, ut cæteri imminens ex plebis ſeditione periculum evaderent.

8. *Reſtiterunt tamen.*] Poſt repulſos Tribunorum miniſtros, miſſi Ædiles plebeii L. Junius cognomento Brutus, & Sp. Icilius Ruga, qui Marcium Coriolanum pro limine Curiæ ſtantem comprehenderent, ac vi ducerent; ipſi quoque pugnis abacti ſunt à circumſtantibus Senatoribus, & utrinque facto concurſu res in diem ſequentem dilata. Poſtridie in Senatu pluribus placuit Tribunorum calumnias refelli, qui frumenti penuriam ad culpam Senatus referendo, & colonos quò faciliùs imminuto civium numero, Tribunorum aboleretur poteſtas, omneque auxilium tenuioribus

Urb. cond. an. 262. Coſſ. M. Minuc. & A. Sempro.

9 adverſa invidia, uſique ſunt, qua ſuis quiſque, quà totius ordinis viribus. Ac primo tentata res eſt, ſi diſpoſitis clientibus, abſterrendo ſingulos à coitionibus, conciliiſque, diſjicere rem poſſent. 10 Univerſi deinde proceſſere (quicquid erat Patrum, reos diceres) precibus plebem expoſcentes: *unum ſibi civem, unum Senatorem, ſi innocentem abſolvere nollent, pro nocente donarent*. Ipſe quum die dicta non adeſſet, perſeveratum in ira eſt. 11 Damnatus abſens, in

NOTÆ.

ripetetur, in peſtilentia loca tamquàm ad certam necem miſſos criminando, plebem in patricios concitabant. Conſules itaque in Comitium proceſſerunt, ad ea quæ objiciebantur reſponſuri, & pro Marcio deprecaturi. Minucii eam in rem oratio refertur à Dionyſio lib. 7. Quâ cum plebs mitigari videretur, Coriolanus à C. Sicinio Belluto tribuno pro ſe reſpondere coactus, negavit ullam in ſe multitudinis eſſe poteſtatem; atque in plebejos, ac Tribunos præſertim, audaciter invectus eſt. Quare accenſo populi furore, Sicinius capitalem in eum ſententiam dixit; quam cum per ædiles exequi conaretur, plebe in patricios jam inſurgente, Coſſi per lictores ſuos repreſſere. Tum Sicinius, monente Junio ne accuſator idem & judex Marcium indemnatum ad ſupplicium trahere videretur, diem ei ad populum dixit. Senatus autem demerendæ plebi decrevit ne majori pretio frumentum veniret quàm ante ſeceſſionem cum viliſſima eſſet annona: deinde à Tribunis plebis, cum impetrare non poſſent Coſſi. ut ab incepto in Marcium deſiſterent, dilationem obtinuere. Itaque poſt Legatos Gelonis ab Antiatum piratarum inſultu, per armorum Romanorum terrorem liberatos, Minucius Conſul apud Tribunos contendere cepit in hoc judicio, quemadmodum in aliis gravibus negotiis præire Senatus decretum oportere. Decius autem Tribunus provocationem à Conſulibus ad populum, quæ privato cuivis conceſſa eſſet, non poſſe Tribunis de Coriolani violentia & fœdere per eum violato conquerentibus, jure negari apud Senatum affirmabat. Contra nitebatur Appius Claudius, oſtendebatque, tum legem illam de populi judiciis non contra patricios, ſed pro plebejis vim paſſis ſcriptam eſſe; tum conditiones initi inter utrumque ordinem fœderis ad duo capita revocari, remiſſionem æris alieni, & creationem Tribunorum ad plebis defenſionem: ideoque nullatenus credendam infenſo populo poteſtatem judicandi hominem patricium de republica optimè meritum. Valerius contra ſuadebat omnia concordiæ poſthabenda, & rerum adminiſtrationem, ita libertatis causâ, temperandam, ut ejus plebs quoque particeps fiat: idcircò permittendum hoc plebi judicium; ita tamen ut Senatores per ſe ac ſuos cauſam dicenti adeſſent. Cum hæc ſententia prævaleret in Senatu, Marcius interrogatis Tribunis cujus ipſum criminis reum acturi eſſent; cum affectatæ tyrannidis, accuſatores reſpondiſſent; ſe judicio populi ex Senatuſconſulto ſubmiſit.

9. *Adverſa invidiâ.*] Quicquid adverſarentur invidiâ odioque ſuo Tribuni, & maxima pars plebis.

10. *Univerſi deinde proceſſere.*] Secundum Valerii ſententiam, de qua ſuprà.

11. *Damnatus abſens.*] Imò præſentem fuiſſe tradit Dionyſius lib. 7. & poſt eum Plutarchus in Coriol. Apud quos legimus tertiis nundinis habita fuiſſe hac de re à tribunis comitia, tunc primùm rogatis viritim per tribus ſuffragiis; cum patricii centuriata poſtularent, ſperantes fore ut à prima vel à ſecunda tertiave claſſe Marcius abſolveretur. Ibi poſtquam Minucius Cos. egregia Marcii facinora, tamquàm inanibus ejus verbis potiora, commendavit: Sicinius, primus tribunus, illius omnia facta dictaque ad crimen tyrannidis referens, acriter eit invectus. Tum Marcius dona militaria propter ſervatos

Volſcos [12] exulatum abiit, minitans patriæ, hoſtileſque jam tum ſpiritus gerens. Venientem Volſci benigne excepere, benigniuſque in dies colebant: quo major ira in ſuos eminebat, crebræque, nunc querelæ, nunc minæ percipiebantur. Hoſpitio utebatur [13] Attii Tulli. Longe is tum princeps Volſci nominis erat, Romaniſque ſemper infeſtus. ita quum alterum vetus odium, alterum ira recens ſtimularet, conſilia conferunt de Romano bello. Haud facile credebant plebem ſuam impelli poſſe, ut toties infeliciter tentata arma caperent. Multis ſæpe bellis, peſtilentiâ poſtremò amiſsâ juventute, [14] fractos ſpiritus eſſe, arte agendum in exoleto jam vetuſtate odio, ut recenti aliqua ira exacerbarentur animi.

XXXVI. [1] Ludi forte ex inſtauratione Magni Romæ parabantur. [2] inſtau- Urb. condi. an. 263. Novi Coſſ. omiſſi à Livio.

NOTÆ.

præſertim cives, quos & teſtes citabat; ac dein vulnerum pro ſalute patriæ exceptorum cicatrices oſtendens, flectebat populum ad miſericordiam. Verùm Decius Tribunus prædæ Antiatis, (quæ tradenda quæſtori ex lege fuerat) nuper in milites victores diſtributionem, velut novandarum rerum, & conciliandæ ſibi plebis ſtudio, à Marcio factam, calumniatus, eos qui Marcium ducem ad eam expeditionem ſequuti non erant, maximam ſcilicet populi partem, in eum concitavit. Ille inexpectatâ accuſatione perculſus, ſive præ tumultu, minùs auditus, paucis in commilitonum honorem prolatis, obticuit. Quare in eum propoſitam à Tribunis perpetui exilii pœnam duodecim tribus pronunciarunt, cum novem eum abſolverent. Atque hoc primum fuit populi de patricio viro judicium: unde Tribunorum plebejorumque hominum potentia maximum incrementum cepit.

12. *Exulatum abiit.*] Poſt damnationem, Coriolanus, nec amicorum gemitibus, nec planctibus uxoris matriſve, flexus, valo utriſque dicto, duobus tribuſve comitibus, in ſuburbanis locis paucos dies commoratus, Antium profectus eſt, atque ad Tullum, non ſolùm Romano nomini, ſed ipſi privatim Coriolano ex bellicis certaminibus infeſtum, confugit: innatam ferociam mitigante, mortiſque ipſius periculum ſuperante odio, ac vindictæ dulcedine. Eorum primum congreſſum deſcribunt Plut. & Halicarn.

13. *Attii Tulli.*] Sigonius putat, ut Tullum Hoſtilium, ſic Tullum Attium dictum: ita ut Tullus prænomen, Attius gentis nomen fuerit: idque veterum librorum auctoritate confirmat; Dionyſii in primis, in cujus exemplari Græco ΤΥΛΛΟΣ ΑΤΤΙΟΣ ubique legitur. Eodem exemplo Paterculus in primis nominum, & prænominum ſive cognominum invertit ordinem: habet enim Catonem Porcium, Druſum Claudium, Varum Quintilium, Flaccum Pomponium. At hunc Attium Plutarchus Tullum Aufidium vocat.

14. *Fractos ſpiritus eſſe.*] Non tantùm cladibus attriti Volſci animos demiſerant: ſed eorum non pauci, maximè verò Coriolanus ipſe, à violandis induciis in biennium pactis abhorrebant. Unde quærenda fuit juſta, vel certè probabilis belli cauſa.

1. *Ludi, ex inſtauratione Magni.*] Ludi Circenſes, Magni ſive Romani, de quibus lib. 1. cap. 35. jam quidem acti erant, ſed non ritè celebrati: quare inſtaurandi erant. Quâ in re adeò religioſi fuêre Priſci Romani, ut ſi quid in ſacris quoquo modo peccatum arguerentur, ea denuò celebrari oporteret: adeo ut aliquando eadem ſacra tricies variis de cauſis repetita memorentur apud Plut. in Coriol.

2. *Inſtaurandi hæc cauſa fuerat.*] Duo hic paria Conſulum à Livio prætermiſſa, ex Dionyſio aliiſque ſupplenda. In annum nempe U. C. 263. Q. Sulpicius Camerinus, Sp. Lartius Flavus. Hi. quos

Urb. cond. an. 263. Coss. Q. Sulpic. & Sp. Lart.

randi hæc causa fuerat. 3 Ludis manè servum quidam paterfamiliæ, 4 nondum commisso spectaculo, 5 sub furca cæsum medio egerat circo. cepti inde ludi, velut ea res nihil ad religionem pertinuisset. Haud ita multo post 6 Tib. Atinio de plebe homini 7 somnium fuit. 77 Visus Jupiter dicere, *Sibi ludis* 8 *præsultatorem displicuisse: nisi magnifice instaurarentur hi ludi, periculum urbi fore. iret, ea Consulibus nunciaret.* Quamquam haud sane a liber erat religione animus; verecundia tamen majestatis magistratuum 9 timorem vicit, b ne in ora ho- 5

INTERPRETATIO.

a *Animus vacuus metu numinum.*
b *Ne in sermones hominum incideret pro ridiculo habitus. Ne se deridendum omnibus propinaret.*

NOTÆ.

Fasti Cuspiniani Cornutum & Flavum; Siculi Camerinum & Flavum appellant: in annum vero 264. C. Julius Julus, P. Pinarius Rufus, qui Mamercinus est apud Cuspinianum. Priorum Consulatu Ludi vitio facti, posteriorum instaurari. Vide Sigonium in Commentariis Fastorum & Triumphorum.

3. *Ludis.*] Sic & Cic. 1. ad Att. 16. & Sveton. in Jul. cap. 39. *Ludis*, pro die Ludorum, seu quo die Ludi fiebant. Et melius *Ludis*, quam *Ludi præsultatorem*, quemadmodum in veteribus quibusdam libris legi observat Sigon. Hoc enim sensu non Ludum, sed Ludos dixêre.

4. *Nondum commisso spectaculo.*] Commissi vocabulum Ludos equestres indicat: & revera Ludi Romani Circenses initio fuerant; etsi posteà sceniei quoque fuerint, ut ex Liv. nostro lib. 31. cap. 4. liquet. Committuntur autem Ludi in quibus præsertim certamen aliquod exhibetur hominum, quoquo modo, vel jumentorum cursu contendentium, quales hi fuerunt. Nam & committi propriè dicuntur pugiles, aliive qui ad certandum invicem impelluntur; quasi qui simul mittantur, atque ad præliandum conjungantur.

5. *Sub furca cæsum.*] Hoc servile supplicium, ex quo servi nequam Furciferi dicti; ac rem totam, quam noster perstringit, quæque propter infaustum omen causam præbuit instaurandorum Ludorum, describit accuratè Plutarch. in Coriol.

6. *Tib. Atinio.*] Latinum vocant Dionysius, & Plutarchus; quemadmodum & apud Valerium legi testatur Sabellicus. Recentiores tamen Livii, & Valerii editiones *Tib. Atinium* habent, ut est apud Lactantium quoque.

7. *Somnium fuit.*] Hoc somnium, omnemque Atinii hujus, sive historiam, sive fabulam refert Cic. 1. de Divinat. n. 55. & Plut. in Coriol.

8. *Præsultatorem displicuisse.*] Præsultor seu præsultator dicebatur, qui in Ludis & Sacris præsultabat, id est, saltantium choream ducebat. Cic. de hoc ipso, ait, *præsultorem sibi non placuisse ludis.* Dionysius, τῇ πομπῇ τὸν ἡγούμενον ὀρχηστὴν vocat. Plutarchus τὸν ἀρχηστὴν τῶν πομπῶν. Hic metaphoricè accipitur pro servo, qui ante pompam ludorum verberibus à conservis, jussu communis domini per Circum actus, miserabiles ex cruciatu motus ediderat. Huic Patrifamilias, qui Servum die ludorum cæciderat, nomen fuisse Acronio, vel, ut alii scribunt, Atronio refert Sabellicus.

9. *Timorem vicit.*] Timorem numinis. Planus est sensus ex Gronovio, ut pudori, ex reverentia in majestatem Consulum, orto cessserit victa religio. Non tamen absolutè damnanda, si codicum auctoritate niteretur, vetus Sigonii lectio, *timorem intecit*: quod cum his, quæ præcedunt, quæque sequuntur satis congruit. Victus autem est timor, ex religione ortus ab alio timore, ne tamquàm fanaticus somniator, apud vulgus irrisui esset.

minum pro ludibrio abiret. Magno illi ea cunctatio ſtetit. filium namque intra paucos dies amiſit. cujus repentinæ cladis, ne cauſa dubia eſſet, ægro animi eadem illa in ſomnis obverſata ſpecies, viſa eſt rogitare, *Satin' magnam ſpreti numinis haberet mercedem? majorem inſtare, ni eat propere ac nunciet Conſulibus.* c Jam præſentior res erat: cunctantem tamen, ac prolatantem, ingens vis morbi adorta eſt, debilitate ſubitâ. Tum enimvero Deorum ira admonuit. feſſus igitur malis præteritis inſtantibuſque, conſilio propinquorum adhibito, quum viſa atque audita, & obverſatum toties ſomno Jovem, minas iraſque cæleſtes [10] repræſentatas caſibus ſuis, expoſuiſſet; conſenſu inde haud dubio omnium qui aderant, in forum ad Conſules lecticâ defertur. inde in curiam juſſu Conſulum delatus, eadem illa quum Patribus ingenti omnium admiratione enarraſſet; ecce aliud miraculum: qui captus omnibus membris delatus in curiam eſſet, eum functum officio [11] pedibus ſuis domum rediiſſe, traditum memoriæ eſt.

XXXVII. Ludi quam ampliſſimi ut fierent, ſenatus decernit. Ad eos ludos, auctore Attio Tullo, vis magna Volſcorum venit. a Priuſquam committerentur ludi, [1] Tullus, b ut domi compoſitum cum Marcio fuerat, ad Conſules venit. dicit eſſe, quæ ſecreto agere de republica velit. Arbitris remotis, *Invitus*, inquit, *quod ſequius ſit, de meis civibus loquor. Non tamen admiſsum quicquam ab iis, criminatum venio, ſed cautum ne admittant. Nimio plus quam velim, noſtrorum ingenia ſunt mobilia. Multis id cladibus ſenſimus. Quippe qui non noſtro merito, ſed veſtra patientia incolumes ſimus. Magna hic nunc Volſcorum multitudo eſt. Ludi ſunt. ſpectaculo intenta civitas erit. Memini quid per eamdem occaſionem [2] ab Sabinorum juventute in hac urbe commiſsum ſit. horret animus, ne quid inconſultè ac temere fiat. Hæc, noſtrâ veſtraque causâ, prius dicenda vobis Conſules, ratus ſum. Quod ad me attinet, extemplo hinc domum abire in animo eſt, ne cujus facti dictive contagione præſens violer.* Hæc lo-

Urb. cond. an. 264. Coſſ. C. Jul. & P. Pinar.

INTERPRETATIO.

c *Jam res magis inſtabat.*
a *Antequam Ludi inciperent* celebrari.
b *Quemadmodum Antii convenerat cum Coriolano.*

NOTÆ:

10. *Repræſentatas caſibus ſuis.*] Intelligit cœleſtium iras, ne quid dubii ſubeſſet, per Atinii diverſa infortunia confirmatas, & palàm oſtenſas. Ducta eſt metaphora à debitoribus, qui cum æs alienum præſenti pecunia numerata ſolvunt, dicuntur pecuniam repræſentare *payer à deniers cõptans*.

11. *Pedibus ſuis domum rediiſſe.*] Sive ſimulatus morbus, ſive caſus fuit.

1. *Tullus ad Conſules venit.*] Vel potiùs, quemadmodum Dionyſ. refert lib. 8. index à Tullo ſubornatus, qui à Conſulibus in Senatum adductus; ut Romani falsâ delatione perculſi, Volſcos injuriosè tractarent; & ſic exacerbatis utrinque animis belli anſa daretur; quod æquè Tullus Marciuſque optabant: prout cap. proximo indicatum.

2. *Ab Sabinorum juventute.*] Vide hujus libri cap. 18.

cutus, abiit. Conſules quum ad Patres rem dubiam ſub auctore certo detuliſſent; auctor magis, ut fit, quam res ad præcavendum, c vel ex ſupervacuo, movit. factoque ſenatus conſulto, *ut urbem excederent Volſci: præcones dimittuntur, qui omnes eos 3 proficiſci ante noctem jubérent.* Ingens pavor primo diſcurrentes ad ſuas res tollendas in hoſpitia perculit. Proficiſcentibus deinde indignatio oborta: Se, ut conſceleratos contaminatoſque, ab ludis, feſtis diebus, cœtu quodammodo hominum Deorumque, abactos eſſe. f

Urb. cond. an. 264. Coſſ. C. Jul. & P. Pinar. XXXVIII. Quum prope continuato agmine irent, prægreſſus Tullus 1 ad caput Ferentinum, ut quiſque veniret, primores eorum excipiens, quærendo, indignandoque, & eos ipſos ſedulo audientes a ſecunda iræ verba, & per eos multitudinem aliam in ſubjectum viæ campum deduxit. Ibi

INTERPRETATIO.

c *Etiam non neceſſario.*

a *Sermonem ad iram concitandam accommodatum.*

NOTÆ.

3. *Proficiſci ante noctem.*] Et quidem pœnâ capitis per præcones denunciatâ. Juſſi autem ſunt Volſci omnes exire per unam portam Capenam, extra quam à Conſulibus deducti, ſecuritatis causâ: ex quo ingens Volſcorum, qui ad ſpectaculum convenerant, numerus apparuit.

1. *Ad caput Ferentinum.*] Idem lib. 1. cap. 51. deſinente, *Caput Aquæ Ferentinæ* vocavit, cui proximus *Lucus Ferentinæ*, cap. 50. & 52. ejuſdem libri: de quibus me hoc loco dicturum profeſſus ſum. Differt hic Lucus, & hæc Aqua non ſolùm à Ferentio ſeu Ferentino municipio Fuſciæ, cujus ruinæ non procul Viterbio adhuc viſuntur ſub nomine *Ferenti*; non ſolùm à Ferento ſeu potius Forento Appuliæ oppido juxta Acherontiam, nunc vulgò *Forenza*: ſed nec, præter nominis affinitatem, commune quicquam habet cum Ferentino Volſcorum primùm oppido, Hernicis deinde attributo, aliquando à Samnitibus occupato, quod priſcum hodieque nomen in Campania Romana inter Anagniam & Fruſinonem, Signiam & Verulas ſervat: & cum quo perperam confunditur à Glareano. Nam Ferentinæ aquæ, ſive amnis fons, & ad fontem Lucus ac Templum in radicibus montis Albani fuere, eoque poſt dirutam à Romanis Albam, veteris Latii populi ad commune concilium convenire ſolebant. Hoc concilium τὸν ἐν φερεντίνῃ ἀγορὰν, appellari à Dionyſio Sigonius obſervat, id eſt, forum ſeu comitia apud Ferentinum. Ejus meminit præter noſtrum, Feſtus Pompejus in voce *Prætor*, qui auctorem laudans Cincium, teſtatur *Albanos rerum potitos uſque ad Tullum regem: Albâ deinde dirutâ uſque ad P. Decium Murem Cos. populos Latinos ad caput Ferentinæ, quod eſt ſub monte Albano, conſulere ſolitos, & imperium communi conſilio adminiſtrare.* Ubi rectè Fulvius Urſinus *Ferentina* correxit, cum vulgò legeretur *Oetentina*: unde & corrigendus Plut. in Romulo: qui de piandis, & quaſi compenſandis legatorum Laurentium, & Tatii regis cædibus agens, meminit luſtrationum quæ adhuc ea de cauſa celebrabantur, ἐπὶ τῇ φερεντίνῃ πύλῃ, ad portam Ferentinam: quo nomine nullam Romæ fuiſſe Portam, certiſſimum eſt. Cluverius legendum putat πηγῆς, ad fontem (Ferentinæ ſcilicet). Sed facilior erit meo judicio emendatio, ſi, omiſſâ primâ literâ, ſine alia vel literæ vel accentus mutatione, legamus πύλης, ad Lucum Ferentinæ. Porro Ferentinæ fontem, & Nemus eo loci collocat Cluver. Ital. anti. lib. 3. cap. 4. Ubi nunc viſitur vicus ſive oppidulum *Marino* in Columnarum ditione.

in

in concionis modum 2 orationem exorsus: *Veteres populi Romani in*
jurias, cladesque gentis Volscorum, ad ut omnia, inquit, *oblivisca-*
mini alia, hodiernam hanc contumeliam, quo tandem animo fertis, 3 qui
per nostram ignominiam ludos commisere? An non sensistis triumpha-
tum hodie de vobis esse? Vos omnibus civibus, peregrinis, tot fini-
timis populis, b spectaculo abeuntes fuisse; Vestras conjuges, vestros
liberos 4 traductos 5 per ora hominum? Quid eos, qui audivere vocem
præconis? quid, qui vos vidêre abeuntes? quid eos, qui huic igno-
minioso agmini fuere obvii, existimasse putatis? c nisi aliquod profecto
nefas esse, quo, si interfimus spectaculo, violaturi simus ludos, 6 pia-
culumque meriturі, ideo nos 7 ab sede piorum, cœtu, concilioque abigi.
Quid deinde illud non succurrit, vivere nos, quod maturavimus
proficisci? si hæc profectio, & non fuga est. Et hanc urbem vos non
hostium ducitis, ubi si unum diem morati essetis, moriendum omnibus
fuit? Bellum vobis indictum est: magno eorum malo, qui indixere, si
uri estis. Ita & sua sponte irarum pleni, & incitati, domos inde

Urb. cond. an. 264. Coss. C. Jul. & P. Pinar.

INTERPRETATIO.

b *Ludibrio esse habites.*
c *Nisi fortè scelus aliquod* à nobis perpetratum *esse, quo profanandi sint ludi.*

NOTÆ.

2. *Orationem exorsus veteres, &c.*] Gronovio placet legi *orationem exorsus, veteres*. Ita ut narret Livius ex sua persona, Tullium initium duxisse à veteribus Romanorum in Volscos injuriis: exterum verba Tullii ibi incipiant, *ut omnia oblivisca-mini*: constat tamen optimè sensus ex Tullii persona, etsi nihil mutetur.

3. *Qui per nostram ignominiam.*] Illud *qui* de Romanis dici patet, licet ii in proximo periodi membro haud nominentur: quæ subticentia in irato non improbanda, quasi ne dignos quidem putet quorum nomen proferatur. Aptior tamen futura mihi videtur constructio, si pro *qui* scribamus (ut vulgo anteà legebatur ex Sigonio) *quâ*, ut referatur ad contumeliam, non ad populum Romanum. Sic n. paulò planior erit oratio: *Hanc contumeliam quo animo fertis, quâ per nostram ignominiam..... ludos commisere.*

4. *Traductos.*] Traducit eques equum publicum sibi assignatum, quoties censoribus se probandum sistit. Id in publico, & cum aliqua causæ velut cognitione fit, nec rarò cum ignominia equitis cui equus adimitur. Traducuntur, & per loca publica servi flagitiosi jussu dominorum, sive ad supplicium, (ut is de quo cap. 36.) sive ad turpitudinis notam. Idcirco traduci dicuntur, qui deridendi propinantur.

5. *Per ora hominum.*] Os pro conspectu, ut apud Vell. lib. 2. *in ore atque oculis ejus, Leucas expugnata est*; Gal. *A facie barbæ*. Sic Hebræi supra, vel contra faciem alicujus, dicunt, id est, coram aliquo.

על-פני

6. *Piaculumque meriturі.*] Piacula sunt sacrificia, hostiæve quibus expiantur acta nefaria & flagitia ob impietatem, quæ auctores suos à sacris & piorum consortio arcent. Unde *Piaculum* dicuntur *mereri*, qui gravia scelera commiserunt, quorum venia non sine hujusmodi expiationibus impetrari potest.

7. *Ab sede piorum, &c.*] Cum Ludi apud Romanos in honorem Deorum, nec sine sacris celebrarentur; Volscos à Ludis, velut magno aliquo scelere contaminatos, excludi queritur, ad Romanorum invidiam, Tullus.

digressi sunt, instigandoque [8] suos quisque populos effecêre, ut omne Volscum nomen deficeret.

Urb. cond. an. 265. Coss. Sp. Naut. & Sex. Fur.

XXXIX. Imperatores ad id bellum de omnium populorum sententia lecti [1] Attius Tullus, & C. Marcius exul Romanus, in quo aliquanto plus spei repositum. [2] Quam spem nequaquam fefellit: ut facile appareret, [3] ducibus validiorem, quam exercitu rem Romanam esse. [4] Circejos profectus, primum [5] colonos inde Romanos expulit: liberamque eam urbem Volscis tradidit. Inde [6] in Latinam viam, [7] transversis

NOTÆ.

8. *Suos quisque populos.*] Populi hoc loco pro diversis ejusdem gentis civitatibus, quales priscis Etruscis duodecim, ut Virg. notat.

Gens illis triplex, populi sub gente quaterni.

Porrò concitati ad iram singuli Volscorum populi Concilium apud Ecetram habuerunt; ac de sententia Marcii Coriolani (qui memoratis exilii sui causis, operam eis suam obtulit,) missi legati qui à Romanis capta oppida repeterent; ac negantibus bellum indicerent. Marcius autem Civitate ac Senatoria apud Volscos dignitate donatus, & cum Tullo Attio imperator electus est ex Dionys. lib. 8.

1. *Attius Tullus, & C. Marcius.*] Ambo primùm cum voluntariis Volscorum, agrum, ille Latinum, hic Romanum, vastarunt. Inde uterque ditatis prædâ militibus reduces, conscripto exercitu, copias diviserunt. Tullo ad tutandos Volscos, aliaque domi curanda cum earum parte relicto; Marcio adversus Romanos meliorem partem educente.

2. *Quam spem nequaquam fefellit.*] Sigonius ex veteri libro probat, *quæ spes nequaquam fefellit*. Gronovius ex melioribus libris retinet vulgatam lectionem, firmatque exemplis ex Justino lib. 2. & auctore de bello Alexandrino petitis; qui *judicium*, & *opinionem non fallere* eodem sensu usurpant.

3. *Ducibus validiorem.*] Tanti est exercitus quanti imperator, ut Florus ait lib. 2. cap. 18. nam militaris sine duce turba corpus est sine spiritu, apud Curtium lib. 10.

4. *Circejos profectus.*] De Circejis vide quæ lib. 1. cap. 56. dicta sunt.

5. *Colonos inde Romanos expulit.*] Circejos Coloniam circa an. U. C. 235. deductam à Tarquinio Superbo constat ex Livio jam laudato, & Dionysio lib. 4. qui lib. 8. narrat à Circejensibus, nunc tam Romanis Colonis, quam indigenis civibus, deditum statim oppidum; eique impositum modicum præsidium, imperato frumento.

6. *In Latinam viam.*] Via Latina à porta ejusdem nominis per montem Tusculanum, & Algidum, perque Volscorum & Hernicorum fines, Bivium nempe, Anagniam, Ferentinum, Frusinonem, Fabrateriam, Aquinum, Interamnam, inde in Campaniam atque ultra tendebat: ut ex Strab. lib. 5. & Itinerariis colligitur. Inter hæc Latinorum Legatis auxilium implorantibus, responsum id mitti non posse; permissumque ut exercitum conscriberent, proprioque duces ei præficerent, quod fœderis legibus vetitum fuerat.

7. *Transversis tramitibus.*] Id est, viam Latinam sæpiùs trajiciendo, & oppida partim viæ ferè imminentia, ut Corbionem & Vitelliam; partim ad lævam Româ euntibus sita, ut Labicos & Pedum; partim ad dextram, ut Bovillas quæ ad Appiam, & Lavinium quod haud procul inde, aggrediendo. Vix enim ullum ad ipsam viam Latinam cepit Coriolanus: Cæterum neque post captos Circejos, mox viam Latinam transgressus est, si quæ proximè sequuntur eo adortus est ordine quo noster memorat; ac nec ad eam quidem statim accessit. Nam Satricum eique proxima ab ea via versus dextram longè aberant:

tramitibus tranſgreſſus, [8] Satricum, [9] Longulam, Poluſcam, Corioſ los, [10] novella hæc Romanis oppida ademit. Inde [11] Lavinium recepit: tunc deinceps [12] Corbionem, [13] Vitelliam, [14] Trebiam, Urb. cond. an. 265. Coſſ. Sp. Naut. & Sex. Fur.

NOTÆ.

8. *Satricum.*] Volſcorum in veteris Latii confinio fuit oppidum, Velitris & Lanuvio proximum in agro Pomtino. Ejus meminit noſter non uno loco: apud Vellejum, & Diodorum pro Satrico, Sutrium legitur, malè. Eſt enim Sutrium, Etruriæ urbs ad ea de quibus ibi agitur nequaquam pertinens. Simili errore Satriam & Satrianos, pro Satrico vel Satrica & Satricanis habet Stephani epitomator.

9. *Longulam.*] De his cap. 33. In harum civitatum, totiuſque belli ordine Livius à Dionyſio longè diverſus abit. Longula Poluſtriæ proxima fuit, vel potius eadem cum Poluſtria Kirchero; qui ex hujus ruinis conditum putat ducale hodie oppidum, *Poli*: Longulam autem 1500. circiter paſſibus verſus ortum à Poluſtria diſſitam, ejuſque rudera ſpectari in colle è regione viridarii ducis Polani.

10. *Novella hæc Romanis oppida.*] Recte Novella, quia recèns, id eſt ante triennium dumtaxat, venerant in Romanorum poteſtatem, ut Sigonius notat. Sed Gronovius in addendis, obſervat in pluribus codicibus legi Novellam: unde ſuſpicatur ſub ea voce nomen alicujus oppidi latere; & fortaſſe Bovillas, quas non ſine labore à Marcio expugnatas teſtis eſt Dionyſius. Poſſet & quis conjicere Bolam, cujus tunc poſt acrem civium eruptionem, captæ, meminit idem Halicarnaſſeus. Verùm ſive Bolam, ſive Bovillas ſubſtituere placet; quis conficietur dignus Livio ſenſus, qui hoc, vel illud oppidum, cum ante nominatis quatuor, ademiſſe Romanis Coriolanum dicat: quaſi non & Lavinium, & quæ alia ſequuntur iiſdem ademerit? At tum illa priora, ante à Volſcis erepta, iiſdem ſub ipſa belli exordia reſtitui, atque à novis poſſeſſoribus Romanis avelli, dignum Marcii prudentiâ fuiſſe videtur: tum non abſurdum fuit à Livio quoque, Volſcorum armis recepta, à tunc primùm ſubactis diſtingui: uti à Plutarcho factum, qui Latinis Bolanos cum Toleriis accenſet perinde ac Lavicanos & Pedanos: licèt illi Æquorum in ſolo fuerint. Sed nimirum hi populi, Latinorum in confinio ſiti, fœdere cum Latinis ac Romanis junĉti: alioqui cur à Marcio Volſcorum duce bello peterentur nulla idonea fuiſſet cauſa, cum gens Æquorum tunc Volſcis faveret, ut ex Dionyſio diſcimus.

11. *Lavinium recepit.*] Hoc loco recipere eſt in fidem accipere. De Lavinio dictum lib. 1. cap. 3. Id poſtremo loco Marcius obſediſſe narratur ab Halicarnaſſeo.

12. *Corbionem.*] Stephani breviatori Κορβίων urbs Æquorum, ex Dionyſ. lib. 10. Fuit circa viam Lavicanam, ultra Algidum, verſus Prænefte Latii veteris civitatem, 15. ab urbe milliari ortum verſus: deditione venit in Marcii & Volſcorum poteſtatem. Tandem à M. Horatio Pulvillo dirutum auctore Liv. lib. 3. cap. 30. Ortelius exiſtimat hodie dici *Carbognano*, ſed hoc in Tuſcia eſt, ut Ferrarius & Brietius adverterunt. Holſtenius Corbionem fuiſſe cenſet ubi jam *Rocca Priora*. Kircherus ubi *Monfortino*, quod eſt in ditione gentis Burgheſiæ.

13. *Vitelliam.*] In Priſcorum Latinorum Æquorumque confinio paulò ultra Corbionem, interque hanc urbem & Labicos fuit *Vitellia*, Romanorum poſt Colonia, teſtibus Livio lib. 5. & Sveton. in Vitellio, cap. 1. Plinius Vicelienſes (lege cum Cluv. Vitellienſes) recenſet inter Latii antiqui populos, qui jam ejus tempeſtate interierant ſine veſtigiis.

14. *Trebiam.*] De Æquorum oppido *Treba*, haud procul Anienis fontibus ſito, quod adhuc *Treve* incolis dicitur, accipiendus eſt noſter. Nam de Trebia Umbriæ vulgò *Trevi*, aut de Trebula Mutuſca Sabinorum, quam Arnobius lib. 3. adverſus gentes Trebiam quoque vocat; & cujus loco videtur ſucceſſiſſe, *Monteleone della Sabina*, intelligi nulla ratione poteſt. Sed quoniam Trebiæ

Urb. cond. an. 265. Coss. Sp. Naut. & Sex. Fur.

15 Labicos, 16 Pedum cepit. Postremum, in urbem à Pedo ducit: & 17 ad fossas Cluilias, quinque ab urbe millia passuum, castris positis, populatur inde agrum Romanum: custodibus inter populatores missis, qui 18 patriciorum agros intactos servarent. sive infensus plebi magis, sive ut discordia inde inter Patres plebemque oriretur. Quæ profecto orta esset, adeò tribuni jam ferocem per se plebem, criminando, in primores civitatis instigabant. sed externus timor maximum concordiæ vinculum, quamvis suspectos, infensosque inter se jungebat animos. Id modo non conveniebat; quod senatus Consulesque, nusquam alibi spem, quam in armis ponebant: plebs omnia quàm bellum malebat. 19 Sp. Nautius jam, & Sex. Furius Consules erant. Eos recensentes legiones, præsidia per muros, aliaque, in quibus stationes vigiliasque esse placuerat, loca distribuentes, multitudo ingens pacem poscentium primum seditioso clamore conterruit. deinde vocare senatum, referre 19 de legatis ad C. Marcium mittendis coëgit. Acceperunt

NOTÆ.

in hac Marcii expeditione, nec Dionysius, nec Plutarchus meminere; & Treba ipsa Æquorum longiùs paulò distat à Labicis: non improbabiliter Cluv. lib. 3. ex Itinerario Antonini, pro Trebia *Toleriam* subjicit, quod oppidum Labicis vicinum fuisse ex iisdem Dionysio & Plut. colligitur.

15. *Labicos.*] *Labici*, & singulari numero *Labicum*, vel etiam *Lavicum*, oppidum fuit antiqui Latii ex Albanorum Coloniis, ultra Tusculum: unde Labicani, & via Lavicana, quæ in Latinam incidit. Ab urbe aberat Labicum ex Strab. stadia 220. hoc est 15. millibus passuum. Unde patet hallucinari Leandrum Albertum, qui Labicum interpretatur *Valmontone* oppidum 30. milliaribus ab urbe dissitum. Cluver. & Kircherus ibi collocant ubi nunc *Zagarolo*; Holstenius ubi *La Colonna*.

16. *Pedum.*] Fuit hoc opp. inter Tibur & Prænestæ ac Tusculum, quemadmodum & Labici. Ex eo Pedani à Plinio nominantur inter oppida veteris Latii, quæ jam tum sine vestigiis interciderant. Primo impetu captum direptumque est à Marcio, cum Labicani ut & Tolerini & Bolani, expugnandi per vim fuerint. Nunc ejus situi maximè respondet, ex Cluverii sententiâ, opp. *Gallicano*. Situs ejus cum *Zagarolo*, magis congruere Holstenio videtur. Kircherus ex locorum distantia conjicit magis congruere loco, qui nunc *l'Osteria d'Osa*. Fuit enim Pedum quatuor milliaribus à fossa Cloëlia Labicum versus; Fossam autem Cloëliam quinque millibus passuum Roma distasse ex Livio discimus: ita ut Pedum novem millibus ab urbe abfuerit.

17. *Ad fossas Cluilias.*] De his egimus lib. 1. cap. 23.

18. *Patriciorum agros.*] Primis statim populationibus, ante justum bellum, à Marcio exustas plebejorum villas, latifundiis patriciorum parcitum, ad serendas suspiciones, & fovendam inter utrumque ordinem discordiam, refert Dionysius. Pari consilio posteà Annibal agros Q. Fabii maximi intactos reliquit, cæteris depopulatis. Qua de re Plin. lib. 17. cap. 26. & Jul. Frontinus Stratagematum lib. 1. cap. 8.

19. *De Legatis ad C. Marcium.*] Mirum Halicarnasseo videtur cur Senatus, anteà Marcii studiosus, tunc plebi eum revocare cupienti fuerit adversatus; conjicitque vel experiri voluisse ejus constantiam, vel plebis desiderium reluctando magis accendere, vel certè eorum calumnias refellere, qui Patres favere Marcio, eique fuisse auctores belli movendi jactabant. Sed, ni fallor,

relationem Patres; poſtquam apparuit labare plebis animos. 20 miſſique de pace ad Marcium oratores, 21 atrox reſponſum retulerunt: *Si Volſcis ager redderetur, poſſe agi de pace: ſi præda belli per otium frui velint, memorem ſe & civium injuriæ, & hoſpitum beneficii, admiſturum, ut appareat, exilio ſibi irritatos, non fractos animos eſſe.* Iterum deinde iidem miſſi 22 non recipiuntur in caſtra. 23 Sacerdotes quoque ſuis inſignibus velatos iſſe ſupplices ad caſtra hoſtium, traditum eſt, nihilo magis quam legatos flexiſſe animum.

XL. Tum 1 matronæ ad 2 Veturiam matrem Coriolani, Volumniamque uxorem frequentes coëunt. id publicum conſilium, 3 an muliebris

Urb. cond. an. 265. Coſſ. Sp. Naut. & Sex. Fur.

NOTÆ.

Romana hæc virtus, fuit decoris, ac dignitatis tenax, & conſueta.

Parcere ſubjectis ac debellare ſuperbos; quæ ut ſtudia priùs in civem egregium, ita iram in eumdem publicum patriæ hoſtem inflammabat. Patriam quippe, bonorum virorum judicio, nobis cariorem eſſe decet, quàm noſmetipſos: ut in eam nulla poſſit honeſta eſſe vindicta.

20. *Miſſique ad Marcium Oratores.*] Ex Senatus conſulto miſſi ſunt legati Conſulares de pace a turi: quos excepit Marcius in conſeſſu primatum Volſcorum ſedens. Verba fecit Minucius, qui pluriſmum pro eo in Conſulatu ſuo laboraverat. Orationem refert Dionyſ. lib. 8. qui ubi patricios excuſavit ac pro plebe deprecatus eſt, paratum Marcio, ſi ab armis diſcederet, de reditu decretum oſtendit; atque incœpti difficultatem, & pericula ob oculos poſuit.

21. *Atrox reſponſum.*] Marcius, poſtquàm legatis, tamquàm amicis, gratias egit quod matrem, uxorem, liberos ſuos conſtanti benevolentiâ proſequerentur; ac præ ſe tulit contemptum reditûs in eam civitatem in qua virtutis præmia ferant ignaviſſimi, maleficorum pœnæ infligantur innocentibus, & ubi, vel omnibus inviſa ſit virtus, vel meliores pareant deterioribus; teſtatus deinde non ſibi reditum offerri, ſed victimam ſe plebi reduci: tandem reſpondit, pacem ita fieri poſſe, ſi populus Romanus, *redditis agris, & oppidis quæ occupavit, revocatiſque colonis, Volſcos in amicitiam, & fœdus perpetuum, ſicut Latinos, juſque civitatis, jurejurando interpoſito, recipiat.* Ad deliberandum triginta dies dati. Interim in gratiam legatorum ex agro Romano in Latinorum, ſeu alia a Romanis nuper ſubacta loca, exercitum duxit, cauſatus apud Volſcos inde ventura hoſtibus auxilia. Dum hæc loca occupantur, Senatus decrevit nihil committendum eſſe quod indignum ſit majeſtate Romanâ: ſed ſi Volſci, deductis ex Romano ſociorumque agro, copiis, Legatos de amicitia miſerint, tunc de conditionibus fœderis agendum. Eam in rem miſſi decem alii Conſulares.

22. *Non recipiuntur in caſtra.*] Recepti quidem & auditi legati Romani. Verùm juſſi meliùs ſibi conſulere, ac poſt triduum reverti, nec ultra verba facere permiſſi.

23. *Sacerdotes.*] Hi reſponſum idem tulerunt: edictumque ne poſthac mitterentur legati.

1. *Matronæ.*] Dum Romani, deſperatâ pace, ad tuenda mœnia ſe comparant; ſive tyronum exercitum emittere non auſi, ſive prodigiis territi, Valeria Poplicolæ ſoror, inſtinctu quodam acta, mulieres in Capitolio ſupplicantes ad Coriolani matrem Veturiam, & Volumniam ejuſdem uxorem, adduxit; haſque impulit, ut ad eum pro ſalute patriæ exorandum proficiſcerentur.

2. *Veturiam matrem, &c.*] Ita & Dionyſ. At Plutarchus in Coriolano Vergiliam uxorem, Volumniam matrem ſcribit. Vide Alex. ab Alex. lib. 1. genial. dier. cap. 13.

3. *An muliebris timor.*] Et muliebris timor, & publicum fuit conſilium, ſi Dionyſio fides. Poſtquàm enim Valeria, cum reliquis matronis metu conſternatus, matrem & uxorem Coriolani

Urb. cond. an. 265. Coſſ. Sp. Naut. & Sex. Fur.

timor fuerit: parum invenio. Pervicere certe, ut & Veturia magno natu mulier, & Volumnia, duos parvos ex Marcio ferens filios ſecum, in caſtra hoſtium irent: & quam armis viri defendere urbem non poſſent, mulieres precibus lacrimiſque defenderent. Ubi ad caſtra ventum eſt, nunciatumque Coriolano, adeſſe ingens mulierum agmen, [4] in primo, ut qui nec publica majeſtate in legatis, nec in ſacerdotibus tanta offuſa oculis animoque religione motus eſſet; multo obſtinatior adverſus lacrymas muliebres erat. Dein familiarium quidam qui inſignem mœſtitia inter cæteras cognoverat Veturiam, inter nurum nepoteſque ſtantem; *Niſi me fruſtrantur*, inquit, *oculi, mater tibi conjuxque & liberi adſunt*. Coriolanus prope ut amens, conſternatus, [5] ab ſede ſua quum ferret matri obviæ complexum: mulier in iram ex precibus verſa, [6] *Sine, priuſquam complexum accipio, ſciam*, inquit, *ad hoſtem, an ad filium venerim*:

NOTÆ.

adierunt: hæ quidem ipſarum precibus aliquantùm ſunt reluctatæ, quod is poſt indictum exilium ſuis valè dicens, ſe poſt hac neque filium, neque maritum, neque patrem futurum profeſſus eſſet; nec verò quicquam eis toto elapſo triennio ſcripſiſſet, aut mandaſſet. Sed tandem legationem ſuſcepere. Quâ re conſulibus nunciatâ, in Senatu, poſt longam deliberationem, vicit eorum ſententia, qui profectionem matronarum probabant. Senatusconſulti in id facti auctoritatem populus in comitio ſequutus eſt: & mulieres lugubri habitu in caſtra hoſtium carpentis vectæ.

4. *In primo*.] Editi habent *Primo, ut qui nec publica majeſtate*. Sed Mſſ. non pauci apud Gronovium diſerte habent *in primo*; quæ lectio confirmari poteſt ex lib. 10. *Arma ſignaque per turbidam lucem in primo apparebant*, & lib. 36. *levis armatura partem ante vallum in primo locavit*. Sic Salluſt. in bello Jugurth. *qui in primo locati fuerant*. His alia exempla ab eodem adjiciuntur, ex quibus probari videtur, quemadmodum *in primis*, pro inter primos; ita *in primo* Latinè dici, tum pro eo quod aliter dicimus *primùm*, in *principio* ſive *initio*; Gallicè, *d'abord*: tum pro *primo loco*; *à la teſte*.

5. *Ab ſede ſuâ*.] Miratus matris adventum Marcius, è ſede proſiluit, matrique tamquàm ſuperiori faſces ſubmiſit, apud Dionyſ.

6. *Sine priuſquam complexum accipio*.] Eadem verba referuntur à Valer. Max. lib. 5. cap. 4. Palatinus codex, teſte Gronovio, primam vocem repetit, *ſine, ſine priuſquàm*: quaſi plus aliquid efficaciæ ſit in ejuſmodi repetitione: idque exemplo Terentii Heautontimorumeno act. 1. ſc. 1. *Sine, ſine vacuum tempus ne quod dem laboris*. Et Apul. Metamorph. 1. *Sine, ſine, inquit, fruatur diutiùs trophæo fortuna*. Alia Veturiæ oratio, minori arte, non minori robore, apud Halicarn. extat, lib. 8. Marcius matrem primùm oravit ne ſibi auctor eſſet hoſpites expulſoribus poſtponendi, & omnium ſibi bonorum largitores, cum perjurio prodendi; ſed ſecum in nova patria apud Volſcos maneret. Illa verò longiori ſermone, indignum ſe nihil petere profeſſa, ſed ut Volſcos auctoritate ſua ad honeſtas pacis conditiones adduceret: & ſi abducto exercitu inducias in annum faceret, promittere non dubitavit Romanos æqua omnia per legatos, & ſine vi Volſcis conceſſuros, nec iis diſparia quæ nuper Latini depoſitis armis impetraſſent: neque verò eſſe quod Volſci conquerantur, qui ejus auſpiciis ditati prædâ, ſuis oppidis receptis, ex deplorato prorſus rerum ſtatu in feliciſſimum evaſerint. Tum humi projecta, pedeſque filii deoſculata, ejus animum ita expugnavit, ut is exclamaret, *viciſti mater, quod nec tibi benè vertet, nec mihi: patriam ſervaſti, me*

captiva mater ne in caſtris tuis ſim. In hoc me longa vita, & infelix ſenecta traxit, ut exulem te, deinde hoſtem viderem? Potuiſtine populari hanc terram, quæ te genuit atque aluit? Non tibi, quamvis infeſto animo & minaci perveneras, ingredienti fines ira cecidit? non quum in conſpectu Roma fuit, ſuccurrit, intra illa mœnia domus ac penates mei ſunt, mater, conjux, liberique? Ergo ego niſi peperiſſem, Roma non oppugnaretur; niſi filium haberem, libera in libera patria mortua eſſem. Sed ego nihil jam pati, nec tibi turpius, quàm mihi miſerius poſſum: nec ut ſim miſerrima, diu futura ſum. De his videris: quos, ſi pergis, aut immatura mors, aut longa ſervitus manet. Uxor deinde ac liberi amplexi. Fletuſque ab omni turba mulierum ortus, & comploratio ſui patriæque, fregêre tandem virum. complexus inde ſuos, dimittit: ipſe retro ab urbe caſtra movit. Abductis deinde legionibus ex agro Romano, [a] invidia rei [7] oppreſſum periiſſe tradunt; alii alio letho. apud Fabium longe antiquiſſimum auctorem uſque ad ſenectutem vixiſſe eumdem invenio. Refert certe hanc ſæpe cum exacta ætate uſurpaſſe vocem, *Multo miſerius ſeni exilium eſſe*. Non inviderunt laudes ſuas mulieribus viri Romani. adeò ſine obtrectatione gloriæ alienæ vivebatur. Monumento quoque quod eſſet, templum [8] Fortunæ Muliebri ædificatum, dedicatumque eſt. Urb. cond. an. 265. Coſſ. Sp. Naut. & Sex. Fur.

INTERPRETATIO.

a *Poſſundatum ex odio ejus facti.*

NOTÆ.

verò pium & indulgentem filium perdidiſti. Decreto deinde diſceſſu, de reditu ſuo, niſi compoſitâ cum Volſcis pace, Romæ nihil agendum cenſuit: ſed redditâ Volſcis rerum à ſe geſtarum ratione, petendum ut ſe pacificatore ad amicitiam inter utrumque populum æquis conditionibus reconciliandam utantur: alioqui abdicandum imperium.

7. *Oppreſſum*.] Etſi milites Volſci, divitiis ex præda per Marcium auctis, ei faverent: tamen qui domi manſerant, invidiâ in ſocios, odio in Marcium accenſi, finem bello per excidium Romæ impoſitum non eſſe dolebant. Tullus Attius qui ex invidia decrevetat Marcium, ſi perdomitâ Roma reverteretur, per inſidias; ſin, re infectâ rediret, palàm, ut proditorem, de medio tollere, popularium iras accendebat. Cumque Marcius non niſi apud totius gentis comitia vellet rationem geſtorum reddere, Tullus ei diem dixit, ad quam imperio depoſito cauſam de proditione diceret: ac die comitiorum, è loco editiore dicere parantem, per ſuæ factionis homines lapidibus obrui curavit. Supervenientes deinde qui ejus auſpiciis militaverant, in foro jacentem, miſeratione, ſimul & indignatione commoti, ſuis humeris extulerunt; eique ſplendidum funus, proſequente non ſine lacrymis populo, fecerunt. Et poſteà tum Volſci, tum Romani privatim publiceque parentarunt: matronæ verò eum per annum luxerunt, uti refert lib. 8. Dionyſius.

8. *Fortunæ muliebri*.] Ob egregiè navatam à matronis operam, decrevit Senatus monumentum in æ inciſum ad perpetuam poſteritatis memoriam; & præterea præmium quodcumque ipſis gratiſſimum foret: quod Senatus conſultum plebiſcito eſt confirmatum. Illæ nihil aliud petierunt, quàm ut ſibi liceret *Fortunæ muliebri* Templum eo loco ædificare, quo incolumitatem urbis impetraverant, quod nempe Fortuna Romanos, mulierum operâ & precibus, à periculoſo bello liberaſſet. Id pecuniâ

Digitized by Google

Rediêre deinde Volſci, adjunctis Æquis, in agrum Romanum: ſed Æqui Attium Tullum haud ultra tulere ducem. Hinc ex certamine, Volſci Æquine imperatorem conjuncto exercitui darent, ſeditio, deinde atrox prælium ortum. Ibi fortuna populi Romani 9 duos hoſtium exercitus, haud minus pernicioſo quam pertinaci certamine, confecit. 10 Conſules T. Sicinius, & C. Aquilius. Sicinio Volſci, Aquilio Hernici (11 nam ii quoque in armis erant) 12 provincia evenit. Eo anno 13 Hernici devicti: 14 cum Volſcis æquo Marte diſceſſum eſt.

Urb. cond. an. 267. Coſſ. Sp. Caſſ. III. & Pt. Virgin.

XLI. 1 Sp. Caſſius, deinde & Proculus Virginius Conſules facti;

NOTÆ.

publicâ fieri Senatus Populuſque decrevit: & prima Sacerdos creata eſt Valeria, cujus anteà mentio facta. Fertur autem, cum duo Fortunæ ſimulacra facta eſſent, alterum publico ſumptu, alterum ex collatitia matronarum pecunia; die dedicationis eam effigiem, quam mulieres fieri curaverant, Latinè locutam, bis palàm & publicè pronunciaſſe: *Ritè me matrona dedicaſtis*: quod etiam memorant Valerius lib. 1. cap. 8. Plutarchus, Aurelius Victor: meminit & Lactantius. Et primæ Sacerdotis monitu conſtitutum, ne hoc ſimulacrum coronis præterquàm à recens nuptis ornaretur. Prius fortunæ virili Templum ab Anco Marcio rege dicatum fuerat, ut obſervat Sigonius poſt Plut. in lib. de Fortuna Romanorum.

9. *Duos hoſtium exercitus.*] Romani Conſules, quòd eâ occaſione ad delendos Æquos, & Volſcos incompoſitos uſi non eſſent; ſed exercitum in urbem nullâ re geſtâ reduxiſſent, ignominioſè à Romanis excepti ſunt.

10. *Coſſ. T. Sicinius.*] Anno U.C. 266. Conſules creati T. Sicinius (qui Caſſiodoro Siccius) & C. Aquilius rempublicam fortiùs feliciuſque adminiſtrarunt. Eorum cognomina ex Faſtis Græcis & Cuſpiniani fuere, alterius Tuſcus, alterius Sabinus. Aquilii autem, ut Marlianus monet, ii dicebantur qui erant aquilo, id eſt, nigro colore.

11. *Nam ii quoque in armis.*] Hernici bello Volſco excurſionibus & latrociniis finitimos agros vaſtaverant; miſſiſque ad res repetendas legatis Romanis reſponderant Tarquinii morte finitum fœdus cum eo ictum; rapinas non publico conſilio, ſed à privatis, qui dedi non poſſent factas, & habere ſe de quibus viciſſim conquererentur.

12. *Provincia evênit.*] Conſulibus in Volſcos, Hernicoſque proficiſcentibus; præfectus urbi Sp. Largius cum tertia copiarum parte proximæ urbi muri juſſus eſt: A. Sempronio Atratino Conſulari commiſſâ mœnium cuſtodiâ, militaturis ſub eo, qui nomina non dederant.

13. *Hernici devicti.*] De his novo Latio poſteà adjectis populis anteà. Cum iis in agro Prænestino, paulò longiùs ab urbe, quàm cc. ſtadio, id eſt, ad XXV. milliare, pugnatum eſt longo, & acri utrinque prælio, donec forti Aquilii operâ, ductuque, Hernici in caſtra compulſi, quæ ab ipſis noctu deſerta: Aquilio ex eo decreta Ovatio.

14. *Cum Volſcis æquo marte.*] Initio quidem æquo marte, ut inter armis, numero, ac diſciplinâ jam omnino pares, in agro Veliterno ad multum diei certatum eſt: ſed equites Romani quorum operâ intermedio tumulo parum utilis futura videbatur, permiſſu Sicinii Conſulis pedeſtrem pugnam circa ipſum ineuntes, victoriam Romanis tandem attulerunt. Itaque fuſis acie Volſcis, perfracta quoque ſunt eorum caſtra, intra quæ Tullus Attius fortiter dimicans ex vulneribus cecidit. Unde Sicinio, qui majori terrore urbem liberaverat, triumphus eſt decretus.

1. *Sp. Caſſius, deinde.*] Sp. Caſſius tertiùm, & Proculus Virginius Tricoſtus ann. 267. conſulatum geſſerunt. Virginius incendiis & vaſtitate agros Æquorum munitis oppidis incluſorum pervagatus, integras copias reduxit; Volſci ne ſimilem rerum ſuarum ja-

cum

cum Hernicis fœdus ictum, agri partes duæ ademptæ. inde dimidium Latinis, dimidium [2] plebi divisurus Consul Cassius erat. Adjiciebat huic muneri agri aliquantum, quem publicum possideri à privatis criminabatur. Id multos quidem Patrum, ipsos possessores, periculo rerum suarum terrebat. sed & publica Patribus sollicitudo inerat; largitione Consulem [a] periculosas libertati opes structe. Tum primum [3] lex Agraria promulgata est: [4] nunquam deinde usque ad [b] hanc memoriam sine maximis motibus rerum agitata. Consul alter largitioni

Urb. cond. an. 267. Coss. Sp. Cass. III. & Proc. Virg.

INTERPRETATIO.

[a] *Comparare sibi potentiam damnum allaturam libertati publicæ;*
[b] *Nostram ætatem.* (Livii.)

NOTÆ.

ciuram paterentur, à Cassio pacem petierunt, eorumque exemplo Hernici, quibus ex decreto Senatus leges fœderis ab Cassio dictæ eædem, quæ anteà Latinis datæ fuerant: quod Senatoribus displicuit. Hic triumphum, nullo facto prælio per gratiam hoc anno impetravit, non sine arrogantiæ nota.

2. *Plebi divisurus.*] Trium consulatuum, ac geminati triumphi honore elatus Cassius, multitudinis favore largitionibus redempto, ad tyrannidem viam sibi muniendam duxit. Itaque, habitâ post triumphum concione, ubi operâ suâ Sabinos imperii æmulos subactos, plebem reductam in urbem, Latinos in amicitiam receptos, Volscos ex hostibus amicos factos, Hernicosque ad deditionem redactos commemoravit; tot tantaque beneficia plebi se propediem præstiturum promisit, quanta nemo ante eam diem contulisset. Postridie vocato Senatu, duo in gratiam plebis proposuit, ei nempe ob egregiè navatam in tuenda libertate, propugnandoque imperio operam, dividendum esse agrum, qui bello partus, nomine publicus sit, reverà à privatis patriciis occupetur: ac præterea frumenti à Gelone Siciliæ Tyranno anteà dono missi, ac pauperibus venditi, pretium emptoribus restituendum. Hinc inter Cassium, & Virginium alterum Consulem, Appium Claudium, ac Senatores præcipuos altercationes, atque dissidia.

3. *Lex Agraria.*] Agrariæ leges dicebantur, quæ ad agrorum divisionem pertinebant. Dividebantur autem plebi agri publici, tum redemptoribus anteà locari soliti, aut plerumque à potentioribus occupati; tum victis hostibus ademptі & publicati; quorum in loca deducebantur Coloni cives Romani, aut Veterani milites, relictâ indigenis plerumque tertiâ agrorum parte: quomodo hic cum Hernicis actum testatur Livius. Aliquando etiam privatorum agri dividi jubebantur, sive quod publici Veteranis assignati non sufficerent, ut his è vicino alii adjiciendi essent, (quò spectat, illud Virgilii

Mantua væ! miseræ nimium vicina Cremonæ!)

Sive etiam quòd civium locupletiores ultra præscriptam quantitatem possiderent: unde superfluum, pretio dominis soluto, in alios transferendum videbatur. Distribuendis agris Triumviri, aut etiam Decemviri creabantur. Huc referuntur leges complures. Hæc Cassia, Tribunitiæque permultæ, ut Licinia Stolonis, de qua infrà lib. 7. Semproniæ Gracchorum, &c. De origine & progressu legum Agrariarum latissimè Appianus, lib. 1. de bellis Civilib.

4. *Nunquam sine maximis motibus agitata.*] Leges Agrariæ materia semper Tribunis plebis seditionum fuere, ut noster ait lib. 6. cap. 11. Ideoque hujus libri, cap. 52. dicuntur *tribuni plebem agitare suo veneno, agrariâ lege.* Rationem hic indicat, quod possessores ob periculum rerum suarum terrerent.

Urb. cond. an. 267. Coſſ. Sp. Caſſ. III. & Poſt. Virg.

reſiſtebat, 5 auctoribus Patribus, nec omni plebe adverſante. quæ primò cæperat faſtidire 6 munus vulgatum à civibus ſiſſe in ſocios: ſæpè deinde & Virginium Conſulem in concionibus velut vaticinantem, audiebat, *Peſtilens collegæ munus eſſe, Agros illos ſervitutem iis qui acceperint, laturos. regno viam fieri. Quid ita enim 7 aſſumi ſocios, & nomen Latinum? Quid attinuiſſe 8 Hernicis, paulò antè hoſtibus 9 capti agri tertiam partem reddi, niſi ut hæ gentes pro Coriolano duce Caſſium habeant?* 10 Popularis jam eſſe diſſuaſor, & c interceſſor legis agrariæ

INTERPRETATIO.

c *Qui impediebat legem.*

NOTÆ.

5. *Auctoribus patribus.*] Appio in primis Claudio.

6. *Munus vulgatum à civibus ſiſſe in ſocios.*] Planius ſanè videtur *faſtidire munus vulgatum à civibus in ſocios*. Videamus tamen num hoc loco *faſtidire* non tantùm ſumatur pro eo quod ait aſpernari & reſpuere; ſed etiam pro moleſtè ferre? Quintilianus certè non ſemel verbum *faſtidio*, cum infinitivo jungit. Sic erit plebem ægrè tuliſſe, quod diviſio hæc agrorum, à Civibus Romanis tranſlata fuiſſet ad ſocios, & cum his communicata.

7. *Aſſumi Socios.*] Hoc pleroſque civium malè habebat, quòd non Romanis magis quàm Latinis, hac ſua diviſione agrorum gratificari Caſſius vellet.

8. *Hernicis.*] Dionyſius narrat datas Hernicis à Caſſio conditiones ex Latinorum fœdere tranſcriptas fuiſſe: quod Romani ægrè ferebant, Hernicos nempe alienigenas Latinis cognatis æquari.

9. *Capti agri tertiam partem.*] An agri Hernicorum proprii eam partem, quæ ſupererat poſtquàm duæ ipſis agri partes ademptæ, ut initio hujus capitis memoratum? At illa tertia pars eis adempta non fuerat: redduntur autem quæ non habemus; nec adeò invidioſum relinqui victis aliquid rerum ſuarum. An præter illam tertiam agri Hernici partem prioribus poſſeſſoribus ex fœdere relictam, aliam adhuc tertiam velut dono datam vult auctor. Hoc quidem ſuadet vox *reddi*. Verùm omnis agri à Romanis ex quibuſcumque hoſtibus capti, partem Hernicis perinde ac Latinis aſſignare Caſſium voluiſſe colligitur ex Dionyſio Halicarnaſſeo; apud quem ademptæ Hernicis agri nulla mentio fit: ideoque Hernicos cum Latinis, atque adeò cum Romanis, rerum, quæ civium laboribus partæ eſſent, participes à Caſſio fieri queritur Virginius; licèt cum ipſis præclarè actum eſſet, quòd bello ſubacti, proprios agros non amitterent. Et verò paribus legibus in Romanorum ſocietatem venerant Hernici, ac Latini, quibus ex fœdere haud quaquam ablatæ fuerant duæ agri ſui partes. In hoc duorum ſcriptorum diſſidio probabilior mihi Dionyſii narratio videtur.

10. *Popularis jam eſſe.*] Etſi Lex Agraria naturâ ſuâ popularis videatur, & populi favore excipienda, quod in tenuiorum, quibus agri ex ea diſtribuuntur, id eſt, in majoris populi partis commodum vergat: quia tamen libertas in Republica, pro ſummo bono habetur, cujus comparatione opes nullo in numero ſunt; libenter à populo audiebatur Virginius, & populi ſtudioſus habebatur, qui hujuſmodi legem ea de cauſa diſſuadebat, quòd Caſſius non conferendi in populum beneficii, ſed potentiæ tyrannicæ hoc beneficio ſibi comparandæ animo, eam ferret. Et Tribuni plebis, vel ex invidia in Caſſium, qui Conſul cum eſſet, utilitatibus ſtuderet plebejorum (quod Tribunitii muneris videbatur;) vel quod è Republica eſſe non putarent largitionibus corrumpi multitudinem, cum optimatibus ferè ſentiebant, & Caſſii legibus adverſabantur.

experat: uterque deinde Conſul certatim plebi indulgere. Virginius dicere, 11 paſſurum ſe aſſignari agros, dum ne cui, niſi civi Romano aſſignentur: Caſſius, quia in agraria largitione ambitioſus in ſocios, eoque civibus vilior erat; ut alio munere ſibi reconciliaret civium animos, jubere pro d Siculo frumento pecuniam acceptam retribui populo. Id verò haud ſecus, quam præſentem mercedem regni aſpernata plebes: adeo e propter ſuſpicionem inſitam regni, velut abundarent omnia, muncra ejus in animis hominum reſpuebantur. 12 Quem, 13 ubi primum magiſtratu abiit, damnatum necatumque conſtat. 14 Sunt qui patrem auctorem ejus ſupplicii ferant. ſſ Eum cognita domi cauſa verberaſſe ac necaſſe, peculiumque filii Cereri conſecraviſſe. ſignum inde factum eſſe, & inſcriptum, EX CASSIA

Urb. cond. an. 268. Coſſ. Q. Fab. & Ser. Cornel.

INTERPRETATIO.

d *Ex Sicilia advecto.*

e *Ob innatam ſuſpicionem in* potentiores, ne quis ex illis regnum affectaret.

NOTÆ.

11. *Paſſurum ſe aſſignari agros.*] Cum diceret Virginius ſe civibus, ſed ſolis agros aſſignari paſſurum: C. Rabulejus Tribunus plebis, quoniam in agro viritim civibus dividendo inter utrumque Conſulem conveniret, auctor plebi fuit ut hoc legis caput interim amplecteretur: illud alterum de vocandis in partem Latinis & Hernicis, in quo Virginius a Caſſio diſſentiebat, in aliud tempus differret. Sed Caſſius, qui in Sociorum benevolentia, & copiis, conſiliorum ſuorum perficiendorum fiduciam collocabat, ideoque legis capita dividere nolebat; dimiſſa tum concione, Latinos Hernicoſque in urbem accerſere cœpit, quò legem per vim ferret. Sic urbs tumultibus plena, donec Senatus, ſecundum A. Sempronii Atratini ſententiam, decrevit per decemviros à Conſularibus creatos agrum publicum terminari; & pronunciari quantum ejus in communes uſus populi locari, quantum plebi dividi conveniat. Socius jus civitatis adeptis, ſi quis poſſeſſionem communi militia partus fuerit, ſuam cuique populo portionem ex fœdere tribuendam. Electionem autem Decemvirorum, & agrorum diſtributionem, curare futuros Conſules. Quo Senatuſconſulto Caſſii conciones, & gliſcens inopum ſeditio finem acceperunt.

12. *Quem ubi primùm.*] Optimi quique auctores pronomine relativo, qui, *quem*, &c. ſæpe, aliquo intervallo poſt nomen utuntur, ita ut ab illo ſequentem periodum inchoent. Cic. Epiſt. lib. 1. ep. 2. *Ita ſum cum illo locutus, ut mihi viderer animum hominis ab omni alia cogitatione ad tuam dignitatem traducere. Quem ego ipſum cum audio*, &c. Adjici poſſent ſexcenta hujus generis loca.

13. *Ubi magiſtratu abiit.*] Quamdiu quis magiſtratum gerebat, reus agi non poterat.

14. *Sunt qui patrem.*] Pater Romanis moribus primus ac domeſticus filii, quorumvis criminum rei, judex erat: idque jure patriæ poteſtatis: quod, etiam in capitali in filium animadverſione, antiquius fuiſſe lege XII. Tab. ex hoc loco, & ex iis, quæ de Horatio lib. 1. cap. 6. dicta ſunt, facilè patet. Verùm filii cauſam pater adhibito propinquorum amicorumque conſilio cognoſcebat. Atque hanc de ſupplicio Caſſii ſententiam Valerius lib. 5. cap. 8. affirmat, idemque Tribunum plebis Caſſium fuiſſe ſcribit. Sed hunc ejus errorem refutat Paul. Manutius in lib. de Legib. Romanis, ubi de Legibus Agrariis.

FAMILIA DATUM. Invenio apud quoſdam, [15] idque propius fidem eſt, à quæſtoribus [16] Cæſone Fabio, & L. Valerio, diem dictam perduellionis: damnatumque populi judicio: dirutas publicè ædes. ea eſt area ante Telluris ædem. Cæterum ſive illud domeſticum, ſive publicum fuit judicium, damnatur [17] Ser. Cornelio, Q. Fabio conſulibus. §

Urb. cond. an. 268. Coſſ. Q. Fab. & Ser. Cornel.

XLII. Haud diuturna ira populi in Caſſium fuit. Dulcedo agrariæ legis ipſa per ſe, dempto auctore, ſubibat animos. accenſaque ea cupiditas eſt, [1] malignitate Patrum, qui, devictis eo anno Volſcis Æquiſque, militem præda fraudavêre. quicquid captum ex hoſtibus

NOTÆ.

15. *Idque propiùs fidem.*] Cur publico, quàm privato judicio damnatum fuiſſe Caſſium veroſimilius ſit, hanc in primis rationem affert Halicarn. quòd cum filii bona, ſive peculium ad patrem pertineret; parum credibile eſt, & publicata à patre bona, diruramque domum, & æreæ ſtatuæ inſcriptione conſecratam ejus rei memoriam.

16. *Cæſone Fabio.*] Q. Fabii novi Conſulis frater Cæſo Fabius, & L. Valerius Poplicolæ nepos Quæſtores, Sp. Caſſium affectatæ tyrannidis accuſarunt; quod gratiam dividendi civibus agri, quæ Senatui univerſo communis eſſe debuerat, ſibi uni vindicare; eamque cum ſociis populis communicando, in ſpeciem Romanis oſtentare, re ipſâ auferre voluiſſet. His adjiciebant, quod propiùs urgebat, accerſitos in urbem Latinos, atque Hernicos; eorumque audaciſſimis pecunias, & arma ſubminiſtrata. Quare, nec ejus meditatis orationibus, aut præclaris facinoribus; nec familiæ amicorumque ac liberorum ſupplicum aſpectu & precibus, ac nec ſperatis ab unoquoque privatim commodis motus populus, cum capitis damnavit: tantum inerat Tyrannidis odium. Statimque peracto judicio, in rupem Tarpejam foro imminentem ductus à quæſtoribus, ac toto inſpectante populo in præceps datus eſt. At ejus in filios pœnam produci nimis inhumanum Senatui viſum. Porro Cæſonem Sigonius prænomen eſſe obſervat ex Faſtis, & litteram K. notari; falluntur ergo, qui K. Fabium, legunt Cajum Fabium.

17. *Ser. Corn. & Fabio Coſſ.*] Q. Fabius Vibulanus iterum, & Servius Cornelius Coſſus Conſulatum inierunt an. U. C. 268. Pro Servio, quidam Sergium, alii Servilium legunt; quæ nomina ſunt, non prænomina, ut notat Glar. Coſſi dicebantur homines rugoſi, à ſimilitudine Coſſorum, qui vermes ſunt obeſi, ex lignorum carie editi; quos aliquando luxuria cibo adhibuit, adeò ut in magnis reditibus à patribus familias hi vermes in Ponto & Phrygia computarentur, teſtibus Plinio lib. 17. cap. 24. & D. Hieronymo contra Jovinianum.

1. *Malignitate Patrum.*] Poſt Caſſii mortem optimates ita efferri cœperunt, ut plebeji judicium ſuum damnarent, quo propugnatorem ſuum neci dederant. Hunc mœrorem augebant novi Conſules, qui decreta Senatus de agris dividendis non exequebantur. Hi tumultuantem multitudinem ducere extra urbem colore belli cogitabant. At patrici nomen in militiam dabant, tribunis vim cuiquam fieri vetantibus. Donec metus eos invaſit ne Dictator diceretur; iſque ſupremus magiſtratus (qui ceſſantibus cæteris poteſtatem habebat nullis vinculis obſtrictam) mandaretur Appio Claudio, homini duro admodum, atque adverſus plebejos furores obfirmato. Eo timore perculſi nomina dedere: & Cornelius quidem Vejentem tantùm agrum vaſtavit; mox redditis pretio captivis inducias in annum Vejentibus dedit. Cum altero exercitu Fabius in Æquorum agrum irrupit: inde in Volſcorum fines tranſgreſſus, qui ex Antiate agro coorti, conſpectâ Romanorum acie, pars Antium fugâ petiere, pars in montis verticem compulſi ſe Fabio dedidere.

eſt, vendidit Fabius conſul, ac redegit in publicum. Inviſum erat Fabium nomen plebi, propter noviſſimum Conſulem: tenuere tamen Patres, ut [2] cum L. Æmilio Cæſo Fabius Conſul crearetur. Eo infeſtior facta plebes, ſeditione domeſtica bellum externum excivit: bello deinde civiles diſcordiæ intermiſſæ. uno animo Patres ac plebes rebellantes [3] Volſcos & Æquos, duce Æmilio, proſpera pugna vicere. Plus tamen hoſtium fuga, quàm prælium abſumpſit: adeo pertinaciter fuſos inſecuti ſunt equites. [4] Caſtoris ædes eodem anno Idibus Quintilibus

[2] Urb. cond. an. 269. Coſſ. L. Æmil. & Cæſo Fab.

INTERPRETATIO.

[2] *Familia Fabiorum.*

NOTÆ.

2. *Cum L. Æmilio.*] Ne quid irritata plebs moveret, ſi à Conſule aliquo populari largitionis ſpe incitaretur; Patres alteri ex accuſatoribus Caſſii Cæſoni Fabio, Q. Fabii anterioris Conſulis fratri, auctores petendi Conſulatum fuerunt; cui L. Æmilium ſuæ factionis hominem adjunxerunt. Nec eorum conſilia impedire plebs poterat, quod centuriatis comitiis, quibus majores magiſtratus creabantur, longè prævalerent nobilium locupletumque ſuffragia, uti lib. 1. cap. 43. explicuimus. Itaque anno urbis juxta Dionyſii rationem 270. Archonte Athenis Nicodemo, Conſules creati L. Æmilius Mamerci f. & Cæſo Fabius Cæſonis filius quietam à domeſticis turbis remp. habuere.

3. *Volſcos & Æquos.*] Cum Volſci partem copiarum miſiſſent in Latinos & Hernicos Romanorum ſocios; reliquis copiis agrum ſuum tuerentur: Fabio tutela ſociorum ſorte obvenit: Æmilius alterum exercitum in Volſcos ad Antium duxit. Romani hoſtem de induſtria fugientem ſequuti, magnam partem cæſi, captive ſunt, reliqui caſtris relictis tumulum ad Longulam occupârunt: at ſubmiſſis à Cæſone auxiliis, Volſci ab caſtrorum oppugnatione repulſi cum damno in propria caſtra refugerunt; ita ut Æmilio duce Romani potiùs non victi, quam victores hoc anno videri debeant, ſi Halicarnaſſeo credimus.

4. *Caſtoris ædes.*] Caſtori & Polluci templum voverat A. Poſtumius Dictator anno Urb. Cond. 258. in pugna ad Regillum lacum adverſus Tarquinios, & Latinos, ut libri hujus cap. 20. indicatum eſt, quod nempe adoleſcentes duos, qui hoſtem præ cæteris acriter in prælio impulſiſſe, ac deinde victoriam ſub ipſum pugnæ tempus Romæ nunciaſſe dicebantur; hos geminos fratres, Jovis filios fuiſſe aut credidiſſet, aut credi voluiſſet. Idcircò hanc ædem conſtruxit in foro Romano, ubi Juvenes illi, ſeu ſpectra apparuerant. Ea poſt annum ferme XII. dedicata eſt Idibus Quintilibus, quo die pugnatum ad Regillum fuerat, inſtitutumque eſt ut quotannis eorum qui equos ex publico haberent ſolennis tranſvectio eodem die poſt ſacrificium fieret, egregio coronis, trabeiſque ornatorum velut è prælio redeuntium ſpectaculo: quod Dionyſ. lib. 6. tradit. Etſi verò utrique fratri dicata ædes eſſet, vulgò tamen Caſtoris dicebatur, nulla Pollucis mentione: idque ex fabula ortum ſuſpicor, quæ vult: Caſtorem fratris morte redemptum; ita ut altero in terris, aut inter cælites exiſtente, alter apud inferos degat, nec ambo ſimul comparent: quò ſpectat M. Bibuli cum Cæſare Conſulatum ineuntis, ac ſpectacula communibus cum illo ſumptibus populo edentis, jocus apud Svetonium. Receptæ nihilominus illi fabulæ hæc ipſa de pugna Regillenſi adverſatur. Sed nimirum ſervandæ majeſtatis Romanæ causâ, parum erat unicum in eadem re miraculum interveniſſe: vel potiùs in hujuſmodi figmentis inutile aut abſurdum rationem quærere. Illa fortè non omninò rejicienda quæ Aſtronomica obſervatione de cæleſti Geminorum ſigno

Urb. cond. an. 269. Coſſ. L. Æmil. & Cæſo. Fab.

dedicatâ eſt. vota erat Latino bello, & Poſtumio dictatore. filius ejus Duumvir ad id ipſum creatus dedicavit. Solicitati & eo anno ſunt dulcedine agrariæ legis animi plebis. Tribuni plebis 5 popularem poteſtatem lege populari celebrabant. Patres ſatis ſuperque 6 gratuiti furoris in multitudine credentes eſſe, 7 largitiones, temeritatiſque invitamenta horrebant. acerrimi Patribus duces ad reſiſtendum conſules fuere. Ea igitur pars reipublicæ vicit. nec in præſens modo, ſed in venientem etiam annum 8 M. Fabium Cæſonis fratrem, & magis inviſum alterum plebi accuſatione Sp. Caſſii, L. Valerium conſulem dedit. Certatum eo quoque anno 9 cum tribunis eſt. 10 vana lex, vanique legis auctores, jactando irritum munus, facti. Fabium inde nomen ingens 11 poſt tres continuos conſulatus, unoque velut tenore omnes expertos tribuniciis certaminibus, habitum. itaque ut bene locatus manſit in ea familia aliquandiu honos. 12 Bellum inde Vejens initum: & 13 Volſci rebellarunt. ſed ad bella externa propè ſupererant vires: abutebanturque iis inter ſemetipſos certando. Acceſſere ad ægras jam omnium mentes prodigia cœleſtia, propè quotidianas in urbe agriſque oſtentan-

NOTÆ.

nititur, ita ſe habentium. ut Occidente altero, alter Oriatur.

5. *Popularem poteſtatem lege populari celebrabant.*] Conabantur nempe Tribuni plebis poteſtati ſuæ, plebis gratiâ inſtitutæ, decus ac nomen addere propoſitâ lege Agrariâ plebi ſemper gratiſſimâ.

6. *Gratuiti furoris.*] Seditioſi ſanè ſpiritus ſponte in animis plebejorum efferveſcebant, ita ut tribunorum operâ ad eos excitandos nihil opus eſſet.

7. *Largitiones, temeritatiſque invitamenta.*] Mallet Gronovius abeſſe conjunctionem, & appoſitione ſive epexegeſi dici *largitiones, temeritatis invitamenta*: ſed exiguum eſt, aut nullum, inter hæc duo diſcrimen, ſi ſententiam ſpectes.

8. *M. Fabium Cæſonis fratrem.*] Marcus Fabius Vibulanus, & L. Valerius Potitus creati Conſules in annum 271. ex Dionyſ. 270. ex Sigon. & Faſt. Capitol. Manente in Volſcis apud exercitum Æmilio, comitiis præfuit ſolus Cæſo, qui, plebe Conſulares aliquot minùs potentes optante, candidatorum dumtaxat rationem haberi permiſit.

9. *Cum Tribunis.*] Decemviros agro publico dividendo creari poſtulabat unus Tribunorum C. Mænius: id Conſules prætextu belli recuſabant, ille autem delectum omni vi prohibebat.

10. *Vana lex . . . . irritum munus.*] Conſules quippe eos, qui citati non parerent, quando prohibente tribuno ducere non poterant, pecuniâ mulctabant: eoſque qui agros haberent, exciſis arboribus, diruti ſque villis, qui autem alienos fundos colerent, ruſtico inſtrumento, jumentis, pecoribus diſtractis, coercebante nullam adverſus hæc opem ferre valentibus tribunis, quorum poteſtas mœnibus circumſcripta, & quibus ne pernoctare quidem extra urbem fas erat, præterquàm Latinarum feriarum tempore.

11. *Poſt tres continuos Conſulatus.*] Hoc triennio tres ex Fabia gente Fratres Conſulatum geſſerunt, Quintus, Cæſo & Marcus: firmi omnes adverſus Tribunorum conatus.

12. *Bellum Vejens.*] Ejus belli nulla hic apud Halicarnaſſeum mentio.

13. *Volſci rebellarunt.*] Fabio ad tutelam ſociorum deſtinato, Volſci Valerio obvenerunt; qui poſt cruentum utriſque prælium, neutram in partem inclinante victoriâ, exercitum reduxit; victoriam odio Conſulis & Patriciorum aſpernatum.

tia minàs : motique irâ numinis, cauſam nullam aliam [b] vates canebant, publicè privatimque [14] nunc extis, nunc per aves conſulti, quàm haud ritè ſacra fieri : qui terrores tamen eò evaſere, ut [15] Oppia virgo Veſtalis damnata inceſti pœnas dederit.

Urb. cond. an. 271. Coſſ. Q. Fab. & C. Jul.

§ XLIII. [1] Q. Fabius inde, & C. Julius conſules facti. Eo anno [a] non ſegnior diſcordia domi, & bellum foris atrocius fuit. Ab Æquis arma ſumpta. Vejentes agrum quoque Romanorum populantes, injerunt. quorum bellorum creſcente cura, [2] Cæſo Fabius & Sp. Furius conſules fiunt. [3] Ortonam Latinam urbem Æqui oppugnabant. Vejentes pleni jam populationum Romam ipſam ſe oppugnaturos minitabantur. Qui terrores, quum compeſcere deberent, [4] auxêre inſuper animos plebis: redibatque non ſua ſponte plebi mos detrectandi militiam. ſed [5] Sp. Licinius tribunus plebis, veniſſe tempus ratus, per ultimam ne-

INTERPRETATIO.

b *Monebant Harioli.*

a *Non minùs ardens diſſenſio.*

NOTÆ.

14. *Nunc extis, nunc aves.*] Hæc præcipua duo apud priſcos Divinationis genera fuere. Aruſpices enim *inſpectis* hoſtiarum viſceribus: Auſpices, Augureſque ex avium volatu, cantu, aut paſtu futura prædicebant.

15. *Oppia Virgo Veſtalis.*] Dionyſius Opimiam vocat: aitque detractâ capiti coronâ defoſſam; duos autem ejus corruptores verberibus enecatos; ac mox litatum eſſe narrat.

1. *Quintus Fabius inde.*] Poſt ingentes inter plebem ac patricios contentiones cum Tribuni plebis comitiis Conſularibus intercederent, ne præſertim Appii Claudii filius arrogans, audax, & plebejis infenſus, Conſul crearetur; Conſules comitia Tribunorum impedirent, rebus ad ſeditionem ſpectantibus, placuit Senatui ad diſſidia ſedanda Interregem nominari Aulum Sempronium Atratinum; qui poſt paucos dies Sp. Lartium Dictatorem deſignavit. Hoc centuriata comitia habente Conſules creati ſunt Q. Julius plebis ſtudioſus, & Q. Fabius Cæſonis filius iterum, addictus optimatibus.

2. *Cæſo Fabius, & Sp. Furius.*] Conſules hi anno u. c. 272. ex Dionyſio, poſt magnam contentionem creati ſunt mutuo plebis patrumque conſenſu, Senatu Fabium, plebe Furium deſignante. Id 75. Olympiade factum, principe Athenis Callide, quo tempore Xerxes expeditionem fecit in Græciam.

3. *Ortonam Latinam Urbem.*] Ortona ex Strabone, Plinio, aliiſque Frentanorum oppidum eſt ad mare Hadriaticum; priſtinum hodieque nomen retinens; ſed hæc vix eo tempore Romanis cognita. Alia Livii exemplaria Artonam habent, & lib. 3. Hortonam vel Hortanam. Dionyſius, Ὄρτης vocat lib. 8. ubi Gelenius Artonam vertit, eamque à Vejentibus obſeſſam addit, contra quàm Livius, ipſeque Dionyſius qui obſeſſores faciunt Æquos, à quibus hic captum oppidum narrat. Unde Cluverius Hortonam apud noſtrum, Græca verò formatione Ὀρτῶνα apud Halicarnaſſeum legit, pro Ὄρτη lib. 8. & pro Βιτῶνα lib. 10. quod ex his amborum locis Latinorum fuiſſe oppidum conſtat ultra Algidum, haud procul Gorbione, circa Prænеſte & Labicos. Holſtenius nunc *Monte Fortino* dici arbitratur, *Fortini* nomine non abludente à Victone Dionyſii.

4. *Auxere animos plebis.*] Non adverſus hoſtes, ſed adverſus Patricios, qui plebis operâ propter hæc bella indigebant.

5. *Sp. Licinius.*] Sp. Icilium vocat Dionyſ. qui an idem fuerit cum eo

Urb. cond. an. 272. Coss. Cæso. Fab. II. & Sp. Fur.

cessitatem b legis agrariæ Patribus injungendæ, susceperat rem militarem impediendam. Cæterum tota invidia tribuniciæ potestatis versa in auctorem est, nec in eum Consules acrius, quam ipsius ejus collegæ coorti sunt; auxilioque eorum delectum Consules habent. Ad duo simul bella exercitus scribitur; ducendus 7 Fabio in Æquos, 5 in Vejentes Furio datur. 8 Et in Vejentibus quidem nihil dignum memoria gestum est. 9 Fabio aliquanto plus negotii cum civibus, quam

INTERPRETATIO.

b *Extorquendi legem agrariam à patribus per extremam* belli *necessitatem*;

NOTÆ.

qui ante annos fermè tredecim inter primos Tribunos plebis ab eodem numeratur, non facilè dixerim. Hunc Tribunum plebis, ex Icilia potiùs familia, ut est apud Dionysium, quàm, ut Livius vult ex Licinia fuisse, duabus de causis, putat Sigon. tum quòd ex Icilia multi per ea tempora infestissimi patribus Tribuni memorentur, quod à Livio ipso nominatim observatum lib. 4. cap. 54. tum quod prænomen *Spurius* nusquam aliàs in gente Licinia, contrà in Icilia sæpius occurrat. Is delectum diu distulit, negans se passurum quicquam decerni, nisi prius creatis decemviris, qui agrum publicum finirent, ac dividerent; eam in rem animata seditiosis concionibus plebe. Sed cum ei atrox dictum excidisset; malle se hostes urbe potitos videre, quàm sinere ut invasores agrorum publicorum occupata retineant: ea voce offensi, cum plebis magna parte, aliqui Tribunorum, actioni Collegæ sui interfuerunt. Ita delectus habitus.

6. *Ipsius ejus Collegæ.*] Ipsi Tribuni plebis, quorum quatuor monente Appio ad Senatus partes per Consules traducti, Licinii sive Icilii Collegæ sui actioni interfuerunt ex Dionysio. Mallem *ipsi ejus Collegæ.*

7. *Fabio in Æquos, in Vejentes Furio datur.*] Vulgata editio habet, *Fabio in Vejentes, in Æquos Furio datus.* Quo nomine hunc locum reprehendit Sabellicus, quat. cum iis pugnantem quæ mox cap. 44. dicuntur. *Proximo bello in ipsa acie, in ipso certamine, consensu exercitus, traditam ultro victoriam victis Æquis; signa deserta; Imperatorem in acie relictum; injussu in castra reditum:* & quæ cap. 45. sub finem de Vejentibus subjiciuntur, sperantibus Romanos, *non magis secum pugnaturos, quàm pugnaverint cum Æquis.* Ex quibus manifestè patet secundum Livii sententiam Cæsonem Fabium Consulem, qui mox ab exercitu suo desertus narratur, non adversus Vejentes, sed adversus Æquos duxisse. Quidam idcirco emendandum putaverunt prout in postremis editionibus legitur. *Fabio in Æquos, in Vejentes Furio datus*, uti Sigonius in antiquo exemplari legi affirmat. Quòd si ita est, ejus sententiæ lubens subscripserim. Sic quidem dissentit Livius à Dionysio, qui bellum Vejens Fabio assignat, Furium regionem Æquorum impunè populatum, ditatas præda copias reduxisse refert. Sed multò magis ferendum est, quemadmodum Sigonius notat, hos duos scriptores, qui non semper consentiunt, in hoc quoque dissidere, quàm Livium sibi non constare.

8. *Et in Vejentibus.*] Ita melius, quàm *in Æquis*, ut ante Sigonium legebatur.

9. *Fabio aliquanto plus negotii.*] Romani quippe nec hostes prælio in fugam versos persequi, nec eorum castra expugnare voluerunt: sed, quo triumphi honorem egregio duci eriperent motis mediâ nocte castris in urbem, injussu ejus, tamquam victi, non sine periculo abjerunt. Nam & cognita eorum profectione fugæ simili, hostes exsorum cadavera spoliarunt; direptisque impedimentis, vicinos urbi agros, quasi victores, populati sunt: quæ Vejentibus Halicarnasseus tribuit, Livium, ne secum ipse dissideat, Æquis assignare oportet.

cum

cum hoſtibus fuit. 10 Unus ille vir ipſe Conſul rempublicam ſuſtinuit, quam exercitus odio Conſulis, quantum in ſe fuit, prodebat. Nam quum conſul, præter cæteras Imperatorias artes, quas parando gerendoque bello edidit plurimas, ita inſtruxiſſet aciem, ut ſolo equitatu emiſſo exercitum hoſtium funderet, c inſequi fuſos pedes noluit. nec illos, & ſi non adhortatio inviſi ducis, ſuum ſaltem flagitium, & publicum in præſentia dedecus, poſtmodo periculum, (ſi animus hoſti rediſſet,) cogere potuit gradum accelerare; aut, ſi aliud nihil, inſtare inſtructos. Injuſſu ſigna referunt, mœſtique (crederes victos,) execrantes nunc Imperatorem, nunc navatam ab equite operam, redeunt in caſtra. Nec huic tam peſtilenti exemplo 11 remedia ulla ab Imperatore quæſita ſunt. ADEO EXCELLENTIBUS ingeniis citius defuerit ars, qua civem regant, quam qua hoſtem ſuperent. Conſul Romam rediit, non tam belli gloria aucta, quam irritato exacerbatoque in ſe militum odio. Obtinuere tamen Patres, ut in Fabia gente Conſulatus maneret. M. Fabium Conſulem creant, Fabio collega Cn. Manlius datur.

XLIV. Et hic annus tribunum auctorem legis agrariæ habuit. 1 Tib. Pontificius fuit. in eamdem viam, a velut proceſſiſſet Sp. Licinio, ingreſſus, delectum pauliſper impediit. Perturbatis iterum Patribus, Appius Claudius *Victam tribuniciam poteſtatem* dicere *priore anno*; b 2 *in* Urb. cond. an. 273. Coſſ. M. Fab. II. & Cn. Manl.

INTERPRETATIO.

c *Peditatus recuſavit* hoſtes *diſſipatos perſequi: eumque, non* modo, ut par erat *exhortatio imperatoris ſui, utcumque exoſi, adigere potuit ad maturandum gradum; ſed ne pudor* quidem *proprii criminis cum turpitudine conjuncti, nec infamia publica in ipſo facinore; aut imminens ſtatim periculum, ſi fortè hoſtes animum recepiſſent*: quæ ſingula eos movere debebant; *vel, ſi nihil aliud* conari vellent, eos certè impellere, *ut acie inſtructâ ſequerentur* hoſtem fugientem.

a *Quaſi Licinio ea res* ex ſententiâ *ſucceſſiſſet*; ita *Tib. Pontificius eamdem iniit rationem, & aliquandiu delectui* militari *obſtitit*.

b *Tunc* quidem *eventu ipſo*: ſed *ſi exemplum* rei *ſpectetur, in tempus omne futurum*, dicebas *ſuperatam eſſe poteſtatem tribunorum* plebis: *ſemper enim aliquem* inter eos *repertum iri, qui vellet ſibi quærere victoriam de alio tribuno, & nobilitatis favorem* demereri *in publicam utilitatem*.

NOTÆ.

10. *Unus ille vir ipſe Conſul.*] Hanc loquendi formam ſatis ferendam cenſet Gronovius, nec ab aliena manu irrepſiſſe ſuſpicatur, hæc duo vocabula *ipſe Conſul*; Sic enim infrà apud noſtrum. *Unus à patrib. ipſe App. Claudius & Tribunos, & plebem, & ſuum judicium pro nihilo habebat.*

11. *Nec .... remedia ulla ab Imperatore quæſita.*] Ille quidem monitis preces ac minas adjecit, teſte Dionyſio: ſed eum his milites magis exaſperarentur, contemptiſque imperiis tentoria refigerent, arma ſumerent, ſaucios deportarent, jubente nemine abituri; neceſſe habuit profectionis ſignum dare.

1. *Tib. Pontificius.*] Cum ante legeretur T. Pontificius, rectè Rhenanus ad vetuſti Codicis fidem, emendavit *Tiberius Pontificius*. Nam eo prænomine Tribunum hunc indigitat Dionyſius Halicarnaſſeus, uti Sigonius obſervavit; qui addit prænomen Tiberius duabus literis *Ti.* antiquitus ſcribi ſolitum non tribus *Tib.* Titum autem unicâ literâ T. ſignificari.

2. *In præſentia re ipſâ.*] Sic quidam emendarunt, cum antea legeretur, *in*

Urb. cond. an. 273. Coſſ. M. Fab. II. & Cn. Manl.

præſentia re ipſa, exemplo in perpetuum. quando inventum ſit ſuis ipſam viribus diſſolvi. Neque enim unquam defuturum, qui & ex collega victoriam ſibi, & gratiam melioris partis, bono publico, velit quæſitam. Et plures, ſi pluribus opus ſit, tribunos, ad auxilium conſulum paratos fore: & unum vel adverſus omnes ſatis eſſe. Darent modo & conſules & primores Patrum operam, ut ſi minus omnes, aliquos tamen ex tribunis reipublicæ ac ſenatui conciliarent. Præceptis Appii moniti Patres, & univerſi comiter ac benigne tribunos appellare: & conſulares, c ut cuique privatim 3 aliquid juris adverſus ſingulos erat, partim auctoritate, obtinuere, ut tribuniciæ poteſtatis vires ſalubres vellent reipublicæ eſſe. 4 quatuorque tribunorum, adverſus unum moratorem publici commodi, auxilio, delectum conſules habent. Inde ad Vejens bellum profecti, quo undique ex Etruria auxilia convenerant, non tam Vejentium gratiâ concitata: quam quod in ſpem ventum erat, diſcordiâ inteſtina diſſolvi rem Romanam poſſe. Principeſque in omnium Etruriæ populorum conciliis fremebant, *Æternas opes eſſe Romanas, niſi inter ſemet ipſi ſeditionibus ſæviant.* ID UNUM VENENUM, *eam labem civitatibus opulentis repertam, ut magna imperia mortalia eſſent.* 5 *Diu ſuſtentatum id malum, partim Patrum conſiliis, partim patientia plebis, jam ad extrema veniſſe. Duas civitates ex una factas:* 6 *ſuos cuique parti magiſtratus, ſuas leges eſſe. Primum*

INTERPRETATIO.

c *Prout unuſquiſque privatim neceſſitudinem aliquam cum hoc, vel illo habebat.*

NOTÆ.

præſentia reip. exemplo in perpetuum: quæ quidem emendatio haud paulò clariorem reddit ſenſum ex Glareani ſententiâ, apud quem annotatur illud *in præſentia* apud veteres in multo uſu: *in præſentiarum* non item, ſed apud Vallam. Perotumve eſſe natum.

3. *Aliquid juris.*] Juris nomine intelligitur hoc loco auctoritas, poteſtas ex quadam præſertim neceſſitudine, cujuſmodi patronorum in Clientes. Sic jus patriæ poteſtatis dicimus, & Tullius eodem ſenſu, 1. de nat. Deor. *Cum quibus quid poteſt nobis eſſe juris?*

4. *Quatuorque Tribunorum.*] Antè *novem* legebatur, cujus loco Rhenanus invexerat vocem *novum*, cenſens hoc vocabulum ad nomen *delectum* eſſe referendum. Novem tamen Tribunos uni Pontificio reſiſtere hoc tempore non potuiſſe conſtat, cum nonum decem, ſed quinque duntaxat Tribuni creārentur. Certè numerus Tribunorum quaternarius hic ab Halicarnaſſeo proditur: mendi autem cauſa ex notis numerorum ut ſæpe fit, orta eſt, ſcriptumque fuit IX. pro IV. ut plenumque V. pro X. mendosè ſcribitur, aut contra.

5. *Diu ſuſtentatum id malum.*] Hanc impendentem ex ſeditionibus perniciem aliquandiu compreſſit, vel retardavit, hinc prudentia Senatus, hinc plebis patientia; quibus velut ſuſtentaculis ſulta ſalus publica hactenus ſteterat.

6. *Suos cuique parti magiſtratus, ſuas leges.*] Conſules ſenatui, Tribuni plebi addicti. Illi leges ferebant quibus reluctabantur ſæpe plebeji: at horum plebiſcitis Patricii ſe teneri palam negabant, ante legem nempe Horatiam, poſt annos ab hoc Conſulatu 32. à M. Horatio Conſule latam, de qua lib. 3. cap. 55.

7 in delectibus ſævire ſolitos, eoſdem in bello tamen paruiſſe ducibus: qualicumque urbis ſtatu, manente diſciplina militari, d *ſtiti potuiſſe: jam non parendi magiſtratibus morem in caſtra quoque Romanum militem ſequi. Proximo bello in ipſa acie, in ipſo certamine, conſenſu exercitus tra-*
5 *ditam ultro victoriam* 8 *victis Æquis: ſigna deſerta, imperatorem in acie relictum,* e *iniuſſu in caſtra reditum. Profecto, ſi inſtetur, ſuo milite vinci Romam poſſe. Nihil aliud opus eſſe, quam indici oſtendique bellum, cætera ſua ſponte fata & Deos geſturos.* Hæ ſpes Etruſcos armaverant; multis invicem caſibus 9 victos, victoreſque.

10 XLV. Conſules quoque Romani, nihil præterea aliud quam ſuas vires, Urb. cond. an. 273. Coſſ. M. Fab. II. & Cn. Manl.
a ſua arma horrebant: 1 memoria peſſimi proximo bello exempli terrebantur; ne b rem committerent eo, ubi duæ ſimul acies timendæ eſſent. Itaque caſtris ſe tenebant, 2 tam ancipiti periculo averſi. diem tempuſque forſitan ipſum 3 leniturum iras, ſanitatemque animis allatu-
15 rum. Vejens hoſtis, Etruſcique eo magis præpropere agere. laceſſere ad pugnam: primo obequitando caſtris provocandoque. poſtremò, c ut nihil movebant, qua conſules ipſos, qua d exercitum increpando, *Si-*

INTERPRETATIO.

d *Potuiſſe* ſtare, ac ſervari rem Romanam, *qualiſcumque eſſet ſtatus civitatis, modo ſalva eſſet diſciplina militaris. Sed conſuetudinem non obediendi magiſtratibus, nunc uſque in caſtra ſequutam eſſe milites Romanos.*

e *Non jubente*, imo prohibente, & pugnam imperante duce, Romanos *in caſtra* ſua eſſe *reverſos*.

a *Proprios timebant exercitus*.

b *Ne in caſum eò uſque rem darent, ut, &c.*

c *Cum nullatenus eos commoverent.*

d *Exprobrantes exercitui Rom. quod ad diſſimulandam ignaviam, inveniſſet ſimulationem domeſtici diſſidii.*

NOTÆ.

7. *In delectibus ſævire ſolitos.*] Plebeii, cum eorum ad bellum operâ Patricii egebant, ferociùs quàm par erat ſe gerebant auctoribus Tribunis. *Ils s'échappoient, ils faiſoient le pis qu'ils pouvoient.* An igitur ut *Sæva*, apud Feſtum, quæcumque res mala, quaſi ſiniſtra; ita ſævire hîc dicendum erit, pro perperàm, ac velut ſiniſtrè agere; non pro crudelitatem exercere, quæ vulgaris eſt hujus verbi acceptio: non enim adhuc eò furoris venerant Romani, ut mutuis cædibus inter ſe graſſarentur.

8. *Victis Æquis.*] Aut potiùs Vejentibus, ſi Dionyſio fides, uti antè monuimus.

9. *Victos, victoreſque.*] Vejentes cum quibus ultimum Romulus bellum geſſerat, cum à Tullo Hoſtilio defeciſſent, caſtris ab eo exuti fuerant: tum poſt populatos Romanorum agros ab Anco Marcio ſemel atque iterum victi, & à Tarquinio Priſco cum reliquis Etruſcis parere coacti, adverſus Servium Tullium diverſâ fortunâ bellarunt, non niſi poſt viceanium domiti. Nunc reſumpto bello, centum ampliùs annis Romanorum virtutem exercuerunt; donec Vejorum urbs potentiſſima, poſt decennalem obſidionem à Fur. Camillo capta eſt, an. U. C. 357, ut infra lib. 5. cap. 22.

1. *Memoria peſſimi proximo bello exempli.*] Legebatur antea *terrebant*. Rhenanus in paſſivam vocem tranſtulit. Gronovio placet, quod in multis Mſſ. eſt, *memoria terrebat*, in nominandi caſu. Idque Livium ſapere magis videtur.

2. *Tam ancipiti periculo averſi.*] Supple à prælio committendo.

3. *Leniturum iras.*] Intellige cogitabant, vel ſperabant.

Urb. cond. an. 273. Coſſ. M. Fab. II. & Cn. Manl.

mulationem inteſtinæ diſcordiæ, remedium timoris inventum: & conſules magis non conſidere, quàm non credere ſuis militibus. Novum ſeditionis genus, ſilentium otiumque inter armatos. ad hæc [5] in novitatem generis originiſque, quâ falſa, quâ vera jacere. Hæc quum ſub ipſo vallo portiſque ſtreperent, haud ægre conſules pati. at imperitæ multitudini nunc indignatio, nunc pudor pectora verſare, [e] & ab inteſtinis avertere malis: nolle inultos hoſtes, [f] nolle ſucceſſum, non Patribus, non conſulibus; externa & domeſtica odia certare in animis. Tandem ſuperant externa, adeo ſuperbe inſolenterque hoſtis eludebat. frequentes [6] in prætorium conveniunt, poſcunt pugnam, poſtulant ut ſignum detur. Conſules velut deliberabundi capita conferunt, diu colloquuntur. pugnare cupiebant, ſed retro revocanda & abdenda cupiditas erat, ut adverſando remorandoque, incitato ſemel militi adderent impetum. Redditur reſponſum, *immaturam rem agi, nondum tempus pugnæ eſſe: caſtris ſe tenerent.* Edicunt inde, *ut abſtinent pugna. ſi quis injuſſu pugnaverit, ut in hoſtem animadverſuros.* Ita dimiſſis, quo minùs Conſules velle credunt, creſcit ardor pugnandi. accedunt inſuper hoſtes ferocius multo, [8] ut ſtatuiſſe non pugnare Conſules cognitum eſt. Quippe impune ſe inſultaturos: [7] non credi militi arma. rem ad ultimum ſeditionis erupturam, finemque veniſſe

INTERPRETATIO.

e *Et* animos eorum *abducebant à cogitatione incommodorum domeſticorum.*

f *Nolebant* quicquam *proſperè evenire, neque Senatui, neque Conſulibus.*

g *Poſtquàm compererunt à Conſulibus eſſe conſtitutum abſtinere à pugna.*

NOTÆ.

4. *Magis non conſidere, quàm non credere.*] Etſi aliquando credere, & confidere eodem pene ſenſu dicantur: propriè tamen ut Nann. notat: *credimus illis quos ſolvendo eſſe putamus*, ſive à quibus aliquid præſtari poſſe perſuaſum habemus; *confidimus illis quorum benevolentia ſecuros nos facit*, & à quorum animo ac moribus officia expectamus. Sic itaque Etruſci videri volebant Conſulibus ſuſpectam potius eſſe exercitus virtutem ac fortitudinem, quàm voluntatem: eoſque certamen detrectare, non tam, ut fingebant, quod ſuos malè in ſe animatos putarent, ideoque non auderent ipſorum fidei, & benevolentiæ quicquam committere: ſed quòd nullam in eorum robore fiduciam ponerent, quos exiſtimarent imbelles, ac timidos eſſe.

5. *In novitatem generis, originiſque.*] Probra quoque Etruſci in Romanos jactabant petita ex eorum origine, quod ſcilicet orti eſſent ex hominum colluvie, qui ne æs alienum quo gravabantur, aut criminum quæ commiſerant, pœnas perſolverent, in Aſylum Romuli confugiſſent: quâ de re ad lib. 1. cap. 8. Eo alludit Satyricus cum ad nobiles Romanos ait:

Primus majorum, quiſquis fuit ille, tuorum,
Aut paſtor fuit, aut illud quod dicere nolo.

6. *In Prætorium.*] Prætorium eſt Palatium, vel Tentorium Prætoris; quod generale nomen eſt eorum, qui cum imperio præſunt. Hic tentorium conſulare intellige, quò milites confluebant, ut ſignum pugnæ poſtularent.

7. *Non credi militi arma.*] Accincti quidem ferro milites vulgò erant, ſed extra ſtationes, niſi pugna immineret vix lorica, ſcuto, pilo, armabantur.

Romano Imperio. His freti [h] occurſant portis, ingerunt probra, ægre abſtinent quin caſtra oppugnent. Enimvero, non ultra contumeliam [8] pati Romanus poſſe: totis caſtris undique ad Conſules curritur. non jam ſenſim, ut ante, per centurionum principes poſtulant, ſed paſſim omnes clamoribus agunt. Matura res erat, tergiverſantur tamen. Fabius deinde, ad creſcentem tumultum, jam metu ſeditionis [i] collega concedente, quum [9] ſilentium claſſico feciſſet: *Ego iſtos, Cn. Manli, poſſe vincere ſcio; velle ne ſcirem, ipſi fecerunt. Itaque* [10] *certum atque decretum eſt, non dare ſignum, niſi victores ſe redituros ex hac pugna jurent. Conſulem Romanum miles ſemel in acie fefellit, Deos numquam fallet.* Centurio erat M. Flavolejus, inter primores pugnæ flagitator, [11] *Vi-*

Urb. cond. an. 273. Conſ. M. Fab. 11. & Cn. Manl.

INTERPRETATIO.

h *Curſitant ante portas* caſtrorum Romanorum.

i *Cum collega* Manlius *permitteret*, (pugnam) *ob timorem ſeditionis, &c.*

NOTÆ.

8. *Pati Romanus poſſe.*] Non ultra Romani contumeliam pati poterant. Unde cum infinitivus pro indicativo hic ſumatur hiſtoricorum more (qui & Romanum, & militem, pro Romanis, ac pro militibus dicunt) errant haud dubiè, qui ſcribunt *pati Romanos poſſe*.

9. *Silentium claſſico feciſſet.*] Claſſicum, ſive à claſſibus urbanis, nauticiſve deductum, ſive longiùs petitum à calando, vel à clangore; tam pro tuba flexili, cornuve, quàm pro ſono dicitur, Servio teſte. Et *claſſicum*, licèt plerunque pro ſigno ineundæ pugnæ accipiatur; producitur tamen ad quodvis aliud ſignum Imperatoris, aut Magiſtratus juſſu editum, ad convocandam multitudinem. Aliam Fabii ad milites orationem refert Dionyſius.

10. *Certum atque decretum eſt.*] Hic M. Fabii ſermo pugnandi copiam tam præciſè negantis, mirum quod Manlium collegam, ardori militum obſecundantem, non pupugerit; cum pari in parem imperium non eſſe certiſſimum ſit. Et verò paulò antea collatis capitibus conſilium conjunctim, atque ex æquo habuiſſe ambo narrantur. Conjicere quis poſſet ſummam imperii, concedente Manlio, penes Fabium fuiſſe, ut poſt Agrippa Quintio alteri Conſuli conceſſit lib. 3. cap. 70. Sed huic collegæ facilitati debuit Fabius comiter reſpondere. Veram itaque ejus rei cauſam colligere licet ex Halicarnaſſeo lib. 9. qui memorat admotis propè Vejos duobus exercitibus, hos Conſules initio in duobus tumulis haud multùm invicem diſtantibus ſeorſim muniviſſe. Verùm cum Manlii prætorium de Cœlo tactum eſſet, lacerato tentorio, everſo foculo, equo militari occiſo: quoniam interpretes ejus prodigii, monebant caſtrorum oppugnationem, & clariſſimorum virorum interitum ſignificari; à Manlio milites mediâ nocte traductos in Fabii Caſtra. Unde ſanè Fabio in his caſtris, quæ propria ipſius reverà caſtra erant, præcipuum concedi imperium æquitas poſtulabat. Simile quid bello Punico 2. contigit, poſtquàm Minucius magiſter equitum, cujus æquatum cum Fabio dictatore imperium extra ordinem fuerat, ab Annibale fuſus, caſtra cum dictatore conjunxit, lib. 22. cap. 30.

11. *Victor inquit M. Fabii revertar ad acie. Si fallat.*] Priora verba Flavolejî Centurionis ſunt. Poſteriora, *ſi fallat*, ſunt ipſius auctoris, narrantis quæ Flavolejus prioribus adjecit. Flavolejus ille vir plebejus, & colonus, ſuis manibus operari ſolitus, fuiſſe dicitur à Dionyſio; non vilis tamen, ſed laudato corporis, animique robore, ac primipili centurio, id eſt, primum inter legionis ſuæ centuriones obtinens locum.

flor, inquit, *M. Fabi, revertar ex acie. Si fallat, Jovem patrem,* 12 *Gradivumque Martem, alioſque* 13 *iratos invocat Deos*. Idem deinceps omnis exercitus 14 in ſe quiſque jurat. Juratis datur ſignum, arma capiunt, eunt in pugnam, irarum ſpeique pleni. k Nunc jubent Etruſcos probra jacere, nunc armatis ſibi quiſque linguâ promptum hoſtem § offerri. Omnium illo die, qua plebis, qua Patrum, eximia virtus fuit, 15 Fabium nomen, Fabia gens maxime enituit. multis civilibus certaminibus infenſos plebis animos illa pugna ſibi reconciliare ſtatuunt. Inſtruitur acies: nec Vejens hoſtis Etruſcæque legiones 16 detrectant.

Urb. cond. an. 273. Coſſ. M. Fab. 11. & Cn. Manl.

XLVI. a Prope certa ſpes erat, non magis ſecum pugnaturos, 1 1Q quam pugnaverint cum Æquis; 2 majus quoque aliquod, in tam irritatis animis, & occaſione ancipiti, haud deſperandum eſſe facinus. Res aliter longe evênit. nam non alio ante bello infeſtior Romanus (adeo hinc contumeliis hoſtes, hinc Conſules morâ 3 exacerbaverant) prælium iniit.

INTERPRETATIO.

k *Dicunt: veniant nunc Etruſci, nobiſque ingerant convitia; nunc mihi aliquis eorum occurrat, qui ad maledicta ſe audaces oſtendebant.*

a *Certò ſperabant* Etruſci *fore ut* Romani *non magis* adverſus *ipſos dimicarent*, &c.

NOTÆ.

12. *Gradivumque Martem.*] Servius in 3. Æn. laudatus à Glar. *Gradivumque patrem à Gradiendo* dictum, interpretatur Θοῦρον Ἄρεα, id eſt, exilientem in prælia.

13. *Iratos invocat Deos.*] In Buslidiano codice *juratos*, legi annotat Nann. lib. 5.

14. *In ſe quiſque jurat.*] Non tantùm pro ſe quiſque, id eſt, unuſquiſque ſuam vicem: ſed *in ſe quiſque*, hoc eſt in ſuum caput, & ſuo periculo; ut ſi victi redeant, & ſic juramentum fallant, tum perjurii pœnas dare velint.

15. *Fabium nomen, Fabia gens.*] Nomen hoc loco, generis decus & gloriam; gens familiam ſignificat: quamquàm hæc vocabula promiſcuè ſumantur apud noſtrum. Nobiliſſimæ autem Fabiorum familiæ originem Ovid. 2. Faſtor. & Plutarchus in vita Q. Fabii Maximi deducunt ab Hercule, ex quo & Evandri filia natum ferunt eorum parentem. Denominationem vulgò à Fabris derivant. Ratio ex uſu veterum petitur, quod ſcilicet priſcis temporibus cum nobiliſſimi quique agriculturæ vacarent, hujus familiæ princeps in ſerendo in primis, excolendoque hoc genere leguminis excelleret; unde Fabii nomen ipſi ac poſteris inditum: quomodo à piſis Piſones; à lentibus Lentuli; à Ciceribus Ciceriones cognomina ſua ſortiti creduntur apud Macrobium. Antiqui ſanè Fabii: nam Ovid. idem Fabium Remo, ut Quintilium Romulo ſodales Lupercalibus aſſignat. Nemo tamen in Faſtis Conſul ex ea gente occurrit ante Q. Fabium, hujus M. Fabii nunc conſulis fratrem natu maximum, qui nonniſi anno 269. conſulatum adeptus fuit. De quo, deque altero fratre Cæſone, vide hujus libri cap. 43.

16. *Detrectant.*] Intellige *pugnam*.

1. *Quàm pugnaverint cum Æquis.*] Repetenda hic, quæ ad caput 43. jam diximus de Livii, vel ſecum ipſo, vel certè cum Halicarnaſſeo hac in re diſcordia.

2. *Majus quoque.*] Sperari nimirum poſſe tantum inter patricios, plebejoſque, qui in exercitu erant, diſſidium: ut ad mutuas uſque cædes, fortè & in ipſorum Conſulum capita, ſæviretur.

3. *Exacerbaverant.*] Animos nempe Romanorum militum.

4 Vix explicandi ordinis ſpatium Etruſcis fuit, quum 5 pilis 6 inter primam trepidationem abjectis temere magis quam emiſſis 7 pugna jam ad manus, jam ad gladios, 8 ubi Mars eſt atrociſſimus, venerat. Inter primores genus Fabium inſigne ſpectaculo exemploque civibus erat. ex his Q. Fabium 9 (tertio hic anno ante conſul fuerat) principem b in confertos Vejentes euntem, ferox viribus & armo- Urb. cond. an. 273. Coſſ. M. Fab. 11. & Cn. Manl.

INTERPRETATIO.

b *Cum hoſtes conglobatos invaderet.*

NOTÆ.

4. *Vix explicandi ordinis ſpatium fuit.*] Gronovius non immeritò ſuſpicatur reponendum *ordines*: non enim uno, ſed pluribus ordinibus acies conſtat. *Ils eurent à peine le loiſir de ſe mettre en bataille*. Tentari poſſet Ordinem hic à Livio pro ordinatione, ſive pro ratione, ac diſpoſitione totius prælii, quam Etruſci explicatè, prout inter eos conſtitutum anteà fuerat, ſequi atque implere non potuerint: nam explicatum Cic. ad Brutum dixit pro eo quod certo judicio decretum eſt. *Mihi autem non erat explicatum quid agerem*. Et negotium explicare, imò & pecuniam ſolvendo æri alieno explicare, Juriſconſultis tritum.

5. *Pilis . . . abjectis*.] Sic apud Salluſt. in Catil. *infeſtis ſignis concurrunt: pila omittunt* (ſcribitur ab aliquibus *emittunt*: ſed inſulsè, ut ex ſequentibus patet) res gladiis geritur. Pila Græcis *ξυστὸν*, tela fuêre Romanorum propria, ut Cæſa Gallorum, & Sariſſæ Macedonum, teſte Varrone. Pilorum verò non unum genus fuit, quædam enim craſſa erant: quædam tenuiora. Rurſus illorum alia tereti, alia quadrato haſtili. Hoc in his omnibus trium cubitorum longitudinem æquabat, præfixo telo ferreo hamato, quod quadrangulum initio fuit, ac trium pedum, poſteà trigonum, ac pedale, digitali craſſitie; mucrone adeò tenui, atque acuto, ut ſcuto aut pectori hoſtium inhærens frangeretur, nec ab hoſte remitti poſſet. Ejus Miſſilis tanta vis erat, ut arte & *virtute directum ſcutatos pediter, & loricatos equites transverberaret*, teſte Vegetio lib. 2. cap. 15. Pilum autem Varro lib. 4. de Ling. Lat. *Dictum*, ait, *ab omine quod hoſtes ferirent, ut pilum*, ſive piſtillum.

6. *Inter primam trepidationem*.] Trepidatio non timoris, ſed ardoris hoc loco indicium eſt & feſtinationis: qui enim timent, feſtinant greſſus: inde trepidos pro feſtinis dici notat Servius in 3. Æneid.

7. *Pugna jam ad manus*.] Codices plurimi & Andreæ Romana editio habent *pugna jam in manus*, quod minimè ſpernendum Gronovio videtur, eam loquendi formam probanti ex Salluſtio in primis, apud quem bell. Jugurth. cap. 89. refertur, *conſul exiſtimans Jugurtham ob ſuos rutandos in manus venturum*: ab eodem dicitur, *Si qui in manus venerant, obtruncare*. Verùm, etſi utrumque eodem ſenſu poſſit accipi: attamen ſi genuinam harum locutionum ſignificationem ſpectemus, *ad manus venire* propriè eſt cominus pugnare, & utrinque venire ad conſerendas manus: at *in manus venire*, magis de eo dicitur, qui in manus alterius tamquàm victoris incidit. Sic & mulier in manum convenire dicebatur apud Juriſconſultos, cum ea ratione nubebat, ut viri poteſtati ſubjiceretur, velut filiafamilias.

8. *Ubi Mars eſt atrociſſimus*.] Revera cruenta maximè prælia ſunt, cum gladiis res geritur.

9. *Tertio hic anno antè Conſul fuerat*.] Primum quidem Conſulatum inierat anno urbis conditæ 269. ſed & anno 272. iterum eum Magiſtratum geſſerat, à cujus initio tertius jam annus currebat, hoc ſecundo M. Fabii Fratris Conſulatu, cujus legatus tunc erat Quintus hic Fabius.

rum arte Tuſcus, incautum c inter multas verſantem hoſtium manus, gladio per pectus transfigit. telo extracto, 10 præceps Fabius in vulnus abiit. Senſit utraque acies unius viri caſum, cedebatque inde Romanus: quum M. Fabius Conſul tranſiliit jacentis corpus, objectaque parma, *Hoc juraſtis*, inquit, *milites, fugientes vos in caſtra rediturosne adeo ignaviſſimos hoſtes magis timetis, quam Jovem, Martemque per quos juraſtis? 11 At ego injuratus, aut victor revertar, aut prope te hic Q. Fabi dimicans cadam.* Conſuli tum Cæſo Fabius prioris anni Conſul, *verbisne iſtis, frater, ut pugnent te impetraturum credis? Dii impetrabunt, per quos juravere. Et nos, ut decet proceres, ut Fabio nomine eſt dignum, pugnando potius quam adhortando accendamus militum animos.* Sic 12 in primum infeſtis haſtis provolant duo Fabii, totamque moverunt ſecum aciem.

Urb. cond. an. 273. Coſſ. M. Fab. 11. & Cn. Manl.

XLVII. Prælio ex parte una reſtituto, nihilo ſegnius in altero cornu Cn. Manlius Conſul pugnam ciebat. Ubi prope ſimilis fortuna eſt verſata. nam ut altero in cornu Q. Fabium, ſic in hoc ipſum conſulem Manlium, jam velut fuſos agentem hoſtes, & impigre milites ſecuti ſunt, & ut ille gravi vulnere ictus ex acie ceſſit, interfectum rati, gradum retulere. ceſſiſſentque loco, ni Conſul alter cum aliquot turmis equitum in eam partem citato equo advectus, vivere clamitans collegam, ſe victorem fuſo altero cornu adeſſe, rem inclinatam ſuſtinuiſſet. Manlius quoque ad reſtituendam aciem ſe ipſe coram offert. Duorum Conſulum cognita ora accendunt militum animos. ſimul & a vanior jam erat hoſtium acies. dum abundante multitudine freti, ſubtracta ſubſidia, mittunt ad caſtra oppugnanda: in quæ haud magno certamine impetu facto, dum prædæ magis quam pugnæ memores tererent tempus, Triarii Romani, qui primam irruptionem ſuſtu-

INTERPRETATIO.

c *Plurium ſimul hoſtium telis impetitum.*

a *Copiæ Vejentum jam debiliores erant & rariores.*

NOTÆ.

10. *Præceps Fabius in vulnus abiit.*] Veteres codices apud Sigon. ſcribunt *obiit*: elegantiùs tamen *præceps abiit in vulnus*, id eſt, pronus cecidit ex equo, & in pectus corruit, in quo mortiferum vulnus acceperat. Eum tamen adhuc ſpirantem, frater repulſis hoſtibus ſuſtulit, objecto protegens clypeo.

11. *At ego injuratus.*] Dionyſius tamen auctor eſt Flavoleii jurantis exemplum omnibus placuiſſe, moxque ambos Conſules, id imitatos eſſe cæteroſque duces, ac milites. Sed non hic ſolum diverſi abeunt hi duo hiſtorici.

12. *In primum infeſtis haſtis provolant.*] Ita noſter ſæpe *in primum* uſurpat ſine addito, pro eo quod eſt in primum agmen, ordinem, locum: ut hujus libri cap. 20. lib. 10. cap. 4. Ita & *in primo*, pro initio, aut primo loco, ut hujus lib. cap. 40. lib. 25. cap. 21. & apud Salluſt. in Jugurth. *qui in primo locati fuerant.*

1. *Subſidia mittunt ad caſtra oppugnanda.*] Subſidia ſunt manus, ſive copiæ in ultimum ſubſidium reſervatæ, *Les corps de reſerve.* Porro pars Etruſcorum, quæ deſerta Manlii caſtra priùs occuparat, ſigno ab imperatore ſuo dato, caſtra altera invaſit.

nere

nere non potuerant, missis ad Consules nuntiis quo loco res essent, Urb. cond.
b conglobati ad prætorium redeunt, & sua sponte prælium ipsi reno- an. 273.
vant: & Manlius Consul revectus in castra, ad omnes portas milite op- Coss. M.
posito, hostibus viam clauserat. Ea desperatio Tuscis rabiem magis Fab. II. &
quam audaciam accendit. nam quum incursantes, quacumque exitum Cn. Manl.
ostenderet spes, vano aliquoties impetu iissent: globus juvenum unus in
ipsum Consulem insignem armis invadit. Prima excepta à circumstanti-
bus tela. sustineri deinde vis nequit. 2 Consul mortifero vulnere ictus
cadit, fusique circa omnes. Tuscis crescit audacia. Romanos terror per
tota castra trepidos agit. & ad extrema ventum foret, 3 ni legati, rap-
to Consulis corpore, patefecissent unâ portâ hostibus viam. Ea erum-
punt, consternatoque agmine abeuntes, in victorem alterum incidunt
Consulem. ibi iterum cæsi, fusique passim. 4 Victoria egregia parta,
tristis tamen duobus tam claris funeribus. Itaque Consul, decernente
senatu triumphum, *Si exercitus sine Imperatore triumphare posset*, 5 pro

INTERPRETATIO.

b *Circa Imperatoris tabernaculum densati milites primi ordinis.*

NOTÆ.

1. *Consul mortifero vulnere.*] Cn. Manlius Consul, jam lanceæ ictu in femore accepto, cum equitatu ad Fabii collegæ castra, in quæ irruperant Etrusci, advolavit: ubi cum in aditu portæ certaretur, prolapso equo, deficientibus ob vulnera viribus, cum multis aliis periit. Quo facto Etrusci Augurum suorum vaticinium impleverunt, horum quoque castrorum potiti: quæ tamen per socordiam mox amiserunt.

3. *Ni legati.*] M. Fabio Consule ad recipienda castra properante, cum Etrusci, qui ea occupaverant, eque superiore loco pugnabant, Romanos qui non ita magno numero, & totius diei labore fatigati castra undique adoriebantur, non ægrè repellerent, obsessisque castrorum portis, ex desperatione acerrimè pugnarent: Sicinius, unus ex Legatis Consulis, volente eo receptui cani jussit; ut collectis animis Romani unum duntaxat, minùs scilicet munitum, castrorum latus oppugnarent. Itaque patente exitu, Etrusci per aversam portam in sua castra se receperunt.

4. *Victoria egregia.*] Ita legendum cum Gronovio potius quam *victoria egregiè parta*. Ut & lib. 9. cap. 28. habet, *Consules egregiâ victoriâ partâ*, &c. Notat Dionysius lib. 9. nunquam ad eam ætatem tantum prælium à Romanis commissum fuisse, sive bellatorum numerus, sive pugnæ diuturnitas, & vicissitudines spectentur. Fuere quippe in exercitu Romano peditum quadraginta millia, equites quadringenti supra decem millia. Pugnatum autem est ad Solis Occasum, cum paulò ante meridiem certari cœptum esset; & sæpius nunc huc, nunc illuc victoria inclinavit. Cecidit verò Cn. Manlius alter Consulum, & Q. Fabius Legatorum unus, qui bis Consul fuerat, præter Tribunos, Centurionesque complures. Victoria tamen penes Romanos fuisse visa est, quòd Etrusci, sequenti nocte desertis castris abjerunt, quæ à Romanis postridie sunt direpta. Deinde publicis laudibus, donisque militaribus ob egregiè navatam operam ornati sunt, in primis Cæso Fabius Consulis frater, T. Siclnius Legatus, & M. Flavolejus Primipili Centurio, de quibus ante dictum est.

5. *Pro eximiâ eo bello operâ.*] Legebatur in Andreæ Romana, aliisque editionibus, & duobus Palatinis codicibus

eximia eo bello opera facile paſturum, reſpondit: *ſe familia funeſta Q. Fabii fratris morte, republica ex parte orba Conſule altero amiſso, publico privatoque* 6 *deformem luctu lauream non acceptarum*. Omni acto triumpho c depoſitus triumphus clarior fuit. ADEO SPRETA in tempore gloria, interdum cumulatior redit. 7 Funera deinde duo deinceps, collegæ fratriſque, ducit. idem in utroque laudator, quum concedendo illis ſuas laudes, ipſe maximam partem earum ferret. 8 neque immemor ejus, quod initio Conſulatus imbiberat, reconciliandi animos plebis, ſaucios milites curandos dividit Patribus. Fabiis plurimi dati: nec alibi majore cura habiti. Inde populares jam eſſe Fabii: nec hoc nulla, niſi ſalubri reipublicæ arte.

Urb. cond. an. 274. Coſſ. K. Fab. III. & T. Virgin.

XLVIII. Igitur non Patrum magis quam plebis ſtudiis 1 Cæſo Fabius cum T. Virginio Conſul factus, neque bella, neque delectus, neque ullam aliam priorem curam agere, quam ut jam aliqua ex parte inchoata concordiæ ſpe, primo quoque tempore cum Patribus coalaſcerent animi plebis. Itaque principio anni cenſuit, priuſquam quiſquam

INTERPRETATIO.

c *Triumphus recuſatus.*

NOTÆ.

Pro eximia belli opera: In vetuſtis, *pro eximiaque bello* ex his conflata lectio verior, *Pro eximia eo bello opera*, ab exercitu nempè præſtita.

6. *Deformem luctu Lauream.*] Negavit M. Fabius Conſul. vel fas, vel jus eſſe in fratris, & collegæ funeribus coronam lauream ſumere. Itaque repoſitis ſignis, dimiſſiſque militibus ejuravit Magiſtratum; cujus munia gravi vulnere ſaucius obire non poterat. Senatus interreges dixit comitiorum gratiâ, quæ à ſecundo eorum habita ſunt.

7. *Funera deinde duo deinceps.*] Novum fortè cuipiam videbitur, quòd adverbia duo ejuſdem ſignificationis, *deinde* ac *deinceps*, quorum alterum ſufficere poſſet, conjungantur hic à Livio. Pleonaſmi ſaltem loco habebitur, quaſi idem bis dicatur: quemadmodum cum Cicero dicit *me quidem certè*, cum ſatis eſſet *me quidem* aut *me certè*; & cum Plautus ait, *poſt deinde abibo*. Verùm accuratiùs ſpectatâ vocabulorum proprietate aliquid inter illa duo diſcriminis apparebit: nam *deinde* idem eſt ac poſtea: at *deinceps* eſt conjunctè; *conſecutivement*, aut, *de ſuite*. Sic apud noſtrum lib. I. *Ita duo deinceps Reges, alius aliâ viâ, ille bello, hic pace, civitatem auxerunt.* Et apud Cicer. I. de Divinat. *Qui primus, qui ſecundus, qui deinceps moriturus.* Unde apud eumdem geminatur poſtea cum deinceps in Bruto: *poſteaque proſperè res deinceps multa conſecutæ ſunt.*

8. *Neque immemor ejus, quod initio conſulatus imbiberat.*] Hoc eſt quod ſub finem cap. 45. prædixit auctor: *Fabia gens maximè enituit. Multis civilibus certaminibus infenſos plebi animos, illâ pugnâ ſibi reconciliare ſtatuunt.* Imbibere autem, ut obſervat Muretus, eſt aliquid ſibi planè proponere; hoc ita in mente ac cogitatione ſuâ defigere, ut evelli non queat. Quomodo Tullius utitur Orat. pro P. Quintio. *Quod ſi facere nolit, atque imbiberit ejuſmodi rationibus illum ad ſuas conditiones perducere.*

1. *Cæſo Fabius cum Tito Virginio.*] Tres Fabii, Quintus, Cæſo, & Marcus fratres, hoc ſeptennio Conſulatum continuò geſſerunt. Eorum ſecundus Cæſo Fabius tertiùm, & T. Virginius Rutilus hoc anno Conſules fuêre, qui ab urbe condita 274. fluxit: aliis 275.

agrariæ legis auctor tribunus existeret, [a] occuparent Patres ipsi suum munus facere: captivum agrum plebi quam maxime æqualiter darent. [b] verum esse habere eos, quorum sanguine ac sudore partus sit. Aspernati Patres sunt: questi quoque quidam, [c] nimia gloria luxuriare & evanescere vividum quondam illud. Cæsonis ingenium. Nullæ deinde urbanæ factiones fuêre. Vexabantur incursionibus Æquorum Latini. eo cum exercitu Cæso missus, in ipsorum Æquorum agrum depopulandum transit. Æqui se in oppida receperunt, [d] murisque se tenebant: eo nulla pugna memorabilis fuit. At à Vejente hoste [2] clades accepta, temeritate alterius Consulis, actumque de exercitu foret, ni Cæso Fabius in tempore subsidio venisset. Ex eo tempore neque pax, neque bellum cum Vejentibus fuit; [3] res proxime formam latrocinii venerat. [4] legionibus Romanis cedebant in urbem. Ubi abductas senserant legiones, agros incursabant; bellum quiete, quietem bello invicem eludentes. Ita neque omitti tota res, neque perfici poterat. & alia bella aut præsentia instabant, ut ab Æquis Volsciisque, non diutius, quam recens dolor proxime cladis transiret, quiescentibus; aut mox moturos se apparebat Sabi-

Urb. cond. an. 274. Coss. K. Fab. III. & T. Virgin.

INTERPRETATIO.

a *Senatores ultro, velut donum suum, offerre* plebi *anteverterant* agrorum divisionem.

b *Justum & æquitati consentaneum esse ut illi agros habeant, qui labore ac sanguine proprio eos adepti sint.*

c Cæsonis *animum intemperanter efferri atque mollescere.*

d *Et sese intra munimenta continebant: ideò nullum commissum est prælium memoratu dignum.*

NOTÆ.

2. *Clades accepta.*] A Vejentibus qui se aliquandiu mœnibus suis continuerant; fusi sub duce T. Virginio Consule Romani prædandi causâ palantes, deleti penitus fuissent, nisi T. Licinius legatus, cujus maximè consilio & operâ superiore anno recepta fuerant ex iisdem hostibus castra Romana, hostilem impetum cum instructa peditum, equitumque manu repressisset. Ejus ope Romani qui ex prælio reliqui erant, tumulum occuparunt, in quo à Vejentibus obsessi, omnium rerum inopiâ laborabant, nullâ spe salutis, nisi Cæso Fabius à collega per litteras monitus, succurrisset sub ipsum tempus, quo Virginiani fame, siti, vigiliisque confecti; non spe victoriæ, sed ut honestiùs caderent, impar certamen ex desperatione inirent. Tum conspectu recentis exercitus Etrusci relictis castris abierunt.

3. *Res proximè formam latrocinii venerat.*] Eadem loquendi formâ usus est noster lib. 29. *proximè speciem muros oppugnantium navium:* idque imitatione Sallustii in Jugurth. *Qua proximè Carthaginem, Numidia appellatur.* Et rursus: *Proximè Hispaniam Mauri sunt.* Malè itaque Sigonius *in formam*, ut notat Gronov.

4. *Legionibus Romanis cedebant in urbem.*] Hostes in urbem suam Vejos refugiebant, ut cederent Romano exercitui, nec cum eo congredi cogerentur. Ita est, cum Romani post populatum Vejentis agri magnam partem, domum reversi essent, dimissæque tanquam bello confecto copiæ: Vejentes irruptione præter omnium opinionem factâ, agrum Romanum viciſſim populati sunt usque ad Janiculum, nemine prohibente.

nos ſemper infeſtos, Etruriamque omnem. ſed Vejens, hoſtis aſſiduus magis quam gravis, contumeliis ſæpius quam periculo animos agitabat: quod nullo tempore negligi poterat, aut averti alio ſinebat. 5 Tum Fabia gens ſenatum adit: Conſul pro gente loquitur: *Aſſiduo magis quam magno præſidio, ut ſcitis, Patres conſcripti, bellum Vejens eget. Vos alia bella curate: Fabios hoſtes Vejentibus date. Auctores ſumus, tutam ibi majeſtatem Romani nominis fore. Noſtrum id nobis velut familiare bellum, privato ſumptu gerere in animo eſt.* e *Reſpublica & milite illic, & pecunia vacet.* Gratiæ ingentes actæ. Conſul è curia egreſſus, comitante Fabiorum agmine, qui in veſtibulo curiæ ſenatus-conſultum expectantes ſteterant, domum rediit. Juſſi armati poſtero die ad limen conſulis adeſſe; domos inde diſcedunt.

Urb. cond. an. 274. Coſſ. K. Fab. III. & T. Virgin.

XLIX. Manat tota urbe rumor: Fabios ad cœlum laudibus ferunt. 1 Familiam unam ſubiiſſe civitatis onus. Vejens bellum in privatam curam, in privata arma verſum. 2 Si ſint duæ roboris ejuſdem in urbe gentes; depoſcant 3 hæc Volſcos ſibi, illa Æquos; populo Romano tranquillam pacem agente, omnes finitimos ſubigi populos poſſe. Fabii poſtera die arma capiunt: quo juſſi erant, conveniunt. Conſul a paludatus egrediens, in veſtibulo gentem omnem ſuam inſtructo agmine videt. acceptus in medium, ſigna ferri jubet. Nunquam exercitus neque minor numero, neque clarior fama & admiratione hominum per urbem in-

INTERPRETATIO.

e Ab ea parte *reſpublica, tum à copiis ſubminiſtrandis, tum à ſumptibus immunis ſit.*

a *Paludamento* veſte militari *ſuper arma indutus.*

NOTÆ.

5. *Tum Fabia gens.*] De Fabiis dictum cap. 45. Cæterùm hujus belli ab iis ſuſcipiendi hæc cauſa fuit. Cum ad cohibendas Vejentum in agrum Romanum excurſiones, Senatui placeret præſidium in finibus continenter haberi; & tamen nec exhauſtum ob continuas expeditiones ærarium huic rei ſufficeret; nec facile reperiretur, qui in eam militiam, quæ nihil otii permitteret, ultro nomina darent: idcircò auctore Conſule, Fabia gens anxio Senatui, ſuam ad hoc bellum, tanquam familiæ ſuæ proprium ſuo ſumptu gerendum, operam obtulit.

1. *Familiam unam ſubiiſſe civitatis onus.*] Imitatus videtur Livius Ovidium, niſi potiùs Livium Ovidius, apud quem 2. Fast.

Una domus vires, & onus ſuſceperat urbis.

2. *Si ſint duæ.*] Non diſpar Virgilii locus à Gron. laudatus.

Si duo præterea tales Idæa tuliſſet
Terra viros, ultro Inachias venuſſet ad urbes
Dardanus, & verſis lugeret Graecia fatis.

3. *Hæc Volſcos ſibi.*] Cave cum Velcutione hoc de Fabia gente accipias, quaſi hæc Volſcos ſibi oppugnandos depoſceret, & Vejentes pars eſſent Volſcorum. Tres præcipui tunc Romanis hoſtes erant, Vejentes trans Tiberim in Etruria, Æqui & Volſci ultra Latium vetus. Bellum jam adverſus Vejentes ſuſceperat Fabiorum familia; optant igitur Romani, ut aliæ duæ inveniantur familiæ, quarum una Æquos, altera Volſcos privatâ operâ, & ſuo ſumptu debellandos ſibi ſumat.

ceſſit. 4 Sex & trecenti milites, omnes patricii, omnes unius gentis, quorum neminem ducem ſperneret 5 egregius quibuslibet temporibus ſenatus, ibant, unius familiæ viribus Vejenti populo peſtem minitantes. Sequebatur turba, propria alia cognatorum ſodaliumque; b nihil medium, nec ſpem, nec curam, ſed immenſa omnia volventium animo: 6 alia publicâ ſolicitudine excitatâ, favore & admiratione ſtupens; *ire fortes, ire felices jubent. incœptis eventus pares reddere: Conſulatus inde ac triumphos, omnia præmia ab ſe, omnes honores ſperare.* 7 Prætereuntibus Capitolium arcem-

Dio. Sicul. an. 274. Coſſ. K. Fabi III. & T. Virgin.

INTERPRETATIO.

b *Mediocre nihil mente agitantium, ſed & ſpes, & curas ingentes.*

NOTÆ.

4. *Sex & trecenti milites.*] Hunc Fabiorum adverſus Vejentes profectorum numerum veteres cuncti auctores tradunt. Quod tamen recentioribus apud Gudelevæum parum veriſimile videtur, (tam exiguum ſcilicet numerum tanto incœpto ſufficiſſe), cum paulò antè plures Romanæ legiones eorumdem hoſtium vim ægrè ſuſtinerent. Veriora itaque cenſet ea quæ Dionyſius prodidit quaternûm hominum millium agmen, ex amicis & clientibus à Fabia gente conflatum eſſe. Sed nec alia mens Livio noſtro fuit. Poſtquam enim *ſex ac trecentos milites, omnes patricios, omnes unius gentis* memoravit; hoc ſubjungit, *ſequebatur turba, propria alia cognatorum ſodaliumque*, Quin & diverſa duo agmina diſtinguit Dionyſ. Halicarnaſſ. quæ nec eodem omnino tempore, nec ducibus iiſdem in Vejentes jerint. Et prius M. Fabium, qui ſuperiore anno Conſul Etruſcos prælio vicerat, quatuor ad ſummum militum millia duxiſſe refert, in quibus ex ipſa Fabiâ gente trecenti & ſex viri. Paulo poſt aliam manum ſequutam ductu Cæſonis Fabii Conſulis.

5. *Egregius quibuſlibet temporibus Senatus.*] Quid hoc loco ſibi vult *egregius Senatus*. Non placet Tanaqu. Fabro, nec nobis. Scribendum ergo, vel *egregium*, ducem nempe; vel *egregius exercitus*, ut apud Livium legerat proculdubio Eutropius, qui eum ſic imitatur lib. 1. *Profecti omnes nobiles, & qui ſinguli magnorum exercituum duces eſſe deberent.* Sanè apud noſtrum egregii epitheton frequenter exercitui attribuitur, veluti lib. 7. c. 35. *Venisse huc exercitum egregium populi Romani ſervaſtis*; & lib. 8. cap. 13. *Unde ſocialis egregio exercitu per multa bella magnaque ſæpe uſi eſſet.*

6. *Alia publicâ ſolicitudine excitata.*] Duplicem facit turbam ſequentium Fabios, aliam armatorum privato ſtudio cum iiſdem proficiſcentium ad bellum; aliam hîc plebis non ſine ſolicitudine ſpectantis, & fauſtis ominibus illorum profectionem atque incœpta publico nomine proſequentis.

7. *Prætereuntibus Capitolium Arcemque.*] Numquid Capitolium, ſeu Mons Capitolinus, ubi Rupes Tarpeja, ab ipſis Romuli temporibus Arx fuit præcipua urbis Romæ? Nonne in Capitolium juventus Romana, urbe captâ, velut in arcem tutiſſimam confugit; atque ab ea contra Gallorum impetum defenſa M. Manlius Capitolini cognomen tulit? Id patet vel ex noſtro lib. 1. c. 11. ac lib. 5. c. 42. & ex Dionyſ. aliiſque. Quid ergo cauſæ eſt cur non hic ſolùm, ſed etiam lib. 5. cap. 39. lib. 6. cap. 16. & 20. Capitolium ab arce diſtinguatur, quaſi diverſa eſſent loca? Nimirum Capitolio, id eſt templo Jovis, condito in clivo montis Capitolini, ſive Tarpeji, vicina fuit Arx, idcirco Capitolina dicta; quod palàm teſtatur Dionyſ. lib. 10. ubi narrat occupatum ab Herdonio Sabino Capitolium Arcemque contiguam. Arque hæc vicinia effecit, ut hæc nomina ſæpe confunderentur.

Digitized by Google

Urb. cond. an. 274. Coſſ. K. Feb. III. & T. Virgin.

que & alia templa, [8] quidquid Deorum oculis, [c] quidquid animo occurrit, precantur, ut illud agmen fauſtum atque felix mittant; ſoſpites brevi in patriam ad parentes reſtituant. Incaſſum miſſæ preces. [9] Infelici via dextro Jano portæ Carmentalis profecti, [10] ad Cremeram flumen perveniunt. is opportunus viſus locus [11] communiendo præſidio.

INTERPRETATIO.

c *Omnia numina, quorum templa aut ſtatuæ oculis obverſabantur, quæque in mentem veniebant.*

NOTÆ.

8. *Quidquid Deorum oculis,*] Capitolium, licèt Jovi patri Deorum ſpeciatim ſacrum, tamen non modò ædes Junonis, ac Minervæ ſuo ambitu, intra muros eoſdem cum Jovis æde, continebat, auctore Dionyſio lib. 4. Sed & aliorum Deorum Simulacra, cui probando ſufficit noſter lib. 6. cap. in primis 16. ubi Manlius eos ſic invocat. *Jupiter optime maxime, Junoque Regina, ac Minerva, cæterique Dii Deæque, qui Capitolium Arcemque incolitis.*

9. *Infelici via dextro Jano porta Carmentalis.*] Videri poſſet primâ fronte veteri portæ Carmentali vicinas fuiſſe vias duas, quarum unicuique adjunctus eſſet ſuus Janus, & ſic eo loco duo fuiſſe Jani fana, alterum ad dextram, alterum ad ſiniſtram. Sed non ità ſe rem habere tum aliunde, tum ex Ovidio 2. Faſt. colligere eſt, ubi de hoc ipſo egreſſu Fabiorum agens, unius Jani meminit qui viæ dextræ, vel ad dextram imminebat: variè quippe legitur: alii enim Codices ſic habent:

Carmentis porta dextra eſt via proxima Jano. Alii:

Carmenti porta dextro eſt via proxima Jano.

De quo loco hoc notat Feſtus lib. 16. *Religioni eſt quibuſdam porta Carmentali egredi, & in æde Jani, quæ eſt extra eam Senatum habere*: propter infelicem nimirum Fabiorum hac egreſſorum caſum: unde & ea porta Scelerata. Porrò cum urbis à Romulo conditæ tres initio Portæ fuiſſent: his deinde, pomœrio poſt initum cum Tatio fœdus, prolato, hæc quarta acceſſit, Carmentalis appellata à Carmenta Evandri matre, quæ juxta habitaverat in radicibus Saturnii montis, qui poſteà Tarpejus, ac tandem Capitolinus eſt dictus. Hunc ejus ſitum explicat Solinus cap. 2. cum ait: *Pars infima Capitolini montis, habitaculum Carmentæ fuit, ubi & Carmentale fanum nunc eſt, à quo Carmentalis Porta nomen eſt.* Ex his probabile fit hoc Jani extra portam Carmentalem templum, illud fuiſſe quod à Numa conditum fuit, ubi geminæ belli portæ. Fuit non procul theatro per Marcellum diu poſt extructo. Hoc enim ad portam Carmentalem & infimum Argiletum fuit.

10. *Ad Cremeram flumen.*] Amnis eſt Tuſciæ haud procul Vejis. Volaterranus lib. 5. Geogr. cap. 2. Vicinum Primæ portæ (nomen eſt Vici) quinto ab urbe milliario eſſe ſcribit apud Godelevæum. Cluverius tamen eum eſſe negat qui ad vicum Primam portam in Tiberim influit, vulgari appellatione *la Foſſa*, ſexto ab urbe milliario: quoniam hic tam propinquus eſt Scrofano (ubi olim ex ejus ſententia Veji) ut in eum minimè conveniat illud Livii *ad conſpecta procul à Cremera magno Campi intervallo pecora decurrerent.* Putat itaque Cremeram eum eſſe amnem, qui ex Baccanenſi lacu profluens, nunc *la Varca*, quinque millia paſſuum ab Roma in Tiberim ſe effundit, quique à Scrofano abeſt tria paſſuum millia.

11. *Communiendo præſidio.*] Caſtellum in Tumulo præruptо Fabii communierunt prope flumen, duplicique foſsâ & crebris turribus cinxerunt, cui de flumine nomen inditum, Dionyſio auctore; ex cujus narratione cum Livii con-

12 L. Æmilius inde, & C. Servilius Conſules facti. & donec nil aliud quam in populationibus res fuit: non ad præſidium modo tutandum Fabii ſatis erant, ſed tota regione qua Tuſcus ager Romano adjacet, ſua tuta omnia, infeſta hoſtium, vagantes per utrumque finem, fecere. Intervallum deinde haud magnum populationibus fuit: dum & Vejentes accito ex Etruria exercitu præſidium Cremeræ oppugnant: & Romanæ legiones ab L. Æmilio Conſule adductæ eminus cum Etruſcis dimicant acie. quanquam vix dirigendi aciem ſpatium Vejentibus fuit. adeo inter primam trepidationem, & dum poſt ſigna ordines introeunt, ſubſidiaque locant, invecta ſubito ab latere Romana equitum ala, non pugnæ modo incipiendæ, ſed conſiſtendi ademit locum. Ita fuſi retro 14 ad ſaxa Rubra (ibi ca- Urb. cond. an. 275. Coſſ. L. Æmil. & C. Servil.

NOTÆ.

juncta, liquet fuiſſe id Caſtellum citra flumen, circa viam qua Româ Vejos ibatur, quod Cluverius interpretatur circa confluentem Varcæ, & amniculi qui ab oppido Formello deſuit; quam ſententiam non omninò improbare Holſtenius videtur, Cremeram Caſtellum conſtituens non procul *Iſola* prædio Farneſiorum, circa quod Vejorum ruinæ.

12. *L. Æmilius, &c.*] Incipit Conſulatus L. Æmilii, & C. Servilii, qui incidit in an. u. 275. Æmilio Diodorus Mamerci cognomen adiicit, quod prænomen Oſcum eſt, ut ſcribit Sex. Pompejus, tradens Æmiliam gentem appellatam à Mamerco Pythagoræ Philoſophi filio, cui propter unicam humanitatem cognomen fuerit Æmilius. Hic Conſul fuerat ante ſexennium cum Cæſone Fabio. Unde Glareanus ſuſpicatur legendum hic eſſe *iterùm*, pro quo irrepſerit imperitiâ librarii particula *inde*. Sigonius autem notat in multis Romanorum nomina, ut Æmiliorum, Papiriorum, perperam irrepſiſſe litteram Græcam *y*, quod ex Græcis & manuſcriptis libris, & ex antiquis lapidibus, præſertim Capitolinis, atque ex argenteis nummis colligi ait. Pro Servilio Diodorus idem C. Cornelium Lentulum hoc anno Conſulem prodit.

13. *Dum poſt ſigna ordines introeunt.*] Quò introeuntes, & quomodò poſt ſigna? In agmine militum ingredientium videntur ſigna præiſſe, quemadmodum in caſtris apud principia erant; in acie verò paululum à fronte ac principiis remota. Inceſſûs eum ordinem diſcimus ex illo libri 10. apud noſtrum. *Dictator ſigna efferri, ac ſequi armatos jubet.* Et ex illo quod extra ordinem ex militum ardore apud Tacitum 1. Hiſt. *Non expectare ducem, antevire ſigna, urgere ſignifero.* Ordo hic in acie, vel ex eo patet quod veteres, atque in primis Ammianus lib. 16. non ſemel totam aciem dividunt in Anteſignanos, & Poſtſignanos: quorum illi poſiti ante ſigna, & tanquam vallum quoddam ad ea tuenda objecti hoſtibus. Hinc noſter lib. 22. *Pugna orta eſt, non illa ordinata per haſtatos, principeſque & triarios; nec ut pro ſignis Anteſignanus, poſt ſigna alia pugnaret acies.* Sed hoc loco de acie ordinanda Livius agit. De ordinanda fatior, & inſtruenda, non de inſtructa. Itaque inter eundum Prima incedebant ſigna, licèt Inſtructâ acie poſt primos locata reperirentur. Nec idem ſemper ſive incedentium, ſive ad prælium inſtructorum ordo. Et ſæpe produci ſigna ad hoſtium aſpectum obſervat Polybius lib. 6. ita ut brevi tempore, atque una motione armatorum ordo recipiat Inſtructionis diſpoſitionem. Id nunc à Vejentibus factum puto; & ita priùs ſigna, poſteà verò milium ordines, conſpectis hoſtibus introiſſe locum inſtruendæ acici deſtinatum.

14. *Ad ſaxa Rubra.*] Regreſſus hic Vejentum à Cremera Caſtello ad Saxa Rubra Holſtenio judice non malè congruit in locum *Monte Tuveri*: cui collis ſub quo Saxa Rubra fuere, à tergo imminet.

stra habebant) 15 pacem supplices petunt. cujus impetratæ, ab insitâ animis levitate, ante deductum Cremera Romanum præsidium, pœnituit.

Urb. cond. an. 276. Coss. C. Horat. & T. Menen.

L. Rursus cum Fabiis erat Vejenti populo sine ullo majoris belli apparatu certamen: nec erant incursiones modo in agros, aut subiti impetus incursantium, sed aliquoties æquo campo collatisque signis certatum. genusque una populi Romani sæpe ex opulentissima, ut tum res erant, Etrusca civitate victoriam tulit. Id primo acerbum indignumque Vejentibus visum. inde consilium ex re natum, insidiis ferocem hostem captandi: [a] gaudere etiam, multo successu Fabiis audaciam crescere. Itaque & pecora prædantibus aliquoties, velut casu incidissent, obviam acta: & agrestium fugâ [b] vasti relicti agri: & subsidia armatorum ad arcendas populationes missa, sæpius simulato quam vero pavore refugerunt. Jamque Fabii adeo contempserant hostem, ut sua invicta arma, neque loco, neque tempore ullo crederent sustineri posse. hæc spes provexit, ut ad conspecta procul à Cremera magno campi intervallo pecora ([a] quamquam rara hostium apparebant arma) decurrerent. & quum improvidi effuso cursu [c] insidias circa ipsum iter locatas superassent, palatique passim vaga, ut fit pavore injecto, raperent pecora: subito ex insidiis consurgitur, [d] & adversi & undique hostes erant. Primo clamor circumlatus exterruit, dein [e] tela ab omni parte accidebant. coëuntibusque Etruscis, jam continenti agmine armatorum septi; quo magis se hostis inferebat, [f] cogebantur bre-

INTERPRETATIO.

a *Latabantur quoque* Vejentes *quod fiducia Fabiorum augeretur multis eventibus* prosperis.

b *Arva deserta relinquebantur.*

c *Præterissent* locum *insidiarum.*

d *Occurrebant ab omni parte hostes,* iique non jam *fugientes* & aversi, sed armati & *oppositi.*

e *Cadebant* in eos *undique jacula.*

f *Adstringebantur* Fabii, *densare ipsi quoque globum suum intra spatium arctius.*

NOTÆ.

15. *Pacem supplices petunt.*] Cum Senatus Legatis Vejentum pacem dari statuisset iis legibus quæ L. Æmilio Consuli optimæ viderentur: is ex Senatusconsulto populum Vejentem in fœdus recepit; nec agro, nec pecuniâ mulctarunt, ac nec acceptis quidem obsidibus: quæ res magnam ei invidiam attulit, cum non satis utiles victoribus leges fœderis præscripsisset. Hinc triumphus petenti negatus: sed ejus repulsæ lenienda causâ bellum in Volscos ipsi mandatum à Senatu. Ille autem plebem in patres accendit, se invisum ordini glorians, quod operâ suâ finito bello Etrusco; jam integrum populo esset agros totiès promissos reposcere.

1. *Quamquam rara apparebant hostium arma.*] Adversativa particula *quamquam* non ad Romanos pecora conspicantes, & ad ea decurrentes, referri debet: hæc enim vel maximè eos impellere causa poterat ad pecora rapienda, quod rara circum arma hostium iis defendendis apparerent. Sed referri debet illud *quamquàm* ad rem ipsam, visa scilicet pecora, quæ tamen præter belli usum ferè incustodita videbantur.

viore

viore ſpatio & ipſi orbem colligere. quæ res & paucitatem eorum inſignem, & multitudinem Etruſcorum, g multiplicatis in arcto ordinibus, faciebat. Tum omiſſa pugna, quam in omnes partes parem intenderant, in unum locum ſe omnes inclinant: eo, h niſi corporibus armiſque, rupêre cuneo viam. Duxit via in editum leniter collem. inde primo reſtitere. mox ut reſpirandi ſuperior locus ſpatium dedit, recipiendique à pavore tanto animum; pepulere etiam ſubeuntes: vincebatque auxilio loci paucitas, ni jugo circummiſſus Vejens in verticem collis evaſiſſet. ita ſuperior rurſus hoſtis factus. 2 Fabii cæſi ad unum omnes, præſidiumque expugnatum. CCCVI periiſſe ſatis convenit: 3 unum prope puberem ætate relictum ſtirpem genti Fabiæ, dubiiſque rebus populi Romani ſæpe domi bellique vel maximum futurum auxilium.

LI. Quum hæc accepta clades eſſet, 1 jam C. Horatius & T. Menenius Conſules erant. 2 Menenius adverſus Tuſcos victoria elatos confe-

Urb. cond. an. 176. Coſſ. C. Horat. & T. Menen.

INTERPRETATIO.

g *Ordinibus coarctatis, & in gyrum circà Fabios denſatis.*

h *Acuminatâ acie viam ſibi aperuerunt connixi corporum robore, ac telorum vi.*

NOTÆ.

2. *Fabii cæſi.*] Hanc Fabiorum cladem Dionyſius lib. 9. & Ovid. lib. 2. Faſtorum non diſpari narratione deſcribunt. Dies hujus cladis inter atros ac nefaſtos relatus.

3. *Unum propè puberem ætate.*] Videndum, inquit Gronovius, num fuerit *propè puberem ætatem*, id eſt, vicinum pubertati. Certè ſic ſæpe loquitur Livius. Quod ad rem geſtam attinet, in hac narratione de cæſis omnibus Fabiis, præter unum impuberem Romæ relictum per quem propagata deinde nobiliſſima familia, conſentiunt cum noſtro & Ovidio, Eutropius, Aurelius Victor, aliique. Dionyſius tamen id pro fabula habet: nec enim probabile ullo pacto ipſi videtur pluribus de cauſis, quas enumerat. Illud itaque dumtaxat agnoſcit Dionyſius, cum in trium fratrum Quinti, Cæſonis, Marci Fabiorum domo Conſulatus per ſeptennium continuatus fuiſſet, ſoli ex his Marco ſuperſtiti fuiſſe filium impuberem, qui fuit Q. Fabius Vibulanus, Q. Fabii cunctatoris abavus. Quia verò nemo ex ea gente proximo tempore incà-

ruerit, præter hunc ubi adultus fuit: inde nata vulgaris opinio; non quòd nullus alius ex Fabiis ſuperfuerit, ſed quòd nullus alius ex his tribus, illiſve ſimilis extiterit.

1. *Jam C. Horatius.*] Anno U. C. 276. ſive Olympiade 76. Phædone Athenis Archonte juxta Dionyſ. Conſules fuere C. Horatius Pulvillus, & T. Menenius Lanatus. Hic porrò Horatius filius fuit Marci Horatii, qui anno 1. poſt exactos Reges Conſul cum M. Valerio Poplicola, Capitolium dedicavit. Menenius verò Agrippæ illius, qui plebem patribus reconciliatam in urbem reduxit.

2. *Menenius adverſus Tuſcos.*] Conſpiraverant cum Vejentibus reliqui undecim Etruriæ populi. Ab his Menenius Conſul, cum imperitè ſub montis latere caſtra poſuiſſet, nec benè monentium conſilia audiret; fuſus, caſtriſque exutus eſt: unde ingens Romæ tumultus & pavor: quin & Menenius ſuſpectus negleci ex invidia Fabiorum periculi; poſt accuſatus à Tribunis, hac potiſſimùm de cauſa eſt damnatus.

Urb. cond. an. 276. Coss. C. Horat. & T. Menen.

ſtim miſſus. tum quoque male pugnatum eſt, & 3 Janiculum hoſtes occupavere: obſeſſaque urbs foret, ſuper bellum annona premente (4 tranſierant enim Etruſci Tiberim); ni Horatius Cos. ex Volſcis eſſet revocatus. adeoque id bellum ipſis inſtitit mœnibus, ut primo pugnatum 5 ad Spei ſit æquo Marte, iterum 6 ad portam Collinam. Ibi, quamquam parvo momento, ſuperior Romana res fuit: melhorem tamen militem, recepto priſtino animo, in futura prælia id certamen fecit. 7 A. Virginius & Sp. Servilius Conſules fiunt. 8 poſt acceptam proximam pugnæ cladem Vejentes abſtinuere acie. populationes erant, & velut ab arce Janiculi paſſim in Romanum agrum impetus dabant. non uſquam pecora tuta, non agreſtes erant. Capti deinde eadem arte ſunt, qua ceperant Fabios: ſecuti, deditâ operâ paſſim ad illecebras propulſa pecora, præcipitavere in inſidias. quo plures erant, major cædes fuit. Ex hac clade atrox ira majoris cladis cauſa atque initium fuit, trajecto enim nocte Tiberi, caſtra Servilii Cos. adorti ſunt oppugnare. inde fuſi magna cæde, in Janiculum ſe ægrè receperunt. Conſeſtim Conſul & ipſe tranſit Tiberim. caſtra ſub Janiculo communit. poſtero die luce orta, nonnihil & heſterna felicitate pugnæ ferox, magis tamen, quod 9 inopia frumenti,

NOTÆ.

3. *Janiculum occupavêre.*] Mons Janiculus trans Tiberim, quâ Etruria eſt, ad dextram fluminis 16. ſtadiis tunc ab urbe diſſabat auctore Dionyſio. Sed cum illo, & ſecum ipſe pugnare Livius videtur, qui Janiculum urbi adjectum ab Anco Martio 4. Rege affirmat lib. 1. cap. 33. eundemque à Porſena Cluſino rege, ac Tarquinio occupatum narrat lib. 2. cap. 10. Verùm ſciendum eſt Janiculum initio non niſi mediâ ſui parte incluſum pomœrio, ut notat in primis Marlianus.

4. *Tranſierant enim Etruſci Tiberim.*] Trajiciendus neceſſario fluvius, ut urbem, ejuſve maximam partem, quæ ad lævam Tiberis, obſiderent. Sed quid occupato Janiculo, extrinſecùs ad portam uſque Collinam circumire neceſſe fuit, cum Pons Sublicius ſub Janiculo poſitus, in urbis interiora aditum daret? Nimirum perpetuo muro, aut certè ſubitariis munitionibus ditempta urbs fuit à Tranſtiberino tractu, & Janiculo monte; qui licet pomœrio ex parte aliqua incluſus, ob aëris pravitatem, ſemper infrequens fuit.

5. *Ad Spei.*] Ad fanum Spei, ſtadio ab urb. 8. teſte Dionyſ. Etruſci profligati.

6. *Ad portam Collinam.*] Secundo & majore prælio fuſi, fugatique Etruſci, ad hanc portam, quæ in colle Quirinali ita, poſteà Salaria dicta eſt à via ejus nominis, per quam ſal ex Sabinis deferebatur. Hodie quoque porta *Salara*.

7. *A. Virginius.*] Ex faſtis conſtat conſulatum geſſiſſe anno U. C. 277. Aulum Virginium Tricoſtum Rutilum, & Sp. aliàs C. Servilium Structum. Hic filius erat P. Servilii Priſci, qui an. 259. Conſul fuit cum M. Claudio Sabino. Sextili menſe initum ab his Conſulatum obſervat Dionyſius.

8. *Poſt acceptam proximam pugnæ cladem.*] Sigonii codex, aliique habent *proxime*. At Gronov. cui libens ſubſcribo, *poſt acceptam proximâ pugnâ cladem*. Sic paulò poſt non abſurde legetis, *heſterna felicitate pugnæ*: quanquam reverà nihil admodum eſt, quod in alterutra lectione reprehendas.

9. *Inopia frumenti.*] Quod propter occupatum Janiculum, & continuas excurſiones hoſtium, multitudo agreſtium in urbem confugiſſet, inculti fuiſſent

a quamvis 10 in præcipitia, dum celeriora eſſent, agebat conſilia: temere adverſo Janiculo 11 ad caſtra hoſtium aciem erexit, fœdiuſque inde pulſus quam pridie pepulerat, 12 interventu collegæ ipſe exercituſque ejus eſt ſervatus. inter duas acies Etruſci, quum invicem his atque illis terga darent, 13 occidione occiſi. Ita oppreſſum temeritate felici Vejens bellum.

LII. Urbi cum pace laxior etiam annona rediit, & advecto ex Campania frumento, &, poſtquam a timor ſibi cuique futuræ inopiæ abiit, eo, quod abditum fuerat, prolato. Ex copia deinde otioque laſcivire rurſus animi: & priſtina mala, poſtquam foris deerant, domi quærere. Urb. cond. an. 277. Coſſ. A. Virg. & Sp. Servil.

INTERPRETATIO.

a Quia fames *impellebat in conſilia, quæ licet temeraria, erant tamen cum celeritate conjuncta*: ideo *Conſul contra oppoſitum Janiculi* collem *inconſultò copias propulit.*

a *Unicuique demptus eſt metus imminentis ſibi famis.*

NOTÆ.

agri, nec aliunde commeatus eſſet importatus. Quamobrem cum centum ac decem millia civium puberum, uti proximo cenſu compertum eſt; mulierum autem, puerorum, ſervitiorum, opificum, & negotiatorum inquilinorum capita ultra trecenta millia numerarentur: quotidianæ in magiſtratus vociferationes oriebantur, &, in divitum domos irruere tentantium, impetus. Conſules quidem dimiſſis in proxima, qui commeatus coëmerent, juſſiſque civibus per ſingulas domos quid frumenti eſſet, profiteri, & quod cuique ſupereſſet conferre; publicam inopiam aliquandiu ſuſtentarunt.

10. *In præcipitia, dum celeriora eſſent.*] Ita Rhenanus, adjecta ex M.S. Cod. præpoſitione *in*, quæ in prioribus editionibus deerat, & retento ex iiſdem verbo ſingularis numeri *agebat*, cum in M.S. eſſet *agebant*. Sigonio vetus lectio placet, ut reddatur trita illa locutio, agere præcipitem. Sed aliud eſt aliquem agere præcipitem, quod tritum eſt; aliud *agere conſilium præceps*, quod Latinis auribus incognitum, non merito Gronovius improbat: & poſt Glareanum ita hunc locum explicat; ut dira fames Romanos urgeret ad periculoſa incepta, cogeretque eos ardentiora & audentiora conari, quò citius tanto malo liberarentur. Et ſanè abſumptis omnibus quibus fames ſedari poterat, levius malum duxerunt ſe ac ſuos externis periculis exponere, quàm intra mœnia ſeditionibus, & inediâ confici.

11. *Ad caſtra hoſtium aciem erexit.*] Non ſolus Servilius Etruſcos aggreſſus eſt. Nam, ſi Halicarnaſſeo fides, ambo Conſules nocte intempeſtâ trajecto ratibus Tiberi, ſequenti die prælium injere: in dextro cornu præerat Virginius, in ſiniſtro Servilius. Poſt acre certamen, Etruſci ſe in caſtra receperunt; ſuoſque ab iis uiterius inſequendis cohibuit Virginius. Servilius retro cadentes avidius perſecutus, per declivia deinde propulſus, ac malè mulctatus eſt.

12. *Interventu collegæ.*] Virginius cognito caſu ſiniſtri cornu, per montem ſuos tranſverſo itinere ducens, hoſtibus a tergo ſupervenit, parte copiarum caſtris Etruſcorum oppoſitâ: quo facto Serviliani reſumptis animis in pugnam reverſi.

13. *Occidione occiſi.*] Reverà circumventi utrinque Etruſci, maximam partem interempti ſunt. Præſidium quoque Janiculo impoſitum, deficientibus ſubſidiis, Vejos non ſine cæde paulò poſt receſſit. Romani, caſtello diruto, in urbem ſpoliis onuſti redierunt. Negatus tamen Conſulibus triumphus à Senatu, quod non niſi multo civium cruore parta victoria eſt.

Urb. cond. an. 277. Coss. A. Virgin. & Sp. Servil.

tribuni plebem agitare suo veneno, Agraria lege: b in resistentes incitare Patres, nec in universos modo, sed in singulos. 1 Q. Considius & T. Genucius auctores Agrariæ legis, T. Menenio diem dicunt. c invidiæ erat amissum Cremeræ præsidium, quum haud procul inde stativa consul habuisset. 2 Eum oppressere: quum & Patres haud minus quam pro Coriolano annixi essent: & patris Agrippæ favor haud dum exolevisset. In mulcta temperarunt tribuni: quum 3 capitis anquisissent, 4 u duo millia æris damnato mulctam edixerunt. ea d in caput vertit. Negant tulisse ignominiam, ægritudinemque: inde morbo absumptum esse. Alius deinde reus Sp. Servilius, ut Consulatu abiit;

INTERPRETATIO.

b *Incitabant* plebem *in Senatores*.
c *Odio erat*.
d Inspecto eventu, mulcta pecuniaria *versa est in pœnam capitis*: mortuo scilicet reo ex dolore.

NOTÆ.

1. *Q. Considius & T. Genucius.*] Dionysio Quintilius dicitur pro Considio: sed negat Sigonius debere nos ejus lectione moveri: ipsique displicet Quintilii nomen in Tribuno plebis hoc tempore, quia Quintilia gens patricia fuit. Genucius porro per *c* scribendum monet ad fidem Græcæ, & Capitolinæ scripturæ.

2. *Eum oppressere.*] Sigonius ita ex veteribus correxit, ut sit Considius & Genucius Menenium oppressere. Reliquæ editiones *eum oppressit*, nempe *invidia Menenium*: Brevius *ea oppressit*: quemadmodum paulò superiùs *hæc spes provexit*.

3. *Capitis anquisissent.*] *Anquirere* vetus est fòrense verbum, idem significans quod inquirere. Itaque capitis anquirere est actionem criminalem intendere, sive judicium de capite instituere. *Quæstio* sanè judicium publicum & capitale est. Quæstor & Quæsitor is qui cuique judicio criminali præest, magistratus nempe judexve Quæstionis ob capitalem causam, ut loquuntur Jurisconsulti. Verùm advertendum est cum Budæo annot. ad Pandectas, quærere & inquirere non eodem omnino sensu apud bonos auctores accipi. *Quærere* quippe judicum est & magistratuum: *inquirere* accusatorum. Cic. in Verrem Orat. 2. *Itaque cum ego diem in Siciliam inquirendi perexiguam postulavissem*. Erat autem Cicero accusator Verris, idemque inquisitor.

4. *Duo millia æris.*] Id est, assium duo millia. Erat enim æs nummus æreus unius libræ quem Budæus quatuor denariis Gallicis, ac paulò pluris æstimabat: quo posito, duo millia æris vix quatuor ac triginta libellas Francicas æquarent. Velcurio viginti aureis coronatis ea duo millia æquiparat. Sed revera duo millia librarum æris Romano pondere, non minus 1350 libris Francicis nunc æstimarentur. Quæ mulcta pecuniaria loco exilii, alteriusve pœnæ capitalis, indicta homini consulari, si ad mores non nostri modo sæculi, sed florentis reip. imperiive Romani conferas, exigua ipsius Dionysii Halicarnassei judicio videbitur. Sed priscis hominibus, victum labore proprio quærere solitis, in magna pecuniæ per ea tempora penuria, atque huic imprimis cui à patre egestas pro patrimonio relicta fuerat, nihil mirum gravem hanc mulctam fuisse. Et sanè adeò gravis fuit, ut ei solvendæ bona ipsius non sufficerent: qua ex re, simul ex ignominia injuriave accepta, tantum concepit animo dolorem, ut amicorum, eam pecuniam numerare paratorum, contemptâ liberalitate, publico abstinuerit; duriorque in se, quam inimici fuissent, inediâ & mœrore contabuerit.

C. Nautio & P. Valerio conſulibus, initio ſtatim anni ab L. Cædicio & T. Statio tribunis die dicta, non ut Menenius, precibus ſuis aut Patrum, ſed cum multa fiducia innocentiæ gratiæque tribunitios impetus tulit. Et huic prælium cum Tuſcis ad Janiculum erat crimini. ſed fervidi animi vir, ut in publico periculo antè, ſic tum in ſuo, non tribunos modo; ſed plebem [6] oratione feroci refutando, exprobrandoque T. Menenii damnationem mortemque ([7] cujus patris munere reſtituta quondam plebs, eos ipſos [d] quibus tum ſæviret magiſtratus, eas leges haberet) periculum audaciâ diſcuſſit. [8] juvit & Virginius collega teſtis productus participando laudes: magis tamen Menenianum ([9] adeo mutaverant animum) profuit judicium.

LIII. Certamina domi finita. Vejens bellum exortum; quibus Sabini arma conjunxerant. P. Valerius Conſul accitis Latinorum Hernicorumque auxiliis, [1] cum exercitu Vejos miſſus, [2] caſtra Sabina, quæ pro mœnibus ſociorum locata erant, confeſtim aggreditur: tan- Urb. cond. an. 278. Coſſ. C. Naut. & P. Valer.

INTERPRETATIO.

d *Per quos tunc exerceret ſævitiam ſuam.*

NOTÆ.

5. *Cajo Nautio, & P. Valerio.*] Conſules anno urbis 278. fuere P. Valerius Poplicola, & C. Nautius Rufus, ſive Rutilus: hic filius Sp. Nautii Rutili, qui cum Sex. Furio Medullino Conſulatum an. U. C. 265. geſſerat. Ille P. Valerii, qui an. 1. poſt Reges exactos in locum Tarquinii Collatini ſuffectus fuerat.

6. *Oratione feroci.*] Cum L. Cædicius Servilii Conſulis culpâ, ac temeritate amiſſum juventutis florem, remque publicam in ſummum diſcrimen adductam exprobraſſet, citatis rei geſtæ teſtibus, ac miſeratione defunctorum, plebis in eum animos commoviſſet: Servilius viciſſim bis victos à ſe hoſtes, coactoſque Janiculo decedere exprobravit: cumque non poſſe magnas res geri ſine periculo militum oſtendiſſet, nihil eſſe adjecit in quo, ſive conſilia, ſive facta ſua reprehenderentur; neminem eſſe qui proditionis, aut ignaviæ accuſet, ſe quippe eadem ipſum cum militibus pericula adiiſſe. Quid ergo cauſæ videri, cur in judicium vocari debuerit? Denique etiamſi conſilia eventibus metienda non ſint; ideoque nemo priorum ducum, magnis cladibus acceptis, infortunii pœnas dederit: ſe tamen non recuſare quin in diſquiſitionem fortuna quoque vocetur. His aliorum ducum exempla majoris audaciæ ſubjecit, quorum causâ nemini dicta fuerit dies. Neque his contentus plebem ac Tribunos redarguit, quod ob privata ſua commoda aut cupiditates, inſurgerent in Senatum, qui publicis utilitatibus ſedulò invigilaret.

7. *Cujus patris munere.*] De Agrippa Menenio patre, ejuſque in plebem officiis dictum ſuprà cap. 32. & 33.

8. *Juvit & Virginius Collega.*] Is de Servilii caſu ultra ipſum Collegam dolens, eo laudato ob fortitudinem, dixit ſi Romanos belli hujus non pœniteret, ambobus ſibi habendam gratiam: ſin minùs, ambos ex æquo plectendos: communicatis quippe conſiliis factiſque fortunam quoque communem fuiſſe.

9. *Adeò mutaverant.*] Plebeji nempè, ut ſunt vulgi mobiles animi.

1. *Cum exercitu Vejos miſſus.*] Dum Vejentes reliquorum Etruſcorum auxilia expectant, Romamque brevi expugnaturos, aut fame ad deditionem compulturos ſperant; occupavit Valerius Conſul, ſub veſperam egreſſus urbe, Sabinos Vejentium ſocios, hos ipſos deinde, ſine mora adortus eſt.

2. *Caſtra Sabina.*] Poſt profligatum ab Etruſcis Menenium, communitumque in Janiculo præſidium; Sabini de-

tamque trepidationem injecit, ut dum diſperſi alii alià manipulatim excurrunt ad arcendam hoſtium vim, ea porta, cui ſigna primum intulerat, caperetur. intra vallum deinde cædes magis quam prælium eſſe, tumultus è caſtris, & in urbem penetrat, tamquam Veiis captis: ita pavidi Vejentes ad arma currunt. pars Sabinis eunt ſubſidio, pars Romanos, toto impetu intentos in caſtra, adoriuntur. 3 Pauliſper averſi turbatique ſunt. deinde & ipſi 4 utroque verſis ſignis reſiſtunt: & eques ab Conſule immiſſus Tuſcos fundit fugatque. eademque hora duo exercitus, duæque potentiſſimæ & maximæ finitimæ gentes, ſuperatæ ſunt. Dum hæc ad Vejos geruntur, Volſci Æquique in Latino agro poſuerant caſtra, populatique fines erant. eos per ſe ipſi Latini aſſumptis Hernicis, ſine Romano aut duce, aut auxilio, caſtris exuerunt. Ingenti præda præter ſuas recuperatas res potiti ſunt. miſſus tamen ab Roma Conſul 5 in Volſcos C. Nautius. Mos, credo, non placebat, ſine Romano duce exercituque, ſocios propriis viribus conſiliiſque bella gerere. nullum genus calamitatis contumeliæque non editum in Volſcos eſt: 6 nec tamen perpelli potuere, ut acie dimicarent.

Urb. cond. an. 279. Coſſ. L. Fur. & C. Manl.

LIV. 1 L. Furius inde & C. Manlius, Conſules. 2 Manlio Vejentes pro-

NOTÆ.

Romanis actum rati, fœdere inito Etruſcos magnis copiis juvabant, ſecrſim ab illis non procul tendentes.

3. *Pauliſper averſi turbatique ſunt.*] Ab incœpta caſtrorum Sabinorum oppugnatione aliquantùm avocati ſunt Romani, ingruentibus à tergo Vejentibus.

4. *Utroque verſis ſignis.*] Armis ſcilicet in utroſque hoſtes ſimul, hinc in Sabinos à fronte repugnantes; inde verſâ facie in Etruſcos à tergo urgentes illatis.

5. *In Volſcos C. Nautius.*] Conſul Nautius, qui profectionem in provinciam ſuam diſtulerat, ut ſi quid Collegæ adverſus Vejentes bellanti accidiſſet, præſto eſſet urbi agroque Romano præſidium: rebus in Etruria proſperè ſuccedentibus, exercitum in Volſcos jam à Latinis pulſus, tardiùs eduxit, ex quibus prædam incruentam retulit.

6. *Nec tamen perpelli potuere ut.*] Archetypon ſcriptum, uti notatum à Rhenano, habet *nec tamen perpeti potuere*. Unde ſuſpicatur ſcripſiſſe Livium, *hæc tamen perpeti potuere, quàm ut acie dimicarent*, ſubauditur *potiùs*, aut aliud comparativum, more Græco: quod orationis genus noſtro non minùs, quàm Salluſtio ac Tacito cognitum. Ego tamen qui in emendationibus neceſſariis mutationem quàm minimam probem, vulgatam lectionem, quæ plana eſt, nec niſi literam unam *s* mutat, *propelli* pro *perpeti*, huic quæ non modò vocem *hæc*, pro *nec* ſubſtituit; ſed etiam dictionem *quàm* interſerit, anteponendam facilè puto.

1. *L. Furius inde, & C. Manlius.*] Hunc Manlium Aulum vocat Dionyſius; quod Sigonius probat. Eſt enim idem *Manlius*, qui paulò poſt in Decemviratu, & à Dionyſio, & ab ipſo Livio *Auli* prænomine deſignatur: ſed tamen præter Livium, Caſſiodorus ac Diodorus M. Manlium appellant, atque hic Manlio, Volſonis (ſive ut Marlianus mavult) Vulſonis; Furio Medullini cognomen adſcribit. His conſulib. cenſus actus eſt: cenſa capitum CXXX. M. & aliquot inſuper.

2. *Manlio Vejentes.*] Cum nulla à reliquis Etruriæ populis, aut à novis ſociis Sabinis, auxilia Vejentes impetrarent adverſus Manlium, qui caſtra juxta

vincia evenit. non tamen bellatum. induciæ in annos quadraginta petentibus datæ, frumento ſtipendioque imperato. Paci externæ confeſtim continuatur diſcordia domi. agrariæ legis tribuniciis ſtimulis plebs furebat. Conſules nihil Menenii damnatione, nihil periculo deterriti Servilii, ſumma vi reſiſtunt. abeuntes magiſtratu [a] Conſules Genucius tribunus plebis arripuit. [3] L. Æmilius & Opiter Virginius conſulatum ineunt. Vopiſcum Julium in quibuſdam pro Virginio annalibus Conſulem invenio. Hoc anno (quoſcumque Conſules habuit) rei ad populum [4] Furius & Manlius circumeunt [5] ſordidati: non plebem magis quam juniores Patrum. [6] ſuadent, monent, *Honoribus & adminiſtratione reipublicæ abſtineant; conſulares vero [7] faſces, prætextam curulemque ſellam, nihil aliud quam pompam funeris putent. claris inſignibus [8] velut infulis velatos ad mortem deſtinari. Quod ſi Conſulatus tanta dulcedo ſit, jam nunc ita in animum inducant; Conſulatum captum & oppreſſum ab tribunicia poteſtate eſſe. conſuli, velut apparitori tribunicio, omnia ad nutum imperiumque tribuni agenda eſſe. Si ſe commoverit, ſi reſpexerit Patres, ſi aliud quam plebem eſſe in republ. crediderit; exilium C. Marcii, Menenii damna-*

Urb. cond. an. 280. Coſſ. L. Æmill. III. & Opit. Virg. vel Vop. Jul.

INTERPRETATIO.

[a] *Tribunus plebis Genucius accuſavit Conſules.*

NOTÆ.

Vejos poſuerat; pacem ab eo, abſumptis commeatibus petierunt; atque à Senatu longiores inducias impetrarunt. Manlius ovans in urbem rediit.

3. *L. Æmilius.*] Aliàs T. Æmilius, pro quo legi Sigonius jubet *Tib. Æmilius* ex Dionyſio. Fuiſſe autem, ut ait, Tiberii prænomen Æmiliis familiare Capitolinæ tabulæ demonſtrare poſſunt. Præter hunc fateor unus & alter ex Æmiliis Mamercis Tiberii prænomen habuit: ſed hunc Dionyſius Lucium Æmilium Mamercum vocat: notatque tertiùm Conſulem, ut qui primùm anno, ſecundum Sigonium eumdem 279. cum Carſone Fabio Vibulano; deinde anno 275. cum C. Servilio Conſulatum geſſiſſet. Nunc verò ipſi collega in annum U. C. 280. ſive ex Dionyſ. 281. in quem incidit 77. Olympias Charete Athenis principe, adjungitur à Livio Opiter Virginius, pro quo ait eſſe in quibuſdam annalibus Vopiſcum Julium: quod poſterius ſequuntur Dionyſius, Diodorus, Faſti Græci, & auctores Conſularium Tabularum, quæ in Capitolio ſunt. Porro antiquiſſimæ gentis Æmiliorum memorantur familiæ quatuor, Mamerci (à quibus Pauli & Lepidi) Barbulæ, Papi, & Scauri.

4. *Furius, & Manlius.*] Cn. Genucius vir audax, cum Conſules hujus anni ad creandos dividundis ex Senatusconſulto agris Decemviros cogere non poſſet, utpote qui majorem Tribunitiam poteſtatem haberent; negarentque ſuarum eſſe partium, quod ante annos duodecim Coſſ. Caſſio & Virginio à Senatu decretum eſſet, exequi, cauſati Senatusconſulta vim perpetuæ legis non habere, ſed anno finiri: his de cauſis diem dixit Manlio & Furio ſuperioris anni Conſulibus, qui privati jam erant.

5. *Sordidati.*] Lugubri habitu pro reorum ſupplicantiùm more induti.

6. *Suadent, monent.*] Juventutem patriciam hortantur monendo.

7. *Faſces, prætextam, &c.*] De his regiis ornamentis ex Etruria petitis egimus libro 1. cap. 8. Ea in Conſules translata vidimus lib. 2. cap. 1.

7. *Velut infulis.*] Similitudo ex ſacrificiis petita, ubi hoſtiæ ad pœnam coronantur.

Digitized by Google

Urb. cond. an. 280. Coſſ. L. Æmil. III. Opit. Virgin. aut Vop. Jul.

tionem & mortem, ſibi proponat ante oculos. His accenſi vocibus Patres, 9 conſilia inde non publica, ſed in privato, b ſeductaque a plurium conſcientia habere. ubi quum c id modo conſtaret, jure an injuria 10 eripiendos eſſe reos; atrociſſima quæque maxime placebat ſententia. nec auctor quamvis audaci facinori deerat. Igitur judicii die, quum d plebs in foro erecta exſpectatione ſtaret, mirari primò 11, quod non deſcenderet tribunus; deinde quum jam mora ſuſpectior fieret, deterritum à primoribus credere, *& deſertam ac proditam cauſam publicam* queri. Tandem qui obverſari veſtibulo tribuni fuerant, nunciant domi 12 mortuum eſſe inventum. quod ubi in totam concionem pertulit rumor: ſicut acies funditur duce occiſo, ita dilapſi paſſim alii aliò. Præcipuus pavor tribunos invaſerat, quàm nihil auxilii 13 ſacratæ leges haberent, morte collegæ monitos. Nec Patres ſatis moderate ferre lætitiam. 14 adeòque neminem noxæ pœnitebat, ut etiam inſontes feciſſe videri vellent; palamque ferretur, e malo domandam tribuniciam poteſtatem.

LV. 1 Sub hac peſſimi exempli victoria delectus edicitur: pa-

INTERPRETATIO.

b *Occulta & remotis arbitris.*
c *Hoc unum conſtitutum eſſet inter eos.*
d *Plebeji ardentes, & ſuſpenſi expectarent in foro.*
e *Expugnandam pernicie* ipſorum Tribunorum.

NOTÆ.

9. *Conſilia inde non publica.*] Putat Gronov. *Concilia* legi oportere: cœtus enim ſive conventus, & congreſſus conſiliorum causâ habitos, auctor intelligit.

10. *Eripiendos eſſe reos.*] Patricii jam ſe ad eos, armis ſi opus eſſet, denique quoquo modo, contra vim plebis tuendos prioris anni Conſules, comparaverant.

11. *Quòd non deſcenderet.*] Pal. ex optimis & Sigonii Codex, *quid non*: alter *qui non deſcenderet*: ea ut vera Lectio Gronovio placet, ut ſit *qui* pro cur, vel qua de cauſa, quomodo. Quod autem noſter ait, *non deſcenderet*, idem eſt ac ad comitia non veniret. Hæc quippe in comitio habebantur. Erat autem Comitium Foro Romano conjunctum, imò pars fori, quæ à Palatii porta incipiebat, & finiebatur circa eum locum, ubi nunc Ædes B. Mariæ novæ. Sed initio multò anguſtius fuit, nec ultra primas radices Palatini montis porrigebatur, ut notat Barth. Marlian. in Topogr. Antiq. Romæ lib. 3. cap. 15. Atque is hoc tempore erat Fori ſitus inter Palatinum & Capitolinum montes: unde in Comitium non facilè niſi deſcenſu veniebatur: certè ita rem ſe habuiſſe, quod ad Genucii domum attinet, evincit hic locus.

12. *Mortuum eſſe inventum.*] Cum Genucius ipſo judicii die mortuus in ſuo lecto eſſet inventus: eo cognito ſoluta ſunt comitia, collegis conſilia ejus, vel non probantibus, vel promovere non auſis.

13. *Sacratæ leges.*] De his dictum hujus libri cap. 33.

14. *Adeòque neminem noxæ pœnitebat.*] Ponit Livius Senatorum operâ de medio ſublatum Genucium tribunum. Contrà Dionyſius refert nullum in eo apparuiſſe violentæ mortis veſtigium.

1. *Sub hac peſſimi exempli victoria.*] Magis forſan ex more Livii cenſet Gronovius *ſub hanc peſſimi exempli victoriam*: & aliquot in id loca adducit. Verùm, etſi frequentior ſit accuſativi

vel-

ventibuſque tribunis, ſine interceſſione ulla Conſules rem peragunt. Tum vero iraſci plebs tribunorum magis ſilentio, quam Conſulum imperio: & dicere, *Actum eſſe de libertate ſua: rurſus* 2 *ad antiqua reditum, cum Genucio unà mortuam ac ſepultam tribuniciam poteſtatem.* 3 *aliud* 1 *agendum, ac cogitandum quomodo reſiſtatur Patribus. Id autem unum conſilium eſſe, ut ſe ipſa plebs, quando aliud nihil auxilii habeat, defendat.* 4 *Quatuor & viginti lictores apparere Conſulibus, &* 5 *eos ipſos plebis homines. Nihil contemptius, neque infirmius, ſi ſint qui contemnant.* b *Sibi quemque ea magna atque horrenda facere.* His vocibus alii alios quum incitaſſent, 6 ad Voleronem Publilium de plebe hominem, 7 qui quod ordines duxiſſet, negaret ſe militem fieri debere,

Urb. cond. an. 280. Coſſ. L. Æmil. III. & Vop. Jul.

INTERPRETATIO.

a *Se redactos ad priſtina* incommoda.
b *Unumquemque has res* (lictores, faſces, Conſules) *ſibi* animo *fingere*, quaſi *magnum quid ac terribile.*

NOTÆ.

uſus in his loquendi formis, ubi *ſub* idem ſignificat quod *poſt*, vel *circa*: non deſunt tamen optimorum auctorum loca, quibus ea præpoſitio cum auferendi caſu jungitur eodem ſenſu. Apud Cæſarem, ſive auctorem belli civilis lib. 1. legitur *ſub ipſa profectione*, & apud Ovid. 5. Faſtor.

Tria ſunt ſub eodem tempore feſta.

2. *Ad antiqua reditum.*] Antiquum rerum ſtatum intellige, qualis ante creatos plebis Tribunos fuit.

3. *Aliud agendum.*] *Aliud agere* ſæpè eſt ſegniùs rem curare; eique quod præ manibus eſt, non ſatis ſerio incumbere. Hic autem *aliud agere* nativo magis ſenſu accipitur pro, novum quid moliri.

4. *Quatuor & viginti Lictores.*] Atqui id cautum fuerat ab initio, ne ambo Conſules *faſces haberent, ne ſcilicet duplicatus terror videretur*; uti didicimus ex lib. 2. c. 1. & ne Ipſi quidem Reges plus quàm duodecim lictores habuerant lib. 1. cap. 8. Hæc facilè conciliaveris, ſi lictores à ſecuribus, aut potiùs faſcium dno genera diſtinxeris. Lictores quidem uterque Conſul duodecim habebat, qui virgarum faſces præferrent: ſed faſces cum ſecuribus (unde maximus terror,) unius tantùm lictores ferebant; idque alternatim ſingulis menſibus, donec annuum eorum imperium expleretur, quod diſertè Dionyſius tradit lib. 4. Lictores porrò à *ligando* appellati ex Valgio apud Gell. quòd, cum magiſtratus quempiam virgis verberari juſſiſſent, crura ejus & manus ligari, vincirique moris eſſet; iſque qui ex collegio Viatorum officium ligandi haberet, lictor idcirco dictus fuit. Vide quæ à nobis jam de illis indicata ſunt ad lib. 1. cap. 8.

5. *Eos ipſos plebis homines.*] Hinc infert rectè Godelevæus hiſce temporibus lictores è plebe Romana fuiſſe. Poſt bellum tamen Punicum ſecundum, eos qui magiſtratibus in provinciis apparerent ac miniſtrarent, è Brutiorum fermè natione fuiſſe conſtat, unde *Brutianos* dictos tradit Gellius noct. Attic. lib. 10. cap. 3. ſub fin. Idque ignominiæ causâ factum, quòd primi totius Italiæ Brutii ad Annibalem deſciviſſent.

6. *Ad Voleronem Publilium.*] Fortem hunc de plebe virum Dionyſius P. Voleronem vocat. Livii pleræque editiones habent Voleronem Publium. Verùm, ut Sigonius ex Valerio obſervat, *Volero* prænomen eſt, *Publius* item prænomen. Itaque ne duo prænomina conjungantur, Publilium legi jubet, quod nomen fuit gentis plebejæ.

7. *Qui, quòd ordines duxiſſet.*] Ajebat ſe, quia militibus præfuiſſet centurionis titulo, nullamque ignominiam in militia meritus eſſet, inter gregarios adſcribi non debere. Pro *quia* mavult Gronovius *qui*; quod mihi non diſplicet: quamquàm parum intereſſe fatetur, utro modo legamus.

lictor missus est à Consulibus. Volero appellat tribunos. Quum auxilio nemo esset, consules spoliari hominem, & virgas expediri jubent. *Provoco*, inquit, *ad populum*, Volero; *quoniam tribuni civem Romanum in conspectu suo virgis cædi malunt, quam ipsi in lecto suo à vobis trucidari*. quò ferocius clamitabat, eò infestius circumscindere & spoliare lictor. Tum Volero, & prævalens ipse, & [c] adjuvantibus advocatis, repulso lictore, ubi indignantium pro se acerrimus erat clamor, eo se in turbam confertissimam recipit, clamitans, *Provoco, & fidem plebis imploro! adeste cives! adeste commilitones! nihil est quod exspectetis tribunos, quibus ipsis vestra auxilio opus est*. Concitati homines, veluti ad prælium se expediunt: apparebatque omne discrimen adesse, [d] nihil cuiquam sanctum, non publici fore, non privati juris. Huic tantæ tempestati quum se consules obtulissent, facile experti sunt, PARUM TUTAM majestatem sine viribus esse.. violatis lictoribus, fascibus fractis, è foro in curiam compellantur; [8] incerti quatenus Volero exerceret victoriam. Conticescente deinde tumultu, [9] quum senatum vocari jussissent, queruntur injurias suas, vim plebis, Voleronis audaciam. Multis ferociter dictis sententiis, vicere seniores, quibus irâ Patrum adversus temeritatem plebis certari non placuit.

Urb. cond. an. 281. Coss. L. Pinar. & P. Fur.

LVI. Volceronem amplexa favore plebs, proximis comitiis tribunum plebis creat, in eum annum, qui [1] L. Pinarium, P. Furium Consules habuit; contraque omnium opinionem, qui eum vexandis prioris anni consulibus [2] permissurum tribunatum cre-

INTERPRETATIO.

c *Ope amicorum quos sibi adjutores advocaverat.*

d *Rem nullam, non magis qua publico jure, quam qua privato niteretur, inviolabilem cuiquam esse futuram.*

NOTÆ.

8. *Incerti quatenus Volero exerceret victoriam.*] Dubitabant Consules quousque Volero parta de patriciis victoria uti vellet: an contentus foret sui defensione, an ad eædem Consulum, & Senatus esset prorupturus.

9. *Quum Senatum vocari jussissent.*] Agnoscit Rhen. in veteri codice; *Cum in Senatu vocari jussissent:* sed vulgata lectio ipsi magis arridet. Non ita Gronov., qui testatur in aliis vetustis codicibus scriptum esse *in Senatum:* atque ita restituit ex optimis Mss. lib. 23. c. 32. *quoties in Senatum vocassent*, & apud Valer. Max. lib. 8. c. 3. pro *quos in Senatu Consul rogaverat*, corrigit, *quos in Senatu Consul vocaverat*: at hæc loquendi forma, *aliquem in Senatum vocare*, nihil habet novi: estque multùm diversa ab illa altera qua absolute dicitur, quis *in Senatum vocare*, non addito quis vocetur.

1. *L. Pinarium.*] L. Pinarius Mamercinus apud Diodorum cognominatur, & P. Furius Fusus in Fastis Siculis.

2. *Permissurum Tribunatum credebant.*] Vetus Lectio ex Rhenano *permissurum administraturum Tribunatum:* opinatur scribendum, *qui eum vexandis prioris anni Consulibus, permissum administraturum Tribunatum, credebant.* Probabilius vero Gronovius, illud *administraturum*, habet pro glossemate imperiti cujusdam, qui sic explicare voluerit τὸ *permissurum:* quâ voce Livius hic eleganter utitur ducta ab

Digitized by Google

debant ; [2] poſt publicam cauſam privato dolore habito, ne verbo quidem violatis Conſulibus, rogationem tulit ad populum ; ut plebeji magiſtratus [3] tributis comitiis fierent. Haud parva res, ſub titulo prima ſpecie minimè atroci, ferebatur ; ſed quæ patriciis [4] omnem poteſtatem per clientium ſuffragia creandi quos vellent tribunos, auferret. Huic actioni, gratiſſimæ plebi, quum ſumma vi reſi- Urb. cond. an. 281. Coſſ. L. Pinar. & P. Fur.

INTERPRETATIO.

2 *Anteponens utilitatem publicam, ultioni ejus injuriæ, quæ ſibi privatim facta erat.*

NOTÆ.

equis metaphora, quos curſui, & quaſi ſibi ipſis permittere dicuntur, qui remiſſis habenis incitant ad libere currendum. Eſt igitur *permiſſurum Tribunatum vexandis Conſulibus*, tribunatui fræna laxaturum, poteſtate impotenter abuſurum ad vexandos Conſules. Ita Gronovius. Et ſanè quamvis eo ſenſu magis receptum ſit, admittere equum, aut etiam habenas equo permittere, quàm abſolutè *equum permittere*: tamen Livio ipſi haud incognita acceptio illa verbi *permittere* lib. 3. cap. 61. *concitant equos, permittuntque in hoſtem*: & cap. 70. *quà permiſſus equitatus turbaverat ordines*.

3. *Tributis Comitiis fierent*.] Notum cuivis tria fuiſſe apud Romanos Comitiorum genera, Curiata, Centuriata, Tributa. Priora duo genera explicui ad lib. 1. cap. 43. Tributa ſunt quibus diviſi per tribus ſuffragia dabant. Hæc comitia referente Dionyſio lib. 9. inconſulto Senatu, & nullis avibus adhibitis, unâ die peragebantur. Quod ſic accipiendum eſt, ut licèt auſpicia his comitiis non adhiberentur, ſervaretur tamen de Cœlo, quia inde à Romulo decretum fuerat ab auguribus *Jove fulgente agi cum populo nefas eſſe*, auctore Cic. in Vatin. Anteà minores Magiſtratus curiatis comitiis, quemadmodum majores centuriatis creatos ex Geſſ. lib. 13. cap. 14. & Tacit. lib. 2. conjiciunt.

4. *Omnem poteſtatem per clientium ſuffragia creandi, &c.*] Cur in comitiis Centuriatis facilè vincerent patricii & potentiores, ex iis quæ lib. 1. cap. 43. allata ſunt, diſci poteſt. In Tributis non ita dominabantur. Primò quod cum in Curiatis comitiis ſoli cives, qui Romæ domicilium habebant, & quatuor tantùm Tribus conſtabant, jus haberent dicendæ ſententiæ ; in Tributis ſuffragium ferebant quindecim aliæ tribus, in quas diſtincta tunc erat ruſtica multitudo cum Coloniarum & oppidorum incolis. Deinde quod in his ſorte educerentur nomina, non modò Prærogativæ, ſed etiam ſequentium Tribuum, quæ ad ferenda ſuffragia vocabantur : ideoque compertum eſſe non poſſet, quænam Tribus ſuffragium eſſent laturæ. Non enim omnes in ſuffragia mittebantur : ſed quot neceſſe erat, ut in ea re de qua agebatur, ſive probanda, ſive rejicienda, plus dimidiâ parte convenirent ; veluti ſi undecim tribus idem cenſuiſſent. Tribus quippe erant una & viginti, duabus ad novem priores, ante ſex & viginti fermè annos, additis, quemadmodum hujus libri cap. 21. demonſtratum eſt. Alia adhuc ratio cur minùs in ejuſmodi comitiis poſſent Patricii, fuit quod in ſingulis Tribubus, nullo cenſus aut dignitatis diſcrimine, ſuffragia ferrentur ab omnibus Tribulibus, inter quos magno numero per omnes Tribus ſparſi erant homines tenuioris fortunæ, qui in comitiis Centuriatis in ultimam Centuriam ſimul omnes rejecti, vix unquam ad ferenda ſuffragia vocabantur. Omitto, poſtquàm Latini jus ſuffragii obtinuere, nondum certa cuique aſſignatâ Tribu, ſorte decidi ſolitum, in qua numerati omnes, & ſuffragium ferre deberent, quæ res adhuc incertiorem efficiebat horum comitiorum eventum.

Urb. cond. an. 282. Coſſ. Ap. Claud. & T. Quint.

ſterent Patres; b nec, quæ una vis ad reſiſtendum erat, ut intercederet aliquis ex collegio, auctoritate aut Conſulum, aut Principum adduci poſſet; res tamen ſuo ipſa molimine gravis, certaminibus 5 in annum extrahitur. Plebs Voleronem tribunum reficit. Patres ad ultimum dimicationis rati rem venturam, 6 Ap. Claudium Appii filium, jam inde 7 à paternis certaminibus inviſum infeſtumque plebi, Conſulem faciunt. Collega ei T. Quintius datur. Principio ſtatim anni nihil prius quam de lege agebatur. ſed ut 8 inventor legis Volero, ſic 9 Lætorius collega ejus, auctor quum recentior, tum acrior erat. Ferocem faciebat belli gloria ingens, quod ætatis ejus haud quiſquam manu promptior erat. Is, quum Volero nihil præterquam de lege loqueretur, inſectatione abſtinens Conſulum; ipſe c in accuſationem Appii familiæque ſuperbiſſimæ, ac crudeliſſimæ in plebem Romanam, exorſus, quum à Patribus non Conſulem, ſed carnificem, ad vexandam & lacerandam plebem creatum eſſe, contenderet; rudis in militari homine d lingua non ſuppetebat libertati animoque. Itaque deficiente oratione, *Quan-*

INTERPRETATIO.

b *Nec verò Conſulum, aut primariorum Senatorum auctoritate compelli, quiſquam poſſet ex collegio* Tribunorum, *ut* legi Voleronis *adverſaretur: quæ* tamen *ſola via* patebat *ad reſiſtendum* ejus conatibus.

c *Ingreſſus ad accuſandum.*

d *Non reſpondebat animoſo conſilio pro libertate ſuſcepto.*

NOTÆ.

5. *In annum extrahitur.*] Prætet hæc plebem inter patricioſque certamina, Dionyſius aliam affert cauſam cur lex Voleronis, de Magiſtratibus plebejis novo more eligendis, in annum ſequentem dilata fuerit, portenta nempe varia, quæ pianda fuerunt; & peſtilentiam, quæ mulieres præſertim gravidas invaſerat, quæque non antè deſiit, quàm de Urbinia Veſtali ſumptum eſt ſupplicium ob amiſſam virginitatem.

6. *Ap. Claudium.*] Anno U. C. 282. Conſules fuerunt ex Dionyſio & Diodoro Appius Claudius, Appii filius, Sabinus; & T. Quintius Capitolinus, cui cognomen Barbati Zonaras addit. Quintii nominis familiæ tres, Cincinnati, Flaminii, & Capitolini. Ex Capitolinorum linea primus hic Titus Conſulatum adeptus eſt, quem & ſexies geſſit.

7. *A paternis certaminibus.*] Vide cap. 22. 27. 29. 44. hujus libri.

8. *Inventor legis Volero.*] Hanc legem Zaſius in Catalogo legum antiquarum, aliique Voleroniam vocarunt, quos Hotomannus l. 1. de Legib. reprehendit, & Publiliam dicendam contendit, quod, ut anteà dictum, Volero prænomen ſit, Publilius nomen gentilitium: ſed Publilliarum Legum nomine intelligi ferè ſolent, quæ à Q. Publilio Philone dictatore latæ anno 414. & de quibus noſter lib. 8. c. 12.

9. *Lætorius collega ejus auctor.*] Miratur Godelevæus ſi Volero inventor legis, cur Lectorius, (ſeu potius Lætorius) ejuſdem *auctor* dicatur, cum ejus ſententiâ auctor idem ſit quod inventor, hoc eſt qui primus aliquid & præcipuus inſtituit. Vult itaque pro *auctor* legi *actor*, prout in Buslidiano codice haberi Nannius annotat lib. 5. *cuumierun*. Actor ſecundum eum, eſt executor. Gronovius, nihil mutandum cenſet: non enim *auctor* ſemper idem, qui *inventor*: ſed ſæpe approbator, aut hortator, qui aliàs Livio *ſuaſor* dicitur.

doquidem 10 *non facilè loquor*, inquit, *Quirites, quam quod locutus ſum, præſto; craſtino die adeſte. Ego hic aut in conſpectu veſtro moriar, aut perferam legem.* 11 Occupant tribuni templum poſtero die. Conſules nobilitaſque ad impediendam legem in concione conſiſtunt. 12 Submoveri Lætorius jubet, 13 præterquam qui ſuffragium ineant. Adoleſcentes nobiles ſtabant, nihil cedentes viatori. tum ex his prehendi quoſdam Lætorius jubet. Conſul Appius negare, 14 jus eſſe tribuno in quemquam, niſi in plebejum. Non enim populi, ſed plebis eum magiſtratum eſſe. nec illum ipſum ſubmovere 15 pro

Urb. cond. an. 282. Coſſ. Ap. Claud. & T. Quint.

NOTÆ.

10. *Non facilè loquor, quàm.*] Ita veteres editiones cum Mſſ. apud Gronov. Moguntina editio prima addidit particulam *tam*, ut ſit *non tam facile loquor*. Sed nihil erat opus. Sæpe eam omittunt in hujuſmodi comparationibus tum noſter, tum Salluſtius & Tacitus, Græcorum imitatione. Extat apud Dionyſium Lectorii hujus oratio acris & vehemens adverſus Appium, quæ nequaquàm dicendi rudem arguit.

11. *Occupant Tribuni templum.*] An habebantur in Templo Comitia plebis? Cum Curiata in Comitio intra pomœrium, Centuriata extra pomœrium in Campo ferè Martio haberentur: Tributis nullus certus deſtinatus locus. Creandis Magiſtratibus plerumque in Campo Martio: legum autem & judiciorum causâ in comitio fieri ſolebant. Sed nonnunquam in Capitolio quoque habita conſtat utraque hac de cauſa, ex Plutarch. in *Gracchis*, Appiano lib. 1. Bellorum Civil. noſtro etiam pluribus locis; qui ibi comitia hæc habita indicat: in Templo ſcilicet Jovis Capitolini (quod templi nomen per Antonomaſiam ſibi meritò vindicat) aut circa illud. Et reverà primus Appii cum Tribunis concertatione, occupatum à plebe per hæc Comitia Capitolium diſertè ſcribit Dionyſius lib. 9.

12. *Submoveri Lætorius jubet.*] Jam antè ſuperiore anno ſtatuerat cum duobus collegis Volero, nec Conſulibus diſſuaſionem Legis permittere, & Patricios in totum comitiis arcere. habebant enim illi ſua ſodalitia, & cum clientelarum catervis multas fori partes occupabant; animos addendo legis diſſuaſoribus, defenſoribus contrà obſtrependo: ſed nova peſtilentia ſuborta impedimento fuerat huic Voleronis incœpto.

13. *Præterquàm qui ſuffragium ineant.*] Igitur Patricii Tributis comitiis, jus ſuffragii non habuere: quoniam inter conditiones redintegratæ inter ordines in Monte Sacro concordiæ, conceſſum plebi fuerat, ut quoties Tribuni concionem vocarent, ei ſe Patricii ne miſcerent, ut Dionyſius ſcribit lib. 7.

14. *Jus eſſe Tribuno in quemquam, niſi in plebejum.*] Tribunatus cum à plebe conſtitutus ſit, non videtur reverà poteſtatem habere debuiſſe in Patricios & Senatores. Conſtat enim in populari ſtatu ab omnibus ordinibus, aut à majori parte eorum, eligendos eſſe, qui imperium in omnes habituri ſunt: quoniam in libera rep. privati non niſi civium conſenſu poteſtatem publicam adipiſci poſſunt. Ideo Patriciorum ordo, cum in creandis Tribunis non concurreret, eis ſe non ſubjiciebat: atque ita nihil juris in eos Tribuno competebat, nec eos ad comitia ſua vocandi habebat poteſtatem. In plebejos quidem Tribuni prehenſionem habebant: non tamen, ne in eos quidem vocationem in jus: quâ de re Gellius ex Attejo Capitone Juriſconſulto lib. 13. cap. 12. Unde nec Lictores ipſis, ſed viatores apparebant. Verùm ſæpe numero poteſtate ſuâ abutebantur.

15. *Pro imperio ſubmovere.*] Imperium Tribuni nullum initio habebant, non modò Merum intra urbem, quod poſitum eſt in jure animadvertendi in facinoroſos homines; aut Militare, illi

Urb. cond. an. 282. Coss. Ap. Claud. & T. Quint.

imperio posse more majorum: [16] quia ita dicatur: *Si vobis videtur, discedite Quirites*. Facile & contemptim de jure differendo [17] perturbare Lætorum poterat. Ardens igitur irâ [18] tribunus, viatorem mittit ad Consulem: [19] Consul lictorem ad tribunum, [20] privatum esse clamitans, sine imperio, sine magistratu; violatusque esset tribunus, ni & concio omnis [d] atrox coorta pro tribuno in Consulem esset: & concursus hominum in forum ex tota urbe concitatæ multitudinis fieret. Sustinebat tamen Appius pertinaciâ [e] tantam tempestatem: certatumque haud incruento prælio foret, ni Quintius, Consul alter, Consularibus negotio dato, ut collegam

INTERPRETATIO.

d *Atrociter insurrexisset.*
e Hunc *tantum* plebis *tumultum.*

NOTÆ.

a fine, quo continetur facultas milites Sacramento adigendi, exercitum ducendi, bellumque gerendi. Sed nec Mixtum, quod Jurisdictioni cohæret, & in jubendo, vetando, inque exequendis rebus judicatis consistit.

16. *Quia ita dicatur.*] Viator, qui Tribunum plebis præcedebat ad submovendam, multitudinem, hac verborum formula utebatur; quæ non imperativa, directa, legitima erat tanquam absolutè jubentis; sed precativa & velut rogantis, *Si vobis videtur*, &c. quod argumentum erat non plenæ potestatis, sed penè precariæ.

17. *Perturbare Lætorum poterat.*] Illud *poterat* meritò improbatur Gronovio, ut cujus nullus hic sit idoneus sensus. Scriptum censet ab auctore, *perturbare Lætorum parat*; quo verbo sæpe usus Livius. An potiùs *properat*?

18. *Tribunus, viatorem mittit.*] Apparitorum generale nomen ad omnes magistratuum ministros pertinet, qui magistratibus apparebant, eorumque imperio præsto erant, ut eorum illi ministerio in exequendis jussis suis uterentur: quæ munera libertis ferè suis magistratus olim mandabant. Horum species fuere *Viatores* ex eo dicti, auctore Festo, quòd cum Romanorum plerique in agris urbi vicinis assiduè rusticarentur; horum ministrorum opera ad eos jussu magistratuum evocandos, celebrior in via quàm in urbe esset.

19. *Consul Lictorem.*] Lictores à Viatoribus differunt, tanquam species à genere. Sunt enim Lictores è viatorum numero, ii qui fasces virgarum ligatos ferebant; nec modò populum submovebant, ne magistratus in publicum procedentes multitudo remoraretur: sed & fontes virgis cædebant, ac securi feriebant. Verùm Lictores non omnibus magistratibus apparebant, sed iis tantùm qui imperium & coërcendi jus haberent, veluti Consules, Proconsules, Interreges, Dictatores. Unde apparet quod sit hoc loco discrimen inter Lictorem Consulis, & Viatorem Tribuni.

20. *Privatum esse clamitans.*] Comparatum nempe cum patricio & Consule: imò & absolutè aliquo sensu; ut probat Sigonius ex Plutarcho de Quæstionibus rerum Romanarum cap. 81. ubi postquàm quæsivit, *Cur, cum purpura alii magistratus utantur, Tribunus plebis non utitur?* Hanc imprimis rationem quasi dubitando indicat. *An quia Tribunus plebis magistratus non est: neque enim Lictores cum fascibus, & securibus habent Tribuni; neque ex sella jus dicunt; neque principio anni, ut reliqui, magistratus ineunt, neque creato Dictatore se abdicant: verùm omni translato ad Dictatorem imperio ipsi tamen potestatem suam retinent, quasi magistratus non sint.*

vi, si aliter non possent, de foro abducerent; ipse, nunc plebem fervientem precibus lenisset; nunc orasset tribunos, *ut concilium dimitterent. Darent iræ spatium. non vim suam illis tempus adempturum; sed consilium viribus additurum, & Patres in populi, & Consulem in Patrum fore potestate.*

LVII. Ægrè sedata ab Quintio plebs, multo ægrius Consul alter à Patribus. Dimisso tandem [1] concilio plebis, Senatum Consules habent. ubi, quum timor atque ira inviceim sententias variassent: quo magis, spatio interposito, ab impetu ad consultandum advocabantur, eo plus abhorrebant [2] à certatione animi. adeo ut Quintio gratias agerent, quod ejus operâ mitigata discordia esset. Ab Appio petitur, *Ut [3] tantam Consularem majestatem esse vellet, quanta in concordi civitate esse posset. Dum tribuni Consulesque ad se quisque omnia trahant, nihil relictum esse virium in medio. [4] distractam lacerataмque rempubl. magis quorum in manu sit, quam ut incolumis sit, quæri.* Appius contra, *testari Deos atque homines, rempublicam prodi per metum ac deseri. non Consulem Senatui, sed Senatum Consuli deesse. graviores accipi leges, [5] quam in Sacro monte acceptæ sint.* Victus tamen Patrum consensu quievit. [6] lex silentio perfertur. Urb. cond. an. 282. Coss. App. Claud. & T. Quint.

LVIII. [1] Tum primum tributis comitiis creati tribuni sunt:

NOTÆ.

1. *Concilio plebis.*] Rectè & propriè *concilio*, siquidem Cœlio Felici apud A. Gell. lib. 15. c. 1. credendum, qui censebat eum, qui non universum populum, sed populi partem aliquam adesse jubeat; non comitia, sed concilium edicere debere.

2. *A certatione animi.*] An per Hypallagen dictum pro *à certationis*, vel *certandi animo*? Imò *animi* in numero plurali accipiendum: ut velit Senatorum animos, quo plus spatii erat ad deliberandum, eò magis à contentione aversos fuisse: ut sit eò magis abhorrebant animi Senatorum scilicet.

3. *Tantam Consularem majestatem.*] Petierunt ab App. ne majorem esse vellet potentiam Consulis, quàm salvâ concordiâ conservari posset. Dixerat quippe Appius si ante nesciissent quantam vim Consulatus haberet, fore ut discerent se Cõsule.

4. *Distractam lacerataмque remp. per magistratus magis.*] Gronovius auctoritatem manuscriptorum codicum sequutus, pluriumque veterum editionum ante Moguntinam, verba illa *per magistratus* velut spuria expungit, legitque *lacerataм rempub. magis, quorum in manu sit, quàm ut incolumis sit, quæri*: ut sit enallage accusativi pro nominativo *respublica*; quæ forma loquendi Græcis in frequentissimo usu, nec Latinis ignota est. Sic Cic. 2. agrar. *Qua est ista æquitas, cæteros* (sc. agros) *etiamsi privati sint permittere ut publici judicentur.* Structura vulgaris, sed minus elegans esset: *permittere ut cæteri, etiamsi privati sint, publici judicentur.*

5. *Quàm in Sacro monte.*] Ubi creati primùm Tribuni plebis uti supra cap. 32. Et vero ibi id tantum cavebatur ut Tribuni ex plebe atque ad tuendam plebem, non ut tributim crearentur, ut nunc Voleronis lege sanciebatur: quâ ratione fiebat, ut non modò excluderentur patricii à ferendis per se ipsos suffragiis (quod quidem videtur initio conveniisse), sed etiam ne clientibus amicisque suis de plebe, Tribunos eligendos, certa cum spe, commendare possent.

6. *Lex silentio perfertur.*] Tacentibus scilicet Consulibus & patriciis.

1. *Tum primùm Tributis comitiis creati Tribuni.*] Id ab eo tempore servatum ad tempora Augusti, ut comitia creandorum Tribunorum, itemque Ædilium

Urb. cond. an. 282. Coss. App. Claud. & T. Quint.

[2] numero etiam additos tres, perinde ac duo ante fuerint, [3] Piso auctor est. Nominat quoque tribunos, C. Sicinium, L. Numitorium, M. Duilium. Sp. Icilium, L. Mecilium. [4] Volscum Æquicumque, inter seditionem Romanam, est bellum coortum. vastaverant agros, ut si qua secessio plebis fieret, ad se receptum haberet. Compositis deinde rebus, castra retro movere. Ap. Claudius in Volscos missus. Quintio Æqui provincia evênit. Eadem in militia sævitia Appii, quæ domi esse; eo liberior, quod [a] sine tribuniciis vinculis erat. [5] Odisse plebem plus quam paterno odio: se victum ab ea: [6] se unico Consule objecto adversus tribuniciam potestatem, perlatam legem esse; quam minore conatu, nequaquam tanta Patrum spe, priores impedierint Consules. hæc ira indignatioque ferocem animum ad vexandum sævo imperio exercitum stimulabat. [7] nec ulla vi domari poterat,

INTERPRETATIO.

a *Liber ab impedimentis Tribunorum plebis* (quorum potestas extra pomœrium nulla.)

NOTÆ.

plebis, peragerentur suffragio Tribuum, testatur lib. 9. Dionys.

2. *Numero etiam additos tres.*] De Tribunorum numero, & qualis ab initio fuerit, dixi ad cap. 33. hujus libri.

3. *Piso auctor est.*] Priscus Historiæ Romanæ scriptor.

4. *Volscum Æquicumque bellum.*] Hanc veterem Lectionem non valdè probat Sigonius: sed nec vulgatam, quæ sic habuit. *Volsci, tum Æqui inter seditionem Romanam, & bellum coortum, vastaverant agros.* Addit se in Mss. omnibus ita legere. *Ex Senatusconsulto bellum indictum contra Volscum. Æquumque qui inter seditionem & bellum coortum* &c. Verùm hæc lectio longè pejor vulgari videtur Gronovio, qui utramque damnat: hanc posteriorem Sigonii, quod *indicere bellum contra aliquem* nec Livio dignum, nec Latinum sit: vulgatam quod non rectè videatur designari tempus vastationis agrorum *inter seditionem Romanam & bellum coortum*; quandoquidem inter seditionem sopitam, & initium belli, nihil intercessit spatii. Verior Andreæ, aliæque veteres editiones *Volscum, Æquicumque inter seditionem Romanam est bellum coortum*, &c. Nec est cur illud *Æquicum* offendat: quod licèt non ita frequenti usu tritum, extat tamen apud nostrum alibi, libro num. 3. *usque miles per bellum Æquicum vel acerrimus fuit*; unde nulla idonea de causa deletum fuit lib. 10. in princ. *M. Livio Dentre, M. Æmilio Consulibus redintegratum est Æquicum bellum*; quo loco sufficerunt *Æquorum*. Sic Nervicum, Heduicum, Genticum, aliaque ejus formationis apud probos auctores inveniri ostendit idem Gronovius.

5. *Odisse plebem plus quàm paterno odio.*] Id est, plus oderat plebem, quàm pater ejus Ap. Claudius antè odisset.

6. *Se unico Consule objecto.*] Ita è scripto suo Sigonius, & veteres editiones ante Rhenanum, qui pro *objecto* scribi jussit *electo*. Sed illud *objecto* multò efficacius exprimit, præsidium quod in Appio ponebatur, quasi ipse unus plebejis molitionibus, tanquam rapidissimo torrenti, obex opponeretur. Nec mirum id Appio doluisse, quod cum se velut *unicè* supra omnes ad retundendos plebis ac Tribunorum impetus aptum, fortemque visum Senatui, ideoque eis oppositum sciret; tamen legem impedire non potuerit, quam minori conatu impediissent superiores Consules, de quibus minorem spem conceperat Senatus.

7. *Nec ulla vi domari poterat.*] Hoc & sequentia ad exercitum referuntur, qui maxima ex parte plebejis hominibus constabat.

tan-

Digitized by Google

tantum certamen animis imbiberant. Segniter, otiosè, negligenter, contumaciter omnia agere. nec pudor, nec metus coërcebat. Si citiùs agi vellet agmen, tardiùs sedulò incedere: si adhortator operis adesset, [b] omnes sua sponte ⁂ motam remittere industriam. præsenti vultus demittere; tacitè prætereuntem execrari: ut invictus ille odio plebejo animus, interdum moveretur. [c] Omni nequicquam acerbitate promptâ nihil jam cum militibus agere: à centurionibus corruptum exercitum dicere: tribunos plebejos cavillans interdum, & [8] Volerones vocare.

Urb. cond. an. 282. Coss. App. Claud. & T. Quint.

LIX. Nihil eorum Volsci nesciebant, instabantque eo magis, sperantes idem certamen animorum adversus Appium habiturum exercitum Romanum, [1] quod adversus Fabium Consulem habuisset. Cæterum [a] multò Appio, quam Fabio violentior fuit. Non enim vincere tantum noluit, ut Fabianus exercitus, sed vinci voluit. Productus in aciem, turpi fuga petit castra, nec ante restitit, quam signa inferentem Volscum munimentis vidit, fœdamque extremi agminis cædem. [b] Tum expressa vis ad pugnandum, ut victor jam à vallo submoveretur hostis: satis tamen appareret, capi tantum castra militem Romanum noluisse. alii gaudere sua clade atque ignominia. Quibus [c] nihil infractus ferox Appii animus, quum insuper sævire vellet, concionemque advocaret; concurrunt ad eum legati, tribunique, monentes, [2] ne utique experiri vellet imperium, cujus vis omnis in consensu obedientium esset. Negare vulgo milites se ad concionem ituros: passimque exaudiri voces postulantium, ut castra ex Volsco agro moveantur. Hostem victorem paulo ante propè in portis ac vallo fuisse; ingentisque mali non suspicionem modo [d] sed apertam speciem obversari ante oculos. Victus tandem ([e] quandoquidem nihil præter tempus noxæ lucrarentur) remissa concione, iter in sequentem diem pronunciari quum jussisset, prima luce classico signum profectionis dedit. [f] Quum maxi-

INTERPRETATIO.

b *De* diligentia & *labore*, *quem* anteà *ultro susceperant*. tunc multum *cunctis remittebant*.

c *Postquam omne genus asperitatis* adhibuerat in milites.

a *Vehementius in Appium, quàm in Fabium exarsit* exercitus.

b *Cunctis sunt* Romani *vires ad diimicandum exerere*.

c *Nullatenus commotus*.

d *Sed indicium manifestum, & velut* imaginem, *ante oculos apparere*.

e *Quoniam dilationem tantùm pœnæ consequebantur* milites.

f *Eo ipso tempore quo*, &c.

NOTÆ.

8. *Volerones vocare*.] Id est, seditiosos exemplo Voleronis Publilii, de quo c. 56.

1. *Quod adversus Fabium*.] De militum in Cæsonem Fabium anni 270. Consulem odio dictum cap. 43.

2. *Ne utique experiri vellet imperium*.] Admonendo, ne omnino periculum faceret potestatis, quam vix ullam, in milites retineret: *qu'il ne devoit pas se commettre, en hazardant de vouloir exercer le commandement que sa Charge lui donnoit sur les Soldats, qui n'estoient pas disposez à lui obeïr; sans quoy le droit de commander est inutile*.

Urb. cond. an. 282. Coſſ. App. Claud. & T. Quint.

me agmen è caſtris explicaretur, Volſci, g ut eodem ſigno excitati, 3 noviſſimos adoriuntur. h A quibus perlatus ad primos tumultus, eo pavore ſignaque & ordines turbavit, ut neque imperia exaudiri, neque inſtrui acies poſſent. nemo ullius niſi fugæ memor. Ita effuſo agmine 4 per ſtragem corporum armorumque evaſere, ut prius hoſtis deſiſteret ſequi, quam Romanus fugere. Tandem collectis ex diſſiparo curſu militibus, Conſul quum revocando nequicquam ſuos perſecutus eſſet, in pacato agro caſtra poſuit: advocataque concione, invectus haud falsò i in proditorem exercitum militaris diſciplinæ, deſertorem ſignorum, ubi ſigna ubi arma, eſſent, ſingulos rogitans, inermes milites, ſigno amiſſo ſigniferos; k ad hoc, ſæp. centuriones 5, duplicarioſque, qui reliquerant ordines,

INTERPRETATIO.

g *Quaſi ſigno eodem* ad pugnam eſſent *excitati* Volſci, quo Romani profectionis admoniti.

h Turba & *trepidatio ab ultimis proſerpens ad primos* uſque.

i *In exercitum qui ordinem* belli motemque *militiæ deſervuerat*.

k *Poſt hæc*, poſt increpationes ſcilicet militum.

NOTÆ.

3. *Noviſſimos adoriuntur.*] M. Cato, Salluſtius, aliique ejus ætatis ſcriptores *noviſſimum* & *noviſſimè* promiſcuè dixerunt. Ab his tamen abſtinuit Cicero, quòd Ælius Gallus eorum temporum doctiſſimus his dictionibus uti vitaverat tanquàm improbis, & nimis novis, ut ex Varrone lib. 5. de Ling. Latina refert Gellius lib. 1. cap. 21.

4. *Per ſtragem corporum, armorumque evaſere.*] Hic locus, Glareani judicio, inexplicabilis eſt. Si enim Volſci ultimos Romanorum adorti ſunt, quomodo prima acies Romanorum per corpora extremorum, qui à tergo erant, fugam fecit? Non unâ tamen ratione videtur explicari poſſe, ſed varie pro varia notione propoſitionis *per*. Nam ſi eò velimus deſignari locum, quà tranſierint qui evaſere: dicendum erit, aut ex noviſſimis in quos primum impetus factus, non omnes cæſos; ſed plures armis abjectis, per ſociorum corpora evaſiſſe: aut cum omnes effuſo agmine, diſpari celeritate, fugerent; poſtremos cum primis inter fugiendum permixtos, & ex utriſque partim interfectos, partim evaſiſſe incolumes. Si verò præpoſitio *per* ad tempus referatur; ſenſus erit, non per medium ſtragis locum, ſed dum ſtrages poſtremorum ederetur, primos evaſiſſe. Hoc ſenſu *per bellum lata lex dicitur* à noſtro lib. 34. id eſt belli tempore, & lib. 4. *per ſeceſſionem plebis ludi facti*. Sed dici quoque poteſt particulam *per* ita ſumi, ut non tam locum, aut tempus ſignificet: quàm viam & modum ſive adminiculum quo quid factum ſit, ut apud Salluſt. in Jugurth: *Per luxum atque ignaviam ætatem agunt*. Atque ita per ſtrages evaſiſſe, eſt eos, qui ſervati ſunt, aliorum ſtrage eſſe ſervatos.

5. *Duplicarioſque.*] Duplicarii, ſive Dupliciani dicti, quibus ob virtutem duplicia cibaria dabantur, ex Varr. lib. 4. de Ling. Latin. ideo explicantur in veteri Lexico *διπλαρίους* apud Turn. adverſar. lib. 22. cap. 28. qui nempe duplicem annonam, aut ſtipendium duplex virtutis ergo accipiebant. Sic apud Vegetium lib. 2. cap. 7. *Armaturæ Duplares, quæ binas conſequuntur Annonas: Simplares, quæ ſingulas*. Et paulò poſt: *Torquati Duplares. Torquati Simplares: quibus torques aureus ſolidus virtutis præmium fuit, quem qui meruiſſet, præter laudem, interdum Duplas conſequebatur*

6 virgis cæſos ſecuri percuſſit. cætera multitudo 7 ſorte decimus quiſque ad ſupplicium lecti. Urb. cond. an. 282. App. Claud. & T. Quint.

LX. aContra ea, in Æquis inter Conſulem ac militem, comitate ac beneficiis certatum eſt. & natura Quintius erat lenior, & lævitia infelix collegæ, bquo is magis gauderet ingenio ſuo, effecerat. cHuic tantæ concordiæ ducis exercituſque non auſi offerre ſe Æqui; vagari populabundum hoſtem per agros paſſi. Nec ullo ante bello latius inde actæ prædæ. ea omnis militi data eſt. Addebantur & LAUDES, QUIBUS HAUD minus quam præmio gaudent militum animi. Tum duci, tum propter ducem Patribus quoque placatior exercitus rediit; ſibi parentem, alteri exercitui dominum datum ab ſenatu, memorans. Varia fortunâ belli, datroci diſcordiâ domi, foriſque annum exactum, inſignem maxime: comitia tributa efficiunt. Res major victoriâ ſuſceptî certaminis, quam uſu. plus enim dignitatis comitiis ipſis detractum eſt

INTERPRETATIO.

a *Aliter ac* apud Appium.
b *Ut ſua ipſe indole magis delectaretur*, benignitate ſcilicet ſibi innata.
c *Æquicola auſi non ſunt ſeſe prælio committere adverſus ducem atque exercitum adeò inter ſe concordes.*
d *Annum per immanem, tum in urbe, tum in bello diſcordiâ atrum.*

NOTÆ.

annonas: Duplares duas, ſimplares unam. Apud Livium quoque lib. 7. *Milites qui in præſidio ſimul* (cum Decio) *fuerant, duplici frumento in perpetuum donati.* Legimus quoque lib. 3. de bello Civili à Cæſare cohortem duplici ſtipendio, frumentoque, & aliis militaribus donis ampliſſimè remuneratam. Conſtat autem ex Herodoto lib. 6. & aliis, vetuſtum fuiſſe morem iis, quos eximio honore proſequi vellent, duplicia cibaria præſtandi.

6. *Virgis cæſos ſecuri percuſſit.*] Ultimum ſupplicium præcedere ſolebant apud Romanos verbera, virgis præſertim inflicta. Clara habes exempla in filiis Bruti cap. hujus lib. 5. Vide & de Gavio cive Romano, qui in crucem actus eſt, Verrina ult.

7. *Sorte decimus quiſque ad ſupplicium lecti.*] Cum ſorte decimus quiſque ſupplicio afficitur ab imperatore, decimari dicitur exercitus vel legio. Græci δεκατεύειν dicunt, Polybius ἐκλεκτοὺς ἐγκρῦναι ἐπὶ θανάτῳ: quod ipſe luculenter deſcribit lib. 6. itemque Appianus in Parthicis. Id autem fit cum graviter univerſi deliquerunt per ignaviam, aut contumaciam & ſeditionem. Cujus inſtituti rationem affert Cicero in Cluentiana, *Statuerunt ita majores noſtri*, inquit, *ut ſi à multis eſſet flagitium rei militaris admiſſum, ſortitione in quoſdam animadverteretur: ut metus vindictæ ad omnes, pœna ad paucos pervenires.* Sed unde tam patientes Centuriones & anteſignani de ſe, milites univerſi de decimo quoque ſumi ſupplicium paſſi ſunt, qui paulò antè juſſa tam præfractè detrectaverant? Nimirum, ut Tacitus ait, *in vulgo nil modicum: terrere, ni paveant; ubi perrimuere, impunè contemni.* Altique militum ſenſus in hoſtico, ubi eorum operâ dux indiget: alii in pacato. Præterea plerique inter fugiendum arma amiſerant.

1. *Comitia Tributa. Res major victoriâ.*] Quod à Comitiis Tribunitiis excluſi fuere Patricii, magnum quid viſum eſt plebeiis ob victoriam. Sed non tantam his utilitatem attulit, quantam ſibi animo finxerant: eò quòd in his quoque propter opes, ac clientelas ſuas Senatores non mediocrem habuerint auctoritatem. Vide tamen quæ poſt auctorem à me dicta ſunt ſub initium cap. 56.

e Patribus ex concilio ſubmovendis, quam virſum aut plebi additum, aut demptum Patribus.

Urb. cond. an. 283. Coſſ. L. Valer. II. & T. Æmil.

LXI. Turbulentior inde annus excepit, 1 L. Valerio, Tiberio Æmilio Conſulibus, tum propter certamina ordinum de lege agraria: tum propter judicium Ap. Claudii. cui acerrimo adverſario legis, cauſamque poſſeſſorum publici agri, 2 tanquam tertio Conſuli, ſuſtinenti, M. Duilius & C. Sicinius 3 diem dixêre. Nunquam ante tam inviſus plebi reus ad judicium vocatus populi eſt; plenus ſuarum, plenus paternarum irarum. Patres quoque a non temere pro ullo æque annixi ſunt: propugnatorem ſenatus, majeſtatiſque vindicem ſuæ, ad omnes tribunicios plebejoſque oppoſi-

INTERPRETATIO.

e *Eo quod Senatores repellerentur à comitiis plebis.*
a *Non* facilè. vix.

NOTÆ.

1. *L. Valerio, &c.*] Conſules in an. U. C. 283. ab exactis regibus 40. leguntur L. Valerius Potitus, & T. Æmilius Mamercus: quorum ille filius Valerii Poplicolæ quater Conſulis, fraterque natu minor P. Valerii Popl. qui Conſul fuerat anno 278. ipſe cum Fabio Conſulatum geſſerat an. 270. Hic filius fuit L. Æmilii ter Conſulis, cum Cæſone Fabio ann. 269. cum C. Servilio an. 275. & cum Vopiſco Julio an. 280.

2. *Tanquam tertio Conſuli.*] Conſulum partes hactenus fuerant cauſam Patricorum, qui publicum ferè agrum poſſidebant, adverſus Tribunos ejus diviſionem urgentes tueri. Id Conſules hujus anni non præſtabant, nec confirmationi legis Agrariæ adverſabantur. Imò de publici agri diviſione ad Senatum referebant: Valerius quidem ut plebem propter ſupplicium Sp. Caſſio ejus operâ irrogatum infenſam, ſibi reconciliaret: Æmilius Senatui offenſus ob triumphum negatum patri: qui & primus ſententiam rogatus, cenſuit Senatusconſultum ante annos ſeptemdecim ea de re factum, creatis decemviris qui agros dividerent, exequendum. Itaque Conſulum loco Appius ſuperioris anni Conſul, poſſeſſorum cauſam acriter defendit: negans Senatûs eam unquam voluntatem fuiſſe, ut publica prædia dividerentur: datum tempori Senatusconſultum, quo diſcuteretur periculum ſeditionis à Caſſio excitatæ: & cum inſequentium annorum Conſules nihil ad ſe ſpectare ejus Senatusconſulti executionem recte exiſtimaverint, nec Valerio & Æmilio licere ea de re referre; ac ne ad utilitatem quidem publicam pertinere contendit hujuſmodi diſtributionem. Satis quippe opum ex devictis tot hoſtibus, populatiſque eorum agris comparare potuiſſe plebejos, ſi eâ copiâ uti voluiſſent, non abuti: unde ex ipſorum non fortunis, ſed moribus orirî eorum egeſtatem. Nullo denique beneficio dignos qui contumaciâ ſua hoſtibus victoriam, reip. cladem pepererint: adeò ut agri publici, quem nunc petunt, partem hoſtes jam occupent. Hæc & alia Dionyſius refert à Livio prætermiſſa. Appii ſententiam ſecuti Senatorum plerique.

3. *Diem dixere.*] Irati magis ac magis Appio Tribuni plebis ob ſententiam graviter, & cum plebis inſectatione dictam; ei pro concione diem dixerunt, ita ut litem capite æſtimarent. Criminabantur eum, tum peſſimas adverſus plebem ſententias dicere, & ſeditionem in civitatem inducere: tum etiam violentas manus Sacroſancto Tribuni corpori intuliſſe, ac denique cum exercitui præeſſet, cladem cum ignominia accepiſſe. Quas cauſas accuſationis, cæteraque hujus judicii Livius tacet, eamque ob rem non immeritò negligentiæ poſſe ipſum accuſari notat Glarean.

tum tumultus, modum dumtaxat in certamine egreſſum, objici iratæ plebi. Unus è Patribus, ipſe Ap. Claudius, & tribunos, & plebem, & [b] ſuum judicium pro nihilo habebat. Illum non minæ plebis, non ſenatus preces perpellere unquam potuêre, non modo [4] ut veſtem [5] mutaret, aut [c] ſupplex prenſaret homines: ſed ne ut ex conſueta quidem aſperitate orationis (quum ad populum agenda cauſa eſſet) aliquid leniret atque ſubmitteret. Idem habitus oris, eadem contumacia in vultu, [d] idem in oratione ſpiritus erat: adeo ut magna pars plebis Appium non minus reum timeret, quam conſulem timuerat. Semel cauſam dixit, quo ſemper agere omnia ſolitus erat, accuſatorio ſpiritu. adeoque conſtantia ſua & tribunos obſtupefecit & plebem, ut [5] diem ipſi ſua voluntate producerent: trahi deinde rem ſinerent. Haud ita multum interim temporis fuit. ante tamen quam producta dies veniret, [6] morbo moritur. [7] cujus laudationem [8] cum tri-

Urb. cond. an. 283. Coſſ. L. Valer. 11. & Tit. Æmil.

INTERPRETATIO.

b *Accuſationem in ſe inſtitutam.*
c *Plebejos apprehenſa dextera rogaret.*
d *Eadem animi elatio in cauſâ dicenda.*

NOTÆ.

4. *Ut veſtem mutaret.*] Reis, qui alicujus criminis accuſabantur, ſolenne fuit atram togam, albâ depoſitâ, induere, velut in luctu, barbam comamque promittere; & ſqualido habitu, qui ſupplices decet, judicum miſericordiam provocare, quos apprehenſâ dexterâ precabantur. Nec rei tantùm, ſed neceſſarii quoque, amici clienteſque eorum, veſtem mutabant, ut ſuum dolorem ſignificarent, & pro illorum ſalute efficaciùs ſupplicarent. Quod ex pluribus Ciceronis locis planum, qui ſuâ cauſâ Senatum publico conſilio veſtem mutaſſe gloriatur, præſertim in orationibus pro Sext. & pro domo ſua. Itaque quod nunc Appius veſtem mutare, ac ſupplicem agere recuſavit, conſtantiæ eſt non vulgaris. Id exemplum ſequutus legitur Scipio Æmilianus, aliique: Rutilius in primis, qui Syllæ ac Marii temporibus, teſte Valerio Max. lib. 6. cap. 4. reus factus, nec obſoletam veſtem induit, nec inſignia Senatoris depoſuit, nec ſupplices ad genua judicum manus tetendit, nec dixit quicquam ſplendore præteritorum annorum humilius; effecitque ut periculum illud, non impedimentum gravitatis ejus eſſet, ſed experimentum.

5. *Diem ipſi ſuâ voluntate producerent.*] Producere diem, eſt proferre ſeu protrahere tempus judicii, vel rei agendæ. Cic. ad Quint. Fratr. lib. 2. ep. 3. *Producta dies eſt ad* IV. *Id. Febr.*

6. *Morbo moritur.*] Quinimò ipſe ſibi Appius mortem conſcivit: ejus tamen neceſſarii morbo extinctum finxerunt, ſi Dionyſio fides.

7. *Cujus laudationem.*] Hic Romæ à P. Valer. Poplic. inductus mos fuit, ut defunctorum illuſtrium corpore in forum delato, filius pubes, aut ſi is deeſſet, alius ex defuncti genere, eorum facta, coram plebe pro roſtris, oratione funebri recitaret, ut Polyb. lib. 6. deſcribit. Id poſtea matronis etiam conceſſum fuiſſe poſt Romam de Gallis Senonibus receptam noſter lib. 5. cap. 50. teſtatur.

8. *Cum Tribuni plebis impedire conarentur.*] Reorum, ſaltem damnatorum, & præſertim majeſtatis, nec memoriam celebrare licebat, nec imagines habere; quæ nec in gentilium funere præferebantur, ut ex Tacito variis locis conſtat. Sed ante condemnationem mortuo reo, integra fere jura ſervabantur: quoniam *nec damnatus videtur quis, donec redditum ſit judicium.* Quare non tantùm ſolitâ mobilitate animorum: ſed jure

huni plebis impedire conarentur; plebs fraudari ſolenni honore ſupremum diem tanti viri noluit: & laudationem tam æquis auribus mortui audivit, quam vivi accuſationem audierat: & exequias frequens celebravit.

Urb. cond. an. 283. Coſſ. L. Valer. II. & T. Æmil.

LXII. Eodem anno Valerius Conſul, cum exercitu in Æquos profectus, quum hoſtem ad prælium elicere non poſſet, caſtra oppugnare eſt adortus. 1 Prohibuit fœda tempeſtas, cum grandine ac tonitribus cœlo dejecta. Admirationem deinde auxit, ſigno receptui dato adeo tranquilla ſerenitas reddita: ut velut numine aliquo defenſa caſtra oppugnare iterum, 2 religio fuerit. omnis 3 ira belli 4 ad populationem agri vertit. Alter Conſul Æmilius in Sabinis bellum geſſit. & ibi, quia hoſtis mœnibus ſe tenebat, vaſtati agri ſunt. Incendiis deinde, non villarum modo, ſed etiam vicorum, 5 quibus frequenter habitabatur, Sabini exciti, quum prædatoribus occurriſſent, ancipiti prælio digreſſi, poſtero die 6 retulere caſtra in tutiora loca. Id ſatis Conſuli viſum, cur pro victo relinqueret hoſtem; b integro inde decedens bello.

LXIII. Inter hæc bella, manente diſcordia domi, 1 T. Numicius Priſcus, A. Virginius, Conſules facti. Non ultra videbatur latura plebs dilationem agrariæ legis, ultimaque vis parabatur, quum Volſcos adeſſe, fumo ex incendiis villarum fugaque agreſtium cognitum

INTERPRETATIO.

a *Caſtra retrò tranſtulerunt* Sabini.
b *Excedens ex Sabinis bello non confecto.*

NOTÆ.

quoque ac more plebs Appio ſupremum honorem nequaquam invidendum cenſuit.

1. *Prohibuit fœda tempeſtas.*] Tempeſtas, etſi pro quavis cœli conſtitutione accipiatur, ſæpiùs procellam ſignificat. Hic pro imbre maximo per horrendam caliginem effuſo ſumitur, quandoquidem tempeſtas dicitur *cœlo dejecta*.

2. *Religio fuerit.*] *Religio Deorum cultu pio continetur* ex Tullio 1. de Nat. Deor. qua in re *caput eſt interpretari, quæ voluntas eorum eſſe videatur*: ut idem ait in Orat. pro domo ſua. Religioni ergo eſſe, aut religioni duci aliquid dicimus, cum quis id facere aut ſuſcipere dubitat, metu divini numinis. *Quand on fait conſcience de quelque choſe.*

3. *Ira belli.*] Iram belli dixit per metonymiam, pro ira bellantium Romanorum, aut pro calamitate per bellum illata.

4. *Ad populationem vertit.*] Elegans & noſtro familiaris loquendi forma, quâ *vertere* neutraliter & abſolutè accipitur, pro eo quod eſt converti aut redigi, ut lib. 5. c. 49. *jam verterat fortuna* (id eſt, mutata erat) *jam Deorum opes, humanaque conſilia rem Romanam adjuvabant.*

5. *Quibus frequenter habitabatur.*] Quid habitabatur? Sabinorum nempe regio. Sed maluit Livius imperſonaliter, & abſque nomine efferre. Elegantiùs an duriùs, pronunciare non auſim. Virg. quidem Ecl. 1. dixit

——— ——— *undique totis*
Uſque adeò turbatur agris.

Sed hoc meâ ſententia longè tolerabilius.

1. *T. Numicius.*] A. Virginium Priſcum, & T. Numicium Montanum Conſules in annum 284, (qui in Olympiadem 78. Theagride Athenis principe incidit) auctores produnt. *Numicium* autem ſicut Minucium per *e* ſcribendum Sigon. annotavit. Eum Faſti Græci, Cœlimontanum, Cuſpiniani Nomentanum cognominant.

eſt. eâ res maturam jam ſeditionem, ac prope erumpentem repreſſit. Conſules 2 coacti extemplo ab ſenatu ad bellum; educta ex urbe juventute tranquilliorem cæterum plebem fecerunt. Et hoſtes quidem nihil aliud quam perfuſis vano timore Romanis, citato agmine abeunt. Numicius Antium adverſus Volſcos, Virginius contra Æquos profectus. ibi ex inſidiis 3 prope magna accepta clade, virtus militum, rem prolapſam negligentiâ Conſulis, reſtituit. Melius in Volſcis imperatum eſt. Fuſi primo prælio hoſtes, fugaque 4 in urbem Antium, ut tum res erant, opulentiſſimam, acti. quam Conſul oppugnare non auſus, 5 Cenonem aliud oppidum, nequaquam tam opulentum ab Antiatibus cœpit. Dum Æqui Volſciique 6 Romanos exercitus tenent, Sabini uſque

Urb. cond. an. 284. Coſſ. T. Numic. & A. Virgin.

INTERPRETATIO.

a *Diſtinent duos exercitus Romanorum.*

NOTÆ.

1. *Coacti extemplo ab Senatu ad bellum.*] Hanc ſententiam ita interpungo. *Conſules coacti extemplo* (auditâ ſcilicet Volſcorum incurſione) *ad bellum, educta ex urbe juventute tranquilliorem cæterum plebem fecerunt.* Intelligendum enim eſt non à Senatu coactos ad bellum (quod ex priori interpunctione ſequebatur, nullo ſatis idoneo ſenſu:) ſed hortante Senatu, eduxiſſe neceſſariò juventutem ad bellum: & ſic tranquillam fuiſſe redditam plebem, profectio in militiam magno ſeditioſorum numero.

3. *Prope magna accepta clade.*] Illud *propè* refer ad *acceptâ*, non ad *magnâ*, ut ſit magna clade tantùm non accepta. Quid enim ſibi vellet *propè magnæ cladis*? Quæ vel magna omninò ſit oportet, vel mediocris, vel minima: ſi tamen cladis nomen exiguo detrimento convenit.

4. *In urbem Antium.*] Inter primarias Volſcorum urbes hoc tempore Antium fuiſſe ait Dionyſ. lib. 5. Idem lib. 6. & 8. Volſcorum nobiliſſimam appellat, noſter hic opulentiſſimam vocat: lib. 6. caput Volſcorum fuiſſe tradit. Ex urbe, teſte Procopio, diei unius itinere diſſabat ab Oſtia. Ejus ruinæ extant mille circiter paſſibus ab oppido, quod nunc vulgo *Nettuno*, ubi adhuc veſtigia nominis ſervat Tutris cum vicino Promontorio, *Torre d'Anzo, & Capo d'Anzo*, Strabo lib. 5. Saxis ſuperſtructum ſcribit. In ſummo petrarum in quibus id ſitum erat, viſitur hodie fanum Sancti Blaſii. *S. Biagio*, notante Cluverio. Dionyſius lib. 1. & Stephani Epitomator ab Antia Ulyſſis, & Circes filio, Romi, & Ardeæ fratre denominatum refert; Solinus cap. 8. ab Aſcanio, cum Alba & Fidenis, hanc quoque urbem conſtitutam putavit. Græci poſteriores Ἄντιον & Ἀρδέα, plerumque ſcribunt, quaſi à floribus deducto nomine. Epitomator ille Stephani, Antii & Antiæ, quaſi duorum diverſorum oppidorum meminit, cum ſit unum & idem. Ex Volſcis Antiates & Ecetrani cum Tarquinio Superbo, poſtquàm is principatum Latinorum adeptus fuerat, fœdus fecerant ex Dionyſ. lib. 4. ſtatimque poſt pulſos Reges iidem Antiates cum Latinis fœdere inter Romanos & Carthaginenſes inito comprehenſi ſunt.

5. *Cenonem aliud oppidum.*] Cenonem habent veteres libri apud Sigonium. Dionyſius à Numicio captum memorat oppidum maritimum, quod Antiatibus erat navale ſimul, & forum rerum ad victum pertinentium. Addit captas illic naves longas duas & viginti Antiatum, & alia navium inſtrumenta; conſuliſque juſſu incenſa ædificia, diruta navium receptacula, æquata ſolo mœnia: ne caſtellum Antiatibus impoſterum uſui eſſe poſſet. Hoc autem caſtellum ſive navale, videtur Cluver. idem

ad portas urbis [6] populantes inceſſere. deinde ipſi paucis poſt diebus à duobus exercitibus, [b] utroque per iram Conſule ingreſſo in fines, plus cladium quam intulerant, acceperunt.

Urb. cond. an. 285. Coſſ. T. Quint. & Q. Servil.

LXIV. Extremo anno [a] pacis aliquid fuit: ſed ut ſemper aliàs ſollicitæ, certamine Patrum & plebis. Irata [1] plebs intereſſe Conſularibus comitiis noluit. per Patres clienteſque Patrum Conſules creati, [2] T. Quintius & Q. Servilius. [3] ſimilem annum priori Conſules habent, ſedi ioſa initia, bello deinde externo tranquilla. Sabini [4] Cruſtuminos Campos citato agmine tranſgreſſi, quum cædes & incendia circum Anienem flumen feciſſent, à porta prope Collina mœnibuſque pulſi, ingentes tamen prædas hominum pecorumque egêre. quos Servilius Conſul infeſto exercitu inſecutus, ipſum quidem [b] agmen adipiſci æquis locis non potuit: populationem adeo effuſe fecit, ut nihil bello intactum relinqueret, multiplicique capta præda rediret. Et in Volſcis [c] res publica egregie geſta, tum ducis, tum militum opera. Primum æquo campo [d] ſignis collatis pugnatum, [5] ingenti cæde utrinque, plurimo ſanguine, & Romani, quia [e] paucitas damno ſentiendo

INTERPRETATIO.

b *Ambobus Conſulibus iracundè ingredientibus* in fines hoſtium.

a *Extitit pax aliqua, ſed inquieta, quemadmodum antèà, propter contentionem Senatorii & plebeji ordinis.*

b *Aſſequi exercitum.*

c *Publica res præclarè adminiſtrata.*

d *Commiſſo prælio.*

e *In exiguo numero facilius damnum ſentiebatur.*

NOTÆ.

fuiſſe locus quem Cenonis nomine Livius vocat. De roſtris navium Antio poſteà avectarum in foro Romano collocatis, dicetur lib. 8. cap. 14.

6. *Populantes inceſſere.*] Nolim hìc accipi indicativum, tertiamque præteriti perſonam ab eo quod eſt *incedere*. Infinitivus potiùs eſt ab *inceſſendo*, quod aliquando neutrum eſt, atque idem ſignificat quod ingruere, ſive irruere. Vult enim Sabinos in agrum Romanum irruiſſe, quod hiſtorica loquendi figura exprimit.

1. *Plebs intereſſe Conſularibus comitiis noluit.*] Atqui Conſules non à ſolis Senatoribus, ſed & ab eorum clientibus creati dicuntur: hi verò ſine dubio plebeji. Verum plebs hic dicitur de majori parte, quæ per patrocinia & clientelas minùs innexa patribus.

2. *T. Quintius.*] Anno U. C. 285. Conſules fuerunt T. Quintius Capitolinus Barbatus iterum; & Q. Servilius Priſcus, aliàs Structus, C. Servilii ann. 275. Conſulis frater, filius Q. Servilii Magiſtri equitum an. 259. ſub Dictatore M. Valerio.

3. *Similem annum priori Conſules.*] Gronovius notat præter Livii mentem, aut hìc, aut in præcedenti membro adſcriptum *tres Conſules*. Nec ſanè eam vocem iterari opus erat: itaque hi novi Conſules ſimilem priori annum habuere: nam hujus quoque, perinde atque illius anni initia ſeditioſa. Malim igitur vocem *Conſules* delere, quam quod ille mutato regimine ſubjicit, quodque ſi ab auctore eſſet, facile admitti poſſet. *Similem annum prioribus Conſulibus habent.*

4. *Cruſtuminos Campos.*] Iidem Cruſtumini campi cum Cruſtumerinis ab oppido Cruſtumio, ſeu Cruſtumerio, de quo hujus lib. cap. 19.

5. *Ingenti cæde utrinque, plurimo ſanguine.*] Inſititia Gronovio videntur hæc, *ingenti cæde*: alioqui bis idem diceretur.

propior

propior erat, gradum retuliſſent, ni ſalubri mendacio Conſul, fugere hoſtes ab cornu altero clamitans, concitaſſet aciem. impetu facto, dum ſe putant vincere, vicere. Conſul metuens ne, nimis inſtando, renovaret certamen, ſignum receptui dedit. Interceſſere pauci dies, velut 6 tacitis induciis, utrinque quiete ſumpta: per quos ingens vis hominum ex omnibus Volſcis Æquiſque populis in caſtra venit: f haud dubitans, ſi ſenſerint, Romanos nocte abituros. Itaque 7 tertia fere vigilia ad caſtra oppugnanda veniunt. Quintius ſedato tumultu, quem terror ſubitus exciverat; quum manere in tentoriis quietum militem juſſiſſet, Herniconum cohortem 8 in ſtationem educit: 8 cornicines tubicineſque in equos impoſitos, canere ante vallum jubet, ſollicitumque hoſtem ad lucem tenere. reliquum noctis adeo tranquilla omnia in caſtris fuere, ut ſomni quoque Romanis copia eſſet. Volſcos ſpecies armatorum peditum, quos & plures eſſe, & Romanos putabant, fremitus hinnitusque equorum, qui & inſueto ſedente equite, & inſuper h aures agitante ſonitu, ſæviebant, intentos velut ad impetum hoſtium tenuit.

Urb. cond. an. 285. Coſſ. T. Quint. & Q. Servil.

LXV. Ubi illuxit, Romanus integer ſatiatuſque ſomno, productus in aciem; feſſum a ſtando & vigiliis Volſcum primo impetu perculit.

INTERPRETATIO.

f *Nihil ambigens, quin Romani, ſi id intellexerint, de nocte abſceſſuri eſſent.*

8 *Ante caſtra in præſidio collocavit.*

h *Ultra ſolitum ferociebant ob ſonitum auribus obſtrepentem.*

a *Vigilando, & ſtando* in armis.

NOTÆ.

6. *Tacitis induciis.*] Id eſt, ſine ullâ conventione, ex mutuâ neceſſitate ob defatigationem militum, ſervatis. Videtur tamen Dionyſ. pactas ſepeliendis utrinque corporibus, curandiſque vulneribus, inducias aliquot dierum ſignificare.

7. *Tertiâ ferè vigiliâ.*] Romani, ut omnibus notum, vigilias militares in quaterna horarum ſpatia dividebant, ut ſingulis ſpatiis horæ tres comprehenderentur, quibus vigiles ſinguli excubabant: tertiâ verò quaque hora, ad ſignum tubæ, ſeu cornu potiùs, mutabantur: quo pertinet illud Lucani lib. 5. quo ſecunda vigilia deſignatur

——— Jam caſtra ſilebant,
Tertia jam vigiles commoverat hora ſecundos.

Cum itaque à prima noctis horâ inciperent hæ nocturnæ excubiæ; tertia vigilia ab hora noctis ſeptima initium habebat, ſub mediam ſcilicet noctem.

8. *Cornicines, Tubicineſque.*] Committebantur vigiliæ à Tubicine, ac finitis horis à Cornicine revocabantur, ex Veget. lib. 3. cap. 8. apud Godelev. qui non alia de cauſa cenſet impoſitos equis à Quintio, qui Cornu, quique Tuba ante vallum canerent, quàm ut vigiliæ obſervarentur. Sed ex iis, quæ ſequuntur apparet non eam tantùm imponendorum equis Tubicinum, & Cornicinum cauſam fuiſſe: neque enim ſola vigiliarum obſervatio adeò ſollicitum hoſtem tenuiſſet. Omnes igitur Tubicines, Cornicines omnes in equis, cum cohorte peditum Herniconum, nocte Conſul ante vallum locaverat, ut equitatus, ac peditatus totius ad prælium parati, imò majoris, quam reverà eſſet, exercitus mox erupturi ſpeciem ac metum hoſtibus injiceret.

Urb. cond. an. 285. Coſſ. T. Quinct. & Q. Servil.

quamquàm ceſſere magis, quam pulſi hoſtes ſunt: quia ab tergo erant clivi, in quos [b] poſt principia integris ordinibus tutus receptus fuit. Conſul, ubi ad iniquum locum ventum eſt, ſiſtit aciem. miles ægre teneri, clamare & poſcere, ut perculſis inſtare liceat. Ferocius agunt equites circumfuſi duci: vociferantur ſe ante ſigna ituros. Dum cunctatur Conſul virtute militum fretus, loco parum fidens; conclamant ſe ituros: clamoremque res eſt ſecuta. Fixis in terram pilis, quo leviores in arduo evaderent, curſu ſubeunt. Volſcus effuſis ad primum impetum miſſilibus telis, ſaxa objacentia pedibus ingerit in ſubeuntes, turbatoſque ictibus crebris urget ex ſuperiore loco. ſic prope oneratum eſt ſiniſtrum Romanis cornu, ni referentibus jam gradum, Conſul increpando [1] ſimul temeritatem, ſimul ignaviam, pudore metum excuſſiſſet. Reſtitêre primo obſtinatis animis: deinde, ut [c] in obtinentes locum vires ferebant, audent ultro gradum inferre; & clamore renovato commovent aciem. tum rurſus [2] impetu capto eniturtur atque exſuperant iniquitatem loci. Jam prope erat ut in ſummum clivi jugum evaderent, quum terga hoſtes dedere, effuſoque curſu pene agmine uno fugientes ſequenteſque caſtris incidere. In eo pavore caſtra capiuntur. qui Volſcorum effugere potuerunt, Antium petunt. Antium & Romanus exercitus ductus: [3] paucos circumſeſſum dies deditur, nulla oppugnantium nova vi; ſed quod jam inde ab infelici pugna, caſtriſque amiſſis, ecciderant animi.

INTERPRETATIO.

b *Poſt primos ordines.*

c *Quantùm vires* Romanorum *patiebantur adverſus* hoſtes *loco ſuperiores.*

NOTÆ.

1. *Simul temeritatem, ſimul ignaviam.*] Hæc duo, inter ſe contraria, non videntur in eoſdem cadere poſſe. Sed Quintius Conſul duo diverſorum temporum peccata eodem tempore militibus exprobrat: alterum, quod prælium iniquo loco temerè ſuſcepiſſent, extortâ potiùs, quàm impetratâ pugnandi copiâ: alterum, quòd ſponte ſuſcepto prælio, nunc ſeguiùs, nec prooſtentata ferocia ſe gerebant.

2. *Impetu capto.*] *Impetum capere* eſt ſeſe excitare, ac vehementiùs commovere, *faire un effort extraordinaire*: aliud *impetum in aliquem facere*, id eſt, impreſſionem, vim inferre: ſed hæc duo plerumque concurrunt.

3. *Paucos circumſeſſum dies deditur.*] Æqui auxiliares in præſidio apud Antium de fuga primùm Romano exercitu adveniente, deinde verò de urbe tradenda, conſilium inierant: hoc cognito Antiates præſidiariorum conſenſu ſe Quintio dediderunt, præſidiumque Romanum acceperunt.

T. LIVII LIB. III.

EPITOME LIBRI TERTII.

SEDITIONES *de agrariis legibus factæ. Capitolium ab exulibus & ſervis occupatum, cæſis iis receptum eſt. Cenſus bis actus. priore luſtro cenſa civium capita, centum quatuor & viginti millia ducenta quatuordecim, præter orbos, orbaſque. ſequenti, centum triginta duo millia quadringenta novem. Quum adverſus Æquos res male geſta eſſet, L. Quintius Cincinnatus dictator factus, quum rure intentus ruſtico operi eſſet, ad id bellum gerendum accerſitus eſt. Is victos hoſtes ſub jugum miſit. Tribunorum plebis numerus ampliatus eſt: ut eſſent decem, trigeſimo ſexto anno à primis tribunis plebis. Petitis per legatos, & allatis Atticis legibus, ad conſtituendas eas proponendaſque Decemviri pro conſulibus ſine ullis aliis magiſtratibus creati, altero & trecenteſimo anno, quam Roma condita erat: & ut à regibus ad conſules, ita à conſulibus ad Decemviros tranſlatum imperium. Ii decem tabulis legum poſitis, quum modeſte ſe in eo honore geſſiſſent, & ob id in alterum quoque annum eundem eſſe magiſtratum placuiſſet, duabus tabulis ad decem adjectis, quum complura impotenter feciſſent, magiſtratum noluerunt deponere, & in tertium annum retinuerunt: donec* [1] *invicto eorum imperio finem attulit libido Ap. Claudii. Qui quum in amorem virginis incidiſſet,* [2] *ſubmiſſo, qui eam in ſervitutem peteret; neceſſitatem patri ejus Virginio impoſuit, rapto ex taberna proxima cultro, ut filiam interimeret, cum aliter eam tueri non poſſet, ne in poteſtatem ſtuprum illaturi veniret. Hoc tam magnæ luxuriæ exemplo plebs incitata, montem Aventinum occupavit: coegitque Decemviros abdicare ſe magiſtratu. ex quibus Appius, & unus collegarum, qui præcipue pœnam meruerunt, in carcerem conjecti; cæteri in exilium acti. Res præterea contra Sabinos, & Volſcos, & Æquos proſpere*

NOTÆ.

1. *Invicto eorum imperio.*] Legendum Gronovius ait *injuſto*, quale revera erat tertio anno Decemvirorum imperium; non *invictum*, niſi fortè ita dicatur, quod ſine provocatione eſſet. Invictum tamen nonnunquam pro pertinaci, accipitur; poteſtque imperium figuratè dici pro imperantibus: Decemviri autem ſe vinci non patiebantur, ut imperium deponerent.

2. *Submiſſo, qui eam in ſervitutem peteret.*] Dicitur *ſubmiſſus* pro ſubornato, clam inducto calumniatore. *Ayant ſuſcité un homme qui demandoit qu'elle luy fuſt adjugée comme ſon eſclave.* Dicitur etiam ſubmitti deprecator, pro clam mitti: ut apud Satyricum: *Et à trepida Thymele ſubmiſſa Latino.*

geſtas continet. & parum honeſtum populi Romani judicium: qui judex inter Ardeates & Aricinos ſumptus, agrum de quo ambigebatur, ſibi adjudicavit.

Urb. cond. an. 286. Coſſ. T. Æmil. II. & Q. Fab.

I. ANTIO capto Tib. Æmilius & Q. Fabius Conſules fiunt. Hic erat Fabius Quintus, [1] « qui unus extinctæ ad Cremeram genti ſuperfuerat. Jam priore Conſulatu Æmilius dandi agri plebi fuerat auctor. Itaque ſecundo quoque Conſulatu ejus, & [2] agrarii ſe in ſpem legis erexerant; & tribuni rem, contra Conſules ſæpe tentatam, adjutore utique Conſule, obtineri poſſe rati, ſuſcipiunt: & Conſul manebat in ſententia ſua. Poſſeſſores & magna pars Patrum, *tribuniciis ſe jactare actionibus principem civitatis, & largiendo de alieno, popularem fieri* querentes; totius invidiam rei à tribunis in Conſulem averterant. Atrox certamen aderat, ni Fabius conſilio neutri parti acerbo rem expediſſet. [a] *T. Quintii ductu & auſpicio agri capti priore anno aliquantum à Volſcis eſſe. Antium propinquam, opportunam, & maritimam urbem, coloniam deduci poſſe: ita ſine querelis poſſeſſorum plebem in agros iturum, civitatem in concordia fore.* Hæc ſententia accepta eſt. Triumviros agro dando creat T. Quinctium, A. Virginium, P. Furium. juſſi nomina dare, qui agrum accipere vellent. FECIT STATIM (ut fit) faſtidium copia; adeoque pauci nomina dedere, ut ad explendum numerum [3] coloni Volſci adderentur: cætera multitudo poſcere Romæ agrum malle, quam alibi accipere. Æqui à Q. Fabio (is eò cum exercitu venerat) pacem petiere, [4] irritamque eam ipſi ſubita incurſione in agrum Latinum fecêre.

INTERPRETATIO.

[a] *Aliquantum eſſe agrorum ſuperiore anno in Volſcis duce T. Quintio captorum.*

NOTÆ.

1. *Qui unus.*] Vide lib. 2. cap. 50.

2. *Agrarii ſe in ſpem legis erexerant.*] Agrarii ſunt plebeji, qui agros ſibi ad ſublevandam inopiam dari cupiebant. Ideo Agripetæ dicti à Cic.

3. *Coloni Volſci adderentur.*] Tradit Dionyſ. lib. 9. ad explendum Coloniæ numerum Latinos & Hernicos fuiſſe additos: agrumque à Triumviris ita diviſum, ut pars Antiatibus Volſcis relicta fuerit.

4. *Irritamque eam.*] Poſt Fabii & Æmilii Conſulatum, cum Antiatum non pauci rebus ſuis exuti, atque ab Æquis ad quos confugerant non illibenter recepti, aſcitis Æquorum audaciſſimis, agros Latinorum latrociniis infeſtarent: Legati Latinorum poſtularunt à Senatu, aut exercitum ad ſe mitti, aut ſibi arma ad defenſionem permitti. Patres maluere tres viros ad Æquos legare, quorum princeps Fabius eorumdem victor, qui res repeterent ac nocentes dedi poſcerent. Æqui non publico conſilio ea geſta reſponderunt: negarunt tamen auctores à ſe dedi poſſe, qui amiſsâ patriâ ſupplices ad ſe veniſſent. His cognitis, & ſimul belli apud Æquos apparatu per Fabium explorato, miſſi à Senatu Feciales, bellum denunciaturi, niſi exules Antiatum dederentur, & rapta redderentur, Æqui ſe non invitos bellum accipere reſponderunt.

II. Q. Servilius inſequenti anno, (is enim [1] cum Sp. Poſtumio Conſul fuit) in Æquos miſſus, in Latino agro ſtativa habuit. [2] intrà caſtra quies neceſſaria morbo implicitum exercitum tenuit. Extractum [3] in tertium annum bellum eſt, Q. Fabio & T. Quintio Conſulibus. Fabio extra ordinem, quia is victor pacem Æquis dederat, ea provincia data, qui haud dubia ſpe profectus, famam nominis ſui pacaturam Æquos, legatos in concilium gentis miſſos nunciare juſſit, *Q. Fabium Cos. dicere, ſe ex Æquis pacem Romam tuliſſe, ab Roma Æquis bellum afferre, eadem dextra armata quam pacatam illis antea dederat. quorum id perfidia & perjurio fiat, Deos nunc teſtes eſſe, mox fore ultores. Se tamen, utcunque ſit, etiam nunc, pœnitere ſua ſponte Æquos, quam pati hoſtilia, malle: Si pœniteat, tutum receptum ad expertam clementiam fore: ſin perjurio gaudeant, Diis magis iratis quam hoſtibus geſturos bellum.* Hæc dicta adeo nihil moverunt quemquam, ut legati prope violati ſint; exercituſque [4] in Algidum adverſus Romanos miſſus. Quæ ubi Romam ſunt nunciata, indignitas rei magis quam periculum, conſulem alterum ab urbe excivit. ita duo conſulares exercitus ad hoſtem acceſſere, acie inſtructa, ut conſeſtim dimicarent. Sed quum forte haud multum diei ſupereſſet, unus ab ſtatione hoſtium exclamat: *Oſtentare hoc eſt, Romani, non gerere bellum. in noctem imminentem aciem inſtruitis. longiore luce ad id certamen quod inſtat, nobis opus eſt. Craſtino die oriente ſole redite in aciem: erit copia*

Urb. cond. an. 287. Coſſ. Q. Servil. Priſc. Sp. Poſtum. an. 288. Coſſ. Q. Fabio & T. Quintio.

NOTÆ.

1. *Cum Sp. Poſtumio.*] Hic ex Senatusconſulto ædem Dii Fidii, locatam à Tarquinio ſuperbo, necdum conſecratam, dedicavit in luco Bellonæ. Dius ille Fidius, alio nomine Sabus fuit, Curium urbis conditor, Enyalii filius habitus, atque ob rei militaris præſtantiam pro Deo cultus à Sabinis.

2. *Intra caſtra quies neceſſaria.*] Sic Campanus quem ſecutus Junta. Id per hypallagen ſic explicari poteſt, ut morbi quibus conflictabatur exercitus, eum intra caſtra, neceſſariò quietum, continuerint. In quibuſdam veteribus editionibus deſunt priora vocabula. Mſſ. complures habent *ſtativa habuit caſtra, quies.* Unde Gronovius legit *ſtativa habuit. Caſtris quies*, &c. Ut infrà hoc libro: *nullâ magnoperè clade acceptâ, caſtris ſe pavidus tenuit.*

3. *In tertium annum.*] Unus fuit intermedius annus, quo Romani exercitum in Æquos, bello quamvis indicto, non miſerunt: ſive quòd auſpicia vetarent, ſive quòd ejus anni parte maximâ variis morbis laboratum eſſet.

4. *In Algidum.*] Fuit Algidum oppidum in extremis Æquorum Romam verſus finibus, in monte & juxta nemus ejuſdem nominis ſitum, via Latinâ, ad dextram: ab aëris algore dictum. Fuit autem, non duodecimo ab urbe milliari, ut eſt apud Eutropium: ſed duodevicesimo fermè, ut corrigit Holſtenius. Hic enim numerus non malè reſpondet 120. ſtadiis, quæ Procop. lib. 3. rer. Gothic. numerat. Situm fuit non ut putabat Ortelius, ubi nunc *Rocca del Papa*: ſed, ut Holſtenius probat, ubi diverſorium publicum, vulgò *l'Oſteria dell'Aglio*, & Silva Algida, hodie *Selva dell'Aglio*, detortâ ex Algido appellatione. Diverſorio illi proximè imminent montium anguſtiæ *la Cava dell'Aglio*, locus ad invadendum agrum Romanum commodiſſimus. Quod autem *in Algidum*, & paulo poſt *ab Algido*, dicit, de monte intelligendum videtur: nam ſi de oppido accipias, nihil opus eſſet præpoſitionibus.

pugnandi, ne timete. His vocibus irritatus miles, in diem posterum in castra reducitur; longam venire noctem ratus, quæ moram certamini faceret. Tum quidem corpora cibo somnoque curant. ubi illuxit, postero die prior aliquanto constitit Romana acies: tandem & Æqui processere. Prælium fuit utrinque vehemens, quod & Romanus ira odioque pugnabat; & Æquos [a] conscientia contracti culpa periculi, & desperatio futuræ sibi postea fidei, ultima audere & experiri cogebat. Non tamen sustinuere aciem Romanam Æqui: pulsique quum in fines suos se recepissent, nihilo inclinatioribus ad pacem animis ferox multitudo increpare duces, *quod in aciem, qua pugnandi arte Romanus excellat, commissa res sit. Æquos populationibus incursionibusque meliores esse, & multas passim manus, quam magnam molem unius exercitus, rectius bella gerere*.

Urb. cond. an. 288. Coss. T. Quint. & Q. Fab.

III. Relicto itaque castris præsidio, egressi tanto cum tumultu invasere fines Romanos, ut ad urbem quoque terrorem pertulerint. nec opinata etiam res plus trepidationis fecit; quod nihil minus quam ne victus, ac prope in castris obsessus hostis, memor populationis esset, timeri poterat. [a] agrestesque pavidi incidentes portis non populationem, nec prædonum parvas manus, sed omnia vano augentes timore, *exercitus & legiones adesse hostium, & infesto agmine ruere ad urbem*, clamabant. Ab his proximi audita incerta, eoque vaniora, ferre ad alios. cursus clamorque vocantium ad arma, haud multum à pavore captæ urbis abesse. Forte ab Algido Quintius Consul redierat Romam: id remedium timori fuit. tumultuque sedato, [b] victos timeri increpans hostes, præsidia portis imposuit. Vocato deinde senatu, quum ex auctoritate Patrum [1] justitio indicto profectus ad tutandos fines esset [2] Q. Servilio, [3] præfecto urbis relicto; hostem in agro non

INTERPRETATIO.

a *Cognitione periculi quod culpâ suâ sibi conflaverant*.

a *Et trepidi agricolæ incurrentes in portas*.

b *Exprobrans* Romanis *quod victos hostes timerent*.

NOTÆ.

1. *Justitio indicto*.] Justitium quasi à jure sistendo dictum, est cum jurisdictio intermittitur. Non solebat autem Justitium indici nisi periculosis admodum reip. temporibus, cum ad arma pro publica salute capienda omnes vocandi erant.

2. *Q. Servilio*.] Illo nempe qui superiori anno Consul fuerat.

3. *Præfecto urbis relicto*.] Præfectum urbis sive urbi (utrumque enim Latinè dicitur) primis temporibus Reges, (quemadmodum lib. 1. vidimus): deinde mutato reip. statu. Consules, nondum instituto Prætore, extra ordinem, atque in tempus creabant, ut esset, qui, foras profectis summis magistratibus, jus in urbe redderet, urbanaque negotia moderaretur. Post prætoris munus introductum, mansit Præfectorum urbis nomen & simulacrum, ut vocat Tacit. lib. 6. annal. in iis, qui quotannis in dies paucos, feriarum Latinarum causâ absentibus Magistratibus, imperii Consularis imaginem magis, quàm rem, mandato Consulum gerebant. Sed An-

invenit. 4 Ab altero Conſule res geſta egregie eſt. qui quã venturum hoſtem ſciebat, gravem præda, eoque impediſtiore agmine incedentem aggreſſus, funeſtam ei populationem fecit. Pauci hoſtium evaſere in inſidiis: præda omnis recepta eſt. ſic finem juſtitio quod quatriduum fuit, reditus Quintii Conſulis in urbem fecit. Cenſus deinde actus, & 5 condictum à Quintio luſtrum. 6 cenſa civium capita centum quatuor & viginti millia ducenta quindecim dicuntur: 7 præter orbos orbaſque. In Æquis nihil deinde memorabile actum. in oppida ſua ſe recepere, uri ſua popularique paſſi. Conſul, quum aliquoties per omnem hoſtium agrum infeſto agmine populabundus iiſſet, cum ingenti laude prædaque Romam rediit.

IV. Conſules inde 1 A. poſtumius Albus, Sp. Furius Fuſus. 2 Furios Fuſios ſcripſere quidam. id admoneo, ne quis immutationem virorum ipſorum eſſe, quæ nominum eſt, putet. Haud dubium erat, quin cum Æquis alter Conſulum bellum gereret. Itaque Æqui 3 ab Ecetranis Volſcis præſidium petiere. quo cupide oblato (adeo civitates hæ perpetuo in Romanos odio certavere) bellum ſumma vi parabatur. Sen-

Urb. cond. an. 289. Coſſ. A. Poſtum. Alb. Sp. Fur. & Fuſ.

NOTÆ.

guſtus Præfectorum urbis, novum genus conſtituit ex Suet. & Tac. quorum ordinarius in jure dicundo & regenda civitate Magiſtratus eſſet, & juriſdictio ſupra prætoriam ad centum quaquaverſum millia paſſuum circa urbem. Diviſo per Conſtantinum imperio, duo fuere præfecti urbi, alter Romæ, alter Conſtantinopoli, quæ nova Roma.

4. *Ab altero Conſule*.] T. Quintio Capitolino, cujus poſt quatriduum reditus juſtitio finem impoſuit.

5. *Condictum à Quintio Luſtrum*.] Conſulum hæ partis fuêre ut Luſtrum condererent, nondum creatis Cenſoribus; quod non niſi tertio & vigeſimo ab hinc anno factum. De Luſtro dictum ad lib. 1. c. 44.

6. *Cenſa civium capita centum quatuor & viginti millia ducenta quindecim*.] Ita Sigon. ex libris. Summam autem Civium, quater centenorum millium &c. quam Rhenanus ponit, his temporibus non convenire ait. Nam multos per annos cc. tantùm aut ſummùm ccc. millia cenſa ſunt: ſerò autem cccc. millia.

7. *Præter orbos orbaſque*.] Ex Dionyſio, Livioque diſcimus puberes tantùm, quique arma ferre poſſent, cenſeri ſolitos, excluſis non modò ſervis ac peregrinis, ſed & mercatoribus, iiſque qui viles artes exercerent. Vide Sigonium lib. 1. de antiquo Jure Civium Romanor. cap. 14. Nihil itaque mirum, ſi tum virgines ac mulieres, itemque maſculi utroque parente orbati; tum ſeniores qui liberis carebant, cum ad militiæ munia idonei non eſſent, in cenſum non adſcriberentur.

1. *A. Poſtumius*.] Dictatoris A. Poſtumi filius fuit hic A. Poſtumius. Furio Gentile Medulliini cognomen Diodorus Siculus addit.

2. *Furios Fuſios*.] Hinc lex Fufia Caninia. quam temporibus Auguſti M. Furius Camillus, cum C. Caninio tuliſſe creditur. Sic pro Veturiis Vetuſii, & Valeſii pro Valeriis dicti: ſatis frequenti litteræ *r* in *ſ* mutatione, in nominibus præſertim propriis,

3. *Ab Ecetranis Volſcis*.] Ut Antium in maritima, & Sueſſa Pometia in Campeſtri, ſic *Ecetra*, ſive *Echetra* in montana Volſcorum regione primaria civitas fuit, ubi & totius nationis comitia plerumque celebrata, ut ex Dionyſio libr. 8. liquet. Erat in Æquorum & Hernicorum confinio, ſupra Signiam Aquilonem verſus, Anagniæ vicinior ad Corum: in eo tractu, ni fallor, ubi nunc *Paliano*.

Urb. cond. an. 289. Coſſ. A. Poſtum. Alb. Sp. Fur. & Fuſ.

tiunt Hernici, & prædicunt Romanis, Ecetranum ad Æquos deſciſſe. 4 ſuſpecta & colonia Antium fuit, quod magna vis hominum inde, quum oppidum captum eſſet, confugiſſet ad Æquos. iſque miles per bellum Æquicum vel acerrimus fuit. Compulſis deinde in oppida Æquis, ea multitudo dilapſa quum Antium rediiſſet, ſua ſponte jam infidos colonos Romanis abalienavit. 5 Nec dum matura re, quum defectionem parari delatum ad ſenatum eſſet; datum negotium eſt Conſulibus, ut principibus coloniæ Romam excitis, quærerent, quidnam rei eſſet. qui quum haud gravate veniſſent, introducti à Conſulibus ad Senatum, ita reſponderunt ad interrogata, ut magis ſuſpecti, quam venerant, dimitterentur. Bellum inde haud dubium haberi. Sp. Furius, Conſulum alter, cui ea provincia evenerat, profectus in Æquos, Hernicorum in agro populabundum hoſtem invenit: 6 ignaruſque multitudinis, quia nuſquam univerſa conſpecta fuerat, imparem copiis exercitum 7 temere pugnæ commiſit. primo concurſu pulſus ſe in caſtra recepit. neque is finis periculi fuit: namque & proxima nocte & poſtero die tanta vi caſtra ſunt circumſeſſa atque oppugnata, 8 ut ne nuncius quidem inde mitti Romam poſſet. Hernici *& male pugnatum, & Conſulem exercitumque obſideri*, nunciaverunt. tantumque terrorem incuſſere Patribus, ut (quæ forma ſenatusconſulti 8 ultimæ ſemper neceſſitatis habita eſt) Poſtumio alteri Conſulum negotium daretur, *Videret 9 ne quid reſpubl. detrimenti caperet*. Ipſum Conſulem Romæ manere ad conſcribendos omnes qui arma ferre poſſent, optimum viſum eſt: 10 proconſulem T. Quintium ſubſidio caſtris cum ſociali exercitu mitti. ad

INTERPRETATIO.

8 *Semper in extremis periculis adhiberi ſolita.*

NOTÆ.

4. *Suſpecta & Colonia Antium fuit.*] Nuncii Latinorum indicarunt Senatui, Antiates, (Æquis aliiſque Volſcis eos ſolicitantibus, operâ præſertim eorum qui, diviſo Colonis agro, Antium, deſerere coacti, ad Æquos transfugerant) hoſtilia meditari, nec eos ſolùm, ſed & advenas eò in Coloniam miſſos.

5. *Necdum maturâ re.*] Cum defectionis conſilium nondum planè cepiſſent Antiates.

6. *Ignaruſque multitudinis.*] Junctis Æquis Volſci, majorem ejus exercitûs partem conficiebant, novaque hoſtibus utrinque ſubſidia ſubmiſſa fuerant.

7. *Temerè pugnæ commiſit.*] Exercitum imprudenter inito prælio, in diſcrimen dedit. *Il hazarda mal-à-propos ſon armée au ſort d'une bataille.*

8. *Ut ne nuncius quidem inde mitti Romam poſſet.*] Aliter Dionyſius libro 9. Refert enim à Furio Cos. equites in urbem cum litteris miſſos, factumque ante lucem de auxiliis ei mittendis Senatusconſultum vocatis decreto in curiam patribus per Poſtumium collegam.

9. *Ne quid reſpub. detrimenti caperet.*] Senatusconſulto in hanc formam facto, *viderent Coſſ. ne quid reſp. detrimenti caperet*, Conſulibus tota res publica committebatur, ita ut ab iis provocatio non eſſet, etiam intra urbem.

10. *Proconſule T. Quintium.*] Ita veteres libri: quædam editiones *Proconſulem T. Quintium*, Neutra lectio quicquam habet quod arguas. Nam & Pro-

cum

eum explendum Latini Hernicique, & colonia Antium dare Quintio ſubitarios milites (ita tum repentina auxilia appellabant) juſſi.

V. Multi per eos dies motus, multique impetus hinc atque illinc facti; quia ſuperante multitudine hoſtes [a] carpere multifariam vires Romanas, ut non ſuffecturas ad omnia, aggreſſi ſunt. ſimul caſtra oppugnabuntur, ſimul pars exercitus ad populandum agrum Romanum miſſa; urbemque ipſam, ſi qua fortuna daret, tentandam. L. Valerius ad præſidium urbis relictus, Conſul Poſtumius ad arcendas populationes finium miſſus. Nihil remiſſum ab ulla parte curæ aut laboris. vigiliæ in urbe, ſtationes ante portas, præſidiaque in muris diſpoſita: & (quod neceſſe erat in tanto tumultu) juſtitium per aliquot dies ſervatum. Interim in caſtris Furius Cos. quum primo quietus obſidionem paſſus eſſet, in incautum hoſtem [1] decumana porta erupit: & quum perſequi poſſet, metu ſubſtitit, [2] ne qua ex parte altera in caſtra vis fieret. Furium legatum (frater idem Conſulis

Urb. cond. an. 289. Coſſ. A. Poſtum. & Sp. Fur.

INTERPRETATIO,

a *Copias Romanorum multis locis delibare.*

NOTÆ.

conſul dicebatur, & divisè *pro conſule*, qui ad Provinciam adminiſtrandam cum imperio Conſulari mittebatur, Conſuliſque loco erat, non tamen Conſul. Nam Proconſulatus, ut Sigonius obſervat, non eſt magiſtratus: ſed imperium, aut extra ordinem privato datum, ut nunc T. Quintio; aut ex Conſulatu prorogatum, ut Publilio Philoni, de quo Livius lib. 8. cap. 26. Quæ quidem, ſi ad hæc prima reip. tempora referas, vera erunt. At temporibus imperatorum, Proconſulatus, quo Provinciarum populo ab Auguſto relictarum ordinaria adminiſtratio mandabatur à Senatu, magiſtratus erat: imò ut ait Ulp. Juriſconſultus: *Cum pleniſſimam juriſdictionem Proconſul habeat; omnium partes, qui Roma quaſi magiſtratus, vel extra ordinem jus dicunt, ad eum pertinent.*

1. *Decumanâ portâ.*] Caſtra Romanorum quadrata, ut plurimùm & æquilatera, pro laterum numero portis quatuor majoribus adiri ſolebant, Prætoriâ, Decumanâ, & Principalibus duabus. Prætoria, ſi Lipſium audimus, ſic dicebatur quod prætorio, id eſt, tentorio Conſulis, ſive alterius ſummi ducis (qui olim generali Prætorum nomine cenſebantur) proxima eſſet. Ea Orientem ferè, vel hoſtes, ſi vicini eſſent, ſpectabat. Decumana à cohortibus decimis legionem eâ parte tendentibus appellata, in remotiſſimo à prætorio atque ab hoſtibus latere ſita. Per hanc plurimùm aquabantur & pabulabantur: unde in illam verſa fuiſſe videtur tota caſtrorum facies. Principales ſive Principiales, circa Principia, ubi milites Prætorio proximi tendebant, alia latera aperiebant: una dextrum, altera lævum. De his paulò alitet Alex. ab Alexandro; & Turneb. qui Portam Prætoriam cum Quæſtoria confundunt. Ille præterea Quæſtoriam eamdem cum Decumana facit, ductâ ex Livii lib. 10. cap. 32. conjecturâ. Uterque unam agnoſcit Principalem: cum duas fuiſſe dexteram & ſiniſtram probet Lipſ. ex eodem Liv. lib. 4. cap. 27. Extraordinariam, quam alii diverſam à cæteris eſſe volunt, eamdem Lipſius cum Prætoria: Quintanam quæ ex Feſto additur, non portam, ſed viam fuiſſe contendit; ad quam quintæ cohortes tenderent.

2. *Ne qua ex parte altera in caſtra vis fieret.*] Non altera in caſtra, Quintii nimirum, qui ſubſidio miſſus; ſed in caſtra ipſius Furii Conſulis alterâ ex parte, ſive ex alio latere,

Urb. cond. an. 289. Coſſ. A. Poſtum. & Sp. Fur.

erat) b longius extulit curſus: nec ſuos ille redeuntes, perſequendi ſtudio, neque hoſtium ab tergo incurſum vidit. ita excluſus, multis ſæpe fruſtra conatibus captis, ut viam ſibi ad caſtra faceret, acriter dimicans, cecidit. Et Conſul nuncio circumventi fratris converſus ad pugnam, dum ſe temere magis quam ſatis caute in mediam dimicationem infert, vulnere accepto, ægre ab circumſtantibus ereptus; & ſuorum animos turbavit, & ferociores hoſtes fecit. qui cæde legati, & Conſulis vulnere accenſi, nulla deinde vi ſuſtineri potuere, quum compulſi in caſtra Romani rurſus obſiderentur, nec ſpe, nec viribus pares: veniſſetque in periculum ſumma rerum, ni T. Quintius 3 peregrinis copiis cum Latino Hernicoque exercitu ſubveniſſet. Is intentos in caſtra Romana Æquos, legatique caput ferociter oſtentantes, ab tergo adortus, ſimul ad ſignum à ſe procul editum ex caſtris eruptione facta, magnam vim hoſtium circumvenit. Minor cædes, fuga effuſior Æquorum, in agro fuit Romano. in quos palatos, prædam agentes, Poſtumius aliquot locis, quibus opportuna impoſuerat præſidia, impetum dedit. ii vagi diſſipato agmine fugientes, in Quintium victorem cum ſaucio Conſule revertentem incidere. Tum Conſularis exercitus egregia pugna Conſulis vulnus, legati & cohortium ultus eſt cædem. magnæ clades ultro citroque illis diebus & illatæ & acceptæ. Difficile ad fidem eſt in tam antiqua re, quot pugnaverint, ceciderintve, exacto affirmare numero: audet tamen Antias Valerius c concipere ſummas: Romanos cecidiſſe in Hernico agro quinque millia ac trecentos: ex prædatoribus Æquorum, qui populabundi in finibus Romanis vagabantur, ab A. Poſtumio Conſule duo millia quadringentos cæſos, cæteram multitudinem prædam agentem, quæ inciderit in Quintium, 5 nequaquam pari defunctam eſſe cæde. interfecta inde quatuor millia, & 4 exſequendo ſubtiliter numerum ce ait & xxx. Inde Romam reditum eſt: 6 juſtitium remiſſum. Cœlum viſum eſt ardere plurimo igni:

INTERPRETATIO.

b *Impetus impulit*, ad progrediendum *ultra quàm oportebat, & ille ardore perſequendi hoſtes*, &c.

c *Exprimere* exactè *numerum*.

NOTÆ.

3. *Peregrinis copiis, cum Latino, Hernicoque exercitu.*] Quid ergo, nonne *Latini*, *Hernicique* hoc tempore inter peregrinos? Nondum certè civitate donatos comperio. Sed nimirum indicare voluit auctor quibus ex gentibus peregrinæ hæ copiæ coaleſcerent, ut *Latinus Hernicuſque exercitus*, explicatio ſit præcedentium, non diſtinctio.

4. *Exſequendo ſubtiliter numerum.*] Vult Livius Valerium Antiatem, præter hiſtoricorum morem (qui millenario ferè numero ſe tenent, raro deſcendunt ad centenarium, rariùs ad minutiores), non contentum rotundo numero, ducentos præterea & triginta non ſine affectatione quadam expreſſiſſe.

5. *Nequaquam pari defunctam eſſe cæde.*] Sed majori. Gall. *Les autres n'en avoient pas eſté quittes à ſi bon marché.*

6. *Juſtitium remiſſum.*] Remitti dicitur juſtitium, cum facultas tractandæ

PORTENTAQUE ALIA aut obverſata oculis, aut vanas exterritis oſtentavere ſpecies. His avertendis terroribus in triduum [7] feriæ indictæ, per quas omnia delubra pacem Deûm expoſcentium virorum mulierumque turba implebantur. Cohortes inde Latinæ Hernicæque ab ſenatu, gratiis ob impigram militiam actis, remiſſæ domos. Antiates mille milites, quia ſerum auxilium poſt prælium venerat, prope cum ignominia dimiſſi.

VI. Comitia inde habita. creati Conſules L. Æbutius, P. Servilius, Kalendis Sextilibus, [1] ut tunc principium anni agebatur, Conſulatum ineunt. Grave tempus & forte annus peſtilens erat urbi agriſque, nec hominibus magis quam pecori; [a] & auxere vim morbi terrore populationis pecoribus agreſtibuſque in urbem acceptis. Ea colluvio miſtorum omnis generis animantium, & odore inſolito urbanos, & agreſtem confertum in arcta tecta æſtu ac vigiliis angebat, miniſteriaque invicem ac contagio ipſa vulgabant morbos. Vix inſtantes ſuſtinentibus clades, repente legati Hernici nunciant, *in agro ſuo Æquos Volſcoſque conjunctis copiis caſtra poſuiſſe. inde ingenti exercitu fines ſuos depopulari.* Præterquam quod infrequens ſenatus indicio erat ſociis afflictam civitatem peſtilentia eſſe; mœſtum etiam reſponſum tulere: *ut per ſe ipſi Hernici cum Latinis res ſuas tutarentur. Urbem Romanam ſubitâ* Urb. cond. an. 290. L. Æbut. Elva, & P. Servil. Priſc.

INTERPRETATIO.

[a] *Majorem effecere violentiam peſtilentia* Romani, *recipiendo intra urbem pecora & ruſticos ob metum populationum. Ha variorum animalium ſimul permixtorum ſordes, tum urbanos odore inſueto, tum agreſtes arctis domibus acervatim incluſos, à nimio calore, atque inſomnâ conficiebant; mutuaque ægris exhibita miniſteria, & contactus morbum propagabant.*

NOTÆ.

rum litium reſtituitur. Eo uſque ſiſtebatur, & ceſſabat jus, inhibitaque juriſdictione tria verba filebantur a prætore, *do, dico, addico.*

7. *Feriæ indictæ.*] Imperativæ fuerunt hæ feriæ, utpote extra ordinem indictæ, quod plerumque victoriæ alteriuſve lætitiæ publicæ causâ fiebat ad gratias Diis agendas; aliquando, ut hoc loco, in publico mœrore ac rebus afflictis, ad deprecandam numinis iram.

1. *Ut tunc principium anni agebatur.*] Quis expulſis regibus dies magiſtratibus ineundis ſolennis, nullibi ſe reperire potuiſſe fatetur Perionius lib. 3. de Magiſtr. Rom. apud Godel. De primorum Conſulum Junii Bruti & Tarquinii Collatini initio dictum lib. 2. cap. 1. Sed poſteà Kalendas ſextiles ſolennes ineundis magiſtratibus fuiſſe ex hoc Livii loco patet: atque hic mos ad Decemviros videtur perſeveraſſe, id eſt, ad an. U. C. 300. annos ſcilicet non amplius decem. Nam an. 302. Idus Majæ ſolennes huic rei erant, teſte Liv. hujus lib. cap. 36. Notat idem lib. 5. cap. 9. Idibus Decembris inire magiſtratum ſolitos Tribunos militum Conſulari poteſtate: anno deinde 414. Kalend. Quintiles, id eſt, Julii initium honoribus gerendis dederunt, ut ex lib. 8. cap. 3. & 20. colligere eſt: tum temporibus belli Punici ſecundi, & Macedonici Idus Martiæ ſolennis accipiendis muneribus dies fuit, quod plura libri præſertim 26. loca evincunt. Tandem anno U. C. 600. Conſules Kalendis Januarii magiſtratum inierunt.

Urb. cond. an. 290. Coſſ. L. Æbut. Elva, & P. Servil. Priſc.

Deûm ira 2 *morbo populari. Si qua ejus mali quies veniat, ut anno antè, ut ſemper aliàs, ſociis opem laturos.* Diſceſſere ſocii, 3 pro triſti nuncio triſtiorem domum referentes; quippe quibus per ſe ſuſtinendum bellum erat, quod vix Romanis fulci viribus ſuſtinuiſſent. Non diutius ſe in Hernico hoſtis continuit. pergit infeſtus in agros Romanos; 4 etiam ſine belli injuria vaſtatos. Ubi quum obvius nemo, ne inermis quidem, fieret, perque omnia non præſidiis modo deſerta, ſed etiam cultu agreſti, tranſirent; pervenere ad tertium lapidem 5 Gabina via. Mortuus Æbutius erat Romanus Conſul. collega ejus Servilius exigua in ſpe trahebat animam; affecti plerique principum, Patrum major pars, militaris fere ætas omnis: ut non modo ad expeditiones quas in tanto tumultu res poſcebat, ſed vix ad quietas ſtationes viribus ſufficerent. 6 Munus vigiliarum ſenatores, qui per ætatem ac valetudinem poterant, per ſe ipſi obibant: 7 circuitio ac cura 8 ædilium plebei erat. ad eos ſumma rerum ac majeſtas Conſularis imperii venerat.

VII. Deſerta omnia, ſine capite, ſine viribus, 9 Dii præſides ac fortuna Urbis tutata eſt; quæ Volſcis Æquiſque, prædonum potius mentem quam hoſtium dedit. 1 adeo enim nulla ſpes non potiundi modo, ſed

NOTÆ.

2. *Morbo populari.*] Sumitur ergo *populari* paſſivâ ſignificatione, ut ſupra extremo cap. 3. Quidni autem ita ſumatur, cum Virgil. activè dixerit,

—— *formica farris acervum*
Cum populant.

Niſi mavis *morbo populari*, pro peſtifero morbo accipere, ac populariter graſſante. Sed adjiciendum erit verbum, laborare, afflictam eſſe.

3. *Pro triſti nuncio.*] Legati ſociorum triſtem nuncium attulerant Romam, direptarum nimirùm ab Æquis & Volſcis rerum ſuarum: triſtiorem adhuc ad ſuos referebant, nempe peſtilentiæ, quâ laborantes Romani nullam ipſis opem ferre poterant.

4. *Etiam ſine belli injuria vaſtatos.*] Ipſa deſertione colonorum, qui in urbem confugerant.

5. *Gabinâ viâ.*] Quâ Gabiis in urbem veniebatur: viæ Prænestinæ proxima, ſi non ejus pars.

6. *Munus vigiliarum.*] Senatores in hoc periculo munia militum & plebejorum obibant.

7. *Circuitio ac cura.*] Onus circumeundi vigilias, eaſque mutandi; (*de faire la ronde*:) & reliqua primatum in obſidione munia obeundi.

8. *Ædilium plebei.*] Seceſſione in Sacrum montem, an. U. C. 261. plebs obtinuerat, ut ſibi liceret è ſuo corpore Ædiles duos cum Tribunis plebis creare, qui eſſent horum velut ſocii, aut miniſtri; quique initio Judices dicti, quòd lites nonnullas juſſu Tribunorum dijudicarent. Poſteà Ædiles appellati ſunt ab officiorum uno: habebant enim ædium ſacrarum, locorum publicorum, & annonæ, rerumque aliarum curam. Græcorum agoranomis magna ex parte ſimiles, auctore Dionyſio lib. 6. Alii poſteà Ædiles, conceſſo plebi jure Conſulatus, creari cepere ex patriciis, exemplo prætoris an. U. C. 306. Hi ad differentiam plebejorum, Curules appellati. Quâ de re lib. 6. cap. ult. & lib. 7. cap. 1. Tertium Ædilium genus, & ipſum è patriciis, inſtitutum, an. 709. à Jul. Cæſare, quos Cereales vocavit, quòd frumento præeſſent.

1. *Adeò enim.*] Non video cui uſui particula *enim*. Delenda ergo, niſi velis totam periodum ſic invertere. *Adeo enim nulla ſpes potiundi Romana mania animos eorum cepit: ut ne eo quidem adeundi mens ceperit.*

Urb. cond. an. 290. Coſſ. L. Æbut. Elva, & P. Servil. Priſc.

2 ne adeundi quidem Romana mœnia animos eorum cepit: tectaque procul viſa atque imminentes tumuli avertere mentes eorum: ut totis paſſim caſtris 3 fremitu orto; *quid in vaſto ac deſerto agro inter tabem pecorum hominumque, deſides ſine præda tempus terrerent, quam integra loca, Tuſculanum agrum, opimum copiis, petere poſſent;* ſigna repente convellerent: tranſverſiſque itineribus per Lavicanos agros in Tuſculanos colles tranſirent. eò vis omnis tempeſtaſque belli converſa. Interim Hernici Latinique, pudore etiam, non miſericordia ſolum, moti, ſi nec obſtitiſſent communibus hoſtibus, infeſto agmine Romanam urbem petentibus, nec opem ullam obſeſſis ſociis ferrent: conjuncto exercitu Romam pergunt. Ubi quum hoſtes non inveniſſent, ſecuti famam ac veſtigia, obvii fiunt deſcendentibus ab Tuſculano in Albanam vallem. ibi haudquaquam æquo prælio pugnatum eſt: a fideſque ſua ſociis parum felix in præſentia fuit. Haud minor Romæ fit morbo ſtrages, quam quanta ferro ſociorum facta erat. Conſul, qui unus ſupererat, 4 moritur. mortui & alii clari viri, M. Valerius, 5 T. Virginius Rutilus, augures; Ser. Sulpicius, 6 Curio Maximus; & per ignota capita 7 latè evagata eſt vis morbi: inopſque ſenatus auxilii humani, b ad Deos populum ac vota vertit. juſſi cum conjugibus ac liberis ſupplicatum ire, pacem-

INTERPRETATIO.

a Et *ſociis infeliciter ſucceſſit ſua fides* in Romanos. *Nec minùs eadem* in hos domi *edidit peſtilentia, quàm gladius in Latinos Hernicoſque* in prælio.

b *Senatus plebem votaque* publica *convertit ad Deos; quorum ira placanda juſſi per ſupplicationes templa adire*, omnes Romani unà *cum uxoribus & progenie* quiſque ſua.

NOTÆ.

2. *Ne adeundi quidem Romana mœnia.*] Dionyſius lib. 9. à Volſcis & Æquis tentatam quidem, ſed fruſtra Romam urbem ait; cujus ſalutem partim ejus per id tempus amplitudini & munitionibus, quas deſcribit, partim obſidendarum urbium ignotæ adhuc arti aſſignat.

3. *Fremitu orto; quid in vaſto.*] Ut coorto fremitu vociferari ceperint, & quærere *cur in deſerto agro tempus terrerent?* Nihil eſt itaque quod τὸ *quid* deleamus, ut delendum cenſuit. Tanaq. Fab.

4. *Moritur.*] Imò ſi Dionyſio credendum, hic Conſul P. Servilius venientibus ad circumſidendam urbem Æquis Volſciſque, jam vitâ exceſſerat.

5. *T. Virginius Rutilus.*] Sic ſcribendum auctore Sigonio ex Capitolinis fragmentis, non *Rutilius*, quod nomen eſt gentis: hic autem cognomen quæritur.

6. *Curio maximus.*] De Curionibus, qui curiis præerant ex Romuli inſtituto, dictum lib. 1. cap. 13. His omnibus unus erat præfectus, qui *Curio maximus* dicebatur; curiatis comitiis creari ſolitus: nec niſi ex nobilitate, ut infrà videbimus lib. 37. Si ad mores noſtros reſpiciamus, ut Curionibus Parochi, ita Curioni maximo reſpondebit Archipresbyter, aut Archidiaconus.

7. *Latè evagata eſt vis morbi.*] Participium *evagata* hic locum non habere monet Rhenanus, jubetque caſtigari *latè vagata eſt*. Sed cum *evagari*, non modò extra certum locum, ſed etiam ſupra modum vagari ſignificet: nihil opinor correctione opus.

que expoſcere Deûm. [a] Ad id quod ſua quemque mala cogebant, auctoritate publica evocati, omnia delubra implent. ſtratæ paſſim matres [8] crinibus templa verrentes, veniam irarum cœleſtium, finemque peſti expoſcunt.

VIII. Inde paulatim, [b] ſeu pace Deûm impetrata, ſeu [c] graviore tempore anni jam circumacto, defuncta morbis corpora ſalubriora eſſe incipere: verſiſque animis jam ad publicam curam, [1] quum aliquot interregna exiſſent, P. Valerius Poplicola, tertio die quam interregnum inierat, Conſules creat L. Lucretium Tricipitinum, & T. Veturium Geminum; [2] ſive ille Vetuſius fuit. [3] Ante diem tertium Idus Sextiles Conſulatum ineunt, [4] jam ſatis valida civitate, ut non ſolum arcere bellum, ſed ultro etiam inferre poſſet. Igitur nunciantibus Hernicis, in fines ſuos tranſcendiſſe hoſtes, impigre promiſſum auxilium. duo Conſulares exercitus ſcripti. Veturius miſſus in Volſcos ad bellum ultro inferendum. Tricipitinus [5] populationibus arcendis ſociorum agro oppoſitus, non ultra quam in Hernicos procedit. Veturius primo prælio hoſtes fundit fugatque. Lucretium, dum in Hernicis ſedet, prædonum agmen fefellit, ſupra montes Prænestinos ductum, inde [6] demiſſum in campos. Vaſtavere agros Prænestinum Gabinumque; ex Gabino in Tuſculanos flexere colles: urbi quoque Romæ ingens præbitus ter-

Urb. cond. an. 291. Coſſ. L. Lucret. Tricip. & T. Vetur. Gemin.

INTERPRETATIO.

a *Præterquàm quod.*
b *Veniâ abs Diis obtentâ.*
c *Evolutâ jam anni tempeſtate difficiliori, corpora poſt morbos exantlatos valetudinem firmiorem eranc adepta.*

NOTÆ.

8. *Crinibus templa verrentes.*] Inter ſupplicantium ritus illud obſervabatur à veteribus, ut ad aram placandi numinis proſtrati reperent viri; matronæ autem ſolum quoque templi crinibus ſuis verrerent, ut Turnebus lib. 29. Adverſa. cap. 30. obſervat.

1. *Quum aliquot interregna exiiſſent.*] Quoties nullus erat ſummus magiſtratus, Interreges creari ſolitos, qui per quinos quiſque dies imperium haberent, & quorum auſpiciis, Rex initio, tempore autem Reip. Conſules crearentur, ſatis notum ex iis, quæ de interregno; & interregibus dicta lib. 1. cap. 17.

2. *Sive ille Vetuſius fuit.*] Vide quæ ſuprà de Furiis & Fuliis cap. 4. hujus libri.

3. *Ante diem tertium Idus Sextiles.*] Nota eſt locutio pro *tertio die ante Idus.* Hoc itaque anno Conſulatum inierunt L. Lucretius Tricipitinus, & T. Veturius Geminus die 9. Auguſti: qui veteribus dies tertius Idus Sextiles.

4. *Jam ſatis valida civitate.*] Ubi Lucretius & Veturius Conſulatum iniere, ſtatim peſtilentia deſiit: ſimulque à civili tumultu quies fuit, Sex. Titio Trib. pleb. qui legis Agrariæ mentionem injecerat, ab ipſa plebe cohibito; & feliciora tempora expectare juſſo.

5. *Populationibus arcendis ſociorum agro oppoſitus.*] *Ob* in compoſitione plerumque ſignificat *contrà*: quo ſenſu ſi hoc loco accipiamus *oppoſitum*, ſubintelligendum erit *hoſtibus*, oppoſitus ſcilicet, ad arcendas à ſociorum agro populationes. Sed nonnunquam *ob* accipitur pro *ad*, ut in *obvertere*, *obire*, *obtingere*. Quâ ratione *oppoſitus* hic pro appoſito agris tuendis ſumetur.

6. *Demiſſum in campos.*] Per campos Livius planiciem intelligit, quæ inter Prænestinos ac Tuſculanos montes jacet.

nor, magis in re subita, quam quod ad arcendam vim parum virium esset. Q. Fabius præerat urbi. is armata juventute, dispositisque præsidiis, tuta omnia ac tranquilla fecit. Itaque hostes, prædâ ex proximis locis raptâ, appropinquare urbi non ausi, quum circumacto agmine redirent, quanto longius ab urbe hostium abscederent, [c] eo solutiore cura in Lucretium incidunt Consulem, jam ante [7] exploratis itineribus suis instructum, & ad certamen intentum. Igitur præparatis animis, repentino [8] pavore perculsos adorti aliquanto pauciores multitudinem ingentem fundunt, fugantque, & compulsos in cavas valles, [9] quum exitus haud in facili essent, circumveniunt. Ibi Volscum nomen prope deletum est. tredecim millia quadringentos septuaginta cecidisse in acie ac fuga, mille ducentos quinquaginta vivos captos, signa viginti septem militaria relata, in quibusdam annalibus invenio. ubi etsi adjectum aliquid numero sit, magna certè cædes fuit. Victor Consul ingenti præda potitus, eadem in stativa rediit. Tunc Consules castra conjungunt: & Volsci Æquique afflictas vires suas in unum contulere. [10] Tertia illa pugna eo anno fuit. eadem fortuna victoriam dedit. fusis hostibus etiam castra capta.

Urb. cond. an. 291. Coss. L. Lucret. & T. Vetur.

IX. Sic res Romana in antiquum statum rediit; secundæque belli res extemplo urbanos motus excitaverunt. [1] C. Terentillus Arsa, tribunus plebis eo anno fuit. is Consulibus absentibus ratus locum [a] tribuniciis actionibus datum, per aliquot dies Patrum superbiam ad plebem criminatus; maximè in Consulare imperium, tanquam

INTERPRETATIO.

c *Tantò negligentius agentes.*
a Accusatoriis *contionibus Tribunorum.*

NOTÆ.

7. *Exploratis itineribus suis.*] Quid ergo Lucretius Consul propria itinera explorabat? An potiùs prædonum, qui ex Æquorum gente lateater in vicina urbi loca irruperant? Utrumque dici potest. Nam & pronomen *suum* non semper reciprocè dici notius est, quàm ut probari debeat. Igitur *itineribus suis*, pro itineribus eorum. Et nihil vetat quominus itinera sua futura, quà ad hostes commodè iturus esset, exploraverit Lucretius.

8. *Pavore perculsos adorti.*] Romani scilicet, qui animis præparatis erant. Priùs de Consule sermo erat: sed non inelegantèr mutatâ personâ vel numero, regimen mutatur.

9. *Quum exitus haud in facili essent.*] Ita Rhenanus. Sigonius ex vet. Cod. *cum exitus haud inde faciles:* Gruterus ex Andr. *in facili* esset. Verùm *in facili* & *in difficili esse* Latinè rectè dici probat Gronovius ex Seneca & Plinio. Et *Exitus* sæpenumero plures, ideoque plurali numero designari ex Cic. atque ex nostro non uno loco, ostendit.

10. *Tertia illa pugna.*] Hoc anno Volsci primùm à Veturio victi nullo negotio, quòd eorum copiæ magnam partem ex tyronibus. Deinde Aequi, cæsis ducibus egregiâ editâ pugnâ dissipati à Lucretio. Tertii ab utroque Consule cum utriusque copiis commissi prælii Dionysius non meminit.

1. *C. Terentillus Arsa.*] C. Terentium vocat Halicarn. lib. 10. quod & nomen Terentiæ legis confirmat ab eo latæ.

Urb. cond. an. 291. Coſſ. L. Lucret. & T. Vetur.

nimium, nec tolerabile liberæ civitati, invehebatur: *nomine enim tantùm minùs invidioſum, re ipſa prope atrocius quam regium eſse. Quippe duos pro uno dominos acceptos* [2] *immoderata,* [a] *infinita poteſtate: qui ſoluti atque effrenati ipſi, omnes metus legum omniaque ſupplicia* [3] *verterent in plebem. Quæ ne æterna illis licentia ſit,* [4] *legem ſe promulgaturum,* [5] *ut quinque viri creentur legibus de imperio Conſulari ſcribendis. Quod populus in ſe jus dederit, eo Conſulem uſurum; non ipſos libidinem ac licentiam ſuam pro lege habituros.* Qua promulgata lege, quum timerent Patres, ne abſentibus Conſulibus jugum acciperent, ſenatus à præfecto urbis Q. Fabio vocatur; qui adeò atrociter [b] in rogationem latorem-que ipſum eſt invectus, [6] ut nihil, ſi ambo Conſules infeſti circumſtarent tribunum, relictum minarum atque terroris ſit: *inſidiatum eum, & tempore capto adortum rempublicam. Si quem ſimilem ejus, priore anno* [c] *inter morbum bellumque, irati Dii tribunum dediſſent,* [7] *non potuiſſe ſiſti. Mortuis duobus Conſulibus, jacente ægra civitate in colluvione omnium rerum,*

INTERPRETATIO.

b *Contra plebiſcitum, contraque ipſum ejus auctorem* Tribunum.
c *Tempore peſtis ſimul & belli.*

NOTÆ.

2. *Immoderatâ, infinitâ poteſtate.*] Credi vult Tribunus, Conſules poteſtatis nec modum, nec finem ſive limites habere: nam τὸ *infinita* non ad tempus refertur, quandoquidem anno finiebatur imperium Conſulare; ſed ad magnitudinem. Unde ſubtiliùs quàm veriùs, qui emendabat, *immoderatâ vi, finitâ poteſtate*. Defectus conjunctionis, orationem non hiantem, ſed graviorem efficit, cum poteſtas Conſulum ad invidiam in eos concitandam dicitur *immoderata, infinita*.

3. *Verterent in plebem.*] Quod notat Glar. *verterent*, pro *verterentur* accipi poſſe, generaliter quidem verum eſt: ſed hoc loco activè ſumi debet: eſt enim mens Arſæ Tribuni, Conſules, Legibus ſolutos, earum jugum plebi imponere.

4. *Legem ſe promulgaturum.*] Narrat lib. 10. Dionyſius Romanos initio ſine legibus vixiſſe, quod à regibus omnia manu gubernarentur. Deinde translato ad Conſules imperio, jus maxima ex parte præjudiciis atque arbitrio eorum adminiſtratum: cum ejus pars exigua libris Pontificum contineretur; qui libri in patriciorum tantùm manibus erant. Idcirco hunc Terentium, Conſulare imperium certis legibus circumſcribere tentaſſe, cum diceret liberæ civitati nihil eſſe convenientius, quàm ſi omnia, tum privatim, tum publicè, ex legum præſcripto gererentur.

5. *Ut Quinqueviri creentur legibus de imperio Conſulari ſcribendis.*] Quinquevirorum nulla mentio apud Dionyſium; ſed Decemviros creari eam in rem poſtulant anno proximo Tribuni.

6. *Ut nihil, ſi ambo Conſules*, &c.] Senſus ambiguus. Videtur auctor velle, quod ad minas & incutiendum terrorem attinet, nihil defuiſſe orationi Fabii, niſi ut uterque Conſul adfuiſſet, qui Tribuni lateribus infeſtus inhæreret. Et tamen intelligi poteſt plus adhuc indicare, id eſt, nihil fuiſſe quod deſideraretur; nec plus minarum ac terroris potuiſſe inferi ab ambobus Conſulibus ſi præſentes ſe Tribuno infeſtos oppoſuiſſent.

7. *Non potuiſſe ſiſti.*] Rectè hoc loco diſtinguit Gronovius. Nova quippe periodus eſt. *Mortuis duobus Coſſ.* Porro ſiſti à noſtro ſæpè, pro *reſiſti, ſuſtineri, ſedari* accipitur: ut lib. 2. cap. 44.

ad

ad tollendum è republica Conſulare imperium laturum leges fuiſſe; ducem Volſcis Æquiſque ad oppugnandam urbem futurum. 8 *Quid tandem Illi non licere, ſi quid Conſules ſuperbe in aliquem civium aut crudeliter fecerint, diem dicere: accuſare, his ipſis judicibus, quorum in aliquem ſævitum ſit? Non illum Conſulare imperium, ſed tribuniciam poteſtatem inviſam, intolerandamque facere:* 9 *quam pacatam, reconciliatamque patribus, de integro in antiqua redigi mala. neque* 10 *illum ſe deprecari, quo minus pergat ut cœperit. Vos*, inquit Fabius, *cæteri tribuni, oramus ut primùm omnium cogitetis poteſtatem iſtam ad ſingulorum auxilium, non ad perniciem univerſorum comparatam eſſe: tribunos plebis vos creatos, non hoſtes Patribus. Nobis miſerum, invidioſum vobis eſt, deſertam rempub. invadi: non jus veſtrum, ſed invidiam minueritis. Agite cum collega, ut rem integram in adventum Conſulum differat. ne Æqui quidem ac Volſci, morbo abſumptis priore anno Conſulibus, crudeli ſuperboque nobis bello inſtitere.* Agunt cum Terentillo Tribuni, dilataque in ſpeciem actione, 11 re ipſa ſublata, conſules extemplo arceſſiti.

Urb. cond. an. 291. Coſſ. L. Lucret. & T. Vetur.

X. Lucretius cum ingenti præda, majore multo gloria, rediit. & auge: gloriam adveniens, expoſita omni in Campo Martio præda, ut ſuum quiſque, per triduum, cognitum abduceret, reliqua vendita, quibus domini non extitere. Debebatur omnium conſenſu Conſuli triumphus: ſed dilata res eſt, tribuno de lege agente: 2 id antiquius Conſuli fuit. Jactata per aliquot dies tum in ſenatu res, tum ad populum eſt. ceſſit ad ultimum majeſtati Conſulis tribunus, & deſtitit. tum in-

INTERPRETATIO.

2 *Ea res potior Conſuli* eſt viſa.

NOTÆ.

8. *Quid tandem illi non licere.*] Hic quoque diſtinctione opus. Sed malim punctum interrogans inſerere poſt *tandem*; quod & repetatur poſt *ſævitum ſit*. Illi non licere, idem eſt ac *nonne ei licere*, &c. ut negando per interrogationem, oſtendat Fabius nullam eſſe cauſam conquerendi de Conſulum poteſtate, cum cuivis copia ſit eos, depoſito Magiſtratu, accuſandi apud populum, ſi quid forte in magiſtratu peccaverint. Quamquàm nihil abſurdi ſequitur ex vulgò recepta diſtinctione, quæ interrogationem habet poſt *non licere*? Erit enim hic ſenſus, ut velit Fabius eorum quæ juſta videri poſſint, nihil non tribuno, tam atrociter conquerenti, jam nunc citra novam legem licere adverſus Conſules, quandoquidem eis diem dicere eoſque ad populum accuſare licet.

9. *Quam pacatam reconciliatamque.*] Flor. ex Gronov. *quam placatam reconciliatamque patribus*, quod melius judicat Gronovius, uti revera eſt, ſi membrum illud uno tenore legamus. verùm nihil vetat hæc duo diſtingui, & plebem pacatam in ſeipſa, & pace compoſitâ reconciliatam ſenatui.

10. *Deprecari.*] Hoc verbum compoſitum propriè ſignificat *precando impetrare*. Sed aliquando ſumitur pro ſimplici *precari*, ut hoc loco.

11. *Reipſâ ſublata.*] Imò poſteriori anno per Virginium cæteroſque Tribunos reſumpta eſt.

Urb. cond. an. 292. Coſſ. P. Volumn. & Ser. Sulpic.

peratori exercituique honos ſuus redditus. 1 Triumphavit de Volſcis Æquiſque: triumphantem ſecutæ ſuæ legiones. alteri Conſuli datum, 2 ut ovans ſine militibus urbem iniret. Anno deinde ſequenti 3 lex Terentilla ab toto relata collegio, novos aggreſſa Conſules eſt. erant Conſules P. Volumnius, Ser. Sulpicius. Eo anno 4 cœlum ardere viſum, terra ingenti concuſſa motu eſt. bovem locutam, cui rei priore anno fides non fuerat, creditum. Inter alia prodigia 4 & carnem pluiſſe: 5 quam in urbem ingens numerus avium intrà volitando rapuiſſe fertur. quod intercidit, ſparſum ita jacuiſſe per aliquot dies, 6 ut nihil odor mutaret. 7 Libri per duumviros ſacrorum aditi:

NOTÆ.

1. *Triumphavit de Volſcis Æquiſque.*] Triumphaſſe Lucretium ex Senatusconſulto Dionyſius refert extremo lib. 9. Non tamen cum Volſcis pugnaſſe, ſed Æquos ex agro Romano, quem deprædati fuerant, magnâ ſtrage repuliſſe, ipſorumque deinde agros eſſe populatum.

2. *Ut ovans ſine militibus.*] Veturio, qui Volſcos fuderat, eorumque agros vaſtaverat, Ovatio permiſſa, cujus pompam Dionyſius non diſparem fuiſſe ait, niſi quod, non curru, ſed pedibus urbem ingreſſus eſt.

3. *Lex Terentilla.*] Ut in nomine Tribuni, ita in appellatione legis, cujus ille ſuaſor fuit, variant auctores. Hotomannus Terentiam vero nomine dictam contendit.

4. *Et carnem pluiſſe.*] Mavult Rhen. *carne pluit*, quaſi *carnem pluere* Latinum non ſit, & non appareat quò referatur infinitivus *pluiſſe*. Contra hanc ejus & Andreæ lectionem Gronovius ab eodem auctore noſtro probat lib. 10. cap. 1. dictum, *terram multifariam pluiſſe*: hoc autem *pluiſſe* referri poteſt ad τὸ *fertur*, quod ſequitur: vel ſi malis, ad τὸ *creditum*, quod præcedit.

5. *Quam in urbem ingens numerus avium intrà volitando rapuiſſe fertur.*] Rhenanus idem corrigit *quem imbrem ingens numerus avium intervolitando rapuiſſe fertur.* Cujus emendationis nulla mihi ſatis idonea cauſa occurrit. Quod enim ait hæc prodigia Romæ accidiſſe, quaſi in urbem ab avibus deferri non potuerint carnium fruſtula, quæ in urbe ipſa de cœlo cecidiſſent; id nihil me movet: tum quia Romæ appellatione non urbs tantùm, ſed & ſuburbana intelliguntur. Tum quia nec Livius ipſe, nec alius quiſpiam intra muros tantùm urbis, carne pluiſſe notat. Imò ex Dionyſii narratione liquet in agro Romano contigiſſe hoc portentum; quandoquidem quæ ex his carnium fruſtulis ſuperfuere (ſive non direpta ab avibus, ſive ex earum roſtris delapſa), in urbe agriſque ſparſa jacuiſſe narrat. Pluiſſe carne in ſuburbano credibile ex Dionyſii narratione: & carnem illam ab avibus intra urbem volantibus abreptam.

6. *Ut nihil odor mutaret,*] Rem totam deſcribit Valer. Max. *Carnis quoque, in modum nimbi, diſſipatæ partes ceciderunt: quarum majorem numerum prapetes diripuerunt aves; Reliquum humi per aliquot dies, neque odore tetro, neque deformi aſpectu mutatum, jacuit.* Apud Dionyſium initio lib. 10. ea res ita narratur. Plus cæteris prodigiis terruit, nivis in morem, demiſſa caro fruſtis majoribus, minoribuſque. Hæc ab omni genere avium intervolitantium directa ſunt, priuſquam terram attingerent. Reliquum quod intercidit, in urbe agriſque ſparſum jacuit multo tempore, nec colore mutato, nec odore, contra morem veteraſcentium carnium. Cæterùm fruſtrà eſt Sigonius cum putat legendum *nihil odoris mutaret.* Meliùs poſteà excipit niſi *mutare* hic paſſivè ſumatur, ut apud Græcos μεταβάλλειν. Ita nimirùm accipiendum eſt hoc verbum, ut odor mutatus non fuerit.

7. *Libri per duumviros ſacrorum aditi.*] Cum prodigium illud vates indigenæ interpretari non poſſent, recurrendum

8 pericula à conventu alienigenarum prædicta, ne qui in loca ſumma urbis impetus cædeſque inde fierent. Inter cætera monitum, ut ſeditionibus abſtineretur. Id factum ad impediendam legem tribuni criminabantur, ingenſque aderat certamen. Ecce (ut b idem in ſin- Urb. cond. an. 292. Coſſ. P. Volumn. & Ser. Sulpic.
9 gulos annos orbis volveretur) Hernici nunciant, Volſcos & Æquos, etſi acciſæ res ſint, reficere exercitus. Antii ſummam rei poſitam; 9 Ecetræ Antiates colonos palam concilia facere. id caput, eas vires belli eſſe. Ut hæc dicta in ſenatu ſunt, delectus indicitur: Conſules belli adminiſtrationem inter ſe diſpartiri juſſi; alteri ut
10 Volſci, alteri ut Æqui provincia eſſet. Tribuni coram in foro perſonare, c *Fabulam compoſitam Volſci belli, Hernicos ad partes para-*

INTERPRETATIO.

b *Quo eadem rerum viciſſitudo ſingulis annis rediret.*

c *Figmentum* eſſe quod *de bello Volſcorum* dicatur: *ad illud* afferendum *comparatos* eſſe, ac velut in ſocietatem vocatos *Hernicos*.

NOTÆ.

fuit ad Libros Sibyllinos, quos librorum nomine noſter intelligit: & illi quidem fatalium librorum nomine continebantur, ut apparet ex lio. 5. cap. 14. juncto cap. 13. Sed alios quoque fatales fuiſſe libros facilè colligitur, vel ex ejuſdem lib. 15. ubi hac de re accuratiùs. Porro neminem fugit novem, aut certe tres, linteos libros Tarquinio Superbo; vel, (quod aliis verisimilius videtur), Tarquinio Priſco, à Sibylla Comana oblatos, & magno pretio indicatos, tandemque tertiam eorum partem, reliquis exuſtis, eodem pretio comparatam: creati deinde ab eodem Tarquinio fuere Duumviri ex nobilium numero, additis duobus publicis miniſtris: quod populus poſteà ſequutus, & Sibyllina hæc oracula ab hujuſmodi Sacerdotibus, omnium munerum publicorum onere immunibus, magnâ religione cuſtodiri voluit, ut per eos conſulerentur ex Senatusconſulto, quoties ſeditionibus, aut peſtilentiâ, vel gravi bello reſp. periclitaretur, vel prodigia quædam nova & dubia nunciarentur; ac per eoſdem curari ſacra, quæque alia Sibyllinorum carminum juſſu facienda eſſent. Pro Duumviris, Decemviros ſacris faciundis ex patriciis & plebe creari placuit an. 388. ut infrà lib. 6. cap. 37. traditur. Hic deinde numerus non ſemel auctus eſt ad Quindecim viros: imò ad ſexaginta uſque, ſervato tamen Quindecim virorum nomine, etiam poſtquam libri Sibyllini cum Capitolio, ubi arcâ lapideâ incluſi in Jovis cella ſubterranea ſervabantur, combuſti fuerunt ſociali bello L. Scipione C. Norbano Coſſ. teſte Tacito lib. 4. Hiſtor. id eſt, an. u. c. 670. quorum loco alii undequaque conquiſiti.

8. *Pericula à conventu alienigenarum.*] Fictum id, compoſito ad tempus reſponſo, ut queſti ſunt Tribuni; an ex arte, & revera ex Sibyllinis carminibus erutum; difficile dictu eſt. Externum hoſtem, atque ex ſuperioribus locis graſſantem, volucres rapaces per aeris ſpatia volitantes; periclitantem libertatem (quâ velut proprio cibo populus aleretur) caro depaſta ſignificare potuit. Et fidem hujus reſponſi comprobaſſe videri poteſt Appii Herdonii paulò poſt in Capitolium irruptio, quæ infra cap. 15. deſcribitur.

9. *Ecetræ Antiates colonos.*] Coloni, partim Româ, plures ex ipſa Volſcorum gente, Antium deducti; cum exulum ſuaſu de bello adverſus Romanos ſuſcipiendo cogitarent, ea de re palam Antii deliberare non auſi, apud Ecetram alterum Volſcorum caput, concilia habebant. Hæc repetenda ex cap. 4. hujus libri.

Urb. cond. an. 292. Coss. P. Volumn. & Ser. Sulpic.

tos. jam ne virtute quidem premi libertatem populi Rom. sed arte eludi? quia occidione prope occisos Volscos, & Æquos movere sua sponte arma posse, d *jam fides abierit; novos hostes quæri. coloniam fidam, propinquam, infamem fieri. bellum innoxiis Antiatibus indici:* 10 *geri cum plebe Romana. quam oneratam armis ex urbe præcipiti agmine acturi essent; exilio & relegatione civium ulciscentes tribunos.* 11 *Sic, ne quid aliud actum putent, victam legem esse;* 12 *nisi dum in integro res sit, dum domi, dum togati sint, caveant* 13 *ne possessione urbis pellantur, ne jugum accipiant. Si animus sit, non defore auxilium. consentire omnes tribunos. nullum terrorem externum, nullum periculum esse. Cavisse Deos priore anno, ut tuto libertas defendi posset.* 14 Hæc tribuni.

XI. At ex parte altera Consules in conspectu eorum, positis sellis, delectum habebant. eo decurrunt tribuni, concionemque secum trahunt. citati pauci, velut rei experiundæ causa, & statim vis coorta. Quemcumque lictor jussu Consulis prehendisset, tribunus mitti jubebat. a neque suum cuique jus modum faciebat, sed virium spe & manu obtinendum erat b quod intenderes. Quemadmodum se tribuni gessissent in prohibendo delectu, sic patres in lege, quæ 1 per omnes comitiales dies ferebatur, impedienda, gerebant. Initium erat rixæ, quum 2 discedere populum jussis-

INTERPRETATIO.

d *Credibile amplius non sit.*

a *Nec æquum jus moderabatur actiones cujusque.*

b *Verùm fiduciâ roboris* quod cuique inesset: *Verùm per certamen obtinere oportebat, quod quisque moliretur.*

NOTÆ.

10. *Geri cum plebe Romana.*] Credi volebant Tribuni, per speciem belli Antiatibus, tanquàm hostibus, indicendi; ita belli in eos gerendi oneribus vexari plebem Romanam, ut revera in eam redundarent belli mala.

11. *Sic, ne quid aliud actum putent.*] Itaque persuadere volunt hac Consulum arte legem in gratiam plebis paratam, omninò sublatam esse: nec debere plebem putare aliud actum esse à Consulibus, sed eos de hoc uno cogitasse.

12. *Nisi dum in integro res sit.*] Curio edidit, *dum integra res sit.* At aliter priores, cum Mss. Gronovio teste, qui *in integro rem esse*, similibus sat multis loquendi generibus probat.

13. *Ne possessione urbis pellantur.*] Non urbe quidem, neque enim hoc timendum: sed jure ac potestate quam in libera urbe habeant, aut habere debeant, ex tribunorum sententia.

14. *Hæc Tribuni.*] Qui tandem omissis altercationibus legem paratam recitarunt, quæ eò pertinebat ut Decemviri eligerentur, qui tam de publicis, quàm privatis negotiis leges promulgarent; queis sua jura non solùm civibus, sed & magistratibus præscriberentur.

1. *Per omnes Comitiales dies.*] Inter dies profestos numerantur Comitiales, in fastis littera *C* notabantur, à Numâ instituti, ut per illos cum populo agi, & comitia haberi fas esset, sive magistratuum creandorum causâ, sive aliis de causis. Per eos dies Senatum haberi non potuisse tradit Cic. lib. 2. epist. ad Q. Fratrem.

2. *Discedere populum jussissent Tribuni.*] Post recitatam in comitio legem, habitamque orationem, cives quibus suffragii jus, in certum quisque cum tribulibus suis locum discedere jubebantur; ut cujusque tribus per pontem in ovile, sive septum ad id destinatum admissæ, suffragia exquirerentur.

Digitized by Google

ſent tribuni, quod patres ſe ſummoveri haud ſinebant. nec ferè ſeniores rei intererant; quippe quæ non conſilio regenda, ſed permiſſa temeritati audaciæque eſſet. 3 Multum & conſules ſe abſtinebant, [c] ne cui in colluvione rerum majeſtatem ſuam contumeliæ offerrent. 4 Cæſo erat Quintius, ferox juvenis, quà nobilitate gentis, quà corporis magnitudine ac viribus. ad ea munera data à Diis, & ipſe addiderat multa belli decora, facundiamque in foro; ut [f] nemo, non lingua, non manu promptior, in civitate haberetur. Hic quum in medio Patrum agmine conſtitiſſet, eminens inter alios, [d] velut omnes dictaturas conſulatuſque gerens in voce ac viribus ſuis, unus impetus tribunicios populareſque procellas ſuſtinebat. Hoc duce, ſæpe pulſi foro tribuni, fuſa ac fugata plebs eſt. qui obvius fuerat, mulctatus nudatuſque abibat: ut ſatis appareret, ſi ſic agi liceret, victam legem eſſe. Tum propè jam perculſis aliis tribunis, A. Virginius, ex collegio unus, Cæſoni [e] capitis diem dicit. atrox ingenium accenderat eo facto magis, quam conterruerat: eo acrius obſtare legi, [f] agitare plebem, tribunos velut juſto perſequi bello. [g] Accuſator pati reum ruere, invidiæque flammam ac materiam criminibus ſuis ſuggerere: legem interim non tam ad ſpem perferendi, quam ad laceſſendam Cæſonis temeritatem ferre. Ibi multa ſæpe ab juventute inconſulte dicta, factaque, [h] in unius Cæſonis ſuſpectum incidunt ingenium: tamen legi reſiſtebatur. Et A. Virginius identidem plebi: [i] *Ecquid*, inquit, *ſentitis, jam, vos, Quirites, Cæſonem ſimul civem & legem quam capitis, habere non poſſe? Quanquam quid ego legem loquor? libertati obſtat, omnes Tarquinios ſuperbia exſuperat. Expectate dum conſul aut dictator fiat, quem, privatum viribus & audacia regnantem vidctis.* Aſſentiebantur multi, pulſatos ſe querentes: & tribunum ad rem peragendam ultro incitabant.

Urb. cond. an. 292. Coſſ. P. Volumn. & Ser. Sulpic.

INTERPRETATIO.

c *Ne in* hac *omnium rerum perturbatione ſeſe, ac dignitatem conſularem ulli injuriæ exponerent.*

d *Quaſi facunda vox viroſque corporis ei auctoritatem omnium Conſulum, aut Dictatorum conciliaret.*

e *Reum egit criminis capitalis,*

f *Plebejos vexabat.*

g *Patiebatur Virginius ut præceps ferretur, & criminationibus ſuis* novam *materiam Cæſo Quintius ſubminiſtraret.*

h *Adſcribuntur ſolius Cæſonis ingenio,* utpote *inviſo.*

i *Nonne videtis, non poſſe vos,* &c.

NOTÆ.

3. *Multùm & Conſules ſe abſtinebant.*] A Tribunitiis Comitiis, ut anteriora oſtendunt.

4. *Cæſo erat Quintius.*] Quintiorum & Fabiorum prænomen fuit *Cæſo*. Sic autem appellabantur qui cæſo matris uterò in lucem prodiiſſent, ſicuti Cæſares.

5. *Nemo, non linguâ.*] Cum conjunctim & uno ſpiritu dicitur *nemo non*, idem eſt ac quilibet, geminâ negatione affirmationi reſpondente. Sed hic poſt *nemo* ſubſiſtendum eſt, ut intelligatur, *nemo promptior, nec linguâ, nec manu.*

Digitized by Google

Urb. cond. an. 292. Coss. P. Volumn. & Ser. Salpic.

XII. 1 Jam aderat judicio dies, apparebatque vulgò homines in damnatione Cæsonis libertatem agi credere. tum demum coactus 2 cum multa indignitate prensabat singulos. sequebantur necessarii, principes civitatis. T. Quintius Capitolinus, qui ter Consul fuerat, quum multa referret sua familiæque decora, affirmabat: *Neque in Quintia gente, neque in civitate Romana tantam indolem tam maturæ virtutis unquam extitisse. Suum primum militem fuisse, se sæpe vidente pugnasse in hostem.* Sp. Furius, *missum ab Quintio Capitolino sibi eum, in dubiis suis rebus, venisse subsidio.* a *neminem unum esse, cujus magis opera putet rem publicam restitutam.* L. Lucretius COS. anni prioris, recenti gloria nitens, b *suas laudes participare cum Cæsone*, memorare pugnas, referre egregia facinora, 3 nunc in expeditionibus, nunc in acie: suadere & monere, *juvenem egregium, institutum naturæ fortunæque omnibus bonis* c *maximum momentum rerum ejus civitatis, in quamcumque venisset, suum quam alienum mallent civem esse. Quod offendat in eo, fervorem & audaciam, ætatem quotidie auferre; quod desideretur, consilium, id in dies crescere.* d *Senescentibus vitiis, maturescente virtute, sinerent tantum virum senem in civitate fieri.* Pater inter hos L. Quintius, cui Cincinnato cognomen erat, non iterando laudes, ne cumularet invidiam; sed veniam errori, atque adolescentiæ petendo, sibi, qui non dicto, non facto quemquam offendisset, ut condonarent filium, orabat. Sed alii aversabantur preces, aut verecundia, aut metu: alii se suosque mulctatos querentes, atroci responso judicium suum præferebant.

XIII. a Premebat reum, præter vulgatam invidiam, crimen unum; quod M. Volscius Victor, qui ante aliquot annos tribunus plebis fuerat, testis exstiterat, *Se haud multo post quam pestilentia in urbe fuerat, in juventutem grassantem* 1 *in Subura incidisse, ibi rixam na-*

INTERPRETATIO.

a *Nec unum quidem reperiri.*
b *Communia cum Cæsone facere decora sua.*
c *Qui maximi momenti futurus esset ad res civitatis.*
d *Vitiis temporis progressu exolescentibus, virtute contrà ad maturitatem perductâ*, &c.
a *Reo, ultra odium in* eum *dissemination, unum* præsertim *crimen officiebat.*

NOTÆ.

1. *Jam aderat judicio dies.*] Dicta nempe ad peragendum judicium.

2. *Cum multa indignitate prensabat.*] Quid ita, cum indignitate, si nihil præter morem omnium reorum? An quod indignum videatur tam insignem hominem reum à plebe agi? An potiùs quod ipsomet Cæsone indignum, ipsive turpe videbatur, quibus per summam fecciam insultavisset, iis supplicem fieri: quasi superioribus ejus actis conveniisset Appium imitari.

3. *Nunc in expeditionibus, nunc in acie.*] Expeditio dicitur quod celeriter agitur, aut celeritatem exigit, bellum in primis. Sed hoc loco expeditiones pro velitationibus alioque militari labore accipi videntur, acies pro prælio.

1. *In Subura.*] Fuit *Suburra*, vel *Subura* in Cœlimontio, quæ deinde 2. urbis regio fuit, ad Occidentem montis Cœlii, quâ itur in Palatinum, ad

tam esse, fratremque suum majorem natu, nec dum ex morbo satis validum, pugno ictum à Cæsone, cecidisse semianimem. b *Inter manus domum ablatum,* 2 *mortuumque inde arbitrari; nec sibi rem exequi tam atrocem per consules superiorum annorum licuisse.* Hæc Volscio clamitante, adeo concitati homines sunt, ut haud multum abfuerit, quin impetu populi Cæso interiret. Virginius arripi jubet hominem & in vincula duci. 3 patricii vi contra vim resistunt. T. Quintius clamitat, *Cui rei capitalis dies dicta sit, & de quo futurum propediem judicium, eum indemnatum* 4 *indictâ causa non debere violari.* Tribunus *supplicium negat sumpturum se de indemnato; servaturum tamen in vinculis esse ad judicii diem: ut qui hominem necaverit, de eo supplicii sumendi copia populo Romano fiat.* Appellati tribuni, • medio decreto jus auxilii sui expediunt: in vincula conjici vetant: d sisti reum, pecuniamque, nisi sistatur, populo promitti, placere pronunciant. Summam pecuniæ quantam æquum esset promitti, veniebat in dubium: id ad senatum rejicitur. Reus, dum consulerentur Patres, retentus in publico est. 5 vades dare placuit. unum vadem

Urb. cond. an. 292. Coss. P. Velumn. & Ser. Sulpic.

INTERPRETATIO.

b *Manibus* suorum.
c *Decreto, quod* inter duo extrema *medium fuit.*
d *Reum adesse* ad dictam diem.

NOTÆ.

SS. Andreæ & Gregorii Basilicam, ut censet Onuphrius. Hinc prima Urbanarum tribuum Suburrana. Ipsa Suburra, sic dicta, quod *sub muro terreo* esset; aliàs *Sucusa* à pago ejus nominis, vel à succurrendo, quod præsidium ibi locatum succurrere soleret Esquiliis & Carinis. Infamis porrò fuit hic vicus habitatione Scortorum, ut ex Horat. Persio, Martiali constat; & quod facilè sequitur, lascivientium circà juvenum, etiam nobilium, nocturnis grassationibus.

2. *Mortuumque inde arbitrari.*] Hunc Volscium à Tribunis subornatum hæc falsò protulisse posteà compertum est. Infra cap. 24. Et mirum ei fidem in re sua fuisse habitam, uniusque testimonio Cæsonem concidisse: nisi quòd non causâ cognitâ damnatus, sed ipse sponte sibi exilium indixit ante judicium.

3. *Patricii vi contra vim resistunt.*] Alias, *Patricii contrà vi resistunt.* Certè novum non est particulam *contrà* adverbialiter sumi.

4. *Indictâ causâ non debere violari.*] An igitur reum habere in vinculis est eum violare, atque injuriam facere: præsertim cum videatur Virginius Cæsonem, non tam odio in vincula duci jussisse, quàm ut eum plebejorum in ipsum insurgentium manibus eriperet. Sed nimirum Romanis moribus in vincula publica, (quod pœnæ genus habebatur) conjici non solebant cives, antequam crimen confessi, aut convicti essent.

5. *Vades dare placuit.*] *Vas* ex Varrone lib. 5. de Ling. Lat. appellabatur qui pro alio Vadimonium promittebat, id est, cum judicio sisti spondebat. Festus lib. ult. *Vadem* interpretatur sponsorem datum in re Capitali. Unde Ausonius in monosyllabis Vadem distinguit à Præde, quasi in lite Nummaria dato: quod ita accipiendum, ut & prædes, extra litem quoque, dicantur fidejussores qui pro mancipibus, ac publicorum redemptoribus interveniunt, quemadmodum testantur iidem Varro, & Festus. Vades Acron & Porphyrio explicant generaliter sponsores Vadimonii: inde dictos volunt, quod qui eos dederit, vadere id est, discedere interim possit. Notum est enim apud veteres eum qui litem

Urb. cond. an. 292. Coſſ. P. Volumn & Ser. Sulpic.

6 tribus millibus æris obligarunt. quot darentur, 7 permiſſum tribunis eſt. decem finierunt. tot vadibus accuſator 8 vadatus eſt reum. 9 Hic primus vades publicos dedit. dimiſſus è foro, nocte proxima, in Tuſcos in exilium abiit. Judicii die, quum excuſaretur ſolum vertiſſe exilii cauſâ, nihilominus Virginio comitia habente, collegæ appellati dimiſere concilium: 10 pecunia à patre exacta crudeliter,

NOTÆ.

vellet intendere, ſolitum adverſario denunciare ut in jus veniret, & recuſantem injectâ manu ad Prætorem appellatis teſtibus trahere; niſi vocatus certâ die ſe affuturum promitteret: quam in rem plerumque, certâ pœnâ pecuniariâ in ſtipulatum deducta, dabantur fidejuſſores, qui deſerto vadimonio pœnam præſtarent. Hæc autem manus injectio Lege 12. Tabb. anno ab hinc decimo comprehenſa, tamen anteà quoque moribus obtinebat, quemadmodum alia plura in 12. Tabulas conjecta.

6. *Tribus millibus aris.*] Si aſſem ſive libram Romanam paulò pluris quam denariis quatuor Gallicis æſtimes cum Budæo; tria millia non multum ultra quinquaginta libras noſtras conficient: ſi decem ferè denariis ſecundum Peireſkium æſtimaveris, fient 130. libræ prætet propter; at ſi libra æris Romana hodierno apud nos pretio æſtimetur, 13. ſcilicet aſſibus noſtratibus cum dimidio fient 2025 lib.

7. *Permiſſum Tribunis eſt.*] Nimirum definire, ſed à quo permiſſum? A Senatu opinor, rejectâ fere in Tribunos ea æſtimatione, ſive ad eos deliniendos, ſive ad vitandam invidiam.

8. *Vadatus eſt.*] Vadari eſt Vades poſtulare, id eſt, locupletes fidejuſſores, qui, certæ pecuniæ ſponſione, aliquem vadimonium obiturum præſtebant. Sumitur tamen hoc verbum & activè & paſſivè; nam teſte Porphyrione interprete Horatii antè laudato, *Vadari* dicebatur & qui denunciabat, & cui denunciabatur.

9. *Hic primus Vades publicos dedit.*] Mavult Gronovius *publico*: nam nulli ſunt, inquit, privati Vades: in quo ipſi aſſentiri non poſſum. Itaque mihi nihil mutandum videtur. Publicum quidem dicitur quod ad communes populi uſus ſpectat, ut ipſe Gronov. ad cap. 9. lib. 2. reptavit. Sed publicos vades rectè dici puto, qui magiſtratibus dentur, ut cautum ſit in publicum pecuniâ populo promiſſâ, quemadmodum Livius ipſe hic explicat. Quamvis autem daremus vades proprie dici qui in publicis cauſis offeruntur (quod tamen non eſſe perpetuum ſupra oſtendimus) non tamen ſequitur vades ſemper publico dari. Hic autem ideò publicè Vades à Cæſone dati, quod à tribunis, quaſi plebis cauſam agentibus, accuſaretur. Vades igitur ejuſmodi, tum primum datos fuiſſe Livius obſervat, quod nec à Marcio Coriolano factum, ut qui antequàm vadaretur ſolum vertiſſet lib. 2. cap. 35. Nec ab Appio Claudio, de quo ejuſd. lib. cap. 61.

10. *Pecunia à patre exacta crudeliter.*] Quid ita? Cum nec filii crimen patrem obſtringat, & Cæſo filius exilio ſe ipſe damnaſſet, quâ pœnâ non facilè gravior civi Romano indicebatur, niſi affectatæ tyrannidis, aut publicæ proditionis convicto? Coriolano certè exilium tantùm indictum. Et quamquàm his temporibus ob privatum filii, non minùs quam ſervi, delictum noxalis actio etiam in patremfamilias peculio tenus daretur; nunquam tamen Romanis legibus aut moribus publica filiorum, aut ſervorum delicta delinquentis caput egreſſa leguntur. Sed nimirum *crudeliter* atque ex odio actum in L. Quintium; cum Tribuni damnato filio abſente decem Vades judicio ſiſtendi cauſâ datos ad ſolvendam pœnam, quæ in caſum non obiti vadimonii dicta fuerat, pignoribus captis adigerent; Pater vadibus, qui mandato ſuo pro filio interceſſerant, de ſuo ſatisfacere coactus ſit. Reſtitutum tamen poſtea Cæſonem refert Cic. pro domo ſua: ubi *Caſo* legendum, non Cenſor.

ut

ut [11] divenditis omnibus bonis, aliquandiu [12] trans Tiberim, veluti relegatus, [13] in devio quodam tugurio viveret.

XIV. Hoc judicium, & promulgata lex [a] exercuit civitatem: ab externis armis otium fuit. [b] Quum, velut victores tribuni, perculsis Patribus Cæsonis exilio, [1] prope perlatam esse crederent legem, & quod ad seniores Patrum pertineret, cessissent possessione reipublicæ; juniores, [c] id maxime quod Cæsonis sodalium fuit, auxere iras in plebem, non minuerunt animos. [d] sed ibi plurimum profectum est, quod modo quodam temperavere impetus suos. Quum primò post Cæsonis exilium lex cœpta ferri est, instructi paratique cum ingenti clientium exercitu, sic tribunos, [e] ubi primùm submoventes præbuere causam, adorti sunt, ut nemo unus inde præcipuum quicquam gloriæ domum, invidiæve ferret, *mille pro uno Cæsones extitisse*, plebes quereretur. [2] Mediis diebus, quibus tribuni de lege non agerent, nihil eisdem illis pla-

Urb. cond. an. 292. Coss. P. Volumn. & Ser. Sulpic.

INTERPRETATIO.

a *Cives occupatos tenuit.*

b *Cum Tribuni, tanquam victores, Senatoribus exilio Cæsonis afflictis, legem pro jam omnino lata haberent, cumque Seniores ex Senatorum numero remisissent jus administranda reip.* quo hactenus potiti fuerant.

c *Is præsertim; qui familiares fuerant Cæsonis.*

d *In eo multùm profecerunt* Juniores illi Senatores.

e *Cum primùm* (Tribuni plebis) *jubendo depelli patricios, occasionem dederunt* rixandi: *hi adorti sunt* Tribunos. *Ita ut nihil quisquam, sive gloria, sive odii pra cæteris domum reportaret. Nemo mitior iisdem* junioribus Senatoribus, &c.

NOTÆ.

11. *Divenditis omnibus bonis.*] Maximâ parte bonorum suorum, habet Dionys. lib. 10. quæ sanè haud magna fuerunt: septem enim jugera agri possedit. Ex his tria, quæ pro amico ad ærarium obsignaverat mulctæ nomine amisit, & pœnam pro filio Cæsone, quod ad causam dicendam non occurrisset, hujus agelli reditu solvit, auctore Valer. Max. lib. 4. c. 4. n. 7.

12. *Trans Tiberim.*] Extra agrum Romanum tunc ferè habebatur Trans-Tiberina regio, Etruriæ scilicet attributa: ita ut qui in ea degerent, peregrini haberentur, ut notat Godel. Hac de causa, qui nomina sua in Censum non detulerant, trans-Tiberim peregrè in servitutem venumdabantur apud Gellium. Sic Veliterni & Privernates, in pœnam defectionis, trans Tiberim habitare jussi, infrà lib. 8. cap. 4. & 20.

13. *In devio quodam tugurio.*] Dionysius ait L. Quintium contentum uno Transtiberino ruſculo, unoque humili tugurio cum paucis servis vitam laboriosam sustentasse præ dolore ac inopia, nec urbem invisentem, nec amicos salutantem, ac ne publicis quidem se immiscentem hilaritatibus. At Valer. testatur ei tamen quatuor jugera aranti non solùm dignitatem patrisfamilias constitisse, sed etiam dictaturam delatam esse: qua de re noster infra c. 26.

1. *Perlatam esse crederent legem.*] A Terentillo nempè anteà propositam, de moderando imperio Consulari, de qua cap. 9. cui legi nihil obstiturum videbatur. Jam quidem promulgata lex fuerat: sed non lata & populo probata.

2. *Mediis diebus.*] Post recitatam primùm legem, trinundini spatium interjiciebatur, id est, dies septem & viginti, ut tribus nundinarum diebus advocatâ concione lex iterum recitaretur, esseteque facultas cuique eam legendi, ac de singulis capitibus deliberandi, uti ex Dionys. l. 10. liquet, & indicant Decemviri cap. 34. hujus libri.

Urb. cond. an. 293. Coſſ. P. Volumn. & Ser. Sulpic.

cidius aut quietius erat. benignè ſalutare, alloquí plebis homines, domum invitare, 3 adeſſe in foro, tribunos ipſos cætera pati ſine interpellatione concilia habere: nunquam ulli, neque publicè, neque privatim truces eſſe, niſi quum de lege agi cœptum eſſet. Alibi popularis juventus erat. nec 4 cætera modo tribuni tranquille peregere; ſed 5 reſecti quoque in inſequentem annum, ne voce quidem incommoda, [f] nedum ut ulla vis fieret; paulatim permulcendo tractandoque manſueſecerant plebem. His per totum annum artibus lex eluſa eſt. 5

XV. Accipiunt civitatem placidiorem Conſules C. Claudius Appii filius, & P. Valerius Poplicola. Nihil novi novus annus attulerat. 1 legis ferendæ aut accipiendæ curæ civitatem tenebat. Quantum juniores Patrum plebi ſe magis inſinuabant, eò 2 acrius contrà tribuni tendebant, ut plebi ſuſpectos eos criminando facerent. *Conjurationem factam, Cæſonem Romæ eſſe: interficiendorum tribunorum, trucidandæ plebis conſilia inita. Id negotii datum ab ſenioribus Patrum, ut juventus tribuniciam poteſtatem è republica tolleret, formamque eadem civitatis eſſet, quæ ante Sacrum montem occupatum fuerat.* Et ab Volſcis & Æquis [a] ſtatum jam ac prope ſolenne in ſingulos annos bellum timebatur: propiuſque aliud novum malum, nec opinatò exortum. Exules, ſervique ad quatuor millia hominum & quingenti, duce 3 Ap. Herdonio Sabino, nocte 4 Capitolium atque arcem occupavere. Confeſtim in arce facta cædes co-

10 15 20

INTERPRETATIO.

f *Tantùm aberat ut vis ulla* tribunis *inferretur* à Patricia Juventute.

a *Certum* & quaſi conſtitutum.

NOTÆ.

3. *Adeſſe in foro.*] Defendendis fortè plebejorum cauſis.

4. *Cætera Tribuni tranquillè peregere.*] Aliàs *tranquillò*. Dicitur autem aliquid tranquillò fieri cum cœlum eſt ſine tempeſtate. Livius itaque elegantèr poſuit, ut ſignificet ſine tumultu: ſed hæc vix tanti ſunt.

5. *Reſecti quoque in inſequentem annum.*] Gallicè, *continuez pour l'annee ſuivante*.

1. *Legis ferendæ aut accipiendæ.*] Id agebant quippe Tribuni cum plebe, ut lege lata Conſulibus & Senatui frænum injicerent: hi contra nitebantur ne cum lege jugum acciperent, ut ait noſter cap. 9.

2. *Acriùs contrà Tribuni.*] Tribuni plebis in id refecti ut legem faciliùs perferrent, omni arte in id incubuerunt, rumoribus falſis, ſubdolis conſultationibus, & fictis literis de conjuratione plurium Senatorum & equitum, cum Cæſone Quintio, quaſi Æquorum, Volſcorum magnas copias tollendæ tribuniciæ poteſtatis, & plebejorum libertatis opprimendæ cauſâ adducturo. De re tota inquiſitionem tribunis mandari unus eorum A. Virginius à Senatu poſtulavit. Sed ejus orationem Claudius Conſul rumorum & literarum nullo certo auctore, nulliſque certis indiciis firmatarum, elevatâ fide, apud Senatum, & populum refellere conatus eſt, ita ut nihil tunc quidem actum fuerit.

3. *Ap. Herdonio.*] Appius hic Herdonius Sabinus, vir fuit domi nobilis. Quo autem conſilio Capitolium occupare aggreſſus fuerit, an ut ſibi dominationem pararet; an ut Sabinis imperium, ſibi gloriam quæreret; ambiguum Dionyſius relinquit.

4. *Capitolium atque arcem occupavere.*] Dionyſius narrat Herdonium diſſen-

rum, qui conjurare & ſimul capere arma nolucrant. alii inter tumultum præcipites pavore in forum devolant. alternæ voces, *Ad Arma*, & *Hoſtes in urbe ſunt*, audiebantur. Conſules 5 & armare plebem, & inermem pati timebant. Incerti, quod malum repentinum, externum an inteſtinum, ab odio plebis, an ab ſervili fraude, urbem invaſiſſet, ſedabant tumultus, ſedando interdum movebant. nec enim poterat pavida & conſternata multitudo regi imperio. 6 Dant tamen arma, b non vulgo; tantum ut incerto hoſte præſidium ſatis fidum ad omnia eſſet. Soliciti reliquum noctis, incertique, qui homines, quantus numerus hoſtium eſſet, in ſtationibus diſponendis 7 ad opportuna omnia urbis loca, egere. Lux deinde aperuit bellum, ducemque belli. Servos ad libertatem Ap. Herdonius ex Capitolio vocabat, *Se miſerrimi cujuſque ſuſcepiſſe cauſam, ut exules injuria pulſos in patriam reduceret, & 8 ſervitiis grave jugum demeret. id malle populo Romano auctore fieri. Si ibi ſpes non ſit, ſe Volſcos, & Æquos, & omnia extrema tentaturum, & concitaturum.*

Urb. cond. an. 293. Coſſ. C. Claud. Sab. & P. Valer. Poplic. II.

XVI. a Dilucere res magis. Patribus atque Conſulibus præter

INTERPRETATIO.

b *Non paſſim: ſed duntaxat* quantum ſufficiebat, ut *quandiu non ſatis cognita eſſent hoſtes, fidum adeſſet ſubſidium adverſus quæcumque* pericula.

a *Magis ea res Senatui, & Conſulibus patebat: nihilominus, ultra ea quæ referebantur, timebant ne conſilium illud à Veientibus aut à Sabinis eſſet, & ne mox copia Sabinorum, vel Etruſcorum ex compacto ſupervenirent, cum tantæ jam hoſtium numerus intra mœnia eſſet.*

NOTÆ.

ſionibus populi Romani in ſpem rei bene gerendæ adductum, communicato cum amicis conſilio, copias è clientelis & ſervitiis comparatas navigiis impoſuiſſe, iiſque ſecundo Tiberi devectis ad ripam Capitolio proximam, nec toto ſtadio ab eo diſtantem, nocte intempeſtâ, per portam Cementinam, ſive ſacratam (quæ ex Oraculo quodam patebat) Capitolium atque arcem contiguam invaſiſſe, eo animo ut exulibus reditum in patriam, ſervis libertatem, obæratis remiſſionem æris alieni, inopibus cæteris civibus opes promittendo, horum omnium operâ urbe potiretur: ſin minus, Sabinorum, Volſcorum, aliorumve Romano infenſorum nomini populorum, exercitum vocaret.

5. *Et armare plebem, & inermem pati.*] Si arma multitudini darent, verebantur fore ut inteſtinæ ſeditioni vires adderent; ſi non darent arma, externo ab hoſte metuebant.

6. *Dant tamen arma.*] Miratur Glareanus ſi ſoli Conſules habebant arma. Sed certè inermibus ex publico armamentario arma ſubminiſtranda fuere.

7. *Ad opportuna omnia urbis loca.*] Notat Rhenanus in ſcripto codice legi ad opportuna omnis urbis loca. Gronovius hanc lectionem omninò Livii eſſe contendit, & ſic à ſe reſtitutam jactat lib. 5. cap. 42. *Seu non omnis delenda urbis lubido erat.* Et hic *omnis urbis* vult eſſe per totam urbem. Quod etſi dici poſſe non inficior; vulgatam nihilominus lectionem, quæ veterum auctoritate non deſtituitur, planiorem cenſeo.

8. *Et ſervitiis grave jugum.*] Aliàs *& ſervitutis*: ſed rectè ex Mſſ. Cod. Gronovius repoſuit *ſervitiis*: confirmatque ex eo quod ſequitur paulò pòſt, *qui ſervitia noſtra non commovit auctor*, ubi, ut & alibi paſſim, *ſervitia* pro *ſervis*. Et vere non Romanis, qui liberrimi omnium populorum, ſed eorum mancipiis jugum dempturus videri Herdonius volebat.

Urb. cond. an. 293. Coſſ. C. Claud. & P. Valer.

ea tamen quæ denunciabantur, ne Vejentium, neu Sabinorum id conſilium eſſet, timere: & quum tantum in urbe hoſtium eſſet, mox Sabinæ Etruſcæque legiones, ex compoſito adeſſent, tum æterni hoſtes Volſci & Æqui, non ad populandos, ut antè, fines, ſed ad urbem, ut ex parte captam, venirent. Multi & varii timores. inter cæteros eminebat terror ſervilis, ne ſuus cuique domi hoſtis eſſet. [b] cui nec credere, nec non credendo, ne infeſtior fieret, fidem abrogare, ſatis erat tutum. Vixque concordia ſiſti videbatur poſſe. tantum ſuperantibus aliis ac emergentibus malis, [1] nemo tribunos aut plebem timebat. [c] manſuetum id malum, & per aliorum quietem malorum ſemper exoriens, tumque eſſe peregrino terrore ſopitum videbatur. At id propè unum maxime inclinatis rebus, incubuit: tantus enim tribunos furor tenuit, ut non bellum, ſed vanam imaginem belli, ad avertendos ab legis cura plebis animos, Capitolium inſediſſe contenderent: patriciorum hoſpites clienteſque, ſi perlata lege fruſtra tumultuatos eſſe ſe ſentiant, majore quam venerint ſilentio, abituros. Concilium inde legi perferendæ habere, [2] avocato populo ab armis. Senatum interim Conſules ha-

INTERPRETATIO.

b *Cui* (ſervo hoſte domeſtico) *ſecurum non erat nec credere*, (utpotè ſuſpecto:) *nec, non credendo detrahere fidem*, ne ex domini diffidentia *magis fieret infenſus*.

c *Malum illud lenius videbatur; quod tantum ex aliorum incommodorum ceſſatione naſci ſolitum eſſet; ac tunc externo terrore videbatur ſedatum: ſed illud ferè ſolùm reos, alioqui maximè depreſſos, afflixit.*

NOTÆ.

1. *Nemo Tribunos aut plebem timebat.*] Quò ergo pertinet quod paulò antè dixit, *vixque concordia ſiſti videbatur poſſe*: ſiquidem nemo patriciorum plebem timebat? Si enim plebs non timebatur facilè retineri poterat concordia inter ordines: aut ſi concordia non videbatur ſervari poſſe, timendi Senatoribus plebeji, à quibus diſcordia & ſeditio ſemper oriebatur. Niſi concordiam ſervorum cum dominis auctor intelligit: quod ſanè minùs propriè dictum videatur; eſt enim concordia conſenſus inter quodammodo pares, qui velut ejuſdem corporis membra cenſentur.

2. *Avocato populo ab armis.*] Jubet Rhenanus ſcribi *advocato*, ut ſubaudiatur, ad concilium; quemadmodum infra, inquit, *propoſitis decem tabulis populum ad concionem vocaverunt*. Sed non eadem eſt utriuſque loci ratio. Nam cap. 34. Decemviri non alibi occupatum populum vocant ad concionem: hìc autem ab armis & ſtationibus evocant. Paulò aliter hæc narrantur ab Halicarnaſſeo. Tribunos concione advocatâ, teſtatos quidem eſſe nolle ſe obſtare bono publico; verùm poſtulaſſe ut plebi periculoſum ſubituræ certamen certum proponeretur præmium, promitterentque, jurejurando interpoſito, fore ut hoc bello finito, Decemviri ſcribendis legibus crearentur: alioqui nihil eſſe cur plebeji ſe in apertum diſcrimen darent, nullo victoriæ fructu ad eos redituro. Tum Claudium negaſſe talibus auxiliariis nunc opus eſſe, qui non niſi magna mercede vellent patriæ opem ferre. Ituros cum clientibus, & voluntariis patricios ad recipiendam arcem, & ſi opus fuerit, vocaturum ſe Latinos & Hernicos, ſervis quoque promiſſurum libertatem, quorumvis denique operâ potiùs uſurum, quàm eo-

bent, alio ſe majore ab tribunis metu oſtendenti, quam quem noctur- Urb. cond. an. 293.
nus hoſtis intulerat.

XVII. Poſtquam arma poni & diſcedere homines ab ſtationibus nun- Coſſ. P. Valer. 2. & C. Claud.
ciatum eſt, P. Valerius, collega ſenatum retinente, ſe ex curia prori-
pit, inde in templum ad tribunos venit: *Quid hoc rei eſt*, inquit, *tribuni? Ap. Herdonii ductu & auſpicio rempublicam everſuri eſtis? a Tam felix vobis corrumpendis fuit, 1 qui ſervitia veſtra non commovit auctor? Quum hoſtes ſupra caput ſint, diſcedi ab armis, legeſque ferri placet?* Inde ad multitudinem oratione verſa: *Si vos urbis, Quirites, ſi veſtri nulla cura tangit; at vos 2 veremini Deos patrios ab hoſtibus captos, 3 Jupiter optimus maximus, Juno regina, & Minerva, alii Dii Deæque obſidentur. caſtra ſervorum publicos veſtros penates tenent. Hæc vobis forma ſanæ civitatis videtur? Tantum hoſtium non ſolum intra muros eſt, ſed in arce ſupra forum, curiamque: 4 comitia interim in foro ſunt?*

INTERPRETATIO.

a. *Adeone fortunatus auctor fuit ad vos depravandos, qui ſervos veſtros concitare non potuit,*

NOTÆ.

tum qui tam iniquo patriæ tempore veterum offenſarum memoriam refricarent. Interim Valerium collegæ indignationem cohibuiſſe, monendo non exaſperandam tunc plebem, ſed tempori cedendum: cum externo hoſte armis dimicandum, cum civibus ex æquo diſceptandum. Quod cum Senatui magis probaretur, Valerium in comitia progreſſum.

1. *Qui ſervitia non commovit auctor.*] Rectè ex veteribus libris, *qui ſervitia veſtra*: alioqui magis ad fidem eſſet, quod alius vetus liber habet, *qui ſervitia nunc commovit*, ut notat Schottus obſervat. lib. 3. cap. 38. Nam à quatuor millibus ſervorum, & quingentis Capitolium, inquit, inſeſſum fuit: nec liberorum capitum ibi ulla mentio. Addere potuit *caſtra ſervorum* paulò poſt ab eodem Valerio vocari. Verùm Livius licèt in numero convenit, ſatis nihilominus indicat, non omnes ſervos fuiſſe, dum exules memorat diſtinctos à ſervis; & Dionyſius tradit has copias ex clientibus Herdonii atque ex ſervis conflatas. Illum quidem exules Romanos paucos; at ſervos transfugas vix ullos ſecum habuiſſe perſpicuè demonſtrat idem Dionyſius. Ideoque ſi legamus *Servitia veſtra* optimè omnia conſtabunt, nec lædetur ullatenus fides, & ipſo Schotto fatente ſpecioſius erit dictum ob contentionem ἀντίθεσιν, ut ille qui Romanorum ſervos non commoverit, is dominos ipſos commoveat.

2. *Veremini Deos patrios ab hoſtibus captos.*] Vereri non, ſemper idem eſt ac timere. Sæpe accipitur pro eo quod eſt obſervare eum modeſtia, ex amore colere, revereri: quod ipſa verecundiæ & reverentiæ nomina facilè oſtendunt.

3. *Jupiter Opt. Max. Juno Regina & Minerva.*] Hæc tria numina honore præcipuo in Capitolio colebantur, quibus teſte Dionyſio tres ædes pares dicatæ erant communibus parietibus comprehenſæ, ſub eodem tecto & pinnaculo; media Jovis, dextra Minervæ, læva Junonis: eoque ſpectat ille Auſonii verſus in ternas.

Trina in Tarpejo fulgent conſortia templo.

4. *Comitia interim in foro ſunt.*] Paulò antè ait auctor Valerium in Templum ad Tribunos veniſſe: unde colligas in Templo ab iis non in foro habita comitia. Sed in foro Romano ſub radicibus Capitolini montis ſito, plura jam tum Templa erant, vetus Minervæ, Veſtæ, Caſtoris quoque; quod ante annos 37. à Poſtumio Dictatore dicatum fuiſſe

Urb. cond. an. 293. Coſſ. P. Valer. IV. & C. Claud.

5 *ſenatus in curia eſt*: 6 *velut quum otium ſuperat, ſenator ſententiam dicit: alii Quirites ſuffragium ineunt. Non quicquid Patrum plebiſque eſt,* 7 *conſules, tribunos, Deos, hominesque omnes armatos opem ferre, in Capitolium currere, liberare ac pacare auguſtiſſimam illam domum Jovis optimi maximi decuit? Romule pater, tu mentem tuam, qua quondam arcem ab his iiſdem Sabinis auro captam recepiſti, da ſtirpi tuæ; jube hanc ingredi viam, quam tu dux, quam tuus ingreſſus exercitus eſt. Primus en ego Conſul, quantùm mortalis Dium poſſum, te, ac tua veſtigia ſequar.* Ultimum orationis fuit, *Se arma capere, vocare omnes Quirites ad arma. ſi quis impediat, jam ſe conſularis imperii, jam tribuniciæ poteſtatis, ſacratarumque legum oblitum, quiſquis ille ſit, ubicunque ſit, in Capitolio, in foro, pro hoſte habiturum. Juberent tribuni, quoniam in Ap. Herdonium vetarent, in P. Valerium conſulem ſumi arma. auſurum ſe in tribunis,*

NOTÆ.

ſam legimus: In horum aliquo potiùs, quàm in Comitio, quod tecto adhuc carebat, ideoque minùs tutum adverſus eos, qui Capitolium inſederant, receptum præbere videbatur, convocata nunc ſine dubio plebs à Tribunis fuit. Quod quidem ipſis liberum erat, cum tributis plebejorum comitiis nullus certus videatur aſſignatus fuiſſe locus, leganturque modò in Campo Martio, modò in Capitolio, plerumque in Comitio (quæ ſori pars erat) habita: contra quàm fieret in Comitiis tum curiatis, tum centuriatis, quæ nonniſi auguratò, illa intra, hæc extra pomœrium haberi oportebat: unde Curiata ferè in Comitio, Centuriata in Campo Martio habebantur. Cujus rei rationem A. Gellius refert lib. 15. cap. 27.

5. *Senatus in Curia eſt.*] Nempè in Curia Hoſtilia, ubi Hoſtilii regia fuerat.

6. *Velut cum otium ſuperat.*] Quemadmodum redundante otio, quando tempus ſupervacuum datur; *comme quand on n'a rien à faire.*

7. *Conſules, Tribunos, Deos, hominesque omnes.*] Tribus de cauſis. veriſimile facit Gronovius, quod cuivis in mentem facilè venerit, Deos malè huc advocari, & corruptum eſſe hunc locum: id eſt, quod hæc vocabula *armatos* eſſe & *currere* ineptè referantur ad Deos: deinde quod Valerius agat de officio eorum qui opem reip. debent, & quibus poteſt imperari, quorum profecto è numero Dii non ſunt. 3. quod idem ſtatim novitium, ut ita dicam, numen Romuli adoret, ac veneretur; quod qui facit, ejus eſſe non videatur Deos generatim, tanquàm officii ſui admonere, quaſi armati accurrere debuerint: itaque pro voce *Deos* non improbabiliter ſubſtituit *Cives*; ut luculenta gradatio ſit à ſummo ad infimum, à Conſulibus ad eos *homines*, qui ne in civium quidem numero eſſent, cujuſmodi multa millia Romæ fuiſſe non eſt dubium. Qua de cauſa diſtinguuntur ſæpe cives ab hominibus. Quia tamen Gronovius, non ex fide veteris ullius codicis, ſed conjecturâ ſolâ adductus receptam lectionem mutare aggreſſus eſt: ſi quis illam retinere maluerit, non multùm ſanè adverſarium me habuerit. Non pauca enim præter exactam rationem extorquet indignatio: & ſive Deos patrios, ſive Æneam, Romulum ipſum, alioſque Deos ex hominibus factos intelligas; quid vetat eorum opem conjunctim cum humano, & virorum auxilio implorari? Præſertim cum τὸ *armatos*, ad ſolos homines referri poſſit. Tullius certè Deos cum hominibus in re haud planè abſimili conjungere non dubitavit, lib. 2. ad Quint. Fr. ep. 4. *Dii*, inquit, *hominibuſque plaudentibus*. Nec minus noſter infrà cap. prox. eadem de re, *Pudet Deorum hominumque*.

8 *quòd princeps familiæ ſuæ auſus in regibus eſſet.* Vim ultimam apparebat futuram, ſpectaculoque ſeditionem Romanam hoſtibus fore. nec lex tamen ferri, nec ire in Capitolium conſul potuit: nox certamina cœpta oppreſſit, tribuni ceſſere nocti, timentes conſulum arma. Amotis inde ſeditionis auctoribus, Patres circumire plebem, [b] inferentesque ſe in circulos, ſermones tempori aptos ſerere: admonere, *Ut viderent in quod diſcrimen rempubl. adducerent. Non inter Patres ac plebem certamen eſſe; ſed ſimul Patres, plebemque, arcem urbis, templa Deorum, penates publicos privatoſque hoſtibus dedi.* Dum hæc in foro ſedandæ diſcordiæ cauſa aguntur, Conſules interim 9 ne Sabini, ne Vejens hoſtis moveretur, circa portas muroſque diſceſſerant.

Urb. cond. an. 295. Coſſ. P. Valer. 11. & C. Claud.

XVIII. Eadem nocte & Tuſculum de arce capta, Capitolio occupato, & alio turbatæ urbis ſtatu nuncii veniunt. L. Mamilius Tuſculi tum dictator erat. is confeſtim convocato ſenatu, atque introductis nunciis, magnopere cenſet, *Ne expectent, dum ab Roma legati auxilium petentes veniant: periculum ipſum, diſcrimenque ac ſociales Deos, fidemque fœderum, id poſcere. Demerendi beneficio tam potentem, tam propinquam civitatem, nunquam parem occaſionem daturos Deos.* Placet ferri auxilium, juventus conſcribitur, arma dantur. Romam prima luce venientes, procul ſpeciem hoſtium præbuere. Æqui aut Volſci venire viſi ſunt. deinde ubi vanus terror abiit, accepti in urbem, agmine in forum deſcendunt. ibi jam P. Valerius, relicto ad portarum præſidia collega, inſtruebat aciem.

INTERPRETATIO.

b *Cœtibus ſe immiſcentes.*

NOTÆ.

8 *Quòd princeps familiæ ſuæ.*] Glareanus Livium hic reprehendere videtur, quod P. hunc Valerium Poplicolam Conſulem inducat de priore Poplicola, quaſi de Tritavo aut certè atavo loquentem, cum Dionyſius illius hunc filium fuiſſe dicat. Gronovius negat intellexiſſe Glareanum, quid hic eſſet familia. Eſt enim ſenſus Poplicolam priorem (Bruti collegam) fuiſſe principem, ſive auctorem ſui cognominis, atque in Valeria gente exortum eſſe Poplicolarum familiam, cum eſſent aliæ Valeriorum familiæ, de quibus Sigonius; aliud enim gens, aliud familia. Hæc quidem mihi neutiquam ambigua. In eo tamen hæreo, an hic P. Valerius primi Poplicolæ filius fuerit; nepotem potiùs conjicerem. Ex hoc quidem loco aliquatenus; ex Dionyſii teſtimonio fortiùs. Hic enim libro 6. tradit ſauciato in pugna adverſus Tarquinium, Marco Valerio, Poplicolæ fratre, Publium, & Marcum hujus filios, poſtquam patruum in caſtra remiſiſſent, furentes præ dolore in medios irruiſſe hoſtes, atque ab exulibus multitudine vulnerum confectos, unà occubuiſſe: quòd ſi ita eſt, illo Publio natus fuerit hic Valerius, de quo nunc ſermo: niſi dixerimus in primi Poplicolæ familia Publios fuiſſe duos, quorum prior in acie perierit Dictatore Poſtumio, hic junior bis poſtea Conſul fuerit.

9. *Ne Sabini, ne Vejens hoſtis.*] Livium numeri variatione delectari obſervat Gronovius ut lib. 2. *Nec Vejens hoſtis, Etruſcæque legiones detractant.* Iterumque *Vejens hoſtis Etruſcique magis præproperè* agere.

Urb. cond. an. 293. Coss. P. Valer. II & C. Claud.

1 Auctoritas viri moverat, affirmantis, *Capitolio recuperato, & urbe pacata,* 2 *si edoceri se sissent quæ fraus à tribunis occulta in lege ferretur; memorem se majorum suorum,* 3 *memorem cognominis, quo populi colendi velut hæreditaria cura sibi à majoribus tradita esset, concilium plebis non impediturum.* Hunc ducem secuti, nequicquam reclamantibus tribunis, a in clivum Capitolinum erigunt aciem. adjungitur & Tusculana legio. certare socii civesque, b utri recuperatæ arcis suum decus facerent. dux uterque suos adhortatur. Trepidare tum hostes, nec ulli satis rei, præterquam loco, fidere. trepidantibus inferunt signa Romani, socïque. Jam in vestibulum perruperant templi, quum 4 P. Valerius inter primores pugnam ciens, interficitur. P. Volumnius Consularis vidit cadentem. is daro negotio suis, ut corpus obtegerent, ipse in locum vicemque Consulis provolat. Præ ardore impetuque, tantæ rei sensus non pervenit ad militem: prius vicit, quam se pugnare sine duce sentiret. Multi exulum, cæde sua fœdavere templum, multi vivi capti. Herdonius interfectus. Ita 5 Capitolium recuperatum. De captivis, ut quisque liber aut servus esset, 6 suæ fortunæ à quoque sumptum supplicium est. Tusculanis gratiæ actæ. Capitolium purgatum atque 7 lustratum. In Consulis domum plebes 8 ȣ quadrantes, ut funere ampliore efferretur, jactasse fertur.

INTERPRETATIO.

a *Ascendunt facto agmine collem quo aditur Capitolium.*

b Romani, an Tusculani *recepta arcis gloriam* primi adipiscerentur, & *sibi vindicarent.*

NOTÆ.

1. *Auctoritas viri moverat.*] Plebejos nempe ad arma adversus hostes capienda: quod detrectabant ante hoc Valerii promissum, cui ob innatam ejus familiæ popularitatem facilius credebant.

2. *Si edoceri se sissent.*] Non itaque absolutè legis controversiæ rogationem promiserat plebi Valerius; sed ita, si prius plebs monita esset, non studio boni publici à Tribunis eam urgeri, sed horum in ea re fraudem subesse.

3. *Memorem cognominis.*] Profitetur Valerius se non obstiturum commodis plebis, argumento ducto ex cognomine *Poplicola*, familiæ suæ proprio, (quo populi colendi studium significabatur), à primo Valerio, ad omnes posteros, velut hæreditario, jure derivatum.

4. *P. Valerius interficitur.*] Fortissime in hoc certamine se gessit Valerius Consul; multisque vulneribus acceptis, non ante destitit, quàm mœnia scandenti saxum ingens impactum vitam cum victoria simul ademit. Auctore Dionys.

5. *Capitolium recuperatum.*] Arx vi capta est, oppugnationis die tertia, quam oppugnationem Dionys. describit.

6. *Suæ fortunæ supplicium.*] Duriùs apud Romanos puniebantur servi, quam liberi homines. Illi ferè in crucem agebantur. hi ut plurimum securi percutiebantur, quoties ultimo supplicio videbantur afficiendi.

7. *Lustratum.*] Profanata erant omnia in templo Jovis Capitolini, ut queritur Quintius cap. sequenti, humano præsertim sanguine fuso: ita expurgandum, expiandumque fanum fuit, & sacrificiis velut sacrandum, ad avertenda in futurum ejusmodi mala, quod est propriè lustrare.

8. *Quadrantes.*] Quadrans est quarta pars assis, tres nimirum æris unciæ. Singuli ergo quadrantes à civibus col-

Pace

XIX. Pace parta, instare tum tribuni Patribus, ut P. Valerii fidem exolverent: instare Claudio, [1] *ut Collegæ Deos manes fraude liberaret, agi de lege sineret.* Consul, [2] *antequam collegam sibi subrogasset*, negare *passurum agi de lege*. Hæ tenuere contentiones usque ad comitia Consulis subrogandi. Decembri mense summo Patrum studio [3] L. Quintius Cincinnatus pater Cæsonis Consul creatur, qui magistratum statim occiperet. Perculsa erat plebs consulem habitura iratum; potentem favore Patrum, virtute sua, [a] tribus liberis, quorum nemo Cæsoni cedebat magnitudine animi; consilium & modum adhibendo, ubi res poscceret, priores erant. Is, ut magistratum iniit, assiduis concionibus pro tribunali, [b] non in plebe coërcenda, quam Senatu castigando, vehementior fuit. *cujus ordinis languore, [4] perpetui jam tribuni plebis, non ut in republica populi Romani, sed ut in perdita domo, lingua, criminibusque regnarent. Cum Cæsone filio suo virtutem, constantiam, omnia juventutis*

Urb. cond. an. 293. Cos. C. Claud. & L. Quint. Cincin.

INTERPRETATIO.

a *Consulem* hac etiam de causa *potentem*, quod *filiis tribus* subnixus esset; *quorum nullus superabatur à Cæsone* fratre, *quantùm ad fortitudinem*; & qui *eum superabant, quantum ad res consilio & moderatione tractandas, quoties opus esset.*

b *Non minus vehementem se gessit in Senatu objurgande, quàm in reprimenda plebe. Seu tumque arguebat, quod totius ordinis mollitie factum esset ut Tribuni plebis, continuate* velut in perpetuum *magistratu, non ut in Romana Rep.* rectè constituta modestè agerent; sed *regie more imperarent*, idque *per malevolos sermones, & calumnias, quemadmodum in domo corrupta & dissoluta fieri amat.*

NOTÆ.

lati ad funus P. Valerii Poplicolæ, quod nec Romæ, nec in ejus familia novum. Primus enim Valerius Poplicola ob rei familiaris angustias publicis sumptibus elatus est; & in funus Agrippæ Menenii sextantes à civibus collatos vidimus. At nunc honoris magis causâ, quàm ex necessitate videtur collata pecunia fuisse.

1. *Ut Collega manes fraude liberaret.*] Ut culpâ liberatur, qui pronunciatur insons ejus criminis cujus suspicione laborabat: ita fraude dicitur liberari, cujus promissa impleta probant eum non decipiendi animo, sed bonâ fide promisisse. Petebant itaque Tribuni ut Claudius datam ab altero Consule Valerio fidem, eo jam mortuo, præstaret; & sic ejus Manes, sive animam, quæ apud inferos esset, à crimine ac dolo, omnique fallaciæ suspicione absolveret. Quare hic aliquis *manes* fortè simpliciter legerit, potius quàm *Deos manes*.

2. *Antequam collegam sibi subrogasset.*] Claudius postquam urbis lustrationibus, supplicationibus, ludis tempus extraxit: eo confugit, ut diceret nihil se posse solum, & absque collega, pro potestate, ac ritè agere.

3. *L. Quintius Cincinnatus.*] Evicere proceres Senatus auctoritate suâ, per clientes atque amicos, ut omnium primæ classis centuriarum suffragiis Consul renunciaretur hic pater Cæsonis, qui nuper à tribunis exagitatus, solum verterat. Reliquas classes citare necesse non fuit, quod prima sola reliquas omnes tribus centuriis superaret, ut lib. 1. ostensum est.

4. *Perpetui jam Tribuni.*] Aliàs *perpetuo*. Correxit Rhenanus, nec abs re: perpetuos autem dicit, quod iidem subinde reficerentur, *jam iterum atque tertium*, præter morem ac jus, magistratum gerentes; quem in quintum annum prorogarunt, ut ex iis, quæ sequuntur, patebit.

Urb. cond. an. 293. Coſſ. C. Cl. & L. Quint.

belli domique decora pulſa ex urbe Romana, & fugata eſſe; loquaces, ſe-
ditioſos, ſemina diſcordiarum, iterum atque tertium tribunos peſſimis ar-
tibus regia licentia vivere. Audus, inquit, *ille Virginius, quia in Capi-*
tolio non fuit, minùs ſupplicii, quam Ap. Herdonius meruit? plus hercule
aliquanto, [c] *qui verè rem æſtimare velit. Herdonius, ſi nihil aliud, ho-*
ſtem ſe fatendo, propè denunciavit ut arma caperetis: hic negando bella
eſſe, arma vobis ademit, nudoſque 5 *ſervis veſtris & exulibus objecit.*
Et vos (C. Claudii pace, & P. Valerii mortui loquar) priùs in clivum
Capitolinum ſigna intuliſtis, quàm hos hoſtes de foro tolleretis? 6 *Pudet*
Deorum hominumque, quum hoſtes in arce, in Capitolio eſſent, exulum
& ſervorum dux profanatis omnibus, 7 *in cella Jovis optimi maximi ha-*
bitaret, Tuſculi antequam Romæ ſumpta ſunt arma. In dubio fuit, utrùm
L. Mamilius Tuſculanus dux, an P. Valerius, & C. Claudius Conſules
Romanam arcem liberarent: & qui antè 8 *Latinos, ne pro ſe quidem*
ipſis, quum in finibus hoſtem haberent, attingere arma paſſi ſumus; nunc,
niſi Latini ſuâ ſponte arma ſumpſiſſent, capti & deleti eramus. Hoc eſt,
tribuni, auxilium plebi ferre; inermem eam hoſti trucidandam objicere?
Scilicet, ſi quis vobis humillimus homo de veſtra plebe, quam partem,
veluti abruptam à cætero populo, veſtram patriam peculiaremque remp.
feciſtis, ſi quis ex his domum ſuam obſeſſam [d] *à familia armata nuncia-*
ret, ferendum auxilium putaretis. Jupiter optimus maximus, exulum
atque ſervorum ſeptus armis, nulla humana ope dignus erat? & hi po-
ſtulant, ut ſacroſancti habeantur, quibus ipſi Dii neque ſacri, neque
ſancti ſunt. At enim 9 *divinis humaniſque obruti ſceleribus, legem*

INTERPRETATIO.

c *Si quis rectè ea de re velit judicare.*
d *A famulis ac ſervis propriis qui arma cepiſſent* in ipſum dominum.

NOTÆ.

5. *Servis veſtris & exulibus.*] Atqui cap. 17. notatum eſt ſervos Romanorum in Herdonii caſtra non transfugiſſe, nec niſi à Sabinis Romam ab eo advectos. Sed ut vera apparent hæc Cincinnati oratio, ſufficit quod nec per Herdonium, ac ne per Tribunos quidem ſtetiſſet, quominus ſervi, qui in urbe erant, adverſus Dominos armarentur. Et Herdonius eos è Capitolio ad libertatem vocaverat cap. 15. Tribuni adverſus Herdonium arma capi vetuerant.

6. *Pudet Deorum hominumque.*] Num Gall. *J'ay honte devant les Dieux & devant les hommes.*

7. *In cella Jovis.*] Cella in genere, à Celando ut vult Feſtus, dicitur de quovis loco, ubi quid reconditur & aſſervatur. Hic autem ſacellum eſt ſive ſacrarium. Cæterùm Deorum templa, & ſacraria armis occupare nefas: unde non immeritò Cic. ſæpius in Philippicis conqueritur, quod Antonius in Cella Concordiæ armatos collocaverit.

8. *Latinos ne pro ſe ipſis.*] Vide lib. 2. cap. 53.

9. *Divinis humaniſque obruti ſceleribus.*] Sic legendum cenſet Rhenanus, ac divina ſcelera interpretatur, quæ in Deos ſunt commiſſa, dum ſacrilegi non oppugnantur. Sic ab eodem lib. 5. & ab aliis, divinæ res, divina jura vocantur, quæ ad divinum pertinent cultum. Ego divina ſcio Latine dici, quæ in Deos

vos hoc anno perlaturos dicitatis? Tum hercule illo die, quo ego Conſul ſum creatus, 10 male geſta reſpub. eſt, pejùs multò quàm cum P. Valerius conſul periit, ſi tuleritis. Jam primum omnium, inquit, *Quirites, in Volſcos & Æquos mihi atque collegæ legiones ducere in animo eſt. Neſcio* § *quo fato, magis bellantes quam pacati, propitios habemus Deos: quantum periculum ab illis populis fuerit, ſi Capitolium ab exulibus obſeſſum ſciſſent, e ſuſpicari de præterito, quam re ipſa experiri eſt melius.*

XX. Moverat plebem oratio conſulis: erecti Patres reſtitutam credebant rempublicam; conſul alter, [a 1] comes animoſior quam auctor, ſuſcepiſſe collegam priorem actionem tam gravis rei facilè paſſus; [a 2] in peragendis, conſularis officii partem ad ſe vindicabat. Tum

Urb. cond. an. 293. Coſſ. C. Claud. & L. Quint. Cincin.

INTERPRETATIO.

e *Satius eſt conjicere ex iis, quæ præterita ſunt, quàm*, &c.

a *Claudius ſocius Cincinnati, ipſo adhuc animoſior* quamvis *auctor* totius conſilii, facile paſſus *collegam priorem* fuiſſe *in hac actione* ſuſcipienda; *partem muneris conſularis* non minimam *ad ſe trahebat, in iis quæ peragenda* erant.

NOTÆ.

rum honorem fiant: at nomen illud de iis, quæ in contemptum Deorum fiant, nullibi me legere memini. Locus hic apud Livium, aliàs ſic legebatur, *divinis, humaniſque abruptis legibus*: quæ verba non ineptum ſenſum patiuntur; ſive quis ea ſic intelligat, ut velit Quintius Tribunos, poſtquam in prodendo hoſtibus Capitolio divina, in propugando ultra morem magiſtratu humana jura violarint, minari ſe legem patriciis ingratam laturos: ſive hanc legem perferre velle contra Leges divinas ſimul, & humanas, à Romulo præſertim, (qui in Deorum numerum relatus eſt) latas de publicis rebus non niſi accedente Senatus auctoritate gerendis, præſertim quod ad creandos magiſtratus, ferendaſque leges attineret, quem admodum ex Dionyſii Halicarnaſſei lib. 2. diſcimus.

10. *Malè geſta reſp.*] Cur verò malè geſtam eo die, quo ipſe Conſul factus fuerit, remp. ait, quaſi malè ſe ipſe in rempub. animatum profiteatur? Cur pejus geſtam, quam cum Valerius Conſul periit: quaſi tunc male adminiſtratæ res fuerint; cum tamen receptum ab hoſtibus eo die ſit Capitolium. Ironice nimirum loquitur, quaſi dicat, ſi legem tuleritis, nequeam ex re vobis obſtitero; tum Herculè fatebor ipſe me Conſule creato, qui legem adeò pernicioſam ferri paſſus fuerim, malè omninò actum fuiſſe cum reſpublica; pejus etiam, quàm cum fortiſſimum virum, & amantiſſimum boni publici Valerium amiſit.

1. *Comes animoſior, quàm auctor.*] Claudius quidem ſatis ſe animoſum oſtenderat, ut vidimus: ſed nunc in eo animoſius eſſe noluit, ut auctor eſſet tam ardui conſilii, & gravem adeò adverſus Tribunos orationem ipſe haberet: ſatis tamen fortem ſe geſſit, ut collegæ id agenti ſe ſocium adjungeret.

2. *In peragendis Conſularis officii partem vindicabat.*] Nihil erat, meo quidem judicio, quod quicquam Sigonius mutaret, legeretque *in peragendis conſiliis Conſularis officiis partem*, cujus lectionis non improbabilis ſenſus eſt, Claudium ſcilicet comitem fuiſſe animoſiorem quam eſſet auctor Quintius: ita ut hic conſiliorum eſſet princeps, ille conſilia exequeretur, & Conſulari officio in ea re non deeſſet. Verùm hæc lectio nuſquam extat, ex uno tantùm codice parum commodè detorta. Subtilior quoque mihi, quàm verior videtur interpretatio Gronovii, qui vult Quintium ſolum hanc actionem & ſuſcepiſſe & peregiſſe, collegam tantum faviſſe & ſuſcipienti,

Urb. cond. an. 293. Coſſ. C. Claud. & L. Quint. Cincin.

tribuni eludentes velut vana dicta, [b] perſequi quærendo, *quonam modo exercitum educturi conſules eſſent, quos delectum habere nemo paſſurus eſſet? Nobis vero*, inquit Quintius, *nihil delectu opus eſt, quem, quo tempore P. Valerius ad recipiendum Capitolium arma plebi dedit, omnes in verba juraverint, conventuros ſe juſſu Conſulis, nec injuſſu abituros. Edicimus itaque, omnes qui in verba juraſtis, craſtina die armati 3 ad lacum Regillum adſitis.* Cavillari tum tribuni, *& populum exolvere religione velle: privatum eo tempore Quintium fuiſſe, quam ſacramento adacti ſint.* SED NONDUM HÆC, quæ nunc tenet ſeculum, [a] negligentia Deûm venerat: nec interpretando ſibi quiſque jusjurandum & leges aptas faciebat, ſed ſuos potius mores ad eas accommodabat. Igitur tribuni, ut impediendæ rei nulla ſpes erat, 4 * de proferendo exercitu agere. eo magis quod & *augures juſſos adeſſe ad Regillum lacum* fama exierat: *locumque inaugurari, 5 ubi auſpicato cum populo agi poſſet:* [c] *ut quicquid Romæ vi tribunicia rogatum eſſet, id comitiis ibi abrogaretur.* [d] *Omnes id juſſuros, quod*

INTERPRETATIO.

b *Perſequebantur* Quintii orationem, *interrogantes*, &c.

c *Quacumque in urbe per violentiam Tribunorum pro lege fuiſſent ſancita.*

d *Fore ut cunctis quidquid conſules rogarent, lege ſancirent.*

NOTÆ.

& peragenti; & tamen eum juviſſe: ſed hæc ei contra Tribunos extraordinaria odioſaque actione ceſſiſſe; in aliis rebus atque negotiis, quæ ſolenni more atque ordine Conſularis eſſent officii, ſuam partem ſibi vindicaſſe. Potiorem itaque cenſeo vulgatam lectionem, ex veluſtis codicibus. Cujus perſpicuus ſenſus, ut Claudius ſemper animoſus, atque in nobilium partes egregiè animatus; non ægrè tamen tulerit priorem Quintium, initio Conſulatus ſui gravem hanc actionem coercendæ plebi ſuſcepiſſe; apud quem ipſe Claudius ex anterioribus ſuis, patriſque actis ſatis magna jam in invidia erat. Cæterum in rebus exequendis non minori animo laboraſſe Claudium quàm collegam, qui totius conſilii auctor videbatur, & Conſulis partes æquè impleviſſe. Si tamen opus eſſet emendatione, ſatis probarem, quod Gronovio blanditur ex Sigoniana lectione formatum, *in peragendo cenſu Conſularis officii partem ad ſe vindicabat*. Nam Cenſum eo anno actum teſtis mox Livius cap. 22. quod ad hos Conſules referri poſſe videtur. Is rectè advertit phraſim illam *ad ſe vindicabat* lib. quoque 9. à noſtro uſurpatam: *ſummum flagitium fore, ſi alterum exercitum utriuſque victoria compotem ſinerent fieri, nec ad ſe ſui belli vindicarent decus.*

3. *Ad lacum Regillum.*] De hoc lacu lib. 2. cap. 19.

4. *De proferendo exercitu agere.*] Glareanus dubitat num velit auctor Tribunos inter ſe egiſſe de exercitu, quem prolaturi, ſive educturi Cõſules eſſent, extra urbem. Lipſius deletâ voce *exercitu* legit *de proferenda agere*; fortè meliùs *de proferenda extremum agere*: ut Tribuni poſt multa tentata; ubi *impediendæ rei nulla ſpes erat, de proferendâ* & prorogandâ ſaltem ea poſtremò conſultaverint. Gronov. legendum ſuſpicatur *de perterrendo exercitu*: quod cum iis, quæ ſequuntur non malè cohæret.

5. *Ubi auſpicatò cum populo agi poſſet.*] Anteà notatum ex Romuli diſciplina Comitia populi non niſi auſpicato fieri debere. Quin etiam ex Cicerone lib. 1. de Divinat. *apud Romanos nihil ferè majoris quondam rei, niſi auſpicatò, ne privatim quidem gerebatur.*

Conſules vellent. [6] *neque enim provocationem eſſe longius ab urbe mille paſſuum:* [7] *& tribunos, ſi eo adveniant in alia turba Quiritium, ſubjectos fore conſulari imperio.* [8] Terrebant hæc: ſed ille maximus terror animos agitabat, quod ſæpius Quintius dictitabat, *Se conſulum comitia non habiturum:* [e] *Non ita civitatem ægram eſſe, ut conſuetis remediis ſiſti poſſit. Dictatore opus eſſe reipubl. ut qui ſe moverit ad ſollicitandum ſtatum civitatis, ſentiat* [9] *ſine provocatione dictaturam eſſe.* Urb. cond. an. 293. Coſſ. C. Claud. & L. Quint.

XXI. Senatus in Capitolio erat. eò tribuni cum perturbata plebe veniunt. multitudo clamore ingenti, nunc Conſulum, nunc Patrum fidem implorant. [1] nec ante moverunt de ſententia Conſulem, quam tribuni [a] ſe in auctoritate Patrum futuros eſſe, polliciti ſunt. Tunc referente Conſule de tribunorum & plebis poſtulatis, [2] ſenatusconſultum fit, ut *Neque tribuni legem eo anno ferrent, neque Conſules*

INTERPRETATIO.

[e] *Civitatem non adeò levi morbo laborare, ut ei ſuſtinenda communia remedia ſufficiant.*

[a] *Obtemperaturos decretis Senatus.*

NOTÆ.

6. *Neque provocationem eſſe longius ab urbe mille paſſuum.*] P. Valerius Poplicola an. U. C. 245. jus conſtituerat provocandi ad populum à Conſulibus. Huic juri cum derogatum fuiſſet Decemvirorum cauſâ, conſtitutum iterum eſt, anno 306. Coſſ. L. Valerio & M. Horatio, ne quemquam magiſtratum, id eſt nullum genus magiſtratuum ſine provocatione creare liceret. Vide ſupra lib. 2. cap. 8. & lib. hujus cap. 55. Relata tertio lex ejuſdem generis ann. 454. M. Valerio quintum, & Q. Apulejo Panſa Coſſ. de quâ noſter lib. 10. cap. 9. Verùm hoc jus domi magis quam extra urbem valuit. Hinc factum ut ex inſtituto Poplicolæ Conſules extra urbem tantùm ſecuribus uterentur, intra mœnia contenti faſcium Inſignibus, quod Dionyſius lib. 5. notavit. Huc quoque pertinent duæ leges à Tullio lib. 3. de Legibus prolatæ, altera, *ad populum provocatio eſto*, altera *militiæ ab eo qui imperabit provocatio ne eſto.*

7. *Et Tribunos, ſi eò adveniant.*] Lectio vetus ex Rhenano, *ſi eò veniant*. Senſus idem. Porrò Tribunorum plebis poteſtatem urbis mœnibus finiri jam demonſtratum eſt.

8. *Terrebant hæc.*] Terrorem augebat quod Quintius plebi prædicebat ſe nonniſi exacto magiſtratus ſui tempore eos ex hoſtico deducturum, proinde ad hibernandum in caſtris ſe compararent, ne tribunitiis actionibus vacare poſſent.

9. *Sine provocatione dictaturam eſſe.*] Semeſtris poteſtas Dictatoris, amplior quàm Conſulum fuit; eoque duplicatus ſummo huic magiſtratui ſecurium numerus, neque ab eo provocatio erat: unde ex eo nomen traxiſſe viſus eſt Varroni; quod ejus dicto omnes audientes eſſent; quæ omnia ex Livio lib. 2. cap. 18. habuimus.

1. *Nec ante moverunt de ſententia Conſulem.*] Territis plebeiis metu laborum, & remitti ſibi eam militiam flagitantibus, Quintius reſpondit, ita ſe illis gratificaturum, ſi nihil moverent, & magiſtratum ſibi quietum juri dicundo præberent. Tumultu hac ratione ſedato, cauſis cognoſcendis aſſiduò vacavit, ità moderatè, ut nemo jam Tribunorum auxilium & provocationem, aut novas leges de jure æquando amplius deſideraret. Dionyſ.

2. *Senatusconſultum fit, ut neque* &c.] Sic vetus liber ex Sigonio. Rhenanus in exemplari Ms. legi ait, *Senatusconſulta fiunt, neque*, &c. demptâ particulâ *ut*: quæ ipſius judicio planè abeſſe debet, uti ſua forma Senatusconſultis conſtet, quorum primum, *neque Tribuni legem*. At neque plura fuere Senatuſconſulta,

Urb. cond. an. 293. Coss. C. Claud. & L. Quint.

ab urbe exercitum educerent. b *In reliquum magistratus continuari, & eosdem tribunos reficì, judicare Senatum contra rempublicam esse.* Consules fuere in Patrum potestate, tribuni reclamantibus Consulibus refecti. Patres quoque ne quid cederent plebi, & ipsi L. Quintium Consulem reficiebant. Nulla toto anno vehementior actio Consulis fuit. *Mirer*, inquit, *si vana vestra, Patres conscripti, ad plebem auctoritas est? Vos elevatis eam, quippe quia plebs senatusconsultum in continuandis magistratibus solvit, ipsi quoque solutum vultis; ne temeritati multitudinis cedatis: tanquam id sit plus posse in civitate, plus levitatis ac licentiæ habere.* LEVIUS ENIM, *vaniusque profecto est, sua decreta & consulta tollere, quam aliorum.* 3 *Imitamini, Patres conscripti, turbam inconsultam: & qui exemplo aliis esse debetis, aliorum exemplo peccetis potiùs, quam alii vestro rectè faciant; dum ego, ne imiter tribunos, nec me contra Senatusconsultum Consulem renunciari patiar. Te vero, C. Claudi, adhortor, ut & ipse populum Rom. hac licentia arceas: & de me hoc tibi persuadeas me ita accepturum, ut non honorem meum à te impeditum, sed gloriam spreti honoris auctam, invidiamque quæ ex continuato eo impenderet, levatam putem.* c Communiter inde edicunt, *Ne quis L. Quintium Consulem faceret: si quis fecisset, se id suffragium non observaturos.* 5 10 15 20

XXII. Consules creati Q. Fabius Vibulanus tertium, & L. Cornelius Maluginensis. 1 Census actus eo anno. 2 Lustrum, propter Capitolium

INTERPRETATIO.

b *Cæterùm videri senatui perniciosum esse reipub.* si *Consules* iidem in magistratu perseverarent; *& si iidem Tribuni denuò crearentur.*

c *Ambo Consules edictum conjunctim proposuerunt, quo cavebatur, ne quis, &c.*

NOTÆ.

sed unicum quod tribus capitibus constabat: nec historico necesse est Senatusconsultorum, aliorumve actorum formulas, seu verba ipsa referre.

3. *Imitamini P. C.*] Concessio ironica & cum Sarcasmo conjuncta. Vos quidem imitamini plebem, Senatores, si vobis videtur: mihi consuli per vos liceat à perniciosa Tribunorum imitatione abstinere.

1. *Census actus eo anno.*] Non ab his, sed à prioribus Consulibus: facilè enim Gronovio subscribo hunc Censum à Claudio & P. Valerio cœptum existimanti; sed interruptum tumultu Servilii, sive Herdonii. Id suadet quod subjicitur Q. Fabio & L. Cornelio Coss. principio anni statim res turbulentas fuisse. Hinc enim incipit haud dubiè Livius gesta novi hujus Consulatus narrare, ut superiora ad prioris anni Consulatum sint referenda.

2. *Lustrum, propter Capitolium captum,* &c.] Imò vel his de causis lustratio necessaria fuisse videtur. Et verò cap. 18. ob hæc ipsa lustratum Capitolium Livius ait. Verùm aliud lustrari locum, veluti Capitolium; aliud lustrari cives, sive exercitum: quâ de re lib. 1. cap. 44. Cur autem Capitolio incenso, Consule occiso, lustrum condere religio fuerit, mihi quidem haud satis compertum: nisi fortè solenne sacrificium lustrale, intra eumdem annum, aut ab eodem Magistratu publice sæpiùs celebrari nefas habebatur: ideoque lustrato Capitolio, à lustrandis per eumdem Consulem civibus, abstinendum censuere Pontifices:

captum, conſulem occiſum, condi religioſum fuit. Q. Fabio, L. Cornelio conſulibus, a principio anni ſtatim res turbulentæ. inſtigabant plebem tribuni. bellum ingens à Volſcis & Æquis Latini atque Hernici nunciabant. jam Antii Volſcorum legiones eſſe: & 3 ipſam coloniam ingens metus erat defecturam. 4 ægreque impetratum à tribunis, ut bellum præverti ſinerent. Conſules inde b partiti provincias. Fabio ut Antium legiones duceret, datum: Cornelio ut Romæ præſidio eſſet, ne qua pars hoſtium, qui Æquis mos erat, ad populandum veniret. Hernici & Latini juſſi milites dare ex fœdere: 5 duæque partes ſociorum in exercitu, tertia civium fuit. Poſtquam ad diem præſtitutum venerunt ſocii, conſul 6 extra portam Capenam caſtra locat, inde luſtrato exercitu Antium profectus, haud procul oppido, ſtativiſque hoſtium conſedit. Ubi quum Volſci, quia nondum ab Æquis veniſſet exercitus, dimicare non auſi, c quemadmodum quieti vallo ſe tutarentur, pararent; poſtero die Fabius 7 non permiſtam unam ſociorum civiumque, ſed trium populorum tres ſeparatim acies circa vallum hoſtium inſtruxit. Ipſe erat medius cum legionibus Romanis. inde ſignum obſervare juſſit, ut pariter & ſocii rem inciperent, referrentque pedem, ſi receptui cecinisſet. equites item

Urb. cond. an. 294. Coſſ. Q. Fab. III. & L. Cornel.

INTERPRETATIO.

a *Religioni repugnare viſum eſt, ſi latrum fieret.*

b *Muniis inter ſe diviſis.*

c *Curarent quâ ratione ſine prælio, ſeſe vallo tuerentur.*

NOTÆ.

3. *Ipſam Coloniam.*] Id eſt, Antium ipſum: neque enim alia tunc his in locis Colonia, ab ea quam Quintius Capitolinus deduxerat ante annos octo, quod didicimus ex cap. 1. hujus libri. Quid ſi non tam metuendum defecturam Coloniam, quàm certum erat jam defeciſſe: quandoquidem jam Antii Volſcorum hoſtium legiones erant. Sed Antii fuiſſe ita intellige ut in agro quidem Antiate, non tamen intra urbem eſſent receptæ, ut *Antii* idem ſit, quod *apud Antium*. Sic & *aliquot menſes Tuſculi bellatum*; id eſt, ad Tuſculum, circa Tuſculum. Fuere tamen auctores, qui Antiates jam tum defeciſſe, Antiumque captum ſcripſerunt, ut videre eſt ſub finem cap. 23.

4. *Ægreque impetratum à Tribunis.*] Vel extortum potiùs, auctore Dionyſio: refert enim poſt Nuntium Tuſculi ab Æquis capti, & ſimul defectionis Volſcorum, cum Tribuni delectus impedirent: Senatusconſultum factum, quo pro hoſte habebatur, ſi quis civis, ſociuſve nomen in eam militiam dare detrectaret: ita ceſſiſſe Tribunos.

5. *Duæque partes ſociorum.*] Ut plurimùm tamen numerus ſociorum, quod ad pedites attinet, par erat legionibus Romanis, equitum tantùm numero ſocii ſuperabant, ut docet nos Polybius. Sic apud noſtrum lib. 22. Socii duplicem numerum darent, pedites æquarent.

6. *Extra portam Capenam.*] Porta hæc Sancti Sebaſtiani dicitur.

7. *Non permiſtam.*] Solebant quidem pedites, equiteſque ſociorum in duo velut corpora diſtrahi auctore Polybio & noſtro plurib. locis: ita tamen ut unam cum Romanis aciem conſtituerent, eſſentque ejuſdem exercitus partes. Nunc autem in tres acies diviſus exercitus à Fabio. *Il diviſa ſon armée en trois corps.*

Urb. cond. an. 294. Coſſ. Q. Fab. III. & L. Cornel.

8 ſuæ cuique parti 9 poſt principia collocat. Ita trifariam adortus caſtra circumvenit: & quum undique inſtaret, non ſuſtinentes impetum, Volſcos vallo deturbat. Tranſgreſſus inde munitiones, pavidam turbam inclinatamque in partem unam caſtris expellit. Inde effuſe fugientes, eques cui ſuperare vallum haud facile fuerat, d quum ad id ſpectator pugnæ aſtitiſſet, libero campo adeptus, parte victoriæ fruitur, territos cædendo. Magna & in caſtris & extra munimenta cædes fugientium fuit: ſed præda major, quia vix arma ſecum efferre hoſtis potuit, deletuſque exercitus foret, ni fugientes ſilvæ texiſſent.

XXIII. Dum ad Antium hæc geruntur, interim Æqui robore juventutis præmiſſo, 1 arcem Tuſculanam improviſo nocte capiunt: reliquo exercitu haud procul 2 mœnibus Tuſculi conſidunt, 3 ut diſtenderent hoſtium copias. Hæc celeriter Romam, ab Roma in caſtra Antium perlata, movent Romanos haud ſecus, quam ſi Capitolium captum nunciaretur. adeo & recens erat Tuſculanorum meritum, & ſimilitudo ipſa periculi, repoſcere datum auxilium videbantur. Fabius omiſſis omnibus, prædam ex caſtris raptim Antium convehit. Ibi modico præſidio relicto, citatum agmen Tuſculum rapit. nihil præter arma & 4 quod cocti ad manum fuit cibi, ferre

INTERPRETATIO.

d *Equitatus, cum hactenus pugna tanquam ſpectator tantùm interveniſſet; hoſtes fugiente: per campos non impeditos aſſequutus*, &c.

NOTÆ.

8. *Sua cuique parti.*] Potuit Livius ſcribere; & *ſua cuique parti*, ut ad principia referret; quemadmodum vult Gron. & *ſuos cuique parti*, aut *ſua quoſque parti*, ſupple equites. At maluit *ſua cuique parti*, ut ſignificaret equites Hernicos ei exercitus parti, quæ peditibus Hernicis, Latinos ei quæ Latinis, Romanos ei quæ legionibus conſtaret, ſubjectos fuiſſe: eamque phraſin confirmat locus ab ipſo Gronovio relatus ex lib. 25. c. 17. *Moribuſque armorum & corporum ſua cuique gens aſſuetis.*

9. *Poſt principia collocat*,) Sumuntur hoc loco Principia pro principibus. Erant autem Principes qui ſecundum in acie locum ſive ordinem, poſt haſtatos ſcilicet, obtinebant. Itaque novo more Equites non ad latera, ſed ante Triarios cujuſque aciei extra ordinem locati.

1. *Arcem Tuſculanam.*] Non arcem modò, ſed & oppidum ab Æquorum ſex millibus leviter armatis captum ac direptum ſcribit Dionyſ. multoſque Tuſculanos nocturna eorum irruptione oppreſſos, plures per averſam portam fugiſſe, imbellem ſexum & ætatem prædæ ceſſiſſe, idque nunciatum ante Volſcorum defectionem.

2. *Mœnibus Tuſculi.*] In conſpectu Romæ eſt 12. ferè ab urbe lapide *Tuſculum* priſcorum Latinorum oppidum Græcis Τύσκλος, in ſublimi montium dorſo poſitum ex Strab. qui aquarum copiâ, hortis, atque ædificiis circumquaque jam tum exornatum ſcribit. Nunc vulgari vocabulo *Fraſcati* in Campania Romana. A Telegono Circes & Ulyſſis filio Poëtæ conditum ferunt. Hinc Tuſculanum Ciceronis.

3. *Ut diſtenderent hoſtium.*] Sic Rhenanus correxit, cum antèa legeretur *diſtinerent*. Eſt autem diſtendere idem quod diſtrahere, in diverſa trahere, diſſipare. Sic lib. 9. *Diſtendit ea res Samnitium animos.*

4. *Quod cocti ad manum fuit.*] Parata indicat cibaria, panem præſertim & laridum: cum alias frumentum milites ſibi admenſum ſecum ferrent.

militi

militi licuit. Commeatum ab Roma Conſul Cornelius ſubvehit. Aliquot menſes Tuſculi bellatum, parte exercitus Conſul caſtra Æquorum oppugnabat: partem Tuſculanis dederat ad arcem recuperandam. 5 Vi nunquam eò ſubire potuit. fames poſtremo inde detraxit hoſtem. Quo poſtquam ventum ad extremum eſt, inermes nudique omnes ſub jugum ab Tuſculanis miſſi. hos ignominioſa fuga domum ſe recipientes, Romanus Conſul 6 in Algido conſecutus, ad unum omnes occidit. Victor 7 ad Columen (id loco nomen eſt) 8 exercitu relicto, caſtra locat. Et alter Conſul, poſtquam mœnibus Romanis jam pulſo hoſte periculum eſſe deſierat, & ipſe ab Roma profectus. Ita bifariam Conſules ingreſſi hoſtium fines, ingenti certamine hinc Volſcos, hinc Æquos populantur. Eodem anno deſciſſe Antiates 9 apud pleroſque auctores invenio. L. Cornelium Conſulem id bellum geſſiſſe, oppidumque cepiſſe: certum affirmare, quia nulla apud vetuſtiores ſcriptores ejus rei mentio eſt, non auſim. Urb. cond. an. 294. Coſſ. Q. Fab. III. & L. Cornel.

XXIV. Hoc bello perfecto tribunicium domi bellum Patres territat. Clamant *fraude fieri, quod foris teneatur exercitus:* a *fruſtrationem eam legis tollendæ eſſe. ſe nihilominus rem ſuſceptam peracturos.* Obtinuit tamen P. Lucretius præfectus urbis, ut actiones tribuniciæ in adventum Conſulum differrentur. Erat & nova exorta cauſa motus. 1 A. Cornelius, & Q. Servilius quæſtores, M. Volſcio, quod falſus

INTERPRETATIO.

a *Artificium id eſſe ad impediendam legem Terentillam.*

NOTÆ.

5. *Vi nunquam eò ſubire potuit.*] Videtur ſenſus exigere ut legamus *ſubiri potuit* impersonaliter: alioquin dicendum eſſet ſubire potuerunt, nimirum Tuſculani: niſi fortè Conſul ſtatim arcem adortus, expugnare non potuit, eamque Tuſculanis obſidendam reliquit, attributa copiarum parte. At non ita Dionyſius, qui arcem à Fabio conſeſtim receptam ſcribit, præſidio aut diffugiente, aut ſe dedente.

6. *In Algido conſecutus.*] Refert Dionyſius idem Fabium præſidiariis ſub jugum miſſis, & Tuſculo ſuis civibus reddito, ſtatim nocturno itinere ad Caſtra Volſcorum, Æquorumque juxta Algidum poſita perrexiſſe, eaque cum fine foſſa, valloque eſſent, nullo negotio cepiſſe, ac prædam militi conceſſiſſe, exceptis captivis Tuſculanorum: Inde Ecetranum agrum nemine prohibente populatum eſſe.

7. *Ad Columen.*] Fuit *Columen* locus in Latio circa Algidum non procul Tuſculo, vulgò Columnam eſſe putant *la Colonna* oppidum duodecim milliaribus ab urbe, unde nobiliſſimæ hodie Columnarum genti nomen. Negant Cluverius & Holſtenius. Illi credibilius videtur Fabium in ipſis finibus Æquorum poſuiſſe caſtra inter Tuſculum & Algidum circa caſtellum, quod nunc vocatur *Rocca-Priora*.

8. *Exercitu relicto.*] Admonuit Sabellicus legendum *exercitu reliquo*; Rubenius *relato* ſcribendum cenſet, aut *reducto*. Mihi poſtremum probatur, vel eadem ſententia *recepto*; ut intelligatur recepta à Fabio, ſive ad Fabium reducta pars exercitus, quæ Tuſculanis ad recuperandam arcem relicta fuerat.

9. *Apud pleroſque auctores.*] Hos ſequutus eſt Dionyſ. lib. 10. qui captum à Cornelio Conſule Antium refert.

1. *A. Corn. & Q. Servil. Quæſtores.*] Trium præſertim generum fuere Quæ-

Urb. cond. an. 294. Coſſ. Q. Fab. III. & Ti. Cornel.

haud dubie teſtis in Cæſonem extitiſſet, diem dixerant. multis enim emanabat indiciis, neque fratrem Volſcii, ex quo ſemel fuerit æger, unquam non modo viſum in publico, ſed ne aſſurrexiſſe quidem ex morbo, multorumque tabe menſium mortuum: nec his temporibus, in quæ teſtis crimen conjeciſſet, Cæſonem Romæ viſum: affirmantibus, qui unà meruerant, *ſecum eum tum* b *frequentem ad ſigna ſine ullo commeatu fuiſſe*. c ni ita eſſet, multi privatim [2] ferebant Volſcio judicem. Quum ad judicium ire non auderet, d omnes eæ res in unum congruentes, haud magis dubiam damnationem Volſcii, quam Cæſonis Volſcio teſte fuerat, faciebant. In mora tribuni erant. [3] *qui comitia quæſtores habere de reo, niſi prius habita de lege eſſent*, paſſuros negabant. *ita* extracta utraque res in Conſulum adventum eſt. Qui ubi triumphantes victore cum exercitu urbem inierunt, quia ſilentium de lege erat, pereulſos magna pars credebant tribunos. At illi (etenim extremum anni jam erat) quartum affectantes tribunatum, e in comitiorum diſceptationem ab lege certamen averterant. & quum conſules nihilo minus adverſus continuationem tribunatus, quam [4] ſi lex minuendæ ſuæ majeſtatis causâ promulgata ferretur, tetendiſſent: victoria certaminis penes tribunos fuit. Eodem anno Æquis pax eſt petentibus data. [5] Cenſus, res priore anno inchoata,

INTERPRETATIO.

b *Aſſiduum fuiſſe in exercitu, nec ullam ei datam abeundi facultatem.*

c *Si rem ita ſe habere reus negaret.*

d *Hæc omnia cum in idem omnino convenirent, efficiebant ut condemnatio Volſcii aquè eſſet certa, ac certa fuerat condemnatio Cæſonis Fabii ſub teſtimonio ipſius Volſcii. Sed Tribuni dilationem afferebant huic judicio.*

e *Diſſidium de legis promulgatione converterant ad contentionem de comitiis Tribunitiis.*

NOTÆ.

ſtores in repub. Ærarii, qui & Urbani, Provinciales, & Parricidii ſeu rerum capitalium. Poſtremi hujus generis fuere, ni fallor, A. Cornelius, & Q. Servilius qui Volſcio ad populum diem dicebant ob falſum teſtimonium.

2. *Petebant Volſcio judicem.*] Judicem petere actor reo dicitur, cum ad judicem provocat, nominando ſive offerendo ei viſum ſpectatum, qui cauſam diſcepter, aut jubendo ut reus ipſe ea de cauſa nominet aliquem non ſuſpectum. Hoc ſenſu Liv. lib. 8. *Provoco*, inquit, *ad populum, eumque tibi fugienti exercitui tui, fugienti fanatus judicium, judicem fero.*

3. *Qui comitia Quæſtores habere.* Quæſtores Urbani licet, nec imperium, vocandæ, aut prehendendum, nec ex conſequenti Lictores haberent; convocandæ tamen concionis eos jus habuiſſe cognoſcimus ex Dionyſ. Halicarn. lib. 8. Sed & hi alterius, opinor, generis quæſtores fuerunt, ut antè indicavi.

4. *Si lex minuendæ ſuæ majeſtatis causâ promulgata ferretur.*] Revera ad imminuendam Conſulum poteſtatem pertinebat lex à Terentillo Arſa propoſita, (ut liquet ex cap. 9. hujuſce libri:) & quamvis non de lege promulganda, ſed de continuandis tantum Tribunis nunc ageretur; horum tamen refectionem gradum eſſe ad legem promulgandam Conſules videbant. Ideo hæc de re meritò laborabant.

5. *Cenſus, res priore anno inchoata.*] Inchoatus à Superioris anni Conſulibus cenſus. An & poſt compreſſum ma-

perficitur: 6 idque luſtrum ab origine urbis decimum condicum. Fuerunt cenſa civium capita centum triginta duo millia quadringenta novem. Conſulum magna domi bellique eo anno gloria fuit: quod & foris pacem peperêre: & domi, etſi non concors; f minus tamen quam alias infeſta civitas fuit.

XXV. L. Minucius inde, & C. Nautius Conſules facti, 1 duas reſiduas anni prioris cauſas exceperunt. Eodem modo Conſules legem, tribuni judicium de Volſcio impediebant: ſed in quæſtoribus novis major vis, major auctoritas erat. 2 Cum M. Valerio Valerii filio, Voleſi nepote, quæſtor erat T. Quintius Capitolinus, qui ter Conſul fuerat. Is quoniam neque Quinctiæ familiæ Cæſo, neque reipubl. maximus juvenum reſtitui 3 poſſet, falſum teſtem, qui dicendæ cauſæ innoxio poteſtatem ademiſſet, juſto ac pio bello perſequebatur. Quum Virginius maximè è tribunis de lege ageret, duûm menſium ſpatium Conſulibus datum eſt 4 ad inſpiciendam legem: ut, cum edocuiſſent populum, quid fraudis occultæ ferretur, ſinerent deinde ſuffragium inire. hoc intervalli datum, res tranquillas in urbe fecit. f Nec diuturnam quietem

Urb. cond. an. 295. Coſſ. L. Minuc. & C. Naut.

INTERPRETATIO.

f *Civitas minori ſolitum in diſcrimine verſata eſt quam antea.*

NOTÆ.

multum à Claudio peractus fuerit, quod Gronovarbitratur ad c. 20. eſt quod ambigatur. Peracto quippe Cenſu luſtrum fieri mos erat, uti docet in primis Halicarn. lib. 4. quod nunc quoque conditum innuit hoc loco Livius: anteà hujus cenſus causâ conditum negavit cap. 22.

6. *Idque luſtrum ab origine urbis decimum.*] Atqui anno Servii Tulli 25. id eſt 200. ab urbe condita hoc inſtitutum cepiſſe probabile eſt, ab eo tempore ad hunc conſulatum fluxerunt anni xcv. intra quos potuere luſtra undeviginti per totidem quinquennia condi. Hic quidem mos à Cenſoribus plerumque, non tamen perpetuò ſervatus eſt, ut quinto quoque anno Luſtrum conderetur: atque hinc factum ut Luſtrum pro quinquennali ſpatio ſumatur. At Cenſores non niſi decimo ſexto poſt hos Conſules anno creati ſunt: hoc itaque munere Conſules adhuc fungebantur, qui non ita accuratè agendo cenſui vacabant, aliis occupationibus abſtracti. Mirum tamen in recenſendi prioribus luſtris negligentiorem fuiſſe Livium. Quintum anno U. C. 245. ſtatim ab exactis regibus, ſextum, an. 255. ſeptimum an. 260. octavum an. 279. nonum cujus Livius meminit, anno 288. ex Dionyſio collegit Sigonius. Quatuor prima luſtra ab ipſo Servio condita fuerant, ut ſcribit Valer. Max. lib. 3. cap. 4. At toto Tarquinii Superbi regno intermiſſus fuerat hic uſus, ut Sigonius idem obſervat.

1. *Duas reſiduas cauſas.*] Impediendam ſcilicet legem de moderanda ipſorum Conſulum in judicando poteſtate, & exequendum judicium falſi in Volſcium.

2. *Cum M. Valerio, Valerii filio, Voleſi nepote.*] Lege cum Sigonio M'. Valerii f. ut ſit idem qui biennio poſt Conſul.

3. *Reſtitui poſſet.*] Hinc apparet Cæſonem in exilio periiſſe.

4. *Ad inſpiciendam legem.*] Etenim fraudem in ea latere monuerat P. Valerius Conſul anni ſuperioris, ideoque poſtulaverat à plebe ut ſineret ſe de prava Tribunorum mente edoceri, priuſquàm de lege concilium haberetur, uti antea dictum cap. 18.

5. *Nec diuturnam quietem Æqui dederunt.*] Valer. Maxim. lib. 2. ait cum Æquicolis hoc bellum fuiſſe. Idem itaque

Urb. cond. an. 295. Coſſ. L. Minuc. & C. Naut.

Æqui dederunt. qui rupto fœdere, quod ictum erat priore anno cum Romanis, imperium [6] ad Gracchum Cloelium deferunt. is tum longè princeps in Æquis erat. Graccho duce in Lavicanum agrum, inde in Tuſculanum hoſtili populatione veniunt, plenique præda in Algido caſtra locant. in ea caſtra Q. Fabius, P. Volumnius, A. Poſtumius legati, ab Roma venerunt queſtum injurias, & ex fœdere res repetitum. eos Æquorum imperator, *quæ mandata habeant ab ſenatu Romano, [7] ad quercum jubet dicere. ſe alia interim acturum.* quercus ingens arbor prætorio imminebat, [a] cujus umbrâ opaca ſedes erat. Tum ex legatis unus abiens, *& hæc*, inquit, *ſacrata quercus, & qu'cquid Deorum eſt, audiant fœdus à vobis ruptum: noſtriſque & nunc querelis adſint, & mox armis, quum Deorum hominumque ſimul violata jura exequemur.* Romam ut rediêre legati, ſenatus juſſit alterum conſulem contra Gracchum in Algidum exercitum ducere: alteri populationem finium Æquorum, provinciam dedit. Tribuni ſuo more impedire delectum. & forſitan ad ultimum impediſſent; ſed novus ſubito additus terror eſt.

XXVI. Vis Sabinorum ingens prope ad mœnia urbis infeſta populatione venit. [a] fœdati agri, terror injectus urbi eſt. Tum plebs [b] benignè arma cepit. reclamantibus fruſtra tribunis, magni duo exercitus ſcripti. alterum Nautius contra Sabinos duxit: caſtriſque [1] ad Eretum poſitis,

INTERPRETATIO.

a *Cujus* (arboris) *umbrâ opacum erat ſentorium Cloelii.*

a *Campi fœdè vaſtati ſunt.*
b *Cepit arma non repugnanter.*

NOTÆ.

populi ab iiſdem ſcriptoribus modò Æqui, modò Aequicolæ, aut Aequiculi, vel etiam Aequani latinè, Græce autem Αἶκοι, Ἀικανοὶ, Αἰκεανικλοι. Quod autem Virgilius dixit, *Æquoſque Faliſcos* epitheton eſt Faliſcorum, non nomen.

6. *Ad Gracchum Cloelium.*] Aliàs Cluilium. Sed idem nomen eſt, ut Claudius, & Clodius. V. lib. 1. cap. 22. Hic autem Gracchus delatum ad ſe Aequorum imperium proximè regiam poteſtatem exercerat ex Dionyſ. Sed hoc ille præter veterum fidem profert. Quod cum ita ſit non video unde habeat Godel. Dionyſium in ea fuiſſe ſententia, ut exiſtimaret Cæſonem Quintium, non Gracchum Cluilium ab Æquis & Volſcis ducem belli electum: niſi id quod à Virginio Tribuno plebis in Cæſonis invidiam confictum erat, is contra mentem auctoris pro vero acceperit. Sex. quidem Aurelius Victor, ſive auctor de Viris illuſtrib. ait Cæſonem ob petulantiam à patre abdicatum, atque à Cenſoribus notatum, ad Volſcos & Sabinos confugiſſe, qui duce Cloelio Graccho bellum adverſus Romanos gerebant.

7. *Ad Quercum jubet dicere.*] Cloelius diu ſimulans occupationes, legatos Romanorum audire diſtulit. Dein mandatis Senatus expoſitis, mirari ſe reſpondit, quod Romani, qui ſolâ imperandi cupidine eos à quibus læſi non eſſent, pro hoſtibus ſæpe haberent, non patiantur ut Æqui ab inimicis ſuis Tuſculanis, quibus cautum fœdere non ſit, pœnas exigant: adjecitque ſi res Tuſculanorum repoſcerent, eas à vicina fago repetendas. Romani tamen Legatos iterum miſerunt cum feecialibus, priuſquàm bellum inferrent.

1. *Ad Eretum.*] Oppidum, ſeu vicus fuit Sabinorum ultra Fidenas, haud procul Tiberi inter ejus ripam & confluentem Alliam in edito colle via Salaria, ut ex Strabone & Itinerariis con-

per expeditiones parvas, plerumque nocturnis incurſionibus, tantam vaſtitatem in Sabino agro reddidit, ut comparati ad eam propè intacti bello fines Romani viderentur, Minucio neque fortuna, nec vis animi eadem in gerendo negotio fuit. nam quum haud procul ab hoſte caſtra poſuiſſet, nulla magnopere clade acceptâ caſtris ſe pavidus tenebat. Quod ubi ſenſerunt hoſtes, crevit ex metu alieno, ut fit, audacia: & nocte adorti caſtra, poſtquam parum vis aperta profecerat, [2] munitiones poſtero die circumdant. quæ priuſquam undique vallo objecto clauderent exitus, quinque equites inter ſtationes hoſtium emiſſi, Romam pertulere conſulem exercitumque obſideri. Nihil tam nec inopinatum, neo inſperatum accidere potuit. Itaque tantus pavor, tanta trepidatio fuit, quanta, ſi urbem, non caſtra hoſtes obſiderent. [3] Nautium conſulem arceſſunt, in quo quum parum præſidii videretur, dictatoremque dici placeret, qui rem perculſam reſtitueret; L. Quintius Cincinnatus conſenſu omnium dicitur. OPERÆ PRETIUM EST AUDIRE, qui omnia præ divitiis humana ſpernunt, neque honori magno locum, neque virtuti putant eſſe, niſi ubi effuſe affluant opes. Spes unica imperii populi Romani L. Quintius, trans Tiberim, contra eum ipſum locum, [4] ubi nunc Navalia ſunt, quatuor jugerum colebat agrum, quæ prata Quintia vocantur. Ibi ab legatis, ſeu foſſam fodiens [5] palæ innixus, ſeu quum araret, operi certè, id quod conſtat, agreſti intentus; ſalute data invicem redditaque, rogatus *ut quod bene verteret ipſi, reique publicæ*, [6] *togatus mandata Senatus audiret*. admiratus, rogitanique, *ſatin' ſalva*

Urb. cond. an. 295. Coſſ. L. Minuc. & C. Naut.

NOTÆ.

ſtat: XL. ab urbe ſtadio diſſitum, ait Dionyſius, id eſt millibus paſſuum v: ſed neceſſario error in numerum irrepſit. Hodiè *Monte Ritondo* ex ſententia Cluverii, quam non improbat Holſtenius, qui ab urbe XV. milliaribus per rectam lineam, XVIII. vulgari viâ abeſſe notat. Ducatus titulo Barberinos habet dominos.

2. *Munitiones poſtero die circumdant.*] Cloelius, ubi convallis in quam Minucium pertraxerat, exitus omnes occuparat, & Romanos perrumpere conantes in caſtra compulerat; foſſa & vallo eos circumdedit, ſperans fame ad deditionem cogendos.

3. *Nautium Conſulem arceſſunt.*] Nunciato Minucii periculo, Q. Fabius Præfectus urbis, copiarum quas circa ſe tuendæ urbi habebat, robur in ſubſidium miſit: deinde alterum Conſulem per litteras è Sabinis excivit. Hic commiſſa legatis Caſtrorum curâ, de Fabii aliorumque Senatorum ſententia, tanquam rebus in diſcrimine poſitis dictatorem dixit L. Quintium Cincinnatum, inde ad exercitum ſuum properè reverſus eſt.

4. *Ubi nunc Navalia ſunt.*] In Vaticano, extra portam quæ olim Navalis dicta à Navalibus.

5. *Palæ innixus.*] Aliàs *palo*. Quintius deſcribitur *foſſam fodiens*, quod opus non fit inclinatis ad palum, ſed incumbentibus palæ, eaque ſtrenuè terram moventibus. Numeratur quoque bipalium inter inſtrumenta ruſtica quibus terra foditur. Verùm vox *bipalio* longiùs quam vox *pala* diſtat *à palo*, quod vocabulum in archetypis extabat. *Innixum aratro* Florus tradit.

6. *Togatus mandata Senatus audiret.*] Nudus enim operi ruſtico vacabat, id eſt, non ſolum ſine Toga, cujus in ejuſmodi opere nullus poterat eſſe uſus; ſed ne tunica quidem indutus, ſoliſque

Urb. cond. an. 295. L. Quint. Cincinn. Dictatore.

essent omnia, 7 togam propere è tugurio proferre uxorem Raciliam jubet. Qua simul, abstersо pulvere ac sudore, velatus processit; 8 dictatorem cum legati gratulantes consalutant; in urbem vocant: qui terror sit in exercitu, exponunt. Navis Quintio publicè parata fuit, transvectumque tres obviam egressi filii excipiunt. inde alii propinqui atque amici, tum Patrum major pars. Ea frequentia stipatus, antecedentibus lictoribus deductus est domum. & plebis concursus ingens fuit. sed ea nequaquam tam læta Quintium vidit; 9 & imperii nimium, & virum in ipso imperio vehementiorem rata. Et illa quidem nocte nihil præterquam vigilatum est in urbe.

XXVII. Postero die dictator, quum ante lucem in forum venisset, magistrum equitum dicit 1 L. Tarquitium patriciæ gentis, sed qui 2 quum stipendia pedibus propter paupertatem fecisset, bello tamen primus longe Romanæ juventutis habitus esset. Cum magistro equitum in concionem venit, justitium edicit, claudi tabernas tota urbe jubet, vetat quemquam privatæ quicquam rei agere. Tum quicumque ætate militari essent, armati cum cibariis in dies quinque coctis, vallisque duodenis, ante solis occasum Martio in campo adessent. quibus ætas ad militandum gravior esset, vicino militi, dum is arma pararet, vallumque peteret, cibaria coquere jussit. Sic juventus discurrit ad val-

NOTÆ.

tectus femoralibus: quo habitu accipi mandata Senatus indecorum.

7. *Togam properè è Tugurio.*] Togam puram intellige, non Prætextam: quæ dignitatis erat insigne. Eam enim si tunc L. Quintius sudore detersо accepit, quemadmodum Eutropius refert; certè, non sponte, sed à legatis post expositа mandata accepisse, colligitur ex Dionysio. Porrò apud Romanos primis temporibus viros sine tunicis fuisse, solaque amictos toga, disces vel ex A. Gell. lib. 7. Noct. Att. cap. 12.

8. *Dictatorem eum.*] Quæ hic in deferenda Cincinnato Dictatura contigisse Livius narrat, eadem fere Dionysius memorat cum eidem Consulatus anno superiore mandaretur. Et sanè facilè potuit frugi paterf. in opere habituque rustico non semel deprehendi.

9. *Et Imperii nimium.*] Videri posset *imperii nimium* intelligi nimis imperiosum, nimisque sevenum in imperando: sed hic sensus mox aliis verbis exprimitur, *& in ipso imperio vehementiorem*: idcoque ne eadem sententia statim repetatur, videtur alio sensu accipi debere *imperii nimium*, pro eo nempe, qui nimis sæpè summos gesserit magistratus. Imperium enim pro potestate dicitur. Porrò nimium imperii dicitur, quemadmodum apud eumdem *nimius animi*, apud Tacitum *sermonis nimius*. Quid si legamus *& Imperio nimium, & ipso imperio vehementiorem*: Ut velit Livius plebi doluisse Cincinnatum videre ad Dictaturam evectum maximum nempe magistratum, & cui nimia inesset potentia: & qui ipse naturâ suâ esset violentior, quam ipsa Dictatura ferret, quantumvis per se violenta.

1. *L. Tarquitium patriciæ gentis.*] Alias *Tarquinium*: sed ex Sigonio in tabulis Capitolinis est *L. Tarquitius*, quibus danda fides est; nam Tarquinii omnes exacti ab urbe fuerant cum Collatino supra lib. 2. cap. 2. Et de Tarquinio non dixisset noster *patriciæ gentis*, cum id satis constaret.

2. *Quum stipendia pedibus.*] Sine munere inter pedites militare, seu gregarium esse, minus honorificum, quàm equo stipendia mereri.

lum petendum. 3 ſumpſere, unde cuique proximum fuit: prohibitus nemo eſt: impigreque omnes ad edictum dictatoris præſto fuere. Inde compoſito agmine, non itineri magis apto, quam prælio, ſi res ita tuliſſet, legiones ipſe dictator, magiſter equitum ſuos equites ducit. In utroque agmine, quas tempus ipſum poſcebat, adhortationes erant: *adderent gradum, maturato opus eſſe, ut nocte ad hoſtem pervenire poſſent. Conſulem exercitumque Romanum obſideri. tertium diem jam clauſos eſſe: quid quæque nox aut dies ferat, incertum eſſe: puncto ſæpe temporis maximarum rerum momenta verti. accelera ſignifer, ſequere miles*, [a] inter ſe quoque, gratificantes ducibus, clamabant. media nocte [4] in Algidum perveniunt: & ut ſenſere ſe jam prope hoſtes eſſe, [b] ſigna conſtituunt.

Urb. cond. an. 295. L. Quint. Dictatore.

XXVIII. Ibi dictator quantum nocte proſpici poterat, equo circumvectus, contemplatuſque qui tractus caſtrorum, quæque forma eſſet, tribunis militum imperavit, ut ſarcinas in unum conjici jubeant. militem cum armis valloque redire in ordines ſuos. [1] facta, quæ imperavit. Tum [2] quo fuerat ordine in via, exercitum omnem longo agmine circumdat hoſtium caſtris, & ubi ſignum datum ſit, clamorem omnes tollere jubet. clamore ſublato, ante ſe quemque ducere foſſam, & jacere vallum. [a] Edito imperio, ſignum ſecutum eſt. juſſa miles exſequitur, clamor hoſtes circumſonat. [b] Superat inde caſtra hoſtium, & in caſtra conſulis venit: 3 alibi pavorem, alibi gaudium ingens facit. Romani, [c] civilem eſſe clamorem, atque auxilium adeſſe, inter ſe gratulantes, ultro ex ſtationibus ac vigiliis territant hoſtem. Conſul differendum

INTERPRETATIO.

a Ipſi *quoque* milites *ut gratum faceret ducibus, clamabant*; milites quidem, *propera à ſignifer*; ſigniferi, aliique, *ſequimini à milites*.

b *Collocant vexilla.*

a *Ubi juſſum* eſt à Dictatore, *ſignum datum eſt*.

b *Fertur* deinde clamor Romanorum *ultra hoſtium caſtra*.

c *Eſſe clamorem civium* ſuorum opem ferentium.

NOTÆ.

3. *Sumpſere, unde cuique proximum fuit.*] Cum res urgeret, conciſum militibus eſt ut quiſque duodecim ſudes, ſeu vallos, quos ad caſtra munienda ferre juſſus erat, undecumque maximè commodum videretur, ſumeret, nemine ex ſuis arboribus excidi vetante.

4. *In Algidum perveniunt.*] Ad Algidum montem, ubi ejuſdem nominis oppidum, de quo ſupra.

1. *Facta, quæ imperavit.*] Solennis militiæ verba, *factum quod imperaſti*: uti ex Tacito lib. 1. apertum, ac Sueton. in Tib. & Claud.

2. *Quo fuerat ordine in via.*] Eodem quidem ordine ante Dictatorem hîc exercitus, quo in via fuerat: ſed accepto imperio agmina in longum expatrecta, non à fronte ad tergum (quæ inceſſu vera eſt longitudo) ſed dextra, lævaque in latera. Sic enim intelligere oportet: eoſque in opere circum caſtra hoſtilia faciendo, hactenus ordines tantum ſervaſſe, ut ſub ſuis quiſque ducibus cum iiſdem contubernalibus foderent.

3. *Alibi pavorem, alibi gaudium.*] Pavorem in Caſtris Æquorum, gaudium in Caſtris Conſulis ab illis incluſi.

Urb. cond. an. 295. L. Quint. Dictatore.

negat. *Illo clamore non adventum modo ſignificari, ſed rem ab ſuis cœptam: mirumque eſſe, ni jam exteriore parte caſtra hoſtium oppugnentur. Itaque arma ſuos capere; & ſe ſubſequi* jubet. Nocte 4 initum prælium eſt à legionibus: dictatori clamore ſignificant, ab ea quoque parte rem in diſcrimine eſſe. 5 Jam [d] ſe ad prohibenda circumdari opera Æqui parabant, quum ab interiore hoſte prælio cœpto, ne per media ſua caſtra fieret eruptio, [e] à munientibus ad pugnantes introrſum verſi, vacuam noctem operi dedêre. pugnatumque cum conſule ad lucem eſt. Luce prima jam circumvallati ab dictatore erant, & vix adverſus unum exercitum pugnam ſuſtinebant. tum à Quintiano exercitu, qui confeſtim à perfecto opere ad arma rediit, invaditur vallum. hic inſtabat nova pugna: nihil remiſerat prior. Tum ancipiti malo urgente, à prælio ad preces verſi, hinc dictatorem, hinc conſulem orare, ne in occidione victoriam ponerent, ut inermes ſe inde abire ſinerent. Ab conſule ad dictatorem ire juſſis, ignominiam infenſus addidit. Gracchum Cœlium ducem, principeſque alios, vinctos ad ſe adduci jubet, [6] oppido Corbione decedi; *Sanguinis ſe Æquorum non egere: licere abire: ſed ut exprimatur tandem confeſſio, ſubactam domitamque eſſe gentem, 7 ſub jugum abituros.* Tribus haſtis jugum fit, humi fixis duabus, ſuperque eas tranſverſa una deligata. ſub hoc jugo dictator Æquos miſit.

5 10 15 20

INTERPRETATIO.

d In eo erant *Æqui, ut jam ſeſe pararent ad prohibendum ne munitiones caſtrorum ſuorum à Dictatore circumdarentur.*

e Æqui *ab iis qui* extrinſecus adverſus ſe *foſſam & vallum extruebant, verſi* ſunt *ad* obſeſſos *qui* interiori à parte *pugnam inierunt, ne hi per ipſorum caſtra erumperent.* Et ſic *liberum tempus* noctis Dictatori *reliquere ad* perficienda exteriori ex parte *opera.*

NOTÆ.

4. *Initum prælium eſt à Legionibus: Dictatori clamore ſignificant.*] Hunc locum variè legunt atque interpretantur Rhenanus, Glareanus, Gronovius. Verùm omnia opinor expeditiora fuerint, ſi legerimus *nocte initum prælium eſt*, (nempe à Conſulis legionibus de quibus hoc loco:) *Legionibus Dictatoris clamore ſignificant*, (Subaudi Legiones Minucii, ſeu Romani milites obſeſſi;) *ab ea quoque parte*, (à ſua ſcilicet parte) *rem* (hoſtium) *in diſcrimine eſſe.*

5. *Jam ſe ad prohibenda circumdari opera.*] Indicat Glar. pro verbo circumdari, aliàs legi *circumdati*: quæ lectio admitti poteſt, modò participium illud de præſenti, non de futuro tempore accipiatur: ut ſignificetur Æquos, qui circumdabantur, ſe paraſſe ad prohibenda hoſtium circumſidentium opera.

6. *Oppido Corbione decedi.*] Illud præterea velut mulctæ nomine Æquis imperatum, ut cum Tuſculanos populi Romani ſocios, direpto oppido, in ſervitutem abegiſſent, ipſi viciſſim è ſuis oppidis Corbionem eodem modo diripiendum Romanis traderent. Dimiſſi tamen ſine pretio Tuſculanis captivis, impetraverunt ut ingenuis liceret Corbione excedere antequam diriperetur. De Corbione lib. 2. cap. 39.

7. *Sub jugum abituros.*] Eleganter hac de re Florus, *ne quid à ruſtici operis imitatione ceſſaret*, (Quintius,) *victos more pecudum ſub jugum miſit.*

Caſtris.

XXIX. Caſtris hoſtium receptis, plenis omnium rerum (nudos enim emiſerat) prædam omnem ſuo tantum militi dedit: conſularem exercitum, ipſumque conſulem increpans, *Cavebis*, inquit, *prædæ parte, miles, ex eo hoſte, cui propè prædæ fuiſti. & tu L. Minuci, donec Conſulari animum incipias habere, legatus his legionibus præeris.* ita ſe Minucius abdicat conſulatu, juſſuſque ad exercitum manet. Sed [a] adeo tum imperio meliori animus manſuete obediens erat, ut beneficii magis, quam ignominiæ hic exercitus memor, & [1] coronam auream dictatori [2] libram pondo decreverit; & proficiſcentem eum patronum ſalutaverit. Romæ à Q. Fabio præfecto urbis ſenatus habitus triumphantem Quintium, quo veniebat agmine, urbem ingredi juſſit. [3] ducti ante currum hoſtium duces: militaria ſigna prælata: ſecutus exercitus præda onuſtus. [4] Epulæ inſtructæ dicuntur

Urb. condi. an. 295. L. Quinc. Dictatore.

INTERPRETATIO.

a *Sed eo tempore ita promptè animi hominum melius imperanti parebant, ut;*

NOTÆ.

1. *Coronam auream.*] Obſidionali Corona donatum Cincinnatum à Minucio, ejuſque exercitu tradit Aurel. Victor, obſervantque ab eo cœpiſſe hujus Coronæ uſum. At Corona Obſidionalis longè cæteris præcellere credita: eamque non Imperator ſingulis militibus, ut pleraſque alias; ſed exercitus univerſus ſervatori ſuo dabat. Fiebat autem ex gramine decerpto eo loci ubi cives obſidione liberati eſſent. Verùm Cincinnatus, præter hanc Coronam Obſidionalem, etiam auream accepit. Coronæ militares ſeptem fermè genera fuere, *Triumphalis* laurea, *Obſidionalis* graminea, *Ovalis* myrtea; quæ imperatorum propriæ: *Civica*, querna, ſeu iligna, qua ſervatus civis civem donabat; *Muralis*, pinnis; *Caſtrenſis*, vallis; *Navalis*, roſtris inſignes, atque *Aurea*. Quales ſine his inſignibus ob egregia facta, non modo imperatoribus (unde poſterioribus temporibus auri coronarii nomen) ſed privatis quoque aſſignatæ. His addi poſſunt *Argentea* & *Oleaginea*, quarum cauſæ non ſemper eædem. Addidit Caligula Coronas *Exploratorias*, quæ ſolis, lunæ, ſiderumque ſpecie diſtinguebantur.

2. *Libram pondo.*] Pondo modò pro libra æris, ſeu aſſe Romano ſumitur: aliquando pro pondere, ut hic.

3. *Ducti ante currum.*] Is triumphantium mos fuit, ut Reges, Duceſque hoſtium bello capti vehiculis, cæteri captivi catervatim, vincti omnes catenis, currum præcederent. Pompejus tamen poſt bellum Mithridaticum captivos belli jure vinctos duci noluit, ſed patrio more ſuccinctos ire juſſit: eoſque exacta pompa liberos, donatoſque remiſit, ut eſt apud Appianum: cum triumphantes cæteri, ubi de foro in Capitolium flectebant, captivos, præſertim inſignes, quique diſcordiarum & belli auctores fuiſſent, in cuſtodiam detrudi juberent, ſtatim necandos, ut ex Strab. lib. 12. Joſepho lib. 7. cap. 24. diſcimus; qui teſtatur non ante à victore immolatas de more fuiſſe hoſtias, quam hoſtium ducem neci datum eſſe conſtaret.

4. *Epulæ inſtructæ.*] In triumphis ſolenne epulum publicè dabatur: qua in re celebratur Cæſaris magnificentia, qui Africano triumpho uno die in viginti ac duobus millibus triclinlorum menſas inſtruxit ea de cauſa. Ad hoc epulum invitari Conſules ſolebant, ac mox rogati ne venirent, ne ſi quis major triumphante interveniret, debitus ipſi eo die honor præriperetur, auctore Plut. Problem. 80. Interdum, ut nunc factitatum, victricibus legionibus epulæ, extructæque menſæ ante domos exhibebantur à civibus.

Urb. cond. an. 295. L. Quint. Dictatore.

fuisse ante omnium domos: epulantesque cum carmine triumphali. 5 & solennibus jocis, 6 comessantium modo, currum secuti sunt. Eo die L. Mamilio Tusculano, approbantibus cunctis, civitas data est. Confestim se dictator magistratu abdicasset, b ni comitia M. Volscii falsi testis tenuissent: ea ne impedirent tribuni, dictatoris obstitit metus. Volscius damnatus Lanuvium in exsilium abiit. Quintius 7 sextodecimo die dictatura in sex menses accepta se abdicavit. Per eos dies Consul Nautius ad Eretum cum Sabinis egregie pugnat. ad vastatos agros ea quoque clades accessit Sabinis. Minucio Fabius Quintus successor in Algidum missus. Extremo anno agitatum de lege ab tribunis est. sed quia duo exercitus aberant; c ne quid ferretur ad populum, Patres tenuere. plebs vicit, ut quintum eosdem tribunos crearent. 8 Lupos visos in Capitolio ferunt à canibus fugatos; ob id prodigium lustratum Capitolium esse. Hæc eo anno gesta.

XXX. Sequuntur Consules, Q. Minucius, C. Horatius Pulvillus: cujus initio anni quum foris otium esset, domi seditiones iidem tribuni, eadem lex faciebat. ulteriusque ventum foret (adeo exarserant animi) ni velut dedita opera, nocturno impetu Æquorum Corbione amissum præsidium, nunciatum esset. Senatum consules vocant, jubentur subitarium scribere exercitum, atque in Algidum ducere. Inde postro legis certamine, nova de delectu contentio exorta. vincebaturque consulare imperium tribunicio auxilio, quum alius additur terror: Sabi-

INTERPRETATIO.

b *Nisi eum retinuissent comitia adversus M. Volscium falsum testem habenda.*

c *Senatus obtinuit ne lex ulla apud populum ferretur.*

NOTÆ.

5. *Et solennibus jocis.*] Milites victoris exercitus qui armati, & spoliis ornati, currum triumphalem sequebantur; jocos, & inconditos versus in triumphantem jactabant per lasciviam militarem.

6. *Comessantium modo.*] Comessari à comedendo cum Læv. Torrentio in Svet. Vitell. dixeris, an comissari cum Aldo Manutio Juniore in Orthogr. ratione, & aliis; aut Comassari cum Fulvio Urs. à Græco verbo κωμάζειν, quam Etymologiam probat Lambinus in Horat. haud equidem in magno discrimine posuero: dum sciamus hoc verbo significari eos, qui intempestivè ac præsertim noctu post cœnam convivantur: quod cum ferè cum lasciviâ & petulantia quadam fiat, merito jocos ac liberiores sales militum per vicos epulantium comparat Livius cum scurrilibus comessantium ludis.

7. *Sextodecimo die dictatura.*] L. Quintius iterum honoris delati fastidio gloriam auget: qua de re Florus egregiè. *Sic expeditione finita rediit ad boves rursus triumphalis agricola. Fidem numinum! quâ velocitate? Intra quindecim dies cœptum peractumque bellum: prorsus ut festinasse Dictator ad relictum opus videretur.* Cæterum Quintius optimum adversus paupertatem remedium habuit divitiarum contemptum: adeo ut nec ex agro, prædave hostili quicquam, hortante quamvis Senatu, sibi sumere voluerit, auctore Dionysio.

8. *Lupos visos in Capitolio.*] Inauspicatus habebatur conspectus Luporum intra urbem, aut castra, & frequentia hominibus loca; semperque solenni lustratione expiabatur.

num exercitum prædatum descendisse in agros Romanos; inde ad urbem venire. [a] Is metus perpulit, ut scribi militem tribuni sinerent: non sine pactione tamen, ut quoniam ipsi quinquennium eluſi essent, parvumque id plebi præsidium foret, decem deinde tribuni plebis crearentur. [a] Expressit hoc necessitas Patribus. id modo excepere, ne posthæc eosdem tribunos juberent. Tribunitia comitia (ne id quoque post bellum, ut cætera vanum esset) extemplo habita. [2] Tricesimo-sexto anno à primis tribunis plebis, decem creati sunt, [3] bini ex singulis classibus. [b] itaque cautum est ut posthæc crearentur. Delectu deinde habito, Minucius contra Sabinos profectus, non invenit hostem. Horatius, quum jam Æqui Corbione interfecto præsidio, Ortonam etiam cepissent, in Algido pugnat: multos mortales occidit, fugat hostem non ex Algido modo, sed à Corbione Ortonaque. Corbionem etiam diruit propter proditum præsidium. Urb. cond. an. 296. Coss. Q. Minuc. vel C. Horat. Pulvil.

XXXI. Deinde M. Valerius, Sp. Virginius consules facti. Domi forisque otium fuit. annona [1] propter aquarum intemperiem laboratum est. [2] De- Urb. cond. an. 298. Coss. M. Valer. & Sp. Virg.

INTERPRETATIO.

a *Is necessitas à Senatu extorsit: qui tamen hanc exceptionem* pactis *addidit, ne plebs eosdem Tribunos* comitiis suis *ultra crearet.*

b *Et constitutum est ut in posterum ita crearentur*, nempe decem, &c.

NOTÆ.

1. *Is metus perpulit.*] Sic legit Gronov. non *perculit*, & melius, ut infra cap. 38. *Is pavor perpulit Decemviros ut Senatum consulerent. Percello* est perturbo, affligo: *Perpello* est adigo: quod hoc loco magis convenit.

2. *Tricesimo sexto anno.*] Notat Glar. Dionysii supputatione hanc Livii rationem benè habere. Nam anno 17. ab exactis regibus creati sunt primi Tribuni: at hic annus ab urbe Tarquiniorum imperio liberata est quinquagesimus tertius; è quo numero si subtraxeris septemdecim, relinquentur anni sex & triginta. Verùm in Livio tres desunt anni, quod supra indicatum 248. 264. & 265.

3. *Bini ex singulis classibus.*] Atqui sex civium Romanorum classes à Servio institutas certissimum est ex Dionysio, ipsoque Livio. Sed quoniam sextæ classis, nunquam in suffragiis ratio habebatur, ut lib. 1. cap. 43. observatum est: idcirco plerumque ne inter Classes quidem numerari solebat. Itaque nonnisi ex quinque primis Classibus Tribuni eligebantur. Duplicatus autem ex eorum numero solo sorè Ap. Claudio repugnante, cæteris primoribus cum L. Quintio haud ægrè concedentibus, quod sperarent plures minùs inter se contensuros, ipsorumque vim dissensu labefactandam.

1. *Propter aquarum intemperiem.*] Intemperies in homine immodestiam, sive procacitatem significat; in cœlo sive aere insuetam, & vitiosam temperaturam, ardorem puta immoderatum, frigus, humorem, siccitatem nimiam. At aquarum intemperies frugibus noxia, an ad magnos assiduosque imbres, an ad fluminum rivorumque insolitas exundationes, an forte ad pestilentes ex stagnis aut lacubus vapores referenda sit, non explicat Livius.

2. *De Aventino publicando.*] Rem explicat Dionysius, ex cujus longioris narratione duo sufficiet observare. Alterum Tribunos auctore Icilio Senatum convocare hoc primum anno ausos, atque adeò Consules ipsos ad Collegium Tribunitium per apparitorem vocare. Alterum eodem suadente extortum Senatusconsultum, atque inde legem, quâ cautum est, ut Collis Aventinus, qui tum

Urb. cond. an. 298. Coſſ. M. T. Romilio & C. Veturio.

Aventino publicando lata lex eſt. 3 Tribuni plebis iidem refecti. Hi ſequente anno, 4 T. Romilio, C. Veturio Conſulibus, 5 legem omnibus concionibus ſuis celebrant, *Pudere ſe numeri ſui nequicquam auctι, ſi ea res æque ſuo biennio jaceret, ac toto ſuperiore luſtro jacuiſſet.* Quum maximè hæc agerent, trepidi nuncii ab Tuſculo veniunt; 5 Æquos in agro Tuſculano eſſe. b Fecit pudorem recens ejus populi meritum morandi auxilii: 6 ambo Conſules cum exercitu miſſi, ho-

INTERPRETATIO.

a *Si per biennium*, quo ipſi tribuni eſſent, *non minùs quàm anteà per quinquennium, languiſſet legis promulgatio.*

b *Recens populi illius beneficium pudorem injecit differendi auxilii.*

NOTÆ.

non totus habitabatur; plebi aſſignaretur; quod optimum remedium videri volebat ad coercendas ſeditiones agrarias. Igitur perlata lex eſt Centuriatis comitiis, quæ eodem in monte extabat exciſa in ærea columna, ut quod in Aventino, privati jure partum poſſideant, penes dominos maneret; quæ per vim aut fraudem ædificiis occupata eſſent, ea reſtituto ædificationis pretio addicerentur populo; quæ publica manſiſſent, plebi ſine pretio dividerentur. Sic plebeji areas ejus ſoli diviſas inter ſe certatim ædificiis occuparunt.

3. *Tribuni plebis iidem refecti.*] Ita quod in augendo Tribunorum numero Patres exceperant cap. proximo, Plebs quamprimùm datâ occaſione flocci fecit.

4. *T. Romilio, C. Veturio.*] Hi Conſules ambo poſtea Decemviri creati, ſed in eo magiſtratu Veturium Livius *Lucium* prænomine vocat cap. 33. hujus lib. Diodor. & Capitolinæ tabulæ *Spurium*, ut & *Romilium*, pro *Romulio*.

5. *Legem omnibus concionibus ſuis celebrant.*] Meritò conqueritur Glarean. omitti hoc loco à Livio tum acerrimas, ac prope cruentas Tribunorum adverſus Conſules ob nimis aſperum delectum contentiones; tum etiam vehementem Sicinii, ſive Siccii Dentati orationem ad plebem, qua commemoratis militaribus ſuis laboribus per annos 40. adhortatus eſt ad vindicandam præmiorum bellicorum partem, agrorumque ſuo ſudore partorum, quos ſibi ſoli patricii, non pretio, non dono populi, ſed per vim arrogabant. Hic eſt ille Sicinius à Valer. Max. lib. 3. cap. 2. Plinio lib. 7. Nat. Hiſt. cap. 28. Gell. lib. 2. cap. 11. aliiſque fortitudinis nomine celebratus, qui centies & vicies in acie dimicaverat, vulnera 45. adverſa omnia acceperat, exque iis duodecim una die adverſus Herdonium pugnans: præmia verò ex diverſis certaminibus 211. (quorum novem ſingularibus, ex provocatione dimicans, hoſtem proſtraverat:) Civicas quatuordecim, tres murales, octo aureas coronas, torques aureos tres ſupra octoginta, armillas aureas ſexaginta, haſtas puras octodecim, phaleras quinque & viginti. His cum permota plebs, legem agrariam calculis ſuis pararet ſancire, obſtitere per vim patricii cum clientibus. Quâ de causâ trium familiarum patricii, cedentibus ea in re cæteris furori populi, abſentes damnati ſunt, eorumque bona Cereri ſacrata: ſed à reliquis Senatoribus pretio redempta, & prioribus dominis ſunt reſtituta.

6. *Ambo Conſules cum exercitu miſſi.*] Cum Tribuni delectum impedirent, factum eſt Senatuſconſultum, ut Patricii cum clientibus ſuis id bellum ſuſtinerent, reliquis civibus, qui ſponte pro patriæ ſalute arma ſumpſerint Deos fore propitios, iratos contra deſertoribus Conſulum. Hoc Senatuſconſulto in Concione recitato, multi plebejorum, partim in gratiam Senatorum, alii ſpe prædæ, non pauci ingenuo pudore no-

ſtem in ſua ſede in Algido inveniunt . Ibi pugnatum . ſupra ſeptem millia hoſtium cæſa: alii fugati: 7 præda parta ingens. Eam, propter inopiam ærarii, Conſules vendiderunt . c Invidiæ tamen res ad exercitum fuit. ea denique tribunis materiam criminandi ad plebem Conſules præbuit . Itaque ergo , ut magiſtratu abiere , Sp. Tarpejo , 8 A. Aterio Conſulibus, dies dicta eſt Romilio 9 ab C. Claudio Cicerone tribuno plebis , Veturio ab L. Allieno ædili plebis . Uterque magna Patrum indignatione damnatus , 10 Romilius , x millibus æris . Veturius xv millibus . 11 Nec hæc priorum calamitas conſu- Urb. cond. an. 299. Coſſ. Sp. Tarpejo & A. Æternio , vel Aterio.

INTERPRETATIO.

c *Verùm ea res apud milites odio fuit , ac Tribunis occaſionem dedit incuſandi Conſules apud plebem.*

NOTÆ.

mina dederunt. In his Siccius , ſeu Sicinius de quo ſuperiore nota, cum octingentis amicis , iiſque ferè veteranis . Eum Romilius ad ſe accitum caſtra hoſtium in prærupto ſaxo ſita , ad quæ unica via ferre videbatur, aggredi jubet non ſine verborum contumelia . Cum Sicinius ſe in certam mortem mitti videret, obteſtatus proximos , ut ſuam ſibi virtutem, ac loquendi pro plebe audaciam exitio fuiſſe , civibus renunciarent : profectus quidem cum ſuis eſt : verùm alio itinere, per latus montis, & ſaltum ſibi non ignotum , ad tumulum caſtris imminentem pervenit ; unde in hoſtes hactenus æquo marte dimicantes devolavit, victoriamque Romanis haud dubiam peperit. Caſtrorum potitus prædam omnem odio imperantium flammis corrupit. Romamque noctu reverſus, rei geſtæ narratione publicum in Conſules odium accendit .

7. *Præda parta ingens.*] Ex captivis agriſque hoſtium.

8. *A. Aterio .*] In hujus Conſulis nomine mirè variare Codices obſervant Glar. & Sigon. Pleræque Livii editiones Æternium, ut eſt apud Plinium, aut Aternium nominant, ut & Caſſiodorus: A. Gell. Thermum: alii aliter. Sigonius *Aterium* conjicit eſſe legendum, quod reliqua nomina quæ proferuntur, ignotarum ſint gentium .

9. *Ab C. Claudio Cicerone .*] Dionyſius Siccium, ſive Sicinium, de quo ſupra , Tribunum plebis creatum ſtatim Romilio diem dixiſſe ait : ſed eundem à pluribus reum agi potuiſſe non eſt incompertum , præſertim ſi diverſa publica crimina proponerentur.

10. *Romilius decem millibus aris , Veturius quindecim millibus .*] Ex Budæi computatione aſſium decem millia libras noſtras 170. haud multum ſuperarent . Quindecim millia libris noſtris 255. ferè reſponderent. At ſi Peireſkii & Gaſſendii aſſis Romani . æſtimationem Budæanam ad ſeſquialteram augentium rationem ſequamur, decem millia æris 450. lib. conficerent, quindecim millia 675. lib. Si æris gravis, quale tunc in uſu millia intelligantur, æſtimata ex pondere , millia decem conficient 6750. libras noſtrates : millia vero quindecim non minùs 10125. libris reſpondebunt .

11. *Nec hæc priorum calamitas Conſulum Seniores, &c.*] Novi tamen Conſules priorum exemplis territi, tum aliis in rebus plebi gratificati eſſe dicuntur à Dionyſio : tum in eo in primis quod Senatusconſultum de lege per Tribunos ferenda fecerunt : cum viderent patres eam vitando nihil præter odium atque invidiam conſequi . Lata præterea Lex eſt comitiis centuriatis , licere omnibus magiſtratibus ſuæ poteſtatis læſæ reos mulctare , quod anteà ſolis Conſulibus datum : ſed ea in re præfinitus eſt mulctæ modus , ne duos boves , triginta oves excederet.

Urb. cond. an. 299. Coll. Sp. Tarpéjo, & A. Ater.

Ium, ſegniores novos fecerat Conſules; & ſe damnari poſſe ajebant: & plebem, & tribunos legem ferre non poſſe. Tum abjecta lege, quæ promulgata conſenuerat, tribuni lenius agere cum Patribus. *Finem tandem certaminum facerent, ſi plebejæ leges diſplicerent,* 12 *at illi communiter legum latores, & ex plebe, & ex Patribus, qui utriſque utilia ferrent, quæque æquandæ libertatis eſſent, ſinerent creari.* Rem non aſpernabantur Patres: daturum leges neminem niſi ex Patribus ajebant. Quum de legibus conveniret, de latore tantum diſcreparet; 13 miſſi legati Athenas Sp. Poſtumius Albus, A. Manlius, P. Sulpitius Camerinus. juſſique 14 inclytas leges Solonis deſcribere, & aliarum Græciæ civitatum inſtituta, mores, juraque noſcere.

XXXII. Ab externis bellis quietus annus fuit, quietior inſequens, 1 P. ℣ Curiatio & Sexto Quintilio Conſulibus, perpetuo a ſilentio tribunorum: quod primo legatorum qui Athenas jerant, legumque peregrinarum expectatio præbuit; deinde duo ſimul mala ingentia exorta, fames 2 peſtilentiaque fœda homini, fœda pecori.

INTERPRETATIO.

a *Tribunis quieſcentibus* atque à tumultu ceſſantibus.

NOTÆ.

12. *At illi communiter legumlatores.*] Cum Tribuni ad Senatum retuliſſent de legibus ſcribendis, quibus in perpetuum civitas uteretur, cenſuit Romilius mittendos eſſe legatos ad Græcas urbes, quæ ſunt in Italia, & alios Athenas, qui peterent à Græcis optimas & convenientiſſimas Romanis leges: quibus reverſis referendum ad Senatum de Legislatoribus eligendis, quam ob cauſam Siccius ac cæteri Tribuni multam ei remittendam ſentiebant. At Romilius ea gratia uti noluit, quod diceret jam ſacratam eam eſſe pecuniam, ſeque quidquid deberet ſoluturum, ne Deos legitimo lucro fraudaret. Senatusconſultum ſecundum ejus ſententiam factum, ac lege confirmatum.

13. *Miſſi Legati Athenas.*] Legati tres electi ſunt, qui ab Athenienſibus præſertim leges peterent. Neque aliud voluit Pomponius Jurisconſultus cum ſcripſit Decemviros conſtitutos, ut leges à Græcis peterentur: addit enim in id conſtitui placuiſſe, ut civitas legibus fundaretur: quam in rem conſtituti revera Decemviri; inque his illi tres qui Athenas hic miſſi dicuntur. Conjunctis ergo duobus temporibus, duabuſque actionibus, tam petendarum à Græcis, quam condendarum deinde Romanis legum, verum erit Decemvirorum operâ uſos eſſe Romanos.

14. *Inclytas leges Solonis.*] Is ſeptem Græciæ Sapientium unus, æquiſſimas Athenienſibus leges tulit, abrogatis tacito populi conſenſu, maxima ſaltem ex parte, Draconis legibus Olymp. 47. urbis conditæ anno circiter 162. regnante Priſco Tarquinio. Draconis leges θέσμοι, quaſi poſitiones; Solonis ἄξονες dicebantur, quod in ligneis tabulis, ſive aſſeribus deſcriberentur. De his lib. 2. cap. 12.

1. *P. Curatio.*] Dionyſius *P. Horatium*, tum hic, tum poſtea inter Decemviros ponit. Ante hos Conſules idem Dionyſius ait trecentos annos ab urbe condita expletos eſſe, quod in ratione temporum Glareanus, aliique ſequuti. Nos cum Sigonio ex Faſtis hunc annum 300. numeramus.

2. *Peſtilentiaque fœda homini.*] Fœdum non ſolum dicitur de turpi ac deformi; ſed etiam de crudeli, quod, quæ crudelia, eadem & turpia ſint, ut notat Donatus in illud Terentii Eun. *O Facinus fœdum.*

3 Vaſtati agri ſunt: urbs aſſiduis exhauſta funeribus; multæ & claræ lugubres domus. Flamen Quirinalis Ser. Cornelius mortuus: augur C. Horatius Pulvillus: in cujus locum C. Veturium eo cupidius, quia damnatus à plebe erat, 4 augures legere. Mortuus Conſul Quintilius: 5 quatuor tribuni plebis. Multiplici clade fœdatus annus. ab hoſte otium fuit. inde Conſules C. Menenius, 5 P. Seſtius Capitolinus. Neque eo anno quicquam belli externi fuit. domi motus orti. Jam redierant legati 6 cum Atticis legibus. eò intentiùs 7 inſtabant tribuni, ut tandem ſcribendarum legum initium fieret. 8 Placet creari Decemviros 10 ſine provocatione, & ne quis eo anno alius magiſtratus eſſet. Admiſcerenturne plebeii, controverſia aliquandiu fuit. poſtremo conceſſum Patribus, 9 modo ne lex Icilia de Aventino, aliæque ſacratæ leges abrogarentur.

Urb. cond. an. 300. Coll. P. Curat, & S. Quintil.

XXXIII. 1 Anno trecenteſimo altero, quam condita Roma erat, 15 iterum mutatur forma civitatis, ab conſulibus 2 ad decemviros,

NOTÆ.

3. *Vaſtati agri.*] Ut vaſtus, ita vaſtatus pro deſerto non raro ſumitur: ſic apud Tull. pro Sext. *Lex erat lata vaſtato atque relicto foro.*

4. *Augures legere.*] Augurum creatio penes eorumdem Collegium fuit ad annum uſque 661. quo tempore L. Domitius Ahenobarbus Tribunus plebis jus Sacerdotum ſubrogandorum à collegiis ad populum tranſtulit. Erant autem Augures duntaxat quatuor ad an. 454. Patricii omnes.

5. *P. Seſtius.*] Ita legendum (non Sextius) cum Dionyſio, Diodoro, marmoribus Capitolinis: nam Seſtii patricii (ut cap. proximo Livius teſtabitur), Sextii plebeii fuere: ex quibus is extitit, qui poſtea primus è plebe conſulatum cepit.

6. *Cum Atticis legibus.*] Athenis præſertim, ſed præterea ab Italicis Græcorum urbibus leges attulere legati ex Dionyſio.

7. *Inſtabant Tribuni.*] Hinc novi motus. Aditi Conſules à Tribunis plebis, inſtare comitiorum tempus cauſati ſunt; ut ad novos Conſules rem ſenatui odioſam rejicerent. Solito maturiùs deſignati ſunt Conſules App. Claudius & T. Genucius; qui nondum inito magiſtratu, ſibi nullam eſſe poteſtatem creandi Legislatores, ſed cum Seſtio & Menenio libenter operam in id daturos oſtenderunt. Qua eorum voluntate collaudata, cum multitudo in Curiam irrumperet, neceſſe habuit Seſtius, abſente ob ægritudinem Menenio, de legibus ferendis referre in Senatu.

8. *Placet creari Decemviros.*] Ea ſententia fuit Appii Claudii, qui primo loco ſententiam rogatus fuerat, eligi ea de cauſa è Senatus primoribus Decemviros, quorum annuum eſſet imperium, cum ea poteſtate quam modo Conſules, olim reges habuiſſent; interim ceſſare cæteros magiſtratus.

9. *Modò ne lex Icilia.*] Legum conſtituendarum poteſtatem Patriciis conceſſerunt Tribuni, ſalva lege Icilia de Aventino dividendo, de quâ & ſuprà cap. 31. & Sacratis legibus de Tribunorum plebis poteſtate, de quibus lib. 2. cap. 33.

1. *Anno trecenteſimo altero.*] Intellige ſecundum ſupra ter centeſimum: ut annum 13. in illo Virgil.

Alter ab undecimo tum me jam cœperat annus.

Illud ambigitur utrum annum deſinentem intelligat Livius, an ineuntem, quod magis Sigonii (quem ſequimur) calculo congruit, ut anno 302. imperarint priores Decemviri.

2. *Ad Decemviros.*] Decemviratui viam aperuit lex Tribunitia. De qua hujus lib. cap. 9.

Urb. cond. an. 302. Creati Decemviri.

quemadmodum ab regibus ante ad Conſules venerat, translato imperio. Minus inſignis, quia non diuturna mutatio fuit. Læta enim principia magiſtratus ejus nimis luxuriavêre. 00 citius lapſa res eſt: repetitumque, duobus uti mandaretur 3 conſulum nomen imperiumque. 4 Decemviri creati Ap. Claudius, T. Genucius, P. Seſtius, L. Veturius, C. Julius, A. Manlius, Ser. Sulpicius, P. Curatius, T. Romilius, Sp. Poſtumius. Claudio & Genucio, quia deſignati conſules in eum annum fuerant, pro honore honor redditus: & Seſtio alteri Conſulum prioris anni, quod eam rem collega invito ad Patres retulerat. His proximi legati tres habiti, qui Athenas jerant: ſimul ut pro legatione tam longinqua præmio eſſet honos: ſimul peritos legum peregrinarum ad condenda nova jura uſui fore credebant. Supplevere cæteri numerum. Cræves quoque ætate electos noviſſimis ſuffragiis ferunt, quo minùs ferociter aliorum ſcitis adverſarentur. a Regimen totius magiſtratus penes Appium erat, favore plebis. adeoque novum ſibi ingenium induerat, 5 ut plebicola repente, omniſque auræ popularis captator evaderet, pro truci ſævoque inſectatore plebis. 6 Decimo die jus populo ſinguli reddebant. 00 die penes præfectum juris faſces duodecim erant: collegis novem ſinguli accenſi apparebant. b & in unica concordia inter ipſos 7 (qui conſenſus privatis interdum inutilis eſſet)

INTERPRETATIO.

a *Inter omnes Decemviros princeps & maxima auctoritatis habebatur Appius Claudius.*

b *Cum inter ſeipſos miram concordiam tenerent, erga alios ſummam ſervabant æquitatem.*

NOTÆ.

3. *Conſulum nomen, imperiumque.*] Mallet Gronovius *duobus ut mandaretur, Conſulum nomine imperium.* At nec volunt veteres libri, ut ipſe agnoſcit; nec idem omnino ſenſus eſſet: nam ſub Conſulum nomine imperium mandari potuiſſet ſine provocatione, quale ab initio fuerat, quale Decemviri nunc habuerant. Vult autem Livius reditum ad conſulare imperium, quale triennio ante fuerat cum provocatione.

4. *Decemviri creati.*] Cauſas, cur ſinguli delecti, eaſdem ferè profert cum noſtro Dionyſius, nec in eorum nominibus multùm diſcrepant, etſi in ordine aliquod ſit diſcrimen.

5. *Ut plebicola repente.*] Artes quibus Appius auram popularem primo anno captavit egregiè deſcribit Dionyſius ſub fin. lib. 10.

6. *Decimo die jus populo ſinguli reddebant.*] Exempio primorum interregum, quorum ſinguli per vices diebus quinque imperabant, atque inſignia imperii & lictores habebant ſupra lib. 1. cap. 17. ubi de accenſis & lictoribus.

7. *Qui conſenſus privatis.*] Legit Sigon. *Qui conſenſus in privatis interdum Conſiliis utilis eſſet.* atque interpretatur, ut ſi privati in conſiliis capiendis ſæpe conſentiant, quemadmodum tunc Decemviri, utile id futurum ſit reip. Robortellus mavult, *qui conſenſus in privatis inutilis eſſet*: id eſt, ſi inter ſe privati homines conſentiant, interdum id magno aliorum malo fieri. Mihi verior vulgata lectio videtur, ut Livius voluerit collegarum concordiam, quæ rara eſt, non ſemper optandam; ut quæ inutilis, id eſt damnoſa, non rarò privatis ſit: magiſtratuum quippe inter ſe nimia conſenſio, peccandi licentiam ipſis plerumque præbet in perniciem privatorum, quemadmodum in poſterioris anni Decemviris cõtigiſſe mox apparebit.

ſumma

ſumma adverſus alios æquitas erat. Moderationis eorum argumentum exemplo unius rei notaſſe ſatis erit. Quum ſine provocatione creati eſſent; defoſſo cadavere, domi [8] apud P. Seſtium patriciæ gentis virum, invento prolatoque in concionem, in re juxta manifeſta atque atroci, C. Julius decemvir diem Seſtio dixit, & accuſator ad populum extitit, cujus rei judex legitimus erat: [9] deceſſitque jure ſuo, [c] ut demptum de vi magiſtratus, populi libertati adjiceret. Urb. cond. an. 302. Creati Decemviri.

XXXIV. [a] Quum promptum hoc jus velut ex oraculo incorrupti ſum pariter ab his ſummi infimique ferrent, tum legibus condendis opera dabatur: ingentique hominum expectatione [1] propoſitis decem tabulis populum ad concionem advocaverunt: &, *quod bonum, fauſtum, felixque reipublicæ, ipſis, liberiſque eorum eſſet, [2] ire, & legere leges propoſitas juſſere. Se quantum decem hominum ingeniis providere potuerit, omnibus ſummis infimiſque jura æquaſſe. plus pollere multorum ingenia, conſiliaque. [b] Verſarent in animis ſecum unamquamque rem; agitarent deinde ſermonibus: atque in medium, quid in quaque re plus minuſve eſſet, conferrent. Eas leges habituram populum Romanum, [3] quas conſenſus omnium, non juſſiſſe latas magis, quam tuliſſe videri poſſet.* Quum ad rumores hominum de unoquoque legum capite edito, ſatis correctæ viderentur, centuriatis comitiis decem tabularum leges perlatæ ſunt: qui nunc quoque in hoc immenſo aliarum ſuper alias acervatarum legum cumulo,

INTERPRETATIO.

c *Ut in libertatem populi conferret quod detrahebat de auctoritate magiſtratus.*

a *Cum hanc juris* dicendi *formam, quaſi ab oraculo prolatam, & ab ipſis* Decemviris *religioſè ſervatam acciperent* (aut *prædicarent*) *primores pariter ac plebeii*; eodem tempore *incumbebant* Decemviri iiſdem *legibus conſcribendis.*

b Primùm *apud ſe quiſque* privatim *perpenderet ſingula legum capita*; tum *plures collatis inter ſe capitibus, de iis inter ſe colloquerentur*; denique *publicè proferrent quid in unoquoque articulo excedere videretur, aut deeſſe.*

NOTÆ.

8. *Apud P. Seſtium patricia gentis.*] Apparet hunc Seſtium alium fuiſſe à Decemviro, etiamſi ejuſdem proculdubio gentis.

9. *Deceſſitque jure ſuo.*] Ita veteres, & meliùs quam *diſceſſitque*. Et verò ſermonis proprietatem ſequentibus aliud eſt à jure diſcedere; aliud decedere de jure, ut patet ex Cicerone duobus locis inter ſe collatis. Alterum extat lib. 9. Ep. 16. *Omnia ſunt incerta cum à jure diſceditur.* Alterum pro Sex. Roſc. *tametſi vicino debeo tamen de meo jure decedam.* Itaque diſcedere, eſt omnino abire ac deſerere; decedere autem aliqua ex parte remittere, ſive ad tempus cedere.

1. *Propoſitis decem Tabulis.*] Hic numerus duntaxat priori anno prolatus, ſingulis Decemviris Tabulam ſuam conferentibus, quarum tunc leges prolatæ centuriatis comitiis.

2. *Ire & legere leges propoſitas.*] Videmorem magiſtratuum Romanorum qui legis alicujus ad populum auctores.

3. *Quas conſenſus omnium, non juſſiſſe latas.*] Jubere leges latas, eſt propoſitas à magiſtratu comprobare ſuffragiis: ferre autem leges dicuntur earum ad populum auctores.

Urb. cond. an. 302. Decemviris App. Claud. &c.

4 fons omnis publici privatique eſt juris. Vulgatur deinde rumor, 5 duas deeſſe tabulas; quibus adjectis, abſolvi poſſe velut corpus omnis Romani juris. Ea exſpectatio, quum dies comitiorum appropinquaret, deſiderium decemviros iterum creandi fecit. Jam plebs, præterquam quod conſulum nomen haud ſecus quam regum peroſa erat, ne tribunicium quidem auxilium, 6 cedentibus invicem appellatione decemviris, quærebat.

XXXV. Poſtquam vero 1 comitia Decemviris creandis 2 in trinum nundinum indicta ſunt: tanta exarſit ambitio, ut primores quoque civitatis (metu credo, ne tanti poſſeſſio imperii vacuo ab ſe relicto loco, haud ſatis dignis pateret) prenſarent homines; honorem ſumma ope ab ſe impugnatum, ab ea plebe, cum qua contenderant, ſuppliciter petentes. 3 Demiſſa jam in diſcrimen dignitas, ea ætate, eiſque honoribus

NOTÆ.

4. *Fons omnis publici privatique eſt juris.*] Tacitus 3. Annal. Duodecim Tabulas *finem æqui juris* appellat, quia ſcilicet, non in perſonas, ſed abſolute ſcriptæ erant. Cic. lib. 1. de Orat. §. 193. ſcribere non eſt vetitus videri ſibi *unum xii. Tabularum libellum bibliothecas omnium Philoſophorum & auctoritatis pondere, & utilitatis ubertate ſuperare.* Earum ferendarum auctorem præcipuum Decemviris fuiſſe ferunt Hermodorum Epheſium exulantem in Italia, cujus ſtatua Romæ fuit in comitio, teſte Plinio lib. 34. cap. 5.

5. *Duas deeſſe tabulas.*] Cum latis legibus quibus jus commune fundabatur, Decemviri magiſtratu in id creato ſe abdicare deberent: aliquid juri jam conſtituto deeſſe vel compererunt, vel prorogandi magiſtratus cauſâ credi voluerunt. Itaque prioribus legibus, alias communi operâ addiderunt, quas in duas tabulas congeſſerunt: unde extitit XII. Tabularum opus.

6. *Cedentibus invicem appellatione Decemviris.*] Quamvis ſine provocatione creati eſſent: tamen ſi cujus Decretum durius videretur; qui pronunciaverat æquo animo patiebatur rem à Collegis denuò cognoſci: ut ab altero in alterum poſſet læſus, quemadmodum à Tribuno plebis antèa in Conſulem, præſidium ſperare. Hæc tamen motibus noſtris non appellatio diceretur, quæ ab inferiori judice ad ſuperius tribunal interponitur; ſed reviſio ac retractatio.

1. *Comitia Decemviris creandis.*] Hunc magiſtratum prorogari, & plebeii, partim Decemvirorum æquitate & moderatione, ac præſertim Appii comitate deliniti; partim odio Conſularis imperii, & patricii Tribuniciarum turbarum tædio, facilè conſenſerunt.

2. *In trinum nundinum indicta.*] Trinum nundinum, ſeu ut plerumque dicitur, Trinundinum, eſt trium continuarum nundinarum tempus: quod nomen Quintilianus quoque diviſit, *ſive non trino fortè nundino promulgata*: & in Trinundinum in tertias nundinas Græcè εἰς τρίτην ἀγορὰν, id eſt poſt 27. dies. Nundinæ enim nono quoque die habebantur, ut ruſtici octo diebus in agris eſſent, nono feriantes in urbem commeare poſſent; tum comparandis rebus quibus cuique opus eſſet, tum inſpiciendis legibus ac plebiſcitis quæ ferenda proponebantur: quò quiſque de iis ante comitia deliberandi tempus haberet. Idcirco lex jure lata non putabatur, niſi quæ trinundino antè eſſet promulgata. Candidati quoque magiſtratuum, trinundino circuibant plebem, ſingulos prenſantes, ut ſuam ipſis dignitatem commendarent. Quod hic videmus in Decemviratu factum.

3. *Demiſſa jam in diſcrimen dignitas.*] Sic emendat Gronov. pro *dimiſſa*, idque ut ſenſus ſit dignitatem Appii Decemviralem in diſcrimen veniſſe, quemadmodum dicimus *deſcendere in certamen*. Et Cic. 7. ad Att. cap. 12. *Demittam ne me penitus in cauſam.*

actis, ſtimulabat Ap. Claudium. neſcires utrùm inter decemviros, an inter candidatos numerares. Propior interdum petendo, quam gerendo magiſtratui erat. criminari optimates, extollere candidatorum leviſſimum quemque humillimumque. ipſe, medius inter tribunicios Duilios Icilioſque, in foro volitare, per illos ſe plebi venditare: donec collegæ quoque, qui unicè illi dediti fuerant ad id tempus, conjecere in eum oculos; mirantes quid ſibi vellet. Apparere nihil ſinceri eſſe: *Profectò haud gratuitam in tanta ſuperbia comitatem fore. a nimium in ordinem ſeipſum cogere, & vulgari cum privatis, non tam properantis abire magiſtratu, quam viam ad continuandum magiſtratum quærentis eſſe.* Propalam obviam ire cupiditati parum auſi, obſecundando mollire impetum aggrediuntur. comitiorum illi habendorum, quando minimus natu ſit, munus conſenſu injungunt. Ars hæc erat, ne ſemetipſe creare poſſet; quod præter tribunos plebis (& idipſum peſſimo exemplo,) nemo umquam feciſſet. ille enimvero, quod bene vertat, habiturum ſe comitia profeſſus, 4 impedimentum pro occaſione arripuit. 5 dejectiſque honore per coitionem duobus Quintiis, Capitolino & Cincinnato, & patruo ſuo C. Claudio, conſtantiſſimo viro in optimatium cauſa, & aliis ejuſdem faſtigii civibus; nequaquam ſplendore vitæ pares b decemviros creat, ſe in primis, c quod haud ſecus factum improbabant boni, quam nemo facere auſurum crediderat. 6 Creati cum eo M. Cornelius Malugi- Urb. cond. an. 303. Decemviris novis cum Appio.

INTERPRETATIO.

a *Sese nimis abjicere ac ſubmittere & miſceri cum privatis*, indicium *eſſe non tam* hominis *parati ad abdicandum magiſtratum, quàm ejus qui rationem inveſtigaret honoris adhuc retinendi.*

b *Eligi curat Decemviros, rejectis longe impares claritate anteacta vita.*

c *Quod boni* ab Appio *factum damnabant, tanquam quod nemo exiſtimaſſet eum eſſe facturum.*

NOTÆ.

4. *Impedimentum pro occaſione arripuit.*] Delatum ei à collegis fuerat ut præeſſet comitiis Decemvirorum creandorum; idque ea de cauſa ipſi conceſſum, ut pudor eum impediret quominùs ipſe eam ſibi dignitatem aſſumeret: eam rem ille contra mentem collegarum in occaſionem vertit ejus magiſtratus uſurpandi.

5. *Dejectiſque honore per coitionem.*] Ex Cælii Rhodigini lect. antiq. l. 14. c. 16. eſt correctio illa *per coitionem*, cum priùs eſſet *per concionem*. Quod ſequutus Godelevæus, & ſibi quoque vindicat Sigonius, probatque ex noſtro lib. 9. *Coitiones honorum adipiſcendorum cauſâ factas adverſus rempublicam eſſe*: & lib. 39. *cojerantque candidati omnes ad dejiciendum honore eum.* Et *honore dejici* intelliguntur, qui magiſtratu quem petunt, excluduntur.

6. *Creati cum eo M. Cornelius Malugineuſis.*] Decemviri poſteriores, prioribus admodum diſſimiles fuere, Patricii ſeptem; tres è plebe Q. Pœtilius (ſic enim ſcribendum ex veteribus quibuſdam libris monet Sigonius) Cæſo Duilius (aliis Duellius) & Sp. Oppius Cornicen: plerique Appii favore electi; qui poſtremis tribus ad eum gradum provectis plebi gratificari, ex his, cæteriſque (præter Fabium) penè ignotis in conſortium aſcitis, totam Decemviralis faſtigii poteſtatem ad ſe unum trahere ſtudebat.

Urb. cond. an. 303. Decemviris posterioribus.

nensis, M. Sergius, L. Minucius, Q. Fabius Vibulanus, Q. Pœtilius, T. Antonius Merenda, Cæso Duilius, Sp. Oppius Cornicen, Man. Rabulejus.

XXXVI. Ille finis Appio [1] àlienæ personæ ferendæ fuit. Suo jam inde vivere ingenio cœpit, novosque collegas jam prius quam inirent magistratum, in suos mores formare. Quotidie coibant remotis arbitris: inde impotentibus instructi consiliis quæ [2] secreto ab aliis coquebant, jam haud dissimulando superbiam, [3] rari aditus, colloquentibus difficiles, ad idus Majas rem perduxere. [4] Idus tum Majæ solennes ineundis magistratibus erant. Initio igitur magistratus primum honoris diem denunciatione ingentis terroris insignem fecere. nam [2] quum ita priores decemviri servassent, ut unus fasces haberet, & [5] hoc insigne regium in orbem, suam cujusque vicem, per omnes iret, subito omnes cum duodenis fascibus prodiere. Centum viginti lictores forum impleverant, & fascibus secures illigatas præferebant. [6] nec attinuisse domi securim, quum sine provocatione creati essent, interpretabantur. Decem regum species erat; multiplicatusque terror non infimis solum, sed primoribus Patrum ratis cædis causam ac principium quæri: ut si quis memorem libertatis vocem, aut in senatu, aut in populo misisset, statim virgæ securesque etiam ad cæterorum metum expedirentur. Nam præterquam quod in populo nihil erat præsidii, sublata provocatione, [7] intercessionem quoque consensu sustulerant: quum priores decem-

INTERPRETATIO.

[2] *Cum Decemviri anno superiore id in usu habuissent.*

NOTÆ.

1. *Aliena persona ferenda.*] Alludit ad Histriones, qui sub persona, & facie ascititia exhibent Regum sermones factaque, cum revera sint homines nihili.

2. *Secretò ab aliis.*] A quibus *aliis*? Vult, opinor, Appium multa, seorsim à collegis, prioris nempe anni Decemviris, qui tamen adhuc in magistratu cum eo erant, molitum esse cum novis Collegis quos in annum sequentem sibi adsciverat.

3. *Rari aditus.*] Vide num scripserit potiùs auctor; *rari aditu*, ut cohæreat cum eo quod sequitur, *colloquentibus difficiles*, &c. Nisi malis absolutè *raro aditu*, vel *raris aditibus*.

4. *Idus tum Majæ.*] In Magistratibus, etiam ordinariis ineundis, non semper idem apud Romanos observatum est tempus. Vide cap. hujus libri 6.

5. *Hoc insigne regium.*] In rep. Romana duodecim fasces virgarum; intra quas ligatæ secures essent, nulli magistratui præferri solebant toto magistratus tempore, præterquàm Dictatori. V. l. 2. c. 55.

6. *Nec attinuisse domi securim.*] Videri volebant novi Decemviri domi secures lictorum non retinuisse, Dictatorum imitatione, ut ejusmodi insignibus ostenderent se creatos sine provocatione: revera ut terrori civibus essent. Nam satis magnum inter eos Dictatoremque discrimen apparebat, quod Dictator sine collega esset.

7. *Intercessionem quoque sustulerant.*] Intercessionem hic vocat, quam cap. 33. & hic quoque posteà appellationem dixit: jus scilicet Collegis concessum collegæ alterius decreta retractandi, atque corrigendi; si ab iis qui causâ ceciderant, eorum auxilium imploratum esset.

viri, appellatione collegæ, corrigi reddita ab ſe jura tuliſſent; & quædam quæ ſui judicii videri poſſent, ad populum rejeciſſent. Aliquandiu æquatus inter omnes terror fuit: paulatim totus vertere in plebem cepit. b Abſtinebatur Patribus: in humiliores libidinoſe crudeliterque conſulebatur: 8 hominum, non cauſarum toti erant; ut apud quos gratia vim æqui haberet. Judicia domi conflabant, pronunciabant in foro. Si quis collegam appellaſſet, ab eo, ad quem venerat, ita diſcedebat, ut pœniteret non prioris decreto ſtetiſſe. Opinio etiam ſine auctore exierat, non in præſentis modo temporis eos injuriam conſpiraſſe, ſed fœdus clandeſtinum inter ipſos jurejurando ictum, ne comitia haberent, perpetuoque Decemviratu 9 poſſeſſum ſemel obtinerent imperium. Urb. cond. an. 303. Decemvir. an. 2.

XXXVII. a Circumſpectare tum patriciorum vultus plebeji: & inde libertatis captare auram, unde ſervitutem timendo, in eum ſtatum reipublicam adduxerant. Primores Patrum odiſſe Decemviros, odiſſe plebem, nec probare quæ fierent; & b credere haud indignis accidere. avidè ruendo ad libertatem 1 in ſervitutem elapſos juvare nolle: cumulare quoque injurias, ut tædio præſentium conſules duo tandem & ſtatus priſtinus rerum in deſiderium veniant. Jam & proceſſerat pars major anni, & 2 duæ tabulæ legum ad prioris anni decem tabulas erant

INTERPRETATIO.

b *Non vexabantur* à Decemviris *patricii*.

a *Tunc Plebeji accuratè conſiderabant vultus patriciorum*, quaſi *venantes ſpem libertatis* recuperandæ *per eoſdem, à quibus eum ſibi ſervitutem imminere ſuſpicati eſſent, effecerant ut civitas in hunc* peſſimum *ſtatum redigeretur*.

b *Exiſtimabant* plebejos *dignos* eſſe *iis malis, quæ* ipſis per Decemviros *contingebant*; eiſque *opem ferre nolebant, quod in eam ſervitutem cecidiſſent, dum ardentius* quàm par erat *libertatem appeterent*.

NOTÆ.

8. *Hominum, non cauſarum toti erant.*] Maximum judicantium vitium προκατάληψις eſt, ſi perſonis addicti ſint: cum cauſæ cujuſque merita dumtaxat ſpectare oporteat. Idcirco Thebis Ægyptiis ſculptas fuiſſe ajunt effigies, judicum quidem ſine manibus, (ne munera acciperent,) Prætoris autem ſine oculis, aut iis certe clauſis, (ne litigantes adſpiceret) ſuſpenſa è collo Veritate.

9. *Poſſeſſum ſemel obtinerent imperium.*] *Obtinere* hic eſt conſervare, obſtinatè retinere, ut in illo, *antiquum obtines*; & apud Liv. lib. 27. *Pœnis ad obtinendum hoſternum decus adnitentibus*.

1. *In ſervitutem elapſos.*] Lege *delapſos*, aut *lapſos*.

2. *Duæ Tabulæ.*] His adjectis, Duodecim Tabularum Leges extiterunt, quæ & abſolutè *Duodecim*, & Græcè Δωδεκάδελτος, & Leges Decemvirales dictæ: utpote à Decemviris, partim prioris, partim poſterioris anni, tam ex Solonis, aliiſque Græcorum Legibus, quàm ex patriis inſtitutis, Legibuſve, omnes compoſitæ: licet duæ poſtremæ ab iiſdem perlatæ non ſint, ſed à Conſulibus, cap. 57. infrà; & apud Dionyſium lib. 11. Inter leges harum duarum Tabularum unam fuiſſe ſcribit Dionyſius extremo lib. 10. quæ Connubium vetabat inter Patricios & Plebejos: non ob aliam cauſam, ut ipſe interpretatur, quàm ne conſociatis familiis, concordia inter ordines fieret.

Urb. cond. an. 303. Decemvir. an. 2.

adjectæ; nec quicquam jam ſupererat, ſi hæ quoque leges centuriatis comitiis perlatæ eſſent, cur eo magiſtratu reipublicæ opus eſſet. Exſpectabant, quam mox Conſulibus creandis comitia ediderentur. Id modo plebs agitabat, quonam modo tribuniciam poteſtatem, munimentum libertati, rem intermiſſam, repararent. Quum interim mentio comitiorum nulla fieri; & Decemviri, qui primo tribunicios homines, quia id popularе habebatur, circum ſe oſtentaverant plebi, patriciis juvenibus ſepſerant latera. eorum catervæ tribunalia obſederant. Hi [c] ferre, agere plebem plebiſque res; [3] cum fortuna, qua quicquid cupitum foret, potentioris eſſet. Et jam ne tergo quidem abſtinebatur: virgis cædi, alii ſecuri ſubjici: & ne gratuita crudelitas eſſet, bonorum donatio ſequi domini ſupplicium. Hac mercede juventus nobilis corrupta, non modo non ire obviam injuriæ; ſed propalam licentiam ſuam malle, quam omnium libertatem.

XXXVIII. [1] Idus Majæ venere. Nullis ſubrogatis magiſtratibus, [2] privati pro Decemviris, [3] neque animis ad imperium inhibendum imminutis, neque ad ſpeciem honoris inſignibus, prodeunt. id vero regnum haud dubie videri. Deploratur in perpetuum libertas; nec vindex quiſquam exiſtit, aut futurus videtur. [a] nec ipſi ſolùm deſponderant ani-

INTERPRETATIO.

c Hi juvenes patricii *diripiebant, vexabantque plebem & ejus bona.*

a *Nec tantum ipſi* Romani *animis ceciderant: verùm contemptui quoque eſſe ceperant populis vicinis*, qui *ægrè ferebant* ſibi Romanos *imperare, qui* domi *liberi non eſſent.*

NOTÆ.

3. *Cum fortuna, quâ quicquid.*] Locum depravatum eſſe conſtat. Fortaſſe legendum cum Gronov. *Plebem, plebiſque res, & fortunas, cum quicquid cupitum foret, potentioris eſſet.* Glareanus affirmat in quibuſdam codicibus ſcriptum haberi *eſſe* in infinitivo. Quo poſito ſic fortè poſſet emendari; *ferre, agere plebem plebiſque res, fortunaſque; quicquid cupitum foret, potentiores eſſe.* Hoc modo reſpondebit membrum hoc prioribus & poſterioribus per infinitivum modum prolatis.

1. *Idus Majæ venêre.*] Hic novus eſt annus, & tertius Decemvirorum, ut rectè obſervat Glareanus.

2. *Privati pro Decemviris.*] Se gerebant pro Decemviris, cum tamen privati eſſent. Creati quippe fuerant in annum, qui jam elapſus erat.

3. *Neque animis ad imperium inhibendum imminutis, &c.*] Verbum *Inhibendi*, quod plerumque accipitur pro eo quod eſt prohibere, ſeu cohibere, hoc loco dicitur pro *adhibere, exercere*, ut mox hoc eodem cap. *Imperioque inhibendo acriter in pauces.* Ita cap. 59. *Inhibitio ſalubriter modo nimiæ poteſtati:* lib. etiam 4. cap. 53. *Conſuli damnum, aliamve coërcitionem detrectantibus militiam inhibenti.* Vult enim Livius in publicum proceſſiſſe Decemviros, ita ut nihil detractum remiſſumve oſtenderent, nec de voluntate exercendi imperii; nec de inſignibus prioris dignitatis, faſcibus nempe, &c. Gronovii editio habet: *neque animis ad Imperium inhibendum immunitis, &c.* Cujus lectionis ſenſus hic eſſe poſſet, ut Decemviri muniti eſſent animis, ſive ad exercendum prius imperium; ſive ad prohibendum ne alii finito ipſorum magiſtratu, imperium Conſulare caperent; & inſignia quoque honoris priſtini, armatis hominibus muniviſſent.

Digitized by Google

mos, ſed contemni cœpti erant à finitimis populis: imperiumque ibi eſſe, ubi non eſſet libertas, indignabantur. Sabini magna manu incurſionem in agrum Romanum fecere: lateque populati, [b] quum hominum atque pecudum inulti prædas egiſſent, recepto ad Eretum, quod paſſim vagatum erat, agmine, caſtra locant, ſpem in diſcordia Romana ponentes. eam impedimentum delectui fore. Non nuncii ſolum, ſed per urbem agreſtium fuga trepidationem injecit. Decemviri conſultant quid opus facto ſit. ſ deſtitutis inter Patrum & plebis odia addit terrorem inſuper alium fortuna. Æqui alia ex parte caſtra in Algido locant: depopulatumque inde excurſionibus Tuſculanum agrum, legati ab Tuſculo præſidium orantes, nunciant. 6 Is pavor perculit Decemviros, ut ſenatum ſimul duobus circumſtantibus urbem bellis conſulerent. citari jubent in curiam Patres, haud ignari quanta invidiæ immineret tempeſtas: omnes vaſtati agri periculorumque imminentium cauſas in ſe congeſturos, 7 tentationemque eam fore abolendi ſibi magiſtratus, ni conſenſu reſiſterent, imperioque inhibendo acriter in paucos præferocis animi, conatus aliorum comprimerent. Poſtquam audita vox in foro eſt præconis, Patres in curiam ad Decemviros vocantis; velut nova res, quia [8] intermiſerant jam diu morem conſulendi ſenatum, [c] mirabundam plebem convertit, *quidnam incidiſſet, cur ex tanto intervallo rem deſuetam uſurparent. Hoſtibus belloque gratiam habendam, quod ſolitum quicquam liberæ civitatis fieret.* Circumſpectare omnibus fori partibus ſenatorem, [d] raroque uſquam noſcitare. curiam inde, ac ſolitudinem circa Decem-

Urb. condit. an. 304. Decemvir. an. 3.

INTERPRETATIO.

b *Cum homines, ac pecudes in prædam abduxiſſent nemine ulciſcente, caſtra locarunt apud Eretum, recepto in ea agmine, quod* populandi causâ *vagatum fuerat.*

c *Ad ſe vertit vulgi mentes attonitas* ea novitate.

d *Nec niſi rarò ullibi agnoſcebant*, notare poterant.

NOTÆ.

4. *Sed per urbem agreſtium fuga.*] Hi Agreſtes non per urbem, ſed in urbem fugiebant. Itaque præpoſitio *per* referenda eſt ad trepidationem ſeu terrorem per urbem ſparſum à ruſticis fugientibus ex agris.

5. *Deſtitutis inter patrum & plebis odia.*] Ab utroque ordine derelictis; & cum inter odia tam plebejorum, quam Senatorum poſiti, præſidio carerent.

6. *Is pavor perculit Decemviros, ut Senatum.*] Legendum potiùs videri *perpulit Decemviros*, jam monui ad caput 30.

7. *Tentationemque eam fore.*] Et futurum ut ea occaſione tentarent patres magiſtratum ipſis abrogare. Sed num *abolendi ſui magiſtratus* potiùs, quàm *abolendi ſibi magiſtratus?*

8. *Intermiſerant jamdiu morem conſulendi Senatum.*] Non hoc modò: ſed præſtantiſſimos quoſque partim urbe expulerant, partim occiderant falſis acculationibus; præterquam quod, ſua ſuorumque libidine, ſævitiâ, avaritiâ honeſtiſſimis civibus neceſſitatem impoſuerant in Latinorum, aut Hernicorum ſociorum oppida migrandi, odio ac metu dominationis tyrannicæ.

Urb. cond. an. 303. Decemvir. an. 3.

viros intueri ; e quum & ipſi conſenſu inviſum imperium , & plebs, quia privatis jus non eſſet vocandi ſenatum , non convenire Patres , interpretarentur, 9 *jam caput fieri libertatem repetentium, ſi ſe plebs comitem ſenatui det ? & quemadmodum Patres vocati non coëant in ſenatum ; ſic plebs abnuat delectum*. Hæc fremebat plebs. Patrum haud ferè quiſquam in foro , in urbe rari erant. 10 indignitate rerum f ceſſerant in agros ; 11 ſuarumque rerum erant, amiſsâ publicâ : tantum ab injuria ſe abeſſe rati, quantum è cœtu congreſſuque impotentium dominorum ſe amoviſſent. Poſtquam citati non conveniebant , dimiſſi circa domos apparitores , ſimul 12 ad pignora capienda , ſciſcitandumque num conſulto detrectarent ? referunt ſenatum in agris eſſe . Lætius id Decemviris accidit, quam ſi præſentes detrectare imperium referrent . Jubent acciri omnes , 13 ſenatumque in diem poſterum edicunt . qui aliquanto ſpe ipſorum frequentior, convenit. quo facto proditam à Patribus plebs libertatem rata , quod iis , qui jam magiſtratu abiſsent, 14 privatiſque, ſi vis abeſſet, tanquam jure cogentibus, ſenatus paruiſſet.

INTERPRETATIO.

e Cum *quod Senatores non convenirent*, id Decemviri quidem *ipſi conjicerent* ex eo *fieri , quod* omnium communi *conſenſu odioſum eorum imperium eſſet ; plebe* autem ex eo fieri exiſtimaret, quod putarent Senatores, Decemviris, ut pote jam *ad privatum ſtatum redactis Senatum vocare non licere. Jam itaque initium fieri repetenda libertatis*.

f *In rura quiſque ſua abſceſſerant : & everſa re publica*, privatis tantùm *rebus ſuis vacabant*,

NOTÆ.

9. *Jam caput fieri libertatem repetentium*.] Siquidem veteres codices habent *libertatis repetendæ*, quod Sigonius affirmat : nihil erit difficultatis , modo *caput* pro initio ſive principio accipiamus.

10. *Indignitate rerum ceſſerant in agros*.] Illud *rerum* ſi abeſſet , non deſiderares ait Gronovius . Nihil tamen frequentius, quàm ut *rei*, aut *rerum indignitas* dicatur : niſi quod hoc loco ſtatim ſequitur ejuſdem nominis *rerum* repetitio.

11. *Suarumque rerum erant amiſsâ publicâ*.] Profitetur Glareanus in pleriſque codicibus ſe ſcriptum legiſſe , *ſuarumque ſolliciti erant rerum* . Contrà Sigonius veterem lectionem defendit, dempto illo nomine *ſoliciti*: eſt enim ſenſus idoneus, quem habet interpretatio ſuprà .

12. *Ad pignora capienda*.] Qui non parebant impetio magiſtratuum, pignoribus captis coercebantur ; *par ſaiſie de leurs biens*. Ita Senatoribus, qui vocati, nullaque juſta de cauſa excuſati , in Senatum non veniebant , mulcta dicebatur ; quam donec ſolviſſent, pignora capiebantur ; & ſi mulcta ſoluta non eſſet, pignora vendebantur.

13. *Senatumque in diem poſterum edicunt*.] Ita legendum . Eſt enim *edicere* proprium magiſtratuum publicè quid jubentium, ſeu proſcribentium edicto ; quo exempio in pari caſu Svetonius in Julio cap. 80. *Poſtquam Senatus idibus Martiis in Pompeji Curiam edictus eſt*.

14. *Privatiſque , ſi vis abeſſet*.] Legebatur anteà, *privatiſque , jus abeſſet* , quod ita intelligi poteſt , & quibus utpote jam non amplius magiſtratibus , ſed privatis, deeſſet jus vocandi Senatum. Sed meliores codices habent , ut in textu , ut ſit, qui privati eſſent, niſi vi uterentur. Hæc ſanè duo vocabula, *jus*, & *vis*, ut cuique notum, faciè convertuntur in ſcribendo : utinam non ipſæ res in agendo .

Sed

XXXIX. 1 Sed magis obedienter ventum in curiam, quam obnoxiè dictas ſententias, accepimus. L. Valerium Potitum proditum memoriæ eſt, poſt relationem Ap. Claudii, priuſquam ordine ſententiæ rogarentur, poſtulando ut de republ. liceret dicere; prohibentibus minaciter Decemviris, proditurum ſe ad plebem denunciantem, tumultum exciviſſe. Nec minus ferociter 2 M. Horatium Barbatum iſſe in certamen, *Decem Tarquinios* appellantem, *admonentemque, Valeriis & Horatiis ducibus pulſos reges.* 3 *Nec nominis homines tum pertæſum eſſe: quippe quo Jovem appellari fas ſit, quo Romulum conditorem urbis, deinceps que reges appellatos; quod ſacris etiam ut ſolenne retentum ſit. Superbiam, violentiamque tum perosos regis, quæ ſi in rege tum eodem, aut in filio regis ferenda non fuerint, quem laturum in tot privatis? Viderent, ne vetando in curia libere homines loqui, extra curiam etiam moverent vocem: neque ſe videre qui ſibi minus privato ad concionem populum vocare, quàm illis ſenatum cogere liceat. Ubi vellent, experirentur* 4 *quanto fortior dolor in libertate ſua vindicanda, quam cupiditas in injuſta dominatione retinenda, eſſet. De bello Sabino eos referre; tanquam majus nullum populo Romano bellum ſit, quam cum iis, qui legum ferendarum cauſa creati, nihil juris in civitate reliquerint: qui comitia, qui annuos magiſtratus, qui viciſſitudinem imperitandi (quod unum exæquandæ ſit libertatis) ſuſtulerint: qui privati faſces & regium imperium habeant. Fuiſſe regibus exactis, patricios*

Urb. c 0[illegible] an. 304. Decemvir. an. 3.

NOTÆ.

1. *Sed magis obedienter.*] Aliud eſt *obedienter* quidpiam facere, aliud obnoxiè: obedit enim, quiſquis dicto audiens obſequitur ultrò, atque obtemperat alteri: obnoxius autem eſt, qui alteri ſic addictus eſt, & quaſi mancipatus, ut ab ejus nutu totus pendeat; quemadmodum qui ob noxam dediti ſunt, aut certè pœnæ obligati ob delictum: quæ illius nominis eſt origo apud Feſtum.

2. *M. Horatium Barbatum iſſe in certamen.*] Certamen verborum intellige, quod poſt brevem L. Valerii Potiti orationem, excepit Horatius acri in Decemviros oratione. Cui non multùm abſimilem Dionyſius recitat, ut & Appii altercationes.

3. *Nec nominis homines tum pertæſum eſſe.*] Vult Horatius, tunc cum Reges pulſi ſunt à Romanis, id non nominis regii odio feciſſe, quod ex ſe præclarum, dignumque Jove ipſo, & in eo appellando, inque rege ſacrificulo retentum ſit: ſed odio ſuperbiæ & violentiæ Tarquiniorum. Cæterùm nihil hic opus eſt correctione, ut vel cum Rhenano ſcribamus *nec nomen homines tum pertæſum eſſe*; vel cum Gronovio, *nec nomen homines tum pertæſos eſſe*. Verbum enim *pertædet*, & genitivum recipit, & aliquando accuſativum: diciturque etiam perſonaliter, præſertim cum præteritum per participium quaſi paſſivum effertur.

4. *Quanto fortior dolor in libertate ſua vindicanda.*] Sic vetuſti: poſteriores editiones *quantò ferocior*, exiguo diſcrimine. Nec vero admodum refert, præpoſitionem, *in*, bis, aut ſemel interponas, an tollas; itemque vocem *retinenda* inſeras, an omittas. Variant quippe exemplaria. Sed utcumque legeris, ſenſus conſtat: poteſt enim ſublata omnino particulâ *in*, dici *fortior dolor libertate ſuâ vindicandâ, pro vindicando* ſeu aſſerendo *libertatem ſuam*: & ſi ex poſteriori commate dematur vox *retinenda* poterit *vindicandâ* non minùs referri ad ſequens nomen *dominatione*, quam ad præcedens *libertate*.

Urb. cond. an. 304. Decemvir. an. 3.

magiſtratus ; creatos poſtea poſt ſeceſſionem plebis , plebejos . 5 Cujus illi partis eſſent , rogitare . Popular.s ? qui l enim eos per populum egiſſe ? Optimates ? qui anno jam prope ſenatum non habuerint : 6 tunc ita habeant , ut de repl. loqui prohibeant ? Ne nimium in metu alieno ſpei ponerent . graviora quæ patiantur videri jam hominibus , quam quæ metuant .

XL. Hæc vociferante Horatio, quum Decemviri, [a] nec iræ, nec ignoſcendi modum reperirent, nec quò evaſura res eſſet, cernerent; C. Claudii, qui patruus Appii Decemviri erat, oratio fuit [1] precibus quam jurgio ſimilis, [2] orantis per ſui fratris, parentiſque ejus manes; *Ut civilis potius ſocietatis , in qua natus eſſet, quàm fœderis nefariè icti cum collegis , meminiſſet . multò id magis ſe illius cauſa orare , quam reipublicæ . Quippe remp. ſi à volentibus nequeat , [b] ab invitis jus expeturam . Sed ex magno certamine magnas excitari ferme iras, earum eventum ſe horrere .* Quum aliud præterquam de quo retuliſſent, Decemviri dicere prohiberent, Claudium interpellandi verecundia fuit. Sententiam igitur peregit, [3] *nullum placere ſenatuſconſultum fieri* . [4] Omneſque ita accipiebant, privatos eos à Claudio judicatos : multique ex Conſularibus verbo aſſenſi ſunt . Alia ſententia aſperior in ſpeciem, vim minorem aliquanto habuit, quæ patricios coire ad prodendum

INTERPRETATIO.

a *Non invenirent rationem , quâ* ſive *iram exercere, ſive etiam veniam dare* tutò *poſſent* .

b *Fore ut reſp.* jus ſuum priſtinum, *à Decemviris* etiam *nolentibus expoſcat* , atque extorqueat .

NOTÆ.

5. *Cujus illi partis eſſent rogitare .*] Interrogabat idemtidem Horatius Decemviros, utrius ordinis ſeſe magiſtratus dicerent, Senatorii, an plebeji; qui neutro ordini ſe probarent, omnium commodis & publicæ utilitati per omnia adverſarentur.

6. *Tum ita habeant .*] Repete ex ſuperiori, *Senatum* .

1. *Precibus quam jurgio ſimilis .*] Antiqua eſt lectio, ubi ſubaudiendum ex loquendi forma Salluſtio quoque & Tacito familiari, *magis*, vel *potius* . In veteri tamen Codice Rhenani eſt *precibus quàm jurgio ſimilior ;* quæ lectio & vitio, & difficultate caret .

2. *Orantis per ſui fratris .*] Non paulò diverſam hujus C. Claudii orationem habes apud Dionyſium, de tuenda urbe adverſus hoſtes communi conſilio, deque deponendo à Decemviris tyrannico imperio. Cui cum reſponſum ab Appio datum non eſſet, conteſtatus dicitur ſe urbe diſceſſurum; iturumque Regillum, quæ patris patria erat.

3. *Nullum placere Senatuſconſultum fieri .*] Hanc C. Claudii ſententiam Dionyſius non refert : ſed contra Senatuſconſultum fieri eum voluiſſe, quo reddatur populo jus, vel alios magiſtratus creandi, vel Decemviros continuandi ; quod ſi ita fuit, hæc ſententia parum differt à ſequenti .

4. *Omneſque ita accipiebant .*] Cajl Claudii ſententiam hic è Livio allatam cuncti ſic interpretabantur, quaſi vellet Decemviros non pro magiſtratibus, qui Senatum habere poſſent ; ſed pro privatis hominibus habendos : nam Senatu illegitimè coacto, non poterat rite fieri Senatuſconſultum .

interregem jubebat. 4) censendo enim, quoscumque magistratus esse, qui senatum haberent, judicabat; quos privatos fecerat auctor nullius senatusconsulti faciendi. Ita labante jam causa Decemvirorum, L. Cornelius Maluginensis, M. Cornelii Decemviri frater, quum ex Consularibus ad ultimum dicendi locum consulto servatus esset, simulando curam belli, fratrem collegasque ejus tuebatur: 5 *quonam fato incidisset, mirari se* dictitans, *ut Decemviros, qui Decemviratum petissent, aut socii, aut hi maxime oppugnarent? aut quid ita, quum per tot menses vacua civitate nemo, justine magistratus summæ rerum præessent, controversiam fecerit; nunc demum quum hostes prope ad portas sint, civiles discordias ferant: nisi quod in turbido minus perspicuum fore putent, quid agatur.* 6 *Cæterum neminem, majore cura occupatis animis, verum esse, præjudicium rei tantæ afferre. Sibi placere de eo, quod Valerius Horatiusque ante Idus Majas Decemvi-*

Urb. cond. an. 304. Decemvir. an. 3.

NOTÆ.

4. *Censendo enim, quoscumque magistratus esse.*] Hoc ipso quod secundæ hujus sententiæ auctores censebant aliquid, & sententiam dicebant; agnoscere videbantur Decemviros, à quibus haberetur Senatus, esse reverà magistratus, si non legitimos, si non Consulares, certè qualescumque. Alioqui hæc sententia durior erat, quòd vellet Interregem dici; quod tunc fiebat cum nulli erant summi magistratus: unde sequebatur creandos per Interregem Consules; quibus creatis in nullo numero futuri essent hi Decemviratus usurpatores. Ita mentem Livii perspicuè aperit Schottus 3. observat. cap. 38. Horum tamen sententia ex verbis auctoris videtur aliò trahi potuisse: siquidem qui hujus erant sententiæ jubebant Senatum Interregis prodendi causa coire: atque ita convocationem Senatus à Decemviris imperatam minimè probare videbantur.

5. *Quonam fato incidisset.*] Ajebat L. Cornelius Maluginensis, mirari se, qua ratione accideret, ut ii, qui aut primo anno socii Decemvirorum fuissent, quique secundo anno magna contentione petiissent Decemviratum, ii nunc, vel soli, vel præ cæteris, oppugnarent Decemviros: deinde mirari adhuc se cur iidem nunc tandem hostibus ad portas consistentibus, semina discordiarum civilium sparguntur, postquam civitate à curis belli licis vacua & libera, neque illi, neque alius quisquam per aliquot menses ab Idibus Majis, in controversiam vocaverat, an justi essent ac legitimi Magistratus, qui summam rerum administrabant: nisi fortè qui hæc moliuntur putant rebus turbidis minus perspici posse quid agant, & quo tendant, ad res scilicet novandas, imperiumque sibi ipsis arrogandum.

6. *Cæterùm neminem, majore cura*, &c.] Variè hic contextum refingunt atque explicant Rhenanus, Glareanus, & Sigonius; nec se satis expediunt. Eorum opiniones expendere longum & supervacaneum esset. Plana res erit si quo sensu *verum*, quo *præjudicium* hoc loco accipiatur adverterimus. *Verum* hic dicitur quod æquum, ac justum est, ut cum verum rei pretium dicunt Jurisconsulti. Qua de re lib. 2. cap. 48. *Præjudicia* verò & causæ præjudiciales dicuntur ea, quorum cognitio præcedere debet; quæque prius judicata, maximum momentum afferunt ad futurum principale. Ita quasi Cum igitur Decemviris creaturque an status controversia fieret, sient: non inmagistratus, an privatusne afferre dicileganter *præjudicio* statim agi: quod nontur, qui vultus tractandum contendisnisi pacaris, nec rem ullam bello anteL. Coam.

Urb. cond. an. 304. Decemvir. an. 3.

ros abiſſe magiſtratu inſtimulent, bellis, quæ immineant perfectis, repub. in tranquillum redacta; ſenatu diſceptante, agi: & jam nunc ita ſe parare Ap. Claudium, ut comitiorum, quæ Decemviris creandis Decemvir ipſe habuerit, ſciat ſibi rationem reddendam eſſe, utrum in unum annum creati ſint, an donec leges, quæ deeſſent, perferrentur. In præſentia omnia præter bellum omitti placere: cujus ſi falſo famam vulgatam, vanaque non nuncios ſolum, ſed Tuſculanorum etiam legatos attuliſſe putent; ſpeculatores mittendos cenſere, qui certius explorata referant. Sin fides & nunciis & legatis habeatur, delectum primo quoque tempore haberi, Decemviros quo cuique eorum videatur exercitus ducere: nec rem aliam præverti.

XLI. a In hanc ſententiam ut diſcederetur, juniores Patrum evincebant. Ferociores iterum coorti Valerius Horatiuſque, vociferari, *ut de republ. liceret dicere. dicturos ad populum, ſi in ſenatu per factionem non liceat. Neque enim ſibi privatos, aut in curia, aut in concione poſſe obſtare, neque ſe imaginariis faſcibus eorum ceſſuros eſſe.* Tum Appius, jam prope eſſe ratus, ut, ni violentiæ eorum pari reſiſteretur audacia, victum imperium eſſet: 1 *Non erit melius*, inquit, *niſi de quo conſulimus, vocem miſiſſe?* 2 & ad Valerium negantem ſe privato reticere, lictorem accedere juſſit. Jam Quiritium fidem implorante Valerio à curiæ limine, L. Cornelius complexus Appium, 3 non eui ſimulabat conſulendo, diremit certamen. 4 factaque per Cornelium Valerio dicendi gratia quæ vellet. Quum libertas non

INTERPRETATIO.

a *Juniores Senatores* ſuffragiorum numero vincentes, obtinebant, *ut ſecundum eam ſententiam Senatuſconſultum fieret per diſceſſionem.*

NOTÆ.

1. *Non erit melius, inquit.*] Monentis ex indignatione, & per iram interrogantis vox eſt minax: quaſi dicat Appius, tibi Horati utilius fuerit verba non feciſſe niſi de bello quod inſtat, qua de re nos Senatum nunc conſulimus. Sic idem Appius infrà: *proinde quieſſe erit melius.*

2. *Et ad Valerium negantem, ſe privato, reticere.*] *Se* ad Appium refer, qui Lictorem ad Valerium comprehendendum miſit, non ad Valerium: quaſi dicat Valerius, ipſo Appio privato, non debere ſilentium ejus nutu ſervari.

3. *Non cui ſimulabat conſulendo.*] Videri volebat Cornelius Valerio proſpicere, in quem ruiturus erat Appius cum Lictoribus: re tamen ipſa conſultum ſi Appio ibat, quia Valerius, qui prior ... xerat, jam cœperat à limine Curiæ Quiritium fidem, opemque invocare.

4. *Factaque per Cornelium Valerio dicendi gratia quæ vellet.*] Cum de L. Cornelio fratre Decemviri, non de M. Cornelio Decemviro loquatur, apparet non ipſum Cornelium veniam loquendi feciſſe, ſed ejus operâ eam copiam ab Appio, aliiſque Decemviris datam Valerio: qui cum multos oratione ſua permotos videret, paratoſque ad retractandas ſententias quas prius dixiſſent, eas iterum rogari poſtulavit: ſed repugnante Cornelio, quæſtore jam decretâ, non obtinuit. Itaque dominationis Decemvirorum tædio, cives non pauci aliò migrarunt, quorum prædia, velut deſertorum, publicata verbo, revera Decemvirorum aſſeclis donabantur.

ultrà vocem excessisset, [b] Decemviri propositum tenuere. Consulares quoque ac Seniores ab residuo tribuniciæ potestatis odio, cujus desiderium plebi multò acrius, quàm consularis imperii rebantur esse, prope malebant postmodum ipsos Decemviros voluntate abire magistratu, quam invidiâ eorum exsurgere rursus plebem. si leniter ducta res sine populari strepitu ad Consules rediisset, aut bellis interpositis, aut moderatione Consulum in imperiis exercendis, posse in oblivionem tribunorum plebem adduci. [c] Silentio Patrum edicitur delectus. juniores, [5] quum sine provocatione imperium esset, ad nomina respondent. legionibus scriptis, [6] inter se Decemviri comparabant; quos ire ad bellum, quos præesse exercitibus oporteret. Principes inter Decemviros erant Q. Fabius & Ap. Claudius. bellum domi majus, quam foris apparebat. Appii violentiam aptiorem rati ad comprimendos urbanos motus: [7] in Fabio minus in bono constans, quam gnavum in militia ingenium esse. Hunc enim virum egregium olim domi militiæque Decemviratus collegæque ita mutaverant, ut Appii quam sui similis mallet esse. huic bellum in Sabinis, Man. Rabulejo, & Q. Petilio additis collegis, mandatum. M. Cornelius in Algidum missus cum L. Minucio, & T. Antonio, & Cæsone Duillio, & M. Sergio: Sp. Oppium Ap. Claudio adjutorem ad urbem tuendam æquo omnium Decemvirorum imperio decernunt. Urb. cond. an. 304. Decemvir. an. 3.

XLII. Nihilo militiæ quam domi melius respublica administrata est. Illa modo in ducibus culpa, quòd ut odio essent civibus fecerant. alia omnis penes milites noxa erat: qui ne quid ductu atque auspicio Decemvirorum prosperè usquam gereretur, vinci se per suum atque illorum dedecus patiebantur. Fusi & ab Sabinis ad Eretum, & in Algido ab Æquis exercitus erant. ab Ereto per silentium noctis profugi propius urbem inter Fidenas Crustumeriamque loco edito castra communierant. persecutis hostibus nusquam se æquo certamine commit-

INTERPRETATIO.

b *Obtinuerunt Decemviri quod* sibi ab initio *proposuerant.*

c *Imperatur delectus, Senatu non contradicente.*

NOTÆ.

5. *Quum sine provocatione imperium esset.*] Decemvirorum scilicet.

6. *Inter se Decemviri comparabant.*] Comparare inter se Magistratus dicebantur, cum consensu mutuo ac sine sorte, constituebant quam muneris partem quisque administraturus esset: quia scilicet facta rerum gerendarum & personarum comparatione quid publicè privatimque expediret, dijudicabant.

7. *In Fabio minus in bono constans, quam gnavum in militia ingenium.*] Non placet quod vulgò legitur, *in malitia*; Melius quod insinuat Schottus, ex Cod. perantiquo, *in militiâ*. Sic enim evidentius apparebit ratio cur huic Fabio Vibulano commissæ sint belli gerendi partes. Sed quod in eo Codice legitur *ignavum* pro *gnavum*, atque à Schotto probatur, quasi dicat Livius Fabium in militia minùs ignavum: id sensus pati non videtur. Etenim illud *minus*, non refertur ad posterius hoc vocabulum, sed ad nomen *constans*.

Urb. cond. an. 304. Decemvir. an. 3.

tentes, natura loci ac vallo, non virtute aut armis tutabantur. Majus flagitium in Algido, major etiam clades accepta: caſtra quoque amiſſa erant, exutuſque omnibus utenſilibus miles. Tuſculum ſe fide miſericordiaque victurus hoſpitum (qui tum non fefellerunt) contulerat. Romam tanti terrores allati, ut poſito jam Decemvirali odio, Patres vigilias in urbe habendas cenſerent: omnes qui per ætatem arma ferre poſſent, cuſtodire mœnia, ac pro portis ſtationes agere juberent: [1] arma Tuſculum ad ſupplementum decernerent, [2] Decemviroſque ab arce Tuſculi degreſſos in caſtris militem habere: caſtra alia à Fidenis in Sabinum agrum transferri: belloque ultro inferendo deterreri hoſtes à conſilio urbis oppugnandæ.

XLIII. Ad clades ab hoſtibus acceptas, duo nefanda facinora Decemviri belli domique adjiciunt. [1] L. Siccium in Sabinis, [a] per invidiam Decemviralem, tribunorum creandorum ſeceſſionisque mentiones ad vulgus militum ſermonibus occultis ferentem, proſpeculatum ad locum caſtris capiendum mittunt. datur negotium militibus, [2] quos miſerant expeditionis ejus comites, ut eum opportuno adorti loco in-

INTERPRETATIO.

[a] *Qui ex odio in Decemviros mentionem apud milites gregarios clandeſtinis colloquiis injiciebat, creandi Tribunos plebis & ſecedendi à patriciis.*

NOTÆ.

1. *Arma Tuſculum ad ſupplementum decernerent.*] Rectè, ni fallor, Gronovius emendat levi unius litteræ mutatione. Quid enim eſt *arma* decernere *ad ſupplementum*? Legit itaque *Arma Tuſculum ac ſupplementum*: & intellige *arma illis*, qui ea in fuga amiſiſſent, *Supplementum* in locum cæſorum: *Dent recruës*. Ita ſe rem habuiſſe ſcribit Dionyſius.

2. *Decemviroſque ab arce Tuſculi degreſſos.*] Intellige *degreſſos* de tempore præſenti, id eſt digredientes. Jubebat enim Senatus ut Decemviri, qui Tuſculum velut in arcem cogente exercitu confugerant, inde digrederentur, neque intra oppida exercitum continerent, quod pavoris erat indicium: ſed in caſtris agerent, ipſique oppidis præſidio potius eſſent, quàm ab oppidis, locisque munitis præſidium peterent.

1. *L. Siccium.*] Alias Sicinium, de quo ad cap. 31: Hic cum in urbe multos ſermones adverſus duces ſpargeret, accitus ab Appio, qui eum poſt alios complures clam de medio tollere per collegas in animo habebat, ejus hortatu ad caſtra Cruſtumerina profectus eſt cum nomine & poteſtate Legati, quaſi de rebus bellicis acturus cum ducibus, quarum longo experimento magnam peritiam eſſet conſequutus. Ab illis perbenignè in ſpeciem acceptus, in exercitu, eorumdem rogatu manſit: cumque auctor eis eſſet transferendi caſtra in alium locum, illi hac uſi occaſione, cum cum centum electis levis armaturæ, ut locum ſpecularetur vallo opportunum, miſerunt. Cum itaque ad aſperum admodum locum perveniſſet, ubi equus non niſi lento gradu incedere poſſet, in eum omnes prout mandatum fuerat irruerunt, eumque ſtrenuè pugnantem, nec inultum, cum famulo interfecerunt: uti Dionyſius narrat.

2. *Quos miſerant expeditionis ejus comites.*] Quos ſcilicet Decemviri Siccio dederant, quaſi futuros ipſi comites in ea expeditione: re ipſa ut ſicarios agerent.

terficerent. Haud inultum interfecere. nam circa repugnantem aliquot insidiatores cecidere, 3 quum ipse se, prævalidus, pari viribus animo, circumventus tutaretur. Nunciant in castra cæteri, præcipitatum in insidias esse Siccium egregie pugnantem, militesque quosdam cum eo amissos. Primo fides nunciantibus fuit. Profecta deinde cohors ad sepeliendos qui ceciderant, Decemvirorum permissu: postquam nullum spoliatum ibi corpus, Siciumque in medio jacentem, armatumque, omnibus in eum versis corporibus videre, hostium neque corpus ullum, nec vestigia abeuntium; profecto ab suis interfectum memorantes, retulere corpus. Invidiæque plena castra erant; & Romam ferri protinus Siccium placebat, ni Decemviri funus militare ei publica impensa facere maturassent. Sepultus ingenti militum mœstitia, pessima Decemvirorum in vulgus famâ, est. Urb. cond. an. 304. Decemvir. an. 3.

XLIV. Sequitur aliud in urbe nefas ab libidine ortum, haud minus fœdo eventu, quam quod per stuprum cædemque Lucretiæ urbe regnoque Tarquinios expulerat: ut non finis solum idem Decemviris, qui regibus, sed causa etiam eadem imperii amittendi esset. Ap. Claudium virginis plebejæ stuprandæ libido cœpit. Pater virginis L. Virginius, 1 honestum ordinem in Algido ducebat. vir exempli recti domi militiæque. 2 Perinde uxor instituta fuerat, liberique instituebantur. Despondérat filiam 3 L. Icilio tribunicio, viro acri, & pro causa plebis, expertæ virtutis. Hanc virginem adultam, forma excellentem, 4 Appius amore ardens pretio ac spe pellicere adortus; postquam 2 omnia pudore septa animadverterat, ad crudelem superbamque vim animum convertit. M. Claudio clienti negotium dedit, virginem in servitutem

INTERPRETATIO.

2 *Pudicitia velut septo munita & clausa.*

NOTÆ.

3. *Quum ipse se prævalidus.*] Cum Siccius, qui validus erat corpore (quamquam vergente jam ætate) circumventum se videns, se magno animo, & respondentibus animo viribus, defenderet.

1. *Honestum ordinem in Algido ducebat.*] Cave Rhenano credideris, qui quod L. Virginius plebejus esset, quodque pedibus Romam venisse atque in Algidum reversus esse dicatur, tentat num legendum sit, *pedes* tum ordinem in Algido ducebat. Quid enim ad rem pedibus, an equo uteretur? Hoc constat pedites duxisse. Cur igitur honestum ei ordinem invideamus? Centurionem eum vocat auctor de Viris Illustribus, & Dionysius.

2. *Perinde uxor instituta fuerat, liberique instituebantur.*] Uxor Numitoria nomine, jam defuncta, mariti exemplo bonis moribus fuerat prædita; idemque vitæ institutum sequuta. Nec aliter, mortuâ quantumvis matre, instituebantur communes liberi: illa scilicet filia Virginia. Nam liberorum appellatione unicus filius, filiave intelliguntur, aut nepos neptisve.

3. *L. Icilio Tribunicio.*] Sp. Icilii f. qui primus Tribunitiam potestatem constituerat atque acceperat.

4. *Appius amore ardens.*] Veteres melius forte, *amore amens.*

Urb. cond. an. 304. Decemvir. an. 3.

assereret; neque cederet 5 secundum libertatem postulantibus vindicias: b quod pater puellæ abesset, locum injuriæ esse ratus. Virgini venienti in forum (6 ibi namque in tabernis literarum ludi erant) minister Decemviri libidinis 7 manum injecit; *serva sua natam, servamque appellans, sequi se jubebat*; 8 *cunctantem vi abstracturum*. Pavidâ puella stupente, ad clamorem nutricis, fidem Quiritium implorantis, fit concursus. Virginii patris sponsique Icilii populare c nomen celebratur, notos gratia eorum, turbam indignitas rei virgini conciliat. Jam à vi tuta erat; quum 9 assertor, nihil opus esse multitudine concitata ait, se jure grassari, non vi. Vocat puellam in jus; 10 auctoribus qui ade- 10

INTERPRETATIO.

b *Existimans* Appius, *injuriam* facilè *inferri posse* virgini, *quia* ejus *pater aberat*.

c *Divulgatur*, & cum laude identidem *repetitur* à plebe *nomen Virginii* & *Icilii*, *velut* hominum popularium: *Auctoritas & favor Virginii patris*, & *Icilii sponsi eos qui ipsis noti erant propitios reddebant Virgini: turbam autem eidem conciliabat ipsa indignitas rei*.

NOTÆ.

5. *Secundum libertatem vindicias postulantibus*.] Vindiciæ generaliter significant & controversiam de momentaria possessione, & ipsam possessionem temporariam rei controversæ, *la recreance*. In liberali autem causa, seu status controversia, qua quis à libertate in servitutem; aut contrà à servitute in libertatem vindicabatur; rectè petuntur Vindiciæ secundum libertatem, id est pro libertate, *en faveur de la liberté*: ut nempe lite pendente, is de cujus libertate quæritur, interim in possessione libertatis sit, & pro libero habeatur. Veteri porro jure, quod nuper in XII. Tabulas translatum fuerat, cavebatur, ut qui de statu suo litigaret, in possessione libertatis constitueretur, & interea liberi loco esset. Sic Appius adversus legem à se ipso nuper latam hunc M. Claudium instruebat.

6. *Ibi namque in tabernis literarum ludi erant*.] Progrediens itaque in forum Appius, puellam in ludo literario qui in taberna erat, literas addiscentem viderat: eamque deperire ceperat. Neque, quod Rhenanus vult, pro *in Tabernis* scribendum *in Tabernaculis*, quasi vilius sit Tabernæ nomen, quàm ut Grammaticis conveniat; quos & illis temporibus Romæ nondum cognitos contendit. Sed & *Taberna* librariorum, argentariorum, medicorum dicuntur: nec minùs apertæ esse solent in foro, quàm Tabernàcula, ut qui in iis sunt, à prætergredientibus cerni ac notari possint (nisi utraque clausa sint): quo casu eo commeantes, aut inde exeuntes omnium oculis patent. Puellæ autem Ludimagister sufficit, nec Grammaticis opus. Satis est si literas noverit: *qu'elle sache lire & écrire*.

7. *Manum injecit*.] Qui rem apud Prætorem vindicabat & suam esse asserebat, injectâ manu apprehendebat: ex quo more est illud Paridis apud Ovidium:

Et dicam, mea sunt, injiciamque manum.

8. *Cunctantem vi abstracturum*.] Hic ut in superioribus intelligendum *dicens*, se per vim eam abducturum, si cunctaretur sequi.

9. *Assertor, nihil opus esse multitudine*.] Assertor hic vocatur M. Claudius qui asserebat, & vindicabat Virginiam in servitutem. Aliàs de eo dicitur qui vindicat in libertatem, & ante Justinianum non aliter ordinari poterat causa liberalis, quam per Assertorem, id est, nisi homo liber periculo suo causam susciperet pro eo de cujus statu agebatur: idque ideò ne fortè servus adversus dominum in judicio consisteret.

10. *Auctoribus qui aderant, ut sequeretur, ad Tribunal*.] Cum ii qui aderant

rant,

rant, ut ſequeretur. Ad tribunal Appii perventum eſt. notam judici fabulam petitor, [11] quippe apud ipſum auctorem argumenti, peragit, [12] *puellam domi ſuæ natam, furtoque inde in domum Virginii translatam, ſuppoſitam eſſe. Id ſe indicio compertum afferre: probaturumque vel ipſo Virginio judice, ad quem major pars injuriæ ejus pertineat. Interim dominum ſequi ancillam, æquum eſſe.* [13] Advocati puellæ, [14] quum *Virginium reip. cauſa* dixiſſent *abeſſe, biduo affuturum, ſi nunciatum ei ſit; iniquum eſſe, abſentem de liberis dimicare;* poſtulant, ut *rem integram in patris adventum differat. lege ab ipſo lata vindicias det ſecundum libertatem. neu patiatur virginem adultam, famæ prius, quam libertatis periculum adire.* Urb. cond. an. 304. Decemvir. an. 3.

XLV. Appius decreto præfatus, [1] *quam libertati faverit, eam ipſam legem*

NOTÆ.

puellæ ſuaderent, ut vocata, in jus de more iret: perventum eſt ad Tribunal Appii. Cæteraquæ conjicit, congeritque Sigonius, ipſeque Gronovius, nihil hic monet.

11. *Quippe apud ipſum auctorem argumenti.*] Totius ſanè fabulæ, ſive comœdiæ argumentum atque ordinem Appius concinnaverat. M. Claudius juſſa tantum exequebatur.

12. *Puellam domi ſuæ natam.*] Fingebat ex ancilla paterna apud ſe natam hanc puellam, atque ab ea ex compacto Numitoriæ, quæ nullos pariebat liberos, furtim traditam, à Numitoria pro ſua ſuppoſitam, & educatam. Ejus rei ad ſe paulò ante delatum indicium.

13. *Advocati puellæ.*] Propinqui vel amici qui puellam comitabantur. Hæc enim prima ejus nominis ſignificatio eſt, quod reus neceſſarios ſuos advocaret, ut ſibi periclitanti vel jus ſuggererent; vel certè gratiâ, præſentiaque ſuâ, opis aut favoris aliquid ad judices afferrent. Alii ergo *Advocati* ab oratoribus & cauſidicis, quamquam poſterioribus temporibus ad hos quoque tractum eſt advocatorum nomen.

14. *Cum Virginium reip. cauſa dixiſſent abeſſe.*] Certiſſima, æquiſſimaque excuſationis cauſa per leges eſt abſentia reip. cauſa, qualis proculdubio erat Virginii pro patria militantis. Quapropter cum jure Romano ſolus pater filiæfamilias idoneus eſſet defenſor, non immerito advocati Virginiæ rem differri poſtulabant: præſertim cum non ultra biduum differri peterent.

1. *Quam libertati faverit.*] Explananda nobis hæc Appii oratio, qua iniquitatem Decreti ſui tueri nititur. Præfatus primò ſe libertati faviſſe, idque vel ex ſua illa lege apparere, quæ adducatur ab amicis Virginii: deinde ſubdit *jus* ea lege conſtitutum, ſervari quidem in gratiam libertatis debere, utpote in univerſum æquitati conſentaneum. Verùm diſtinctione utendum, & cauſarum ac perſonarum varietate jus quoque variare. Legem, quâ cavetur Vindicias ſecundum Libertatem dari, de iis accipiendam eſſe, qui, quæve cum in ſervitute ſint, aſſeruntur in libertatem: hæc enim actio cuivis è populo patet; & is, cave de cujus ſtatu agitur, interim dum lis peragitur, ſui ipſius quaſi poſſeſſor habetur. At in hac facti ſpecie, cum in ſervitutem vindicetur puella, quæ in patris poteſtate eſſe dicitur, aliud obtinere. Hæc enim à ſolo patre defendi poteſt, qui ſi abſit, ut nunc Virginius; nullus eſt alius idoneus defenſor: nec æquum eſt ut dominus ejus corporis poſſeſſione alteri extraneo cedat. Poſt hanc præfationem pronunciavit Virginium accerſendum: interea verò actori præripiendum non eſſe jus ſuum, aut impediendum quominus puellam abducat, ea lege ut ſpondeat eam in jure ſiſti, atque exhiberi, ubi advenerit is qui pater dicitur. Sed præterquam quod generaliter ſcripta lex erat, favorabiliorque videtur cauſa ejus qui ex libertate capitur in ſervitutem, quàm ejus qui ex

Urb. cond. an. 304. Decemvir. an. 3.

declarare, quam Virginii amici poſtulationi ſuæ prætendant. Cæterum ita in ea firmum libertati fore præſidium, ſi nec cauſis, nec perſonis variet. In his enim quæ aſſerantur in libertatem, quia quivis lege agere poſſit, id juris eſſe: in ea quæ in patris manu ſit, neminem eſſe alium, cui dominus poſſeſſione cedat. Placere itaque patrem arceſſi. interea juris ſui jacturam aſſertorem non facere, quin ducat puellam, ſiſtendamque in adventum ejus, qui pater dicatur, promittat. Adverſus injuriam decreti quum multi magis fremerent, 2 quam quiſquam unus recuſare auderet; P. Numitorius, puellæ avunculus, & ſponſus Icilius, interveniunt. datæque inter turbam viâ, quum multitudo, Icilii maxime interventu reſiſti poſſe Appio crederet, 3 lictor *decreſſe* ait: vociferantemque Icilium ſummovet. Placidum quoque ingenium tam atrox injuria accendiſſet. *Ferro hinc tibi ſummovendus ſum, Appi*, inquit, *ut tacitum feras, quod celari vis. Virginem ego hanc ſum ducturus, nuptam pudicamque habiturus. Proinde omnes collegarum quoque lictores convoca, expediri virgas & ſecures jube: non manebit extra domum patris ſponſa Ilicii. Non, ſi tribunicium auxilium & provocationem plebi Romanæ, duas arces libertatis tuendæ, ademiſtis, ideo in liberos quoque noſtros conjugeſque regnum veſtræ libidini datum eſt. Sævite in tergum & in cervices noſtras, pudicitia ſaltem in tuto ſit. Huic ſi vis afferetur, ego præſentium Quiritium pro ſponſa, Virginius militum pro unica filia, omnes Deorum hominumque implorabimus fidem. neque tu iſtud unquam decretum ſine cæde noſtra referes. Poſtulo, Appi, etiam atque etiam conſideres, quo progrediare. Virginius viderit de filia, ubi venerit, quid agat. Hoc tantum ſciat, ſibi, 4 ſi hujus vindiciis ceſſerit, 5 condi-*

NOTÆ.

ſervitute in libertatem aſſeritur: certum eſt ex patris abſentia nihil detrahi patriæ potestati; atque in perſona Virginis, ob periculum pudoris, longè erat æquius poſſeſſionem corporis, re dubiâ, apud eum eſſe qui hactenus pater habitus eſſet, quàm apud eum, qui dominum ſe nunc primùm diceret, necdum probaſſet.

2. *Quam quiſquam unus recuſare auderet.*] Gronovius: *reclamare auderet.* Intelligi tamen poſſe agnoſcit, *id recuſare.* Poteſt & per Zeugma, optimis Græcis & Latinis Scriptoribus uſitatiſſimam figuram, ex præcedentibus *injuriam Decreti*, repeti vox *decretum*, ut ſit *decretum recuſare.*

3. *Lictor decreſſe ait.*] Id eſt, *decreviſſe ea de re Decemvirum*: atque ita poſt interpoſitum decretum, fruſtra Numitorium, Icilliumque advenire. Hos tamen ante decretum interveniſſe Dionyſius auctor eſt.

4. *Si hujus vindiciis ceſſerit.*] Si proſequutus non fuerit has filiæ Vindicias, vel potiùs ſi victus fuerit actione Vindiciarum à M. Claudio mota. Vindiciæ enim pro ipſa actione aliquando accipiuntur.

5. *Conditionem filiæ quærendam eſſe.*] Id eſt quærendum filiæ ſponſum. Conditio quippe ad conjugium ſæpe refertur: ſumiturque quaſi pro perſona paris conditionis, & quæ, ſpectatis omnibus adjunctis, ad nuptias cum aliquo aut aliqua ineundas idonea ſit; *un parti ſortable.* Innuit itaque Icilius, ſi ſervilis conditionis pronuncietur Virginia, ſe ejus conditione non uſurum, quæ ſolennia erant in renunciandis ſponſalibus verba, id eſt eam non ducturum uxorem.

tionem filiæ quærendam esse. me vindicantem sponsam in libertatem, vita citius deseret, quam fides. Urb. cond. an. 304. Decemvir. an. 3.

XLVI. Concitata multitudo erat, certamenque instare videbatur. Lictores Icilium circumstetérant: nec ultra minas tamen processum est. Quum Appius, *Non Virginiam defendi ab Icilio, sed inquietum hominem, & tribunatum etiam nunc spirantem, 1 locum seditionis quærere* diceret; *non præbiturum se illi eo die materiam: sed ut jam sciret, non id petulantiæ suæ, sed Virginio absenti & patrio nomini & libertati datum, jus eo die se non dicturum, 2 neque decretum interpositurum: à M. Claudio petiturum ut decederet jure suo, 3 vindicarique puellam in posterum diem pateretur. Quod nisi pater postero die affuisset, denunciare se Icilio similibusque Icilii, 4 neque legi suæ latorem, neque Decemviro constantiam defore: nec se utique collegarum lictores convocaturum ad coercendos seditionis auctores. contentum se suis lictoribus fore.* Quum dilatum tempus injuriæ esset, recessissentque advocati puellæ, placuit omnium primùm fratrem Icilii, filiumque Numitorii, impigros juvenes, pergere inde rectà ad portam; & quantum accelerari posset, Virginium accíri è castris. In eo verti puellæ salutem, si postero die vindex injuriæ ad tempus præsto esset. Jussi pergunt, citatisque equis nuncium ad patrem perferunt. 4 Quum instaret assertor puellæ, ut vindicaret, sponsoresque daret; atque b id ipsum agi diceret Icilius, sedulo tempus terens, dum præciperent iter nuncii missi in castra, 5 manus tollere undique multitudo, & se quisque paratum ad spon-

INTERPRETATIO.

a Se legislatorem *non desertúrum legem à se latam*: sed veram ejus sententiam tuiturum: *sibique* Decemviro *non defuturam animi firmitatem* summo magistratu dignam.

b *Icilius se hoc ipsum agere dixit*; ut sponsores nempe quæreret.

NOTÆ.

1. *Locum seditionis quærere.*] Gronovio videtur scripsisse Livius *seditioni*, quâ formâ dicitur *locum insidiis quærere*.

2. *Neque Decretum interpositurum.*] Vide cap. 47. verbo *Decrosse*.

3. *Vindicarique puellam in posterum diem pateretur.*] Volebat Appius ex interpretatione Budæi, atque aliorum permitti à M. Claudio ut puellæ darentur Vindiciæ secundum libertatem, eaque interim in libertatem asserereturt, & in possessione libertatis esset usque in posterum diem, quæ eam sisteret absque procrastinatione, quæ vera est, opinor, auctoris sententia: quamquam ita posset intelligi, ut sineret actor actionem quâ ipse puellam in servitutem vindicabat, in diem posterum differri.

4. *Cum instaret assertor puellæ.*] Assertorem hic vocat, ut antèà cap. 44. M. Claudium, qui Virginiam asserebat in servitutem; non L. Icilium, ut Glareanus putabat à Sigonio reprehensus. Sed cum eo die decretum se non interpositurum Appius dixisset, & consensu actoris permitteretur puella vindicantibus in libertatem, instabat M. Claudius, ut sibi ab Icilio, seu quo alio interim vindicante darentur sponsores sive fidejussores de puella postridie sistenda.

5. *Manus tollere undique multitudo.*] Multitudinis consensum elatis, protensisve à tota concione, aut ejus majori parte manibus indicari solitum nemo

Urb. cond. an. 304. Decemvir. an. 3.

dendum Icilio ostendere. Atque ille lacrimabundus, *Gratum est*, inquit, *crastina die vestra opera utar. sponsorum nunc satis est*. Ita vindicatur Virginia spondentibus propinquis. Appius paulisper moratus, ne ejus rei causa sedisse videretur; postquam [6] omissis rebus aliis, præ cura unius, nemo adibat, domum se recepit: collegisque in castra scribit, *ne Virginio commeatum dent, atque etiam in custodia habeant*. Improbum consilium serum, ut debuit, fuit: & jam commeatu sumpto profectus Virginius primâ vigiliâ erat, quum postero die mane de retinendo eo nequicquam literæ reddunturi.

XLVII. At in urbe, primâ luce, [1] quum civitas in foro expectatione erecta staret; [a] Virginius sordidatus, filiam suam obsoleta veste comitantibus aliquot matronis, [a] cum ingenti advocatione in forum deducit. Circumire ibi & prensare homines cœpit: & [b] non orare solum precariam opem, sed pro debita petere, *Se pro liberis eorum ac conjugibus quotidie in acie stare: nec alium virum esse cujus strenuè ac* [3] *ferociter facta in bello plura memorari possent*. [c] *Quid prodesse, si incolumi urbe, quæ captâ ultima timeantur, liberis suis sint patienda?* [4] Hæc propè concionabundus circumibat homines. Similia his ab Icilio jactabantur. comitatus mulicbris plus tacito fletu, quam ulla vox movebat. Adversus quæ omnia obstinato animo Appius (tanta vis amentiæ verius quam amoris mentem turbaverat) in tribunal ascendit: [5] & ultro querente pauca petitore, *quod jus sibi pridie* [d] *per*

INTERPRETATIO.

a *Magno comitatu advocatorum*, sive amicorum.

b *Non modo suppliciter rogare auxilium* tamquam *arbitrarium*, & precanti sibi ex mera illorum liberalitate, aut misericordia præstandum: *sed tamquam sibi* ab ipsis *debitum poscere*.

c *Nihil* hæc sibi *prodesse*, si quidem *liberi sui. salva* licet *civitate, pati cogantur extrema, qua timeri solent* urbe *captâ*.

d *Ex studio gratificandi plebi*.

NOTÆ.

nescit. Atque hic mos in eligendis quoque Episcopis diu inter Christianos valuit: unde Χειροθεσίαι apud Græcos nomen.

6. *Omissis rebus aliis pra cura unius.*] Omnes causam Virginiæ pro sua ducebant adeò ut huic uni intenti essent, & aliarum rerum suarum oblivisserentur.

1. *Cum civitas in foro.*] Vides aliud esse urbem, aliud civitatem. Urbis nomine propriè intelligimus ædificia mœnibus septa: civitas populum magis significat, & cives ipsos.

2. *Virginius sordidatus.*] Morem hunc mutandæ vestis, & lugubri ac squalido, cum amicis, habitu adeundi judices, usurpatum à reis jam notavimus.

3. *Ferociter facta.*] Mallem *fortiter facta* si vetusti libri patiantur. Virginius enim de se loquens, nescio an ferociam ipse suam honestè jactaret.

4. *Hæc propè concionabundus.*] Concionari aliquid pro eo quod est de re aliqua concionem habere, satis novum videri possit. Sed *hæc concionabundus* magis adhuc mirũ. Et tamen eodem loquendi genere utitur li. 5. ac 10. Dicit concionabundũ, pro eo qui concionantis more dicit, jactatve aliquid.

5. *Et ultro querente pauca petitore.*] Appius moræ impatiens, priusquam actor ipse M. Claudius postulationis suæ formulam peregisset; nec spatio patri dato pro filia contradicendi, id

ambitionem dictum non esset ; priusquàm aut ille postulatum perageret, aut Virginio respondendi daretur locus, Appius interfatur. Quem decreto sermonem prætenderit, [6] forsan aliquem verum auctores antiqui tradiderint, quia nusquam ullum in tanta fœditate decreti verisimilem invenio ; id quod constat, nudum videtur proponendum, [7] Decrevisse vindicias secundum servitutem. Primo stupor omnes admiratione rei tam atrocis defixit. silentium inde aliquandiu tenuit. Deinde [e] quum M. Claudius circumstantibus matronis iret ad prehendendam virginem, lamentabilisque eum mulierum comploratio excepisset ; Virginius intentans in Appium manus, *Icilio*, inquit, *Appi, non tibi filiam despondi : & ad nuptias, non ad stuprum educavi. Placet pecudum ferarumque ritu promiscue in concubitus ruere ? Passurine hæc isti sint, nescio.* [f] *non spero esse passuros illos, qui arma habent.* Quum repelleretur assertor virginis à globo mulierum, circumstantiumque advocatorum, silentium factum per præconem.

Urb. cond. an. 304. Decemvir. an. 3.

XLVIII. Decemvir [a] alienato ad libidinem animo, negat *ex hesterno tantum convicio Icilii, violentiaque Virginii, cujus testem populum Romanum habeat ; sed certis quoque indiciis compertum se ha-*

INTERPRETATIO.

e *Cum M. Claudius accederet ad virginem abducendam inter circumstantes matronas.*

f *Confido toleraturos non esse.*

a *Animo ab aliis omnibus rebus ad libidinem traducto.*

NOTÆ.

est, lite non contestata, paratos loqui interrumpit. Vide an *interfatur* accipiendum sit, pro *interdictum profert*.

6. *Forsan aliquem verum.*] Glareanus simplicius putat *tradiderunt :* Gronovius mavult cum veteribus *tradiderint*. Ego haud multùm interesse puto utro modo legatur. Cæterùm non ait absolutè Livius verum sermonem se nusquam invenisse ; sed verisimilem. Et Dionysius orationem refert, velut huic decreto ab Appio præmissam, quâ testem magis quàm judicem agens, dicit se jam olim, cum M. Claudii Tutor esset, compertum indicio habuisse hanc puellam ex pupilli ancilla natam ; atque ab uxore Virginii suppositam pro sua.

7. *Decrevisse vindicias secundum servitutem.*] Sigonio non placet illud *decrevisse vindicias :* cum veteres libri scribant *dedisse ;* & noster hoc genere loquendi sæpe usus sit, dixeritque semper, *dare vindicias*, nunquam *decernere*. Ait præterea se legendum putare *dare se*, nam tempus præsens, inquit, quæritur : quod mihi dubium fit ex superioribus ; non enim juris adeò erat ignarus Appius, ipse juris conditor primarius, ut ignoraret consistere non posse decretum parte alterâ inauditâ prolatum. Quare non videtur loqui de decreto quod nunc pronunciet : sed de eo quod pridie, audito petitore, auditis Virginiæ advocatis, protulerat. Nec obstat quod primo die decretum à se non interponendum denunciaverat. Etenim nec mirum esset si præ amoris impotentiâ sibi non constaret : & cum promiserat se decretum eo die non interpositurum, id de novo decreto post auditum Numitorium & Icilium non interponendo intellexisse potuit, non de revocando decreto, quod ante horum adventum pronunciaverat initio cap. 45. Porro *vindicias dare secundum servitutem*, vel *ab libertate*, idem est ac pronunciare interim pro servo habendum eum de cujus statu quæritur.

Urb. cond. an. 304. Decemvir. an. 3.

bere, nocte tota cœtus in urbe factos esse ad movendam seditionem. Itaque se haud insciam ejus dimicationis, cum armatis descendisse: non ut quemquam quietum violaret, sed ut turbantes civitatis otium, pro majestate imperii coërceret. Proinde quiesse erit melius. I, inquit, lictor, summove turbam; & da viam domino [1] ad prehendendum mancipium. Quum hæc intonuisset plenus iræ, multitudo ipsa se sua sponte dimovit, [b] desertaque præda injuriæ puella stabat. Tum Virginius, ubi nihil usquam auxilii vidit, Quæso, inquit, Appi, primum ignosce patrio dolori, si quid inclementius in te sum invectus: deinde sinas hic coram virgine nutricem percontari quid hoc rei sit. Ut si falso pater dictus sum, æquiore hinc animo discedam. Datâ veniâ, seducit filiam ac nutricem [2] prope Cloacinæ, ad [3] tabernas, quibus nunc Novis est nomen. atque ibi ab lanio cultro arrepto, Hoc te uno, quo possum, ait, modo, filia, in libertatem vindico. Pectus deinde puellæ transfigit: respectansque ad tribunal, Te, inquit, Appi, [4] tuumque caput sanguine hoc consecro. Clamore ad tam atrox facinus orto excitus Appius, comprehendi Virginium jubet: ille ferro, quacumque ibat, viam facere; donec, multitudine etiam prosequentium tuente, ad portam perrexit. Icilius Numitoriusque [5] exsangue corpus sublatum ostentant populo: scelus Appii, puellæ infelicem formam, necessitatem patris deplorant. Sequentes clamitant matronæ. Eamne liberorum procreandorum conditionem, ea pudicitiæ præmia esse? cæteraque quæ in tali re muliebris dolor, quo est mœstior imbecillo animo, eo miserabilia magis querentibus subjicit. Virorum & maxime Icilii [c] vox tota, tribuniciæ potestatis ac pro-

INTERPRETATIO.

b *Stabatque puella derelicta, velut præda ad injuriam expositæ.*

c *Tota illorum oratio spectabat ad Tribuniciam potestatem, &c.*

NOTÆ.

1. *Ad prehendendum mancipium.*] Prehendere, domini est servum abducturi; comprehendere lictorum reos vincire parantium.

2. *Prope Cloacinæ.*] Alia Romæ fuit *Cloacina Dea*, cujus effigies in Cloaca magna fuerat inventa: Alia *Venus Cluacina* à cluendo dicta quod est purgare, quia purgato à pugna exercitu, post compositum cum Romulo fœdus, à Tatio Sabinorum rege dedicata esset. Nam & eadem Venus armata dicebatur. Hujus templum in foro collocat Plinius lib. 15. idcirco de hac opinor accipiendus Livius, legendumque Cluacinæ. Nam Ædicula Cloacinæ in quinta urbis regione erat, cum fanum Romanum, in quo hæc gesta, fuerit in regione octava.

3. *Ad Tabernas, quibus Novis.*] Tabernæ Novæ, opinor, in vico Novo, ubi posterioribus quoque temporibus ludi literarii.

4. *Tuumque caput sanguine hoc consecro.*] Diis manibus devoveo. Tralatitia est consecratio, qua quis morti destinatur.

5. *Exsangue corpus sublatum ostentant populo.*] Vides in omnibus congruere hanc reip. mutationem ex cæde Virginiæ, cum ea quæ ex Lucretiæ cæde ante annos sexaginta contigerat: de qua cap. 59. lib. 1.

vocationis ad populum ereptæ, publicarumque indignationum, erat. Urb. cond. an. 304. Decemvir. an. 3.

XLIX. Concitatur multitudo partim atrocitate ſceleris, partim ſpe per occaſionem repetendæ libertatis. Appius nunc vocari Icilium, nunc detrectantem arripi. poſtremò, quum locus adeundi apparitoribus non daretur, ipſe cum agmine patriciorum juvenum per turbam vadens, in vincula duci jubet. Jam circa Icilium non ſolum multitudo, ſed duces quoque multitudinis erant, L. Valerius & M. Horatius; qui, repulſo lictore, [1] ſi jure ageret, vindicare ſe à privato Icilium ajebant: ſi vim afferre conaretur, ibi quoque ſe haud impares fore. Hinc atrox rixa oritur. Valerium Horatiumque lictor Decemviri invadit. Franguntur à multitudine faſces. [2] In concionem Appius aſcendit. Sequuntur Horatius, Valeriuſque: eos concio audit, Decemviro obſtrepitur. Jam [3] pro imperio Valerius diſcedere à privato lictores jubebat: quum fractis animis Appius, vitæ metuens, in domum ſe propinquam foro, inſciis adverſariis, capite obvoluto recepit. Sp. Oppius, ut auxilio collegæ eſſet, in forum ex altera parte irrumpit. videt imperium vi victum. [4] Agitatis deinde conſiliis, atque ex omni parte aſſentiendo multis auctoribus, trepidus, ſenatum poſtremo vocari juſſit. ea res, quod magnæ parti Patrum diſplicere acta Decemvirorum videbantur, ſpe per Senatum finiendæ poteſtatis ejus, multitudinem ſedavit. Senatus nec plebem irritandam cenſuit: & multo magis providendum, ne quid Virginii adventus in exercitu motus faceret.

L. Itaque miſſi juniores Patrum in caſtra, quæ tum [1] in monte Vecilio erant; nunciant Decemviris, *ut omni ope à ſeditione milites*

NOTÆ.

1. *Si jure ageret, vindicare ſe à privato Icilium.*] Privatum iterum hic vocant Appium Valerius & Horatius, quod eum pro magiſtratu non habebant, ut nec cæteros Decemviros, qua de re cap. 40. & 41. Cæterum privatus ſibi ipſi jus dicere non poteſt, aut quemquam auctoritate ac nutu proprio prehendere; ac ne rem quidem ſuam alteri per vim avellere: ſed horum omnium causâ eundum eſt ad magiſtratum; cujus ea juſſu & auctoritate fiant.

2. *In concionem Appius aſcendit.*] In ædem Vulcani, quo populum ad concionem evocavit: ſed pauci ſequuti ſunt: Nam Valerius cum ſuis alteram fori partem occupavit, oſtenſoque Virginiæ corpore majorem concionem congregavit.

3. *Pro imperio Valerius.*] At Valerius privatus erat, quo ergo jure pro imperio aliquid jubebat? Nempe in pari cauſa, & ex conſequenti inter duos privatos, potior eſt cauſa prohibentis. Et *pro imperio* jubere dici poteſt, ut quaſi imperium penes Valerium fuiſſet, ita ex rerum neceſſitate ſe gereret.

4. *Agitatis deinde conſiliis.*] Ita reponit Glareanus ex veteri, ut ait, libro. Sed quod editiones non paucæ habent *agitatus conſiliis*, id fortè non omnino reſpuendum. Significat enim varietate conſiliorum, quæ omni ex parte, & in omnem partem ingerebantur, agitatum & fluctuantem Oppium, initio aſſenſum iis omnibus quæ proponerentur, tandem eò deſcendiſſe, quod plures auctores ſuadebant, ut Senatum vocari juberet.

1. *In monte Vecilio.*] Nullum eo nomine montem extra hunc locum legi fatetur Glareanus, nec indicant alii. Opinor *in monte Algido* legendum, quod omnes auctores tradunt. Eutro-

Urb. cond. an. 304. Decemvir. an. 3.

contineant. Ubi Virginius majorem, quam reliquerat in urbe, [2] motum excivit. Nam præterquam quod [3] agmine prope quadringentorum hominum veniens, qui ab urbe indignitate rei accensi comites ei se dederant, conspectus est; [4] strictum etiam telum, respersusque ipse cruore tota in se castra convertit. & [5] togæ multifariam in castris visæ, majoris aliquanto quam erat, speciem urbanæ multitudinis fecerant: Quærentibus quid rei esset; flens diu [6] vocem non misit: tandem ut jam ex trepidatione concurrentium turba constitit, ac silentium fuit, ordine cuncta ut gesta erant, exposuit. [7] Supinas deinde tendens manus, commilitones appellans, orabat, *Ne, quod scelus Ap. Claudii esset, sibi attribuerent: neu se ut parricidam*

NOTÆ:

pius in primis post nostrum sup. cap. 44. Irrepsit in id nomen non absimile mendum in vulgatis Dionysii exemplaribus: legitur enim ἐν Λαγαδίῳ, in Lagadio, nam emendatiores ἐν Αλγιδῳ exhibent.

2. *Metum excivit*.] Tanto magis quod noctu in castra pervenit, cum lucernæ jam primum accensæ essent, militesque corpus curarent. Tenebræ autem horrorem quemdam seipsis injiciunt.

3. *Agmine prope quadringentorum veniens conspectus est*.] Auctor de Viris Illustribus ait Virginium corpus filiæ humeris gerentem ad exercitum profugisse: sed non facilè intelligas quâ ratione humeris deferri corpus per sexdecim milliaria intra paucas horas potuerit. Tantumdem enim Algidum Româ distabat, aut eo amplius. Verosimilius noster & Dionysius, Virginiæ corpore inter propinquorum manus relicto abliisse. Quod tamen Dionysius equo vectum Virginium in castra rediisse narrat, parum mihi videtur probabile, siquidem agmine prope 400. plebejorum comitatus venit.

4. *Strictum etiam telum, respersusque ipse cruore*.] Evaginatum cultrum intellige, quem ex lanionis Taberna Virginius rapuerat. Quamvis enim Telum inde dictum, quod τηλοῦσθαι, sive è longinquo vibretur, inspectâ origine ea tantùm complectatur quæ mittuntur manu; latiùs tamen sumpta, *Teli appellatione significatur & ferrum & fustis, & lapis, & denique omne quod nocendi causâ haberur*. Cætetum Sigonius vocem *tenens* hic desiderat, ut sit, *strictum etiam telum tenens*, sine qua nullum aptum sensum esse posse putat. Repugnat Robortellus, ostenditque absque ea voce constare sententiam. Duo enim administrationem militibus injecerunt: primò telum strictum, deinde ipse Virginius sanguine conspersus. Mihi elegantior videtur vulgaris sententia, quam post Robortellum Gronovius probat. In ea latet fortè figura quam Zeugma vocant: cum scilicet uni tantùm palàm tribuitur, quod ad plura trahi vult auctor. Hic ergo illud *respersus cruore*, quod dicitur de Virginio, nihil vetat de telo quoque intelligi, quasi Livius dixisset, *strictum etiam telum respersum cruore, & ipse respersus cruore Virginius*.

5. *Togæ multifariam in castris visæ*.] Urbanus Romanorum habitus Toga, quæ primis reipub. temporibus communis fuit vestis tam diurna, quam nocturna, virorum, & mulierum, Nonio, ac Servio testibus. Castrensis, Sagum, quod brevius, atque ad pugnandum accommodatius.

6. *Vocem non misit*.] Sic antiquum exemplar apud Rhenanum, alii *non emisit*, quod eodem recidit.

7. *Supinas deinde tendens*.] Misericordiam opemque implorantis est. Hinc apud Virgilium 2. Æneid.

——— *tendensque supinas*
Ad cælum cum voce manus.

libe-

liberûm averſarentur. Sibi vitam filiæ ſuâ chariorem fuiſſe, 8 ſi liberæ ac pudicæ vivere licitum fuiſſet. quam velut ſervam ad ſtuprum rapi videret, morte amitti melius ratum, 9 quam contumelia liberos: miſericordia ſe in ſpeciem crudelitatis lapſum. Nec ſe ſuperſtitem filiæ futurum fuiſſe, niſi ſpem ulciſcendæ mortis ejus in auxilio commilitonum habuiſſet. Illis quoque enim filias, ſorores, coniugeſque eſſe. nec cum filia ſua libidinem Appii Claudii extinctam eſſe; ſed quo impunitior ſit, eo effrenatiorem fore. Aliena calamitate documentum datum illis cavendæ ſimilis injuriæ, quod ad ſe attineat; uxorem ſibi fato ereptam: filiam, quæ non ultra pudica victura fuerit, miſerâ, ſed honeſtâ, morte occubuiſſe. Non eſſe jam Appii libidini locum in domo ſua. ab alia violentia ejus, eodem ſe animo ſuum corpus vindicaturum, quo vindicaverit filiæ. Cæteri ſibi ac liberis ſuis conſulerent. Hæc Virginio vociferanti inclamabat multitudo, *nec illius dolori, nec ſuæ libertati ſe defuturos.* Et immiſti turbæ militum togati, quum eadem illa querendo, docendoque quanto viſa quam audita indigniora potuerint videri: ſimul profligatam jam rem nunciando Romæ eſſe, 10 ſ infecutoſque qui Ap-

Urb. condit an. 304. Decemvir. an. 3.

NOTÆ.

8. *Si liberæ ac pudicæ vivere licitum fuiſſet.*] Sic ſanè meliùs, quàm quod Sigonius profert, *liberè ac pudicè*, ex libris manu quidem exaratis; ſed ut Gronovius affirmat, minùs veteribus, qui diphthongos plerunque non exhibent.

9. *Quam contumelia liberos.*] Negat ſumma cum ratione Gronovius hic deeſſe verbum *vivere*, quod Sigonius deſiderabat: neque enim id vulebat Virginius præſtare ſi morte amitterentur, quam ſi contumelia affecti vivcrent: ſed præſtare ſi avelleretur à parentibus morte, quam ſervitute, quæ in alterius poteſtatem eos non ſine contumelia transferret. Imo tolerabilius eſſe ſi filiam morte præcipiti, quam ſi infamia ſtupri pollutam pater cerneret. Sic enim non poteſt in numero liberorum haberi ab honeſto parente, cui honor familiæ vita charior.

10. *Infecutoſque qui Appium.*] Non placet Gronovio eos qui cum Virginio venerant, narrare ſecutos alios, qui referrent Appium iſſe exultatum, aliaque poſt diſceſſum Virginii acta: unde non abs re conjicit ſcripſiſſe Livium in nominativo *infecutique qui Appium*, &c ut hominum in caſtra ex urbe profectorum genera duo rectiùs diſtinguantur: atque ad priores, qui cum Virginio advenerint, referatur pars longioris hujus periodi prior: hæc ad poſteriores. Sed qua ratione fieri potuit, ut Virginius & primi ejus comites, actum de Decemviris eſſe nuntiarent: cum illis diſcedentibus Appius pro tribunali ſederet armatis ſeptus, nemine adhuc ſeditionem apertè movente: niſi quod res & vota ſua ſolent homines in majus etiam cum mendacio extollere. Tentabam, num detracta conjunctione *que*, & poſteriore periodi parte, (à particulâ *ſimul*) relata ad eos qui ultimo loco advenerant, res ſic explicari poſſet, ut *infecuti qui Appium prope interemptum, in exilium abiiſſe dicebant*; iidem *ſimul profligatam jam rem nunciando* poſt alios, qui ſuperiora lamentabantur, *perpulerunt milites, ut ad arma conclamarent*. Quod ſi cui retinenda videtur conjunctio illa, poterit adhuc levi mutatione ſic non incommode ſcribi: *ſimul profligatam jam rem nunciatæ Romæ eſſe, infecutiſque qui Appium*, &c. *dicerent*. Tritum enim noſtro ut ea loquendi figurâ utatur, *nunciato*, pro *cum nunciatum eſſet*. Sed nec omnia quæ hic narrantur, iis adſcribi poſſe negaverim, qui primi in caſtra pervenere. Quidni enim diverſis temporibus digreſſi eo

Urb. cond. an. 304. Decemvir. an. 3.

pium prope interemptum in exilium abiiſſe dicerent; perpulerunt, ut ad arma conclamaretur, 11 vellerentque ſigna, & Romam proficiſcerentur. 12 Decemviri, ſimul iis quæ videbant, iiſque quæ acta Romæ audierant, perturbati; aliis in aliam partem caſtrorum ad ſedandos motus diſcurrunt. & leniter agentibus reſponſum non redditur. 13 imperium ſi quis inhiberet, *& viros, & armatos ſe eſſe*, reſpondetur. Eunt agmine ad urbem, & 14 Aventinum inſidunt; ut quiſque occurrerat, plebem *ad repetendam libertatem, creandoſque tribunos plebis* adhortantes, alia vox nulla violenta audita eſt. Senatum Sp. Oppius habet: nihil placet aſpere agi. quippe ab ipſis datum locum ſeditionis eſſe. Mittuntur tres legati Conſulares, Sp. Tarpejus, C. Julius, P. Sulpicius, qui quærerent [a] Senatus verbis, cujus juſſu caſtra deſeruiſſent? aut quid ſibi vellent, qui armati Aventinum obſediſſent, belloque averſo ab hoſtibus, patriam ſuam cepiſſent? Non defuit quid reſponderetur: deerat qui daret reſponſum; nullo dum certo duce, nec ſatis audentibus ſingulis [b] invidiæ ſe offerre. id modo à multitudine conclamatum eſt, *ut L. Valerium, & M. Horatium ad ſe mitterent. his ſe daturos reſponſum.*

LI. Dimiſſis legatis, admonet milites Virginius, *in re non maxima paulo ante [a] trepidatum eſſe, quia ſine capite multitudo fuerit: reſponſumque quamquam non inutiliter, fortuito tamen magis conſenſu, quam communi conſilio eſſe. Placere decem creari, qui ſummæ rei præeſſent, militarique honore tribunos militum appellari.* Quum ad eum ipſum primum his honos deferretur, *Melioribus meis veſtriſque re-*

INTERPRETATIO.

a *Nomine Senatus.*
b *Objicere ſe odio* patriciorum.
a *Eos titubaſſe.*

NOTÆ.

ſimul pervenire potuerint? Quidni pauci quidam ea ipſa de cauſa inſecuti, ut Appii fugam nunciarent, poſtquam citatis equis poſtremum agmen præcedentium aſſecuti erant, reſpiraturi ex fatigatione locum aliis dederint nunciandi per caſtra quæ ab illis audiſſent?

11. *Vellerentque ſigna.*] Manifeſtum ſeditionis indicium fixa in caſtris ſigna militaria injuſſu ducis evellere, quæ nec niſi captatis auguriis evelli mos erat.

12. *Decemviri, ſimul*, &c.] M. Cornelius, aliique ejus collegæ quatuor, qui exercitui adverſus Æquos præerant apud Algidum.

13. *Imperium ſi quis inhiberet.*] Ecce iterum *inhiberet* ſenſu parum uſitato. Eſt enim ſenſus. Si Decemvirorum aliquis vellet *imperium adhibere*, ac pro imperio agere.

14. *Aventinum inſidunt.*] Hic mons nondum totus ædificiis occupatus erat: ibi arma poſuere circa ædem Dianæ. Hæc autem in Aventinum ſeceſſio plebis ſecunda, annis ſexaginta poſt fugatos Reges, tribus & quadraginta poſt primam contigit: diciturque ſeceſſio in Aventinum, ab eo loco quem primum armata plebs inſedit, & in quem poſt partâ concordiâ rediit, quamvis poſteâ inde in Sacrum montem extra urbem tranſgreſſa fuerit, ut mox dicetur cap. 52.

bus reſervate, inquit, [b] *iſta de me judicia. Nec* [1] *mihi filia inulta honorem ullum jucundum eſſe patitur; nec in perturbata republica eos utile eſt præſſe vobis, qui proximi invidiæ ſint.* [c] *Si quis uſus mei eſt, nihilo minor ex privato capietur.* Ita decem numero tribunos militares creant. Neque in Sabinis quievit exercitus. ibi quoque auctore Icilio Numitorioque, [d] ſeceſſio ab Decemviris facta eſt; non minore motu animorum [2] Siccii cædis memoriâ revocatâ, quam quem nova fama de Virginia adeo fœde ad libidinem petita, accenderat. Icilius ubi audivit tribunos militum in Aventino creatos, [3] ne comitiorum militarium prærogativam urbana comitia iildem tribunis plebis creandis ſequerentur; peritus rerum popularium, imminenſque ei poteſtati, & ipſe prius quàm iretur ad urbem, [4] pari poteſtate eundem numerum ab ſuis creandum curat. Porta Collina [5] urbem intravere ſub ſignis, mediaque urbe agmine in Aventinum pergunt. ibi conjuncti alteri exercitui, viginti tribunis militum negotium dederunt, ut ex ſuo numero duos crearent, qui ſummæ rerum præeſſent. [6] M. Oppium, Sex. Manilium creant. Patres ſolliciti de ſumma rerum, [e] quum Senatus quotidie eſſet, jurgiis ſæpius terunt tempus quam conſiliis. Siccii cædes Decemviris, & Appiana libido, & dedecora militiæ objiciebantur. Placebat Valerium Horatiumque ire in Aventinum, illi negabant

Urb. cond. an. 304. Decemvir. an. 3.

INTERPRETATIO.

b *Bonam hanc de me opinionem, qua me dignum tanto honore judicatis.*
c *Si uſui vobis eſſe poſſum.*
d *Milites à Decemviris (ducibus ſuis) ſeceſſerunt.*
e *Cum haberetur quotidie Senatus.*

NOTÆ.

1. *Mihi filia inulta.*] Aliàs, *Filia, invita honorem ullum*, &c. correxit feliciter Schottus ex veteri libro. Sic quippe Virginius honores non in perpetuum recuſat: ſed id exigi quodammodo à filiæ manibus oſtendit, ut donec vindictam de illius injuria ceperit, omni honore abſtineat.

2. *Siccii cædis memoriâ revocatâ.*] *Revocata* idem eſt ac renovata, repetita. Sic lib. 3. *Nec præſens omnium modò effuſa lætitia eſt, ſed per multos dies gratis & cogitationibus & ſermonibus revocata.*

3. *Ne comitiorum militarium prærogativam.*] *Prærogativa* hic præjudicium ſignificat, ſive judicium eorum qui primi rogantur ſententiam: *un préjugé.* Itaque ne cum creandi eſſent poſteà decem tribuni plebis, comitia urbana ſequeretur judicium comitiorum per tumultum à militibus illis habitorum, & ſic excluderentur à Tribunatu plebis qui aberant, atque ipſe in primis Icilius, qui huic magiſtratui inhiabat; dedit operam ut ab hoc altero exercitu Fidenis adveniente totidem Tribuni militares eligerentur: etſi hic poſterior exercitus impar eſſet legionum numero.

4. *Pari poteſtate.*] Ut ſummæ rerum præeſſent quemadmodum alii decem, & res adminiſtrarent; atque adhibitis in conſilium centurionibus communia negotia tractarent.

5. *Urbem intravere ſub ſignis.*] Diſtincti in legiones & manipulos, ſigna quiſque ſua ſecuti. Nos hodie diceremus, *tambour battant. enſeignes deployées.*

6. *M. Oppium, Sex. Manilium creant.*] Illum ex eo exercitu qui ab Algido, hunc ex eo qui Fidenis advenerat. Hic Oppius diverſus à Sp. Oppio Decemviro, qui à Collegis cum Appio Claudio relictus fuerat ut urbi invigilaret.

Urb. cond. an. 304. Decemvir. an. 3.

se aliter ituros, quam si Decemviri deponerent insignia magistratus ejus, 7 quo anno jam ante abissent. Decemviri querentes se in ordinem cogi, non ante quam perlatis legibus, quarum causa creati essent, deposituros imperium se ajebant.

LII. 1 Per M. Duilium, qui tribunus plebis fuerat, certior facta plebs, contentionibus assiduis 8 nihil transigi, in Sacrum montem ex Aventino transit: affirmante Duilio *non prius quam deseri urbem videant, curam in animos Patrum 2 descensuram. admonsturum Sacrum montem constantiæ plebis. 3 scituros, quàm sine 4 restituta potestate redigi in concordiam res nequeant.* 5 Via Nomentana, cui tum Ficulnenti nomen fuit, profecti castra in monte Sacro locavere; modestiam patrum suorum, nihil violando, imitati. Secuta exercitum plebs, nullo qui per ætatem ire posset, 6 retractante. Prosequuntur conjuges liberique, *cuinam se relinquerent in ea urbe, in qua nec pudicitia, 7 nec libertas sancta esset*, miserabiliter rogitantes. Quum vasta Romæ omnia insueta solitudo fecisset, in foro præter paucos seniorum nemo esset, vocatis utique in senatum Patribus, desertum ap-

INTERPRETATIO.

8 *Nihil perfici.*

NOTÆ.

7. *Quo anno jam antè abissent.*] Aut abire debuerant, finito nimirum tempore. Alterum hunc esse locum notat Glareanus, quo convincitur rectè ab ipso annum tertium Decemvirorum in Chronologia sua sejunctum fuisse ab eo anno, quo L. Valerius & M. Horatius Consules fuere. Verùm ut anni partem sub eorum imperio exactam certum mihi videtur: ita totum annum tertium eos impleviſse non puto. Quod autem Tacitus initio Annalium, ait, Decemviralem potestatem non ultra biennium valuisse; & quod Rufus Festus sub initium Breviarii, Consules defuisse sub Decemviris annis duobus affirmat: de solidis atque integris annis accipi debet.

1. *Per M. Duilium.*] Alius is fuit à Cæsone Duilio Decemvirо, licet uterque plebejus.

2. *D scensuram.*] Id est, *penetraturam.* Loquendi forma post Ciceronem, ni fallor, nata: quâ res in animum *descendere* dicitur, pro eo quod est pervadere, imbibi, penitùs infigi.

3. *Scituros, quàm sine restituta potestate.*] Rectè sic legendum conjecit Rhenanus, non ut vulgò *scituros quod sine restituta potestate.* Nam illud *scio quod* auctorum ejus ævi non esse, quis cum Fr. Sanctio non videt? Mss. habent *scituros que sine restituta potestate*, &c. quod inspecto sensu stare potest: potest etiam librariorum incuriâ irrepsisse pro *scituros quàm*, &c. pro *scituros que.*

4. *Restituta potestate.*] Cum de rebus plebis agitur, Potestatis nomine significatur Tribunicia; eamque hic intelligit Duilius qui jam antea eandem gesserat. Sic lib. 4. ad Tribunos dicitur, *præclarum ipsis potestatique fore.*

5. *Via Nomentana.*] Via qua ad Sacrum montem ibatur, à portâ Viminali, Ficuleam primùm, deinde Nomentum ducebat, unde & Nomentana, & Ficulensis dicta, seu *Ficulnensis.*

6. *Retractante.*] Dicitur *retractare* pro *detrectare, recusare*: ut ex Columella, ipsoque Cic. probat Gronov. ad cap. 49. hujus libri.

7. *Nec libertas sancta esset.*] Sanctam dicit pro tuta & inviolata: quandoquidem sanctæ res dicuntur quæ sanctione aliqua, & pœna in violatores cõstituta, munitæ sunt

paruiſſet forum ; [8] plures jam quam Horatius & Valerius vociferabantur, *Quid expectabitis, Patres Conſcripti ? Si Decemviri finem pertinaciæ non faciunt, ruere ac deflagrare omnia paſsuri eſtis ? Quod autem iſtud imperium eſt, Decemviri, [b] quod amplexi tenetis ? Telis ac parietibus jura dicturi eſtis ? Non pudet fictorum veſtrorum majorem prope numerum in foro conſpici, quam togatorum aliorumque ? Quid ſi hoſtes ad urbem veniant, facturi eſtis ? quid ſi plebs mox, ubi parum ſeceſſione moveamur, armata veniat ? Occaſione urbis vultis finiri imperium ? Aequi aut plebs non eſt habenda, aut habendi ſunt tribuni plebis. Nos citius caruerimus patriciis magiſtratibus, quam illi plebeiis. Novam inexpertamque eam poteſtatem eripuere patribus noſtris, [9] ne nunc dulcedine ſemel capti ferant deſiderium. quam præſertim [c] nec nos temperemus imperiis, quo minus illi auxilii egeant.* Quum hæc ex omni parte jactarentur, victi conſenſu Decemviri, [d] *futuros ſe, quando ita videatur, in poteſtate Patrum* affirmant. Id modo [10] ſimul orant ac monent, *ut ipſis ab invidia cavetur : nec ſuo ſanguine ad ſupplicia Patrum plebem aſſuefaciant.*

Urb. cond. an. 304. Decemvir. an. 3.

LIII. Tum Valerius Horatiuſque miſſi ad plebem, conditionibus, quibus videretur, revocandam, componendaſque res. Decemviris quoque ab ira & impetu multitudinis præcavere jubentur. Profecti, gaudio ingenti plebis in caſtra accipiuntur : quippe liberatores haud dubie & motus initio, & exitu rei. Ob hæc iis advenientibus gratiæ

INTERPRETATIO.

b *Cui retinendo obſtinatè inhæretis.*

c *Et nos* patricii *non* ita *nobis temperemus* in *adminiſtrandis publicis dignitatibus, ut plebeii non indigeant ope* tribunorum.

d *Senatus arbitrio ſe ſtaturos*, juſſiſve obtemperaturos.

NOTÆ.

8. *Plures jam quam Horatius & Valerius vociferabantur.*] Videamus num hic ſubintelligendum ſit, *magis, aut gravius quàm Horatius.* Aliàs *plures quàm Horatius & Valerius* mihi frigidius dictum videtur : quid enim mirum ſi in rebus adeò turbatis, ne dicam deploratis, vociferentur plures quam duo ? Imo non duo, treſve, ſed quampluri mi, ſed Senatores univerſi hos clamores edebant.

9. *Ne nunc dulcedine ſemel capti, ferant deſiderium.*] Non vulgari ſed Latinâ tamen formâ *ne* dixit, pro *nedum*. Vult enim tantum abeſſe ut plebs Tribuniciæ poteſtatis jam expertæ, & cujus dulcedine capitur, deſiderium ferre poſſit impoſterum : ut nec potuerit anteà impediri, quo minùs nondùm cognitam extorqueret Senatui. Quam ſententiam Gronov. obſervat à Livio expreſſam eſſe ex Cicerone lib. 3. de Legibus : *Senſit enim deberi non poſſe huic civitati illam poteſtatem : quippe quàm tantopere populus noſter ignotam expetiſſet, qui poſſet carere cognitâ ?*

10. *Simul orant ac monent.*] Eodem tempore quo promittunt ſe abdicaturos, hanc legem adjiciunt, & orantes ſua ipſorum, & monentes omnium patriciorum causâ ; ut in concordia ineunda cautio interponatur, qua & ipſi nunc, & ordo univerſus in futurum à plebe jorum odio atque injuria tuti ſint : alioqui ſuum exitium exemplo adverſus reliquos futurum.

Urb. cond. an. 304. Decemvir. an. 3.

actæ. 1 Icilius pro multitudine verba facit. Idem, quum de conditionibus ageretur, quærentibus legatis quæ postulata plebis essent; composito jam ante adventum legatorum consilio ea postulavit, *ut appareret in æquitate rerum plus quam in armis reponi spei. Potestatem enim tribuniciam provocationemque repetebant; quæ ante Decemviros creatos auxilia plebis fuerant. & ne cui fraudi esset, concisse milites aut plebem ad repetendam per secessionem libertatem.* De Decemvirorum modo supplicio atrox postulatum fuit. Dedi quippe eos æquum censebant, vivosque igni concrematuros minabantur. Legati ad ea: 2 *Quæ consilii fuerunt, adeo æqua postulastis, ut ultro vobis deferenda fuerint. libertati enim ea præsidia petitis, non licentiæ ad impugnandos alios.* 3 *Iræ vestræ magis ignoscendum, quam indulgendum est. quippe qui crudelitatis odio in crudelitatem ruitis: & prius pene quam ipsi liberi sitis, dominari jam in adversarios vultis. Numquamne quiescet civitas nostra à suppliciis, aut Patrum in plebem Romanam, aut plebis in Patres? Scuto vobis magis, quam gladio opus est. Satis superque humilis est, qui jure æquo in civitate vivit, nec inferendo injuriam, nec patiendo. Etiam, si quando metuendos vos præbituri estis, quum recuperatis magistratibus, legibusque vestris, judicia penes vos erunt, de capite nostro fortunisque: tunc, ut quæque causa erit, statuetis. nunc libertatem repeti, satis est.*

LIV. Facerent ut vellent permittentibus cunctis, *mox reditaros se legati rebus perfectis* affirmant. Profecti quum mandata plebis Patribus exposuissent; alii Decemviri, quandoquidem præter spem ipsorum supplicii sui nulla mentio fieret, haud quicquam abnuere. Appius truci ingenio, & invidiâ præcipua, odium in se aliorum suo in eos metiens odio, 1 *Haud ignaro*, inquit, *imminet fortuna. Video donec arma adversariis tradantur, differri adversus nos certamen.* a *dandus invidiæ est sanguis. Nihil ne ego quidem moror, quo minus*

INTERPRETATIO.

a *Deponenda* mihi *vita est*, ut *odio* publico *satisfiat*,

NOTÆ.

1. *Icilius pro multitudine verba facit.*] Quid ita Icilius, cum non ille, sed M. Oppius & Sex. Manilius summæ rei præessent? nimirum facundia pollens jussus est ab aliis loqui.

2. *Quæ consilii fuerunt.*] Legati Patriciorum dividunt plebejorum postulata in duo genera, alia quæ ad ipsorum securitatem pertineant, concedi æquum putant, veluti sano consilio & jure petita: alia ex ira in Decemviros profecta rejiciunt.

3. *Iræ vestræ magis ignoscendum, quàm indulgendum est.*] Nota discrimen inter hæc duo verba: *Ignoscere* est veniam dare & remittere, non permittere: *Indulgere* est concedere atque obsequi.

4. *Scuto vobis magis, quàm gladio opus est.*] Satis vobis plebeiis esse debet si habeatis Pacis conditiones quibus velut clypeo quodam tuti ab impetu adversariorum esse possitis: nec necesse est ut ea obtineatis quibus velut ense, alios queatis lædere, atque offendere.

1. *Haud ignaro, inquit, imminet fortuna.*] Sic veteres editiones, & MSS.

Decemviratu abeam. Factus ſenatusconſultum, *Ut Decemviri ſe primo quoque tempore magiſtratu abdicarent*. [2] *Q. Furius* [3] *Pontifex maximus tribunos plebis crearet: &* [b] *ne cui fraudi eſſet ſeceſſio militum plebiſque*. His ſenatusconſultis perfectis, dimiſſo ſenatu Decemviri prodeunt in concionem, abdicantque ſe magiſtratu, ingenti hominum lætitia. Nunciantur hæc plebi. legatos quicquid in urbe hominum ſupererat, proſequitur. Huic multitudini læta alia turba ex caſtris occurrit. congratulantur libertatem concordiamque civitati reſtitutam. Legati pro concione: *Quod bonum, fauſtum, felixque ſit vobis, reique publicæ, redite in patriam ad penates, coniuges liberoſque veſtros: ſed qua hic modeſtia fuiſtis, ubi nullius ager in tot uſurarum neceſſario tantæ multitudini eſt violatus; eam modeſtiam ferte in urbem. in Aventinum ite, unde profecti eſtis. Ibi felici loco, ubi prima initia inchoaſtis libertatis veſtræ, tribunos plebis creabitis. præſto erit* [3] *pontifex maximus, qui comitia habeat*. ingens aſſenſus alacritaſque cuncta approbantium fuit. [4] Convellunt inde ſigna, profectique Romam certant cum obviis gaudio. armati per urbem ſilentio in Aventinum perveniunt. ibi extemplo, pontifice maximo comitia habente, tribunos plebis creaverunt, omnium primum, [5] A. Virginium, inde L. Icilium, & P. Numito-

Urb. cond. an. 304. Decemvir. an. 3.

INTERPRETATIO.

b *Ne cuiquam noceret*.

NOTÆ.

quomodo paulò antè, *haud ignari quanta invidia immineret tempeſtas*. Fruſtra itaque recentiores habent, *haud ignavo*: quod jactabundi eſt: illud fortis & impavidi.

2. *Quintus Furius*.] Aſconius hunc Pontificem nominat M. Papirium; idque Sigonio probatur, quod Q. Furii nulla per hos annos mentio, M. Papirii multa.

3. *Pontifex maximus*.] Poſt abdicationem Decemvirorum, cum nulli eſſent magiſtratus quibus auctoribus Tribuni plebis creari poſſent; ejus rei facultas extra ordinem Pontifici maximo delata eſt, quem Dionyſius non ſolum maximarum rerum, quæ ad ſacra & religionem pertinerent judicem, ſed & vindicem contumaciæ privatorum, ac magiſtratuum à Numa conſtitutum: Feſtus Judicem atque Arbitrum rerum divinarum, atque humanarum fuiſſe tradit. Et verò eum qui ſummum gereret Pontificatum alios prius majores magiſtratus geſſiſſe oportebat, uti Sigonius advertit. Porrò auctoritatem Pontificum probat quod eorum collegium alloquens Cicer. in Orat. pro domo ſua, *eoſdem*: ait, *& religionibus Deorum immortalium, & ſumma reip. præfuiſſe*, in quibuſdam ſcilicet.

4. *Convellunt inde ſigna*.] Retinenda Gronovio videtur vetus hæc lectio adverſus Rhenanum cui placebat, *convertunt inde ſigna*. *Convelli ſigna* proprie dicuntur, cum incipiunt moveri e ſtativis ubi fixa fuerant, ut nunc in monte Sacro: *converti* autem cum jam ſublata ſunt, vel in via retrocedendum eſt, vel in acie ab una in aliam partem incumbēdum in hoſtes; quod pluribus exemplis ab Gronov. firmatur.

5. *A. Virginium, inde L. Icilium*.] Virginius hic idem procul dubio fuit de quo ante, nimirum pater Virginiæ, ut Icilius ſponſus, Numitorius avunculus, qui tres auctores fuere ſeceſſionis. Erratum igitur hic in prænomine Virginii, quem & Livius ſupra cap. 44. & Dionyſius *Lucium* vocant, non *Aulum*,

Urb. cond. an. 304. Decemvir. an. 3.

Virginiæ, auctores ſeceſſionis : tum [6] C. Sicinium, progeniem ejus, quem primum tribunum plebis creatum in Sacro monte, proditum memoriæ eſt : & M. Duilium, qui tribunatum inſignem ante Decemviros creatos geſſerat, [7] nec in Decemviralibus certaminibus plebi defuerat. Spe deinde magis quam meritis electi, M. Titinnius, M. Pomponius, C. Apronius, [8] P. Villius, C. Oppius. Tribunatu inito L. Icilius, extemplo plebem rogavit, & plebs ſcivit, *ne cui fraudi eſſet ſeceſſio ab Decemviris facta*. Conſeſtim de Conſulibus creandis cum provocatione M. Duilius rogationem pertulit. ea omnia in pratis Flaminiis concilio plebis acta, quem nunc Circum Flaminium appellant.

LV. [1] Per Interregem deinde Conſules creati, [2] L. Valerius, & M. Horatius. qui extemplo magiſtratum occeperunt : quorum Conſulatus popularis [3] ſine ulla Patrum injuria, nec ſine offenſione fuit. quicquid enim libertati plebis caveretur, id ſuis

NOTÆ.

6. *C. Sicinium, progeniem ejus.*] C. Sicinius Bellutus auctor primæ ſeceſſionis, & inter primos quinque Tribunos electus fuerat ſub an. urbis conditæ 261. quemadmodum adnotavimus ad lib. 2. cap. 31. & 33. Ejus hic filius, aut nepos.

7. *Nec in Decemviralibus certaminibus plebi defuerat.*] Nam & ſecedendi extra urbem paulò antè auctor fuerat ſuprà initio cap. 52.

8. *P. Villius.*] Ex conjectura Sigonii eſt, cum vulgo legeretur *Ap. Julius*. Appii quippe nomen non probat niſi in Sabinis, qualis App. Herdonius, aut Romanis ex Sabinorum gente ortis, ut in Claudiis. Julia verò gens, & Patricia eſt, & ſic per hæc tempora tribuniciæ poteſtatis expers; & nunquam Appii prænomine uſa. At gens *Villia* plebeja, eique Publii prænomen familiare : Et *Villium* nomen per Librariorum inſcitiam ſæpiùs in *Julium*, ac vice verſâ mutatum deprehenditur. Meminiſſe tamen oportet non rarò patriciorum Libertos & clientes in patronorum nomen aſcitos, & ita fieri potuiſſe ut aliqui jam tum Julii plebei eſſent.

1. *Per interregem deinde Conſules creat.*] Cur non referente Pontifice maximo, qui jam comitiis tribuniciis præfuerat? An quia Interregem Senatus dicebat, Pontifex maximus ex Collegio Pontificum à populo tributis comitiis deligebatur: idcircò auctore quidem Pontifice plebejos magiſtratus paribus comitiis creari paſſi ſunt Senatores : Conſules non ſunt paſſi, aut non licebat, quòd hi majoribus ſive centuriatis comitiis crearentur.

2. *L. Valerius, & M. Horatius.*] Ille filius erat Valerii, qui Herdonium oppugnans occubuerat, nepos P. Valerii Poplicolæ qui reges expulerat : hic M. Horatii, qui cum Poplicola adverſus reges bellaverat, nepos. Sed quo tempore conſulatum inierint, & quandiu geſſerint non ſatis liquet. Ego Sigonii & Onuphrii ſententiæ facilè acceſſerim, qui ejuſdem anni, quarti nimirum à S. Quintilii, & P. Horatii Conſulatu partem majorem Decemviris, reliquam his Conſulibus aſſignant. Id maximè ſuadet tum adverbia *conſeſtim*, & *extemplo*, quibus ſignificatur, ni fallor, hos conſules magiſtratum extra ordinem, & ante diem inchoaſſe ; tum etiam eorumdem triumphi in eum annum conjecti ab auctoribus Capitolinis.

3. *Sine ulla patrum injuria, nec ſine offenſione.*] Injuriam quidem hi Conſules Senatui non fecerunt, cum plebi priſtinum tantum jus reſtituerint, nihil novi attribuerint : incurrerunt tamen odium Senatus, cui dolebat plebeiis reddi ereptam Decemvirorum operâ Tribuniciam poteſtatem, ac provocationem à Conſulibus ad populum.

decedere opibus credebant: Omnium primum; 4 quum veluti in controverſo jure eſſet, tenerenturne Patres plebiſcitis; legem centuriatis comitiis tulere, *Ut quod* a 5 *tributim plebes juſſiſſet, populum teneret*. qua lege tribuniciis rogationibus telum acerrimum datum eſt. Aliam deinde conſularem legem de provocatione, unicum præſidium libertatis, decemvirali poteſtate everſam, non reſtituunt modò, ſed etiam in poſterum munitur; 6 ſanciendo novam legem, 7 *Ne quis ullum magiſtratum ſine provocatione crearet. qui creaſſet, eum jus faſque eſſet occidi:* b *neve ea cædes capitalis noxæ haberetur.* Et quum plebem hinc provocatione, hinc tribunicio auxilio ſatis firmaſſent: *ipſis quoque tribunis ut ſacroſancti viderentur* (cujus rei prope jam memoria aboleverat) relatis quibuſdam ex magno intervallo cærimoniis, 8 renovarunt. & quum religione inviolatos eos, tum lege etiam fecerunt; ſanciendo, *Ut qui* 9 *tribunis plebis, ædili-*

Urb. cond. an. 304. Coſſ. L. Valer. & M. Horat.

INTERPRETATIO.

a *Ut quod plebs tributis comitiis ſanxiſſet, eo populus adſtringeretur univerſus,*

b *Ut ne homicidium ejuſmodi haberetur pro crimine capitali.*

NOTÆ.

4. *Quum veluti in controverſo jure eſſet.*] Negabant hactenus patricii ſervandis plebiſcitis ſe obſtrictos, quæ à Tribunis ferrentur Tributis comitiis: non enim ſe teneri niſi iis legibus, quas Patricio Magiſtratu rogante, univerſus populus conſtituiſſet. Contra plebeii contendebant, quandoquidem ipſi ſervabant leges latas centuriatis comitiis in quibus validiores eſſent patricii: ita æquum eſſe ut patricii eas ſervarent quæ ferrentur comitiis tributis, in quibus ipſi plus poſſent.

5. *Tributim plebes juſſiſſet.*] Conſtitutum itaque referente Horatio Conſule, ut impoſterum plebiſcitorum quoque jure Patricii tenerentur. Quæ tamen lex obſervata non fuiſſe videtur, cum longo poſt tempore, id eſt an. u. c. 415. ea lex à Publilio Philone Dictatore renovata ſit, Livio teſte lib. 8. c. 12. quod indicio eſt minùs tunc in uſu fuiſſe. Quin adhuc anno 468. ſedandæ tertiæ, in Janiculum, ſeceſſioni, opus fuit ab Hortenſio Dictatore legem tertiò ferri, quâ caveretur ut plebiſcita pro legibus ab omnibus obſervarentur, auctore Plinio lib. 16. cap. 10. aliiſque.

6. *Sanciendo novam legem.*] Legi vult Sigonius *novâ lege*, cujus eadem vis. Ei adverſari nolim; quamquam nihil eſt, quod alterum illud reprehendamus.

7. *Ne quis ullum magiſtratum ſine provocatione crearet.*] Magiſtratum intelligo novum, nec dum anteà inſtitutum: neque enim video hac lege Dictatoribus ademptum jus priſtinum. Idque his opinor de cauſis, tum quod non niſi rebus afflictis, nec ultra ſemeſtre crearentur: tum quod certis legibus, quaſi ligata eſſet eorum poteſtas. Neque enim Dictatori æquum, niſi ad bellum ituro, conſcendere fas erat; ulloſve ex ærario ſumptus injuſſu patrum, vel populi, facere: tum denique quod eo magiſtratu vix quiſquam ante L. Cornelium Syllam abuſus ad licentiam fuerit.

8. *Renovarunt.*] Quid *renovarunt?* an ex ſuperioribus repetemus *legem?* An jus priſtinum? An potiùs ablativo in accuſandi caſum mutato verbum illud referemus ad *Cærimonias?* Sit certè planus erit ſenſus. *Tribunis plebis, ut ſacroſancti viderentur*, &c. *Relatas quaſdam ex magno intervallo cærimonias renovarunt*: id eſt in gratiam Tribunorum pl.

9. *Tribunis plebis, ædilibus, judicibus, Decemviris.*] Vox *Decemviris* abeſt à veteribus libris, inquit Sigonius, cui non

Urb. cond. an. 304. Coſſ. L. Valet. & M. Horat.

bus, *judicibus, decemviris nocuiſſet*, 10 *ejus* v *caput Jovi ſacrum eſſet.* 11 *familia ad ædem Cereris*, 12 *Liberi Liberæque vænum iret.* 13 Hac lege juris interpretes negant quemquam ſacroſanctum eſſe:

NOTÆ.

videtur neceſſaris. Eſt enim ridiculum, inquit, plebem caviſſe Decemvlris, quos peroſa, judicio eſt proſecuta. Sed neque hanc legem plebs tributis comitiis, ſed populus omnis centuriatis tulit. Quod ad Decemvirorum nomen attinet, ex meâ ſententiâ *Decemviri* vocantur hoc loco ipſi Tribuni plebis: qui cum initio quinque tantùm fuiſſent, ante paucos annos, decem creari ceperant, & nunc id agebatur ut eo numero ſemper crearentur. Idcirco neceſſe erat Denarii numeri mentionem hac novâ lege fieri, quòd priores ſacratæ Leges, non niſi ad receptum tunc numerum quinarium referrentur. Itaque ne quid ambiguitatis ſupereſſet in hac legis formula, quatuor diverſis nominibus deſignantur iidem Tribuni plebis, quod ſcilicet his diverſis vocabulis aliquando appellati erant, aut appellabantur adhuc. Dicuntur igitur primum *Tribuni*, uſitato maximè titulo. Deinde *Ædiles*, quoniam ædium ſacrarum cura, aliique Ædilitii officii ad Tribunos primariò ſpectabant: Ædiles enim plebis eis hac in re adjuncti velut miniſtri eorum, auctore Dionyſio lib. 6. Tertio Tribuni *Judices* nominantur, communi magiſtratuum appellatione: nam ut Prætorum, ita & Judicum nomine quicumque poteſtatem aliquam habebant, intelligebantur: atque ipſi adeò Conſules, quos Initio Prætores dictos, Varro ac Feſtus obſervarunt. Sed & Judicum nomen Conſulibus quoque tum noſter mox hoc ipſo capite; tum Cic. tribuit lib. 3. de Legib. ubi de illis creandis legem recitat. *Regio imperio duo ſunto, iique præeundo, Judicando, Conſulendo, Prætores, Judices, Conſules appellantor.* Ipſis etiam Ædilibus, qui miniſtri, & ex parte quodammodo ſocii Tribunorum erant, Judicum nomen initio attributum teſtatur Dionyſ. Denique *Decemvirorum* nomine Tribuni vocantur, ex numero: quo pacto Decemviri legibus ſcribundis, Decemviri Stilitibus Judicandis, Decemviri Epulonum. Synonimis porrò ſeu pluribus vocabulis ejuſdem rei ſignificandæ causâ velut coacervatis offendetur nemo, qui veterum legum, Senatus conſultorum, fœderum formulas noverit.

10. *Ejus caput Jovi Sacrum.*] Significat imprecatione quadam fulmini deſtinatum: de ſacrando ſeu devovendo flagitioſorum capite, dictum lib. 2. cap. 8.

11. *Familia ad ædem Cereris.*] Familia pro bonis, ut in actione familiæ erciſcundæ, id eſt dividendæ hæreditatis. Dionyſius Cereri dicata memorat ab initio eorum bona qui Tribunum violaſſent: ſed ſolius Cereris facit mentionem; ideo quia in eodem templo cum illa Liber & Libera colebantur.

12. *Liberi, Liberaque.*] Liberi cognomen Baccho impoſitum vult Scholiaſtes Juvenalis ad Sat. 14. quod is Bœotiæ *civitates Liberas* feciſſet, ideoque tanquàm Libertatis vindex coleretur. Alii eodem ſenſu Liberum patrem dictum putant, quo *libera vina* apud Horat. quod benè poti liberiùs agant & loquantur. *Libera* nomen aliqui Cereri attribuunt; ſed cum antè Livius Cererem nominaverit, Liberæ vocabulo intelligenda hic ejus filia Proſerpina. Ut apud Ciceron. 6. Verr. *Raptam eſſe*, inquit, *Liberam, quam eandem Proſerpinam vocant, ex Ennenſium nemore.* Ea ſoror fuit Bacchi ſive Liberi quem Romani conſecrarunt, non Semele natum, ſed Cerere. Cæterum Cereri, Libero Liberæque Templum commune in extremo Circo maximo, ſupra ipſos carceres ſitum, quod A. Poſtumius Latino bello voverat, dicavit Caſſius iterum Conſul an. 261. Auctoribus Dionyſ. lib. 6. & Tacito 2. Annal. Sed Dionyſius, τῆς Δήμητρος, καὶ Διονύσου, καὶ Κόρης vocabulis uſus eſt: unde apparet Proſerpinam, ſive Liberam, Coram. quoque appellatam, id eſt puellam.

13. *Hac lege juris Interpretes negant quemquam ſacroſanctum eſſe.*] Nam ut

14 ſed cum qui eorum cuiquam nocuerit, ſacrum ſanciri. Itaque 15 ædilem prehendi, ducique à majoribus magiſtratibus: quod etſi non jure fiat (noceri enim ei, cui hac lege non liceat) tamen argumentum eſſe non haberi pro ſacroſancto ædilem: 16 tribunos vetere

Urb. cond. an. 304. Coſſ. L. Valer. & M. Horat.

NOTÆ.

ait Cicero pro Corn. *Sacroſanctum eſſe nihil poteſt, niſi quod populus plebsve ſanxiſſet*, palam nempe juſſiſſet ſanctione ſua ut ſacrum eſſet. *Sanctiones autem ſacrandæ*, addiicit Tull. (ego *ſacrandi* legerim, id eſt ſanctiones quibus res ſacrantur) *ſunt aut genere ipſo, aut conſecratione legis, aut pœna, cum caput ejus qui contra facit, ſacratur*. Primus modus ad honorem, cultumque rei quæ in ſacrarum numero jure communi haberi ſoleat: ſecundus ad dignitatem ejus, quod ſpeciatim atque extra ordinem conſecratur, & ſacrum declaratur: tertius ad execrationem ſeu deteſtationem hominis malefici pertinet. Ut igitur Tribuni Sancti eſſent, id eſt, legis ſanctione muniti, ſacri propriè non fuere, cum nec in genere rerum ſacratum eſſent, nec lege ipſa nominatim conſecrati: longè minus pœnæ cauſa devoti.

14. *Sed cum qui eorum cuiquam nocuerit, ſacrum ſanciri.*] Rhenani correctio eſt: anteà: *Sed cum qui Deorum cuiquam nocuerit id ad ſacrum ſanciri*. Sigonius: *Sed caput ejus qui eorum cuiquam nocuerit, ſacrum eſſe, id ſanciri*. Gronovius teſtatur in melioribus codicibus ſcribi: *Sed cum qui eorum cui nocuerit, id ad ſacrum ſanciri*. Legi ipſe vult mitiore conjectura: *Sed ejus qui eorum cui nocuerit, caput ſacrum ſanciri*. Ita lib. 2. *Sacrandoque cum bonis capite ejus, qui regni occupandi conſilia iniſſet*. Itemque lib. 10. cap. 38. Leviori adhuc mutatione legi ſic poſſet. *Sed cum quis cui nocuerit, id ſacrum ſanciri*, id eſt juberi ut id pro nefario ſcelere habeatur.

15. *Ædilem prehendi, ducique à majoribus magiſtratibus.*] Minores hi magiſtratus Ædiles & Quæſtores à privato in jus vocari poſſe docet Varro apud Gellium lib. 13. cap. 13. Et Ædiles illi plebeii (neque enim adhuc Curules in uſu) miniſtri potiùs erant Tribunorum, ut paulò ante demonſtravi, quàm magiſtratus. Et ſi quid dignitatis in ædium, locorum publicorum, aut annonæ cura; id in Tribunis plebis, velut in capite ac radice reſidebat, quorum juſſu Ædiles judicaſſe docet Dionyſius. Eaque de cauſa Ædilium nomine ipſos tantum Tribunos in renovanda ſacrata lege intelligi cenſebam; falſumque auctorem ſuſpicabar, cum hic Ædiles minores ad partes vocat. Nam jus prehenſionis in hos Ædiles ab eodem memoratum, eos nequaquam ſacrata lege comprehenſos fuiſſe ſatis probat: & id actum apparet ut ſecuritati Tribunorum plebis duntaxat caveretur. Itaque ut alibi non raro, ita hoc loco in juris, moriſque antiqui minutiis labi facilè potuit Livius. Prudentis, peritique Lectoris eſto judicium. Id tantùm moneo, non eſſe quod in hoc Catonis auctoritati multùm deferamus: qui apud Feſtum in voce *Sacroſanctum* dicitur affirmare Tribunos plebis, Ædileſque ejuſdem ordinis (plebejos nempe) Sacroſanctos dici: Etenim id cum juris controverſi eſſet, oratione pro Ædilibus eam in rem nominatim habitâ, probare contendebat, non tam ex vero, quàm ut cauſæ ſerviret. Neque id valere poſt ad confirmandam Livii ſententiam, qui ſacroſanctos negat.

16. *Tribunos vetere jurejurando plebis.*] Non ſolo jurejurando, quod nonniſi plebem jurantem potuiſſet obſtringere: ſed lata palàm ſacrata lege priore. Diſcimus enim ex Cic. in Orat. pro Corn. Sacroſanctum nihil eſſe poſſe, niſi quod per populum plebemve ſancitum eſt. De cujus tamen vi variatum inter Juris auctores innuit anteà Livius, pleriſque negantibus ſacroſanctos ex ea eſſe Tribunos, aliis cum vulgo ſacroſanctos cenſentibus. Qui fortè in concordiam adduci poterunt, ſi dixerimus ex eo quidem legis capite, quo qui eis nocuiſſet, ſacer eſſe jubebatur, ipſos ſacroſanctos haud fuiſſe: hoc enim caput poſ-

Urb. cond. an. 304. Coll. L. Valer. & M. Horat.

jurejurando plebis, quum primum eam poteſtatem creavit, ſacroſanctos eſſe. Fuere qui interpretarentur, eadem hac Horatia lege 17 conſulibus quoque & prætoribus, quia 18 iiſdem auſpiciis, quibus conſules, crearentur, cautum eſſe: judicem enim conſulem appellari. Quæ refellitur interpretatio, quod his temporibus nondum conſulem 19 judicem, ſed prætorem appellari mos fuerit. Hæ conſulares leges fuere. Inſtitutum etiam ab iiſdem conſulibus: *ut* 20 *ſenatusconſulta in ædem Cereris ad ædiles plebis deferrentur*, quæ ante arbitrio conſulum ſupprimebantur, vitiabanturque. M. Duilius deinde tribunus plebis plebem rogavit, plebeſque ſcivit; *qui plebem ſine tribunis reliquiſſet, quique magiſtratum ſine provocatione creaſſet,* c *tergo ac capite puniretur*. Hæc omnia ut invitis, ita non adverſantibus patriciis tranſacta: quia nondum in quemquam unum ſæviebatur.

LVI. Fundata deinde & poteſtate tribunicia, & plebis libertate; tum tribuni aggredi ſingulos tutum maturumque jam rati, accuſatorem primum Virginium, & Appium reum deligunt. Quum diem Appio Virginius dixiſſet, & Appius ſtipatus patriciis juveni-

INTERPRETATIO.

c *Virgis cæſus, ſecuri percuteretur;*

NOTÆ.

nam adverſus eorum violatores continebat: ſed ſacroſanctos fuiſſe ex alio capite, quod à Dionyſio refertur, quo ſcilicet vetabatur ne quis eos violare auderet, ſive ne quis Tribunum invitum cogeret, verberaret, occideret, aut cogi, verberari, occidive juberet.

17. *Conſulibus quoque & Prætoribus.*] Id quidem ratio, ducto à minori ad majus argumento, poſtulabat: ſed factum non legitur: & Conſules, utpote Patricios magiſtratus, penes quos, ſive ſub communi Judicum, ſive ſub Prætorum nomine, ſumma rerum eſſet; majeſtate ſuâ ſatis tutos, atque inviolatos fore credidernnt. Prætores qui jus redderent in urbe nondum ulli erant: unde ad eos nulla ratione referri lex poterat.

18. *Eſdem auſpiciis.*] Non eodem die, ſed paribus auſpiciis, paribuſque comitiis centuriatis, quæ ſemper auſpicatò fieri debebant, Prætores creari mos fuit, poſtquà m hic magiſtratus à conſulum officio avu lſus eſt. Tribuni autem & Ædiles comit ils Tributis crealantur.

19. *Judicem, ſed Prætorem.*] Unde hoc Livius hauſerit libenter diſcerem. Eoſdem dictos fuiſſe Conſules & Prætores oſtendi jam ex Cicerone; poteſtque ex Varrone confirmari apud Nonnium Marcellum cap. 1. num. 61. Judices quoque appellatos docet hic poſt Ciceronem Livius. Sed Prætorum prius quam Judicum titulo cognitos dubito.

20. *Senatuſconſulta in ædem Cereris.*] Ceperunt hoc tempore Senatuſconſulta ad ædem Cereris de quâ paulò antè diximus, deferri, ut ibi curâ Ædilium plebis ſervarentur: poſterioribus temporibus, ut in æs inciſa erant, in ærarium illata, quod erat in æde Saturni; & modò per Quæſtores ærarii, modò per alios præfectos cuſtodiri ſolita cum aliis publicis tabulis, uti colligitur ex Cicer. præſertim Philipp. 5. ex Suet. in Aug. & ex Tacito lib. 3. Annal. Dio id muneris inter Ædiles & Tribunos communicat, quod ſcilicet Ædiles Tribunorum quaſi miniſtri eſſent. Ab his imperante Auguſto tranſlatum ad Quæſtores, ait, penes quos deinde magna ex parte manſit; videndus Tacit. lib. 13. Annal.

bus in forum deſcendiſſet ; redintegrata extemplo eſt omnibus memoria fœdiſſimæ poteſtatis, quum ipſum ſatelliteſque ejus vidiſſent. Tum Virginius, *Oratio*, inquit, *rebus dubiis inventa eſt. Itaque neque ego accuſando apud vos eum, tempus teram, à cujus crudelitate voſmet ipſi armis vindicaſtis: nec iſtum ad cæteraſcelera impudentiam in defendendo ſe adiicere patiar. Omnium igitur tibi, Appi Claudi,* [1] *quæ impie nefarieque per biennium alia ſuper alia es auſus, gratiam facio.* [2] *unius tantum criminis ni judicem dices, te ab libertate in ſervitutem contra leges vindicias non dediſſe, in vincula te duci jubeo.* Nec in tribunicio auxilio Appius, nec in judicio populi ullam ſpem habebat. attamen & tribunos appellavit: & nullo morante arreptus à viatore, *Provoco*, inquit. Audita vox una vindex libertatis ex eo miſſa ore, quo [a] vindiciæ nuper ab libertate dictæ erant, ſilentium fecit. Et dum pro ſe quiſque, DEOS TANDEM ESSE, *& non negligere humana* fremunt, *& ſuperbiæ crudelitatique, etſi ſeras, non leves tamen venire pœnas; provocare qui provocationem ſuſtuliſſet: & implorare præſidium populi, qui omnia jura populi* 3 *obtriſſet; rapique in vincula egentem jure libertatis, qui liberum corpus in ſervitutem addixiſſet.* ipſius Appii inter concionis murmur fidem populi Romani implorantis vox audiebatur. Majorum merita in rempublicam domi militiæque commemorabat. *Suum infelix erga plebem Romanam ſtudium, quod æquandarum legum cauſa cum maxima offenſione Patrum Conſulatu abiſſet: ſuas leges, quibus manentibus lator earum in vincula ducatur. Cæterum ſua propria bona mala-*

Urb. cond. an. 304. Coſſ. L. Valer. & M. Horat.

INTERPRETATIO.

a *Poſſeſſio temporaria paulò ante contra libertatem data fuerat, lite pendente.*

NOTÆ.

1. *Quæ impiè nefarieque per biennium.*] Hunc tertium locum Glareanus notat quo planum fieri ait Valerii, Horatiique Conſulum annum ſejunctum à tertio Decemvirorum, quo per tyrannidem privati regnarunt. Id tamen hinc neceſſariò non ſequitur: 1. quidem quod biennium primum hic intelligi videtur, quo Appius cum primis Decemviris anno uno, cum ſecundis anno altero magiſtratum geſſerat. Præterea, etſi biennium à ſecundis Decemviris creatis numeres, neceſſe non eſt ſecundum annum impletum eſſe; ut biennium oratoriè dicatur.

2. *Unius tantùm criminis, ni judicem dices.*] Alias legebatur apud Rhenanum, *Unius tantùm criminis, niſi judicem vindices te*, quod ſequitur etiam Sigonius: hoc ſenſu, niſi te à judicio unius criminis liberes; ſeu potiùs, ut Gronovius explicat, à crimine unius judicii, à te ſcilicet redditi. Sed meliores codices habent *unius tantùm criminis ni judicem dices*: quod notavit, probavitque Cl. Putean. quaſi *judicem dicere* reſpondeat alteri formæ *judicem ferre*: hoc accuſatoris ſit, illud rei. Hanc nunc electionem Appio permittebat Virginius, ut apud dictum à ſe judicem conaretur probare, ſi poſſet, ſe vindicias ſecundum ſervitutem non dediſſe, contra quàm legibus cautum eſſet. Confirmatur hæc lectio & ſententia ex eo quod cap. prox. idem Virginius ait, *Judicem illi ferre.*

3 *Obtriſſet.*] Pro *obtriviſſet*,

Urb. cond. an. 304. Coll. L. Valer. & M. Horat.

que, quum causa dicendæ data facultas sit, [b] tum se experturum. In præsentia se communi jure civitatis, civem Romanum, die dicta postulare, ut dicere liceat, ut judicium populi Romani experiri. non ita se invidiam pertimuisse, ut nihil in æquitate & misericordia civium suorum spei habeat. Quod si indicta causa in vincula ducatur, iterum se tribunos plebis appellare, & monere ne imitentur quos oderint. Quod si tribuni eodem fœdere obligatos se fateantur tollendæ appellationis causâ, in quam conspirasse Decemviros criminati sint, 4 ait se provocare ad populum: implorare leges de provocatione, & consulares, & tribunicias, eo ipso anno latas. Quem enim provocaturum, [c] si hoc indemnato indicta causa non liceat? Cui plebejo & humili præsidium in legibus fore, si Ap. Claudio non sit? se documento futurum, utrum novis legibus dominatio, an libertas firmata sit: & appellatio provocatioque adversus injuriam magistratuum ostentata tantum [d] inanibus literis, an verè data sit.

LVII. Contra Virginius, unum Ap. Claudium, & legum 1 expertem & civilis & humani fœderis esse ajebat: Respicerent tribunal homines, castellum omnium scelerum: ubi decemvir ille perpetuus, bonis, tergo, sanguini civium infestus, virgas, securesque omnibus minitans, Deorum hominumque contemptor, carnificibus non lictoribus stipatus, jam ab rapinis & exdibus animo ad libidinem verso, virginem ingenuam in oculis populi Romani, velut bello captam, à complexu patris abreptam, ministro cubiculi sui clienti dono dederit. Ubi crudeli decreto, nefandisque vindiciis dexteram patris in filiam armaverit: ubi tollentes corpus semianime virginis sponsum avunculumque in carcerem duci jusserit; stupro interpellato magis, quam cæde motus. & illi carcerem ædificatum esse, quod 2 domicilium plebis Romanæ vocare sit solitus. Proinde ut ille iterum ac sæpius provocet, sic se iterum ac sæpius judicem illi ferre, 3 ni vindicias ab libertate in ser-

INTERPRETATIO.

b *Se tunc in judicio expositurum.*

c *Si id non permittatur ei, qui nec damnatus est, nec causam dixit.*

d *Legibus frustra* atque ad ostentationem *scriptis*, ac nuper instauratis.

NOTÆ.

4. *Ait se provocare.*] Illud *ait* Gronovio suspectum, & sine dubio abundat, Applique orationem interscindit.

1. *Expertem & civilis, & humani fœderis.*] Societatis, quæ non modò inter cives ejusdem civitatis; sed inter omnes homines intercedit.

2. *Domicilium plebis Romanæ vocare sit solitus.*] Ita Cicero Latumias sive carcerem Syracusanum in imperio Verris *domicilium civium Romanorum* fuisse queritur Verr. 5.

3. *Ni vindicias.*] Legendum pronunciat Sigonius *vindicias ne*, hoc sensu: se ferre illi judicem qui videat, vindicias ille contra libertatem dederit necne. Negat meritò Guilielmius, cui adstipulabitur quivis Jurisprudentiæ elementis tantisper imbutus. Certum quippe est veterem omnium ferè sponsionum, omniumque exceptionum formulam, ab hac particula *ni* incipere. Supra cap. 24. *ni ita esset, multi ferebant Volsco judicem.*

vitutem dederit. ſi ad judicem non eat, pro damnato in vincula duci jubere. Ut haud quoquam improbante, ſic magno motu animorum, quum tanti viri ſupplicio ſuamet plebi jam nimia libertas videretur, 4 in carcerem eſt conjectus. tribunus 5 ei diem prodixit. Inter hæc ab Latinis & Hernicis legati gratulatum de concordia Patrum ac plebis Romam venerunt, donumque ob eam Jovi optimo maximo coronam auream in Capitolium tulere parvi ponderis, prout res haud opulentæ erant: COLEBANTURQUE religiones pie magis quam magnifice. Iiſdem auctoribus cognitum eſt, Æquos Volſcoſque ſumma vi bellum apparare. Itaque partiri provincias Conſules juſſi. Horatio Sabini, Valerio Æqui Volſcique evenere. Quum ad ea bella delectum ediviſſent, favore plebis non juniores modo, ſed emeritis etiam ſtipendiis, pars magna voluntariorum, ad nomina danda præſto fuere. coque non copia modo, ſed genere etiam militum, veteranis admiſtis, firmior exercitus fuit. Priuſquam urbem egrederentur, 6 leges decemvirales, quibus *tabulis duodecim* eſt nomen, 7 in æs inciſas in publico propoſuerunt. Sunt qui juſſu tribunorum ædiles functos eo miniſterio ſcribant.

Urb. cond. an. 304. Coſſ. L. Valer. & M. Horat.

LVIII. C. Claudius, (qui peroſus decemvirorum ſcelera, & ante omnes 1 fratris filii ſuperbiæ infeſtus, 2 Regillum antiquam in pa-

NOTÆ.

4. *In carcerem eſt conjectus.*] In eumdem, quem ipſe anteà ædificaverat. Creditur Carcer ille eo loco fuiſſe ubi nunc templum Sancti Nicolai. Non igitur Appio vades dandi data copia eſt, quod ſcilicet nefarium, compertumque omnibus eſſet ipſius ſcelus.

5. *Diem prodixit.*] Cauſæ dicendæ tempus ad certam diem prorogavit, ſive diſtulit. Neque enim ſtatim damnabatur accuſatus, quod exemplo Coriolani, Appii Claudii, Cæſonis Fabii probari poteſt; ſed dabatur ei trinundinum, quo ſe ad defenſionem compararet.

6. *Leges Decemvirales, quibus Tabulis xii. eſt nomen.*] Quid opus nunc duodecim Tabulas operâ, juſſuve Conſulum denuò proponi, cum decem primæ Tabulæ à Decemviris anni primi, duæ poſtremæ à Decemviris anni ſecundi promulgatæ fuiſſent, ut conſtat ex cap. 34. & 37. exque Dionyſ. extremo lib. 10. Has poſtremas leges à Decemviris compoſitas, aut etiam propoſitas non tamen à populo comprobatas puto: niſi malis nunc à Conſulibus, non ut auctoritatem acciperent, ſed ut in uſum producerentur propoſitas. Diodorus vult, quod decem Tabulis deerat, id Conſules ſuppleviſſe, & in foro inter roſtra ante curiam confixiſſe.

7. *In æs inciſas.*] Hæc maximè recepta opinio ex Liv. Dionyſ. Diod. Sed Pomponius J. C. eboreas fuiſſe ait has Tabulas, ſeu leges in ebore ſcriptas: ubi ſunt qui *roboreas* legant. Potuere primùm, exemplo legum Atticarum, ligno, aut etiam ebori inſcriptæ promulgari: ubi autem publicatæ fuerunt, æternitati conſecrandæ ut in communi ac perpetuo uſu eſſent, tunc in æs incidi. Apud Dionyſium tamen lib. 10. Primæ ipſæ decem Tabulæ in coſumnas æreas inciſæ memorantur. Hunc que morem fuiſſe, ut quemadmodum Senatuſconſulta, ſic leges, plebiſcita, fœdera, cæteraque manſura, in tabulis æreis ſcriberentur, ex Cic. Ovidio, & aliis probari poteſt.

1. *Fratris filii.*] Fratris filius eſt. Gall. *Neveu du coſté du frere.*

2. *Regillum antiquam in patriam.*] V. lib. 2. cap. 16.

Urb. cond. an. 304. Coſſ. L. Valer. & M. Horat.

triam ſe contulerat.) is [a] magno jam natu quum ad pericula ejus deprecanda rediſſet, cujus vitia fugerat, ſordidatus cum gentilibus clientibuſque in foro prenſabat ſingulos: orabatque, *Ne Claudiæ genti eam inuſtam maculam vellent, ut carcere & vinculis viderentur digni*: [b] *virum honoratiſſimæ imaginis futurum ad poſteros, legum latorem conditoremque Romani juris, jacere vinctum inter fures nocturnos ac latrones. Averterent ab ira paruamper ad cognitionem cogitationemque animos: & potius unum tot Claudiis deprecantibus condonarent, quam propter unius odium multorum preces aſpernarentur. Se quoque id generi ac nomini dare; nec cum eo in gratiam rediſſe, cujus adverſæ fortunæ velit ſuccurſum. Virtute libertatem recuperatam eſſe: clementia concordiam ordinum ſtabiliri poſſe.* Erant quos moveret ſua magis pietate, quam ejus, pro quo agebat, cauſâ. ſed Virginius *ſui potiùs ut miſererentur*, orabat, *filiæque: nec gentis Claudiæ* 3 *regnum in plebem ſortitæ, ſed* 4 *neceſſariorum Virginiæ & trium tribunorum preces audirent, qui ad auxilium plebis creati, ipſi plebis fidem atque auxilium implorarent*. Juſtiores hæ lacrimæ videbantur. itaque [c] ſpe inciſa, priuſquam prodicta dies adeſſet, 5 Appius ſibi mortem conſcivit. Subinde arreptus à P. Numitorio Sp. Oppius, invidiæ proximus, quod in urbe fuerat quum injuſtæ vindiciæ à collega dicerentur. Plus tamen facta injuria Oppio, quam non prohibita, invidiæ fecit. teſtis productus, qui ſeptem & viginti enumeratis ſtipendiis, octies extra ordinem donatus, donaque ea gerens in conſpectu populi, ſciſſa veſte, tergum laceratum virgis oſtendit, nihilum deprecans, *quin ſi quam ſuam noxam reus dicere poſſet, privatus in ſe iterum ſæviret*. Oppius quoque ductus in vincula eſt, & ante judicii diem finem ibi vitæ fecit. Bona Claudii Oppiique tribuni publicavere. collegæ eorum exilii cauſâ ſolum verterunt: bona publicata ſunt. & Claudius aſſertor Virginiæ, die dicta damnatus, ipſo [6] remittente Virginio ultimam pœnam, dimiſſus Tibur exulatum abiit;

INTERPRETATIO.

a Jam valde *provecta ætate*.

b *Virum, cujus imago* in ſtemmate Claudiæ gentis *futura* eſſet *poſteris in maximo honore*.

c *Ablata ſpe* omni.

NOTÆ.

3. *Regnum in plebem ſortita*.] Quaſi ſcilicet quaſi ſorte accepiſſet jus regnandi in plebem, ita ei ſolita erat inſultare.

4. *Neceſſariorum Virginiæ & trium Tribunorum*.] Tres illi Tribuni neceſſitudine aliqua cum Virginia conjuncti, L. Virginius pater, P. Numitorius avunculus, L. Icilius ſponſus, cap. 54. indicati fuere.

5. *Appius ſibi mortem conſcivit*.] Ita quidem credi voluerunt Tribuni, cum ibi laqueo vitam ademiſſe: multi tamen eorum juſſu in carcere occiſum ſuſpicabantur.

6. *Remittente Virginio ultimam pœnam*.] Quod M. Ille Claudius ſe non ſponte, ſed coactum ab Appio, Virginiam vindicaſſe diceret. Cæterum eum non à Virginio, ſed ab Icilio accuſatum Dionyſius tradit.

abiit: 7 Manesque Virginiæ, 8 mortuæ quam vivæ felicioris, per tot domos ad petendas pœnas vagati, nullo relicto fonte, tandem quieverunt. Urb. cond. an. 304. Coss. L. Valer. & M. Horat.

LIX. Ingens metus incesserat Patres, vultusque jam iidem tribunorum erant, qui Decemvirorum fuerant: quum M. Duilius tribunus plebis 1 inhibito salubriter modo nimiæ potestatis, 2 *Et libertatis*, inquit, *nostræ, & pœnarum ex inimicis satis est. itaque hoc anno nec diem dici cuiquam, nec in vincula duci quemquam sum passurus. Nam neque vetera peccata repeti jam obliterata placet, quum nova expiata sint Decemvirorum suppliciis: & nihil admissum iri, quod vim tribuniciam desideret, spondet perpetua Consulum amborum in libertate vestra tuenda cura.* Ea primum moderatio tribuni, metum Patribus dempsit, eademque auxit consulum invidiam: quod adeo a toti plebis fuissent, ut Patrum salutis, libertatisque prior plebejo magistratui, quam patricio cura fuisset: & ante inimicos satietas pœnarum suarum cepisset, quam obviam ituros licentiæ eorum Consules appareret. Multique erant, qui 3 mollius consultum dicerent, quod legum ab iis latarum Patres auctores fuissent. neque erat dubium, b quin turbato reipublicæ statu tempori succubuissent.

LX. Consules rebus urbanis compositis, fundatoque plebis statu, in provincias a diversi abiere. Valerius adversus conjunctos jam in Algido exercitus Æquorum Volscorumque b sustinuit consilio bellum.

INTERPRETATIO.

a *Quod* Consules ita *se totos plebi addixissent.*

b *Nec* verò *videbatur ambigendum, quin* hæ leges, patriciis plebi obsitentibus *tempore* ipso *evanuissent; si* quando *status reip. in turbido versaretur*:

a *In diversa loca profecti sunt.*

b *Consultò distulit pugnam, sive prudenter abstinuit à committendo certamine.*

NOTÆ.

7. *Manesque Virginiæ.*] Loquitur ex Platonis sententia, qui 3. de Legibus docet interfectum interfectori proximè post mortem irasci, eumque terrere atque turbare. Sic Clytæmnestræ & Agrippinæ manes ab Oreste ac Nerone, sic aliorum ab aliis pœnas necis suæ exegisse, non theatra modò, sed historiæ testantur.

8. *Mortuæ, quàm vivæ felicioris.*] Antè *feliciores*. Emendavit Guilielmius ex vet. Cod. Busbequii: nam manes mortuorum sunt, vivorum genii.

1. *Inhibito salubriter modo potestatis.*] *Modus*, id est mensura & ratio rei cujusque, potest vel justos excedere terminos, vel intra eos consistere. *Inhibendi* quoque verbum aliquando sumitur pro coercere, ac reprimere; aliquando pro adhibere, sive ponere. Componitur enim *inhibeo*, ex *habeo*, & *in*, quæ præpositio ponitur, & pro *ad*, & pro *contra*. Itaque si cui placet vulgata lectio *modo nimiæ potestatis*, significabitur *potestatis Tribuniciæ*, mensuram nimis ultra suos limites vagari prohibitam à Duilio. Gronovii autem correctio, *potestati* modum positum, ac definitū indicabit, parum absimili sententiā.

2. *Et libertatis, inquit, nostræ*, &c.] Mallem si liceret, *& libertatis nobis, & pœnarum ex inimicis satis est.*

3. *Qui mollius consultum dicerent.*] Dicebant plerique Patricii Senatum nimis ignava consilia sequutum esse, qui auctoritatem suam accommodasset legibus per Consules latis in gratiam plebis, ordinisque sui pernicium, ac dedecus.

Urb. cond. an. 304. Coſſ. L. Valer. & M. Horat.

Quod ſi extemplo rem fortunæ commiſiſſet, c haud ſcio, an (qui tum animi ab Decemvirorum infelicibus auſpiciis Romanis, hoſtibuſque erant) magno detrimento certamen ſtaturum fuerit. Caſtris mille paſſuum ab hoſte poſitis, copias continebat. hoſtes medium inter bina caſtra ſpatium acie inſtructa complebant. 1 provocantibuſque ad prælium, reſponſum Romanus nemo reddebat. tandem fatigati ſtando, ac nequicquam expectando certamen Æqui Volſcique, poſtquam 2 conceſſum propemodum de victoria credebant; pars in Hernicos, pars in Latinos prædatum abeunt. relinquitur magis caſtris præſidium, quam ſatis virium ad certamen. quod ubi ſenſit conſul, reddit illatum antea terrorem; inſtructaque acie ultro hoſtem laceſſit. Ubi illi, d conſcientia quid abeſſet virium, detrectavere pugnam; crevit extemplo Romanis animus, e & pro victis habebant paventes intra vallum. Quum per totum diem ſtetiſſent intenti ad certamen, f nocte ceſſere: & Romani quidem pleni ſpei corpora curabant. Haudquaquam pari hoſtes animo, nuncios paſſim trepidi ad revocandos prædatores dimittunt: g recurritur ex proximis locis, ulteriores non inventi. Ubi illuxit, egreditur caſtris Romanus, vallum invaſurus, ni copia pugnæ fieret. & poſtquam 3 multa jam dies erat, neque movebatur quicquam ab hoſte, 4 jubet ſigna inferri conſul. motaque acie, indignatio Æquos & Volſcos inceſſit, 5 ſi victores exercitus vallum potius quam virtus & arma contegerent. igitur & ipſi efflagitatum ab ducibus ſignum pugnæ accepere. Jamque pars egreſſa portis erat: deinceps alii 6 ſervabant ordinem, in ſuum quiſque locum deſcendentes, quum

INTERPRETATIO.

c *Prout tunc* utrique, *hinc Romani, inde hoſtes, ob res anno ſuperiore à Decemviris malè*, ſivè inauſpicatò, *geſtas, affectis* atque animati *erant: non ſatis ſcio*, imo potius veriſimile cenſeo *futurum ut prælium noſtris magno damno conſtaret.*

d *Cum ſibi eſſent conſcii, quanta copia abeſſent.*

e *Pavidos intra caſtra* hoſtes *jam victos judicabant.*

f *Ubi nox advenit, exceſſere loco, in quo totum diem ſteterant.*

g Hoſtium *qui in proxima* loca prædatum *erant, reverſi ſunt* in caſtra: *qui in longinquiora, non potuerunt* intra illius noctis ſpatium *conquiri & moneri.*

NOTÆ.

1. *Provocantibuſque ad prælium.*] Gall. *Comme ils preſentoient la bataille.*

2. *Conceſſum propemodum de victoriâ.*] Victoriam ſibi à Romanis ferè cedi: *Que les Romains leur cedoient preſque la Victoire.* Sic quoque Cicero 12. ad Att. ep. 46. *Etſi de cupiditate nemini concedam:* id eſt quod ad cupiditatem & voluntatem nemini cedam: *à l'égard du deſir je ne le quitterois, je ne le cederois à perſonne.*

3. *Multa jam dies erat.*] Gall. *Il étoit grand jour, & rien ne bougeoit du coſté de l'ennemy.*

4. *Jubet ſigna inferri.*] Gall. *Il commande l'attaque:* milites quippe ſub ſignis prælium ineunt.

5. *Si victores exercitus.*] Si duo exercitus Æquorum & Volſcorum, qui anno proximo Romanos vicerant.

6. *Servabant ordinem, in ſuum quiſque locum deſcendentes.*] Gall. *Ils ſe mettoient en bataille, & prenoient leurs rangs à meſure qu'ils ſortoient de leur Camp.*

Conſul Romanus 7 priuſquam totis viribus fulta conſtaret hoſtium acies, intulit ſigna: h adortuſque nec omnes dum eductos, nec qui erant, ſatis explicatis ordinibus; propè fluctuantem turbam trepidantium huc atque illuc, circumſpectantiumque ſe ac ſuos, addito turbatis mentibus clamore atque impetu, invadit. Retulere primo pedem hoſtes. deinde quum animos collegiſſent & undique duces, victiſne ceſſuri eſſent, increparent; reſtituitur pugna. Urb. cond. an. 304. Coſſ. L. Valer. & M. Horat.

LXI. Conſul ex altera parte *Romanos meminiſſe jubebat, illo die primùm Liberos pro libera urbe Romana pugnare. Sibimetipſis victuros, non* a *ut Decemvirorum victores præmium eſſent. Non Appio duce rem geri, ſed conſule Valerio, à liberatoribus populi Romani orto, liberatore ipſo. Oſtenderent prioribus præliis per duces, non per milites ſtetiſſe, ne vincerent. Turpe eſſe, contra cives plus animi habuiſſe, quam contra hoſtes; & domi, quam foris, ſervitutem magis timuiſſe. Unam Virginiam fuiſſe, cujus pudicitiæ in pace periculum eſſet: unum Appium civem periculoſæ libidinis. at ſi fortuna belli inclinet, omnium liberis ab tot millibus hoſtium periculum fore.* 1 *Nolle ominari, quæ nec Jupiter nec Mars pater paſſuri ſint iis auſpiciis conditæ urbi accidere.* Aventini Sacriquc montis 2 admonebat, *ut ubi libertas parta eſſet paucis ante menſibus, eo imperium illibatum referrent: oſtenderentque eandem indolem militibus Romanis poſt exactos Decemviros eſſe, quæ ante creatos fuerit; nec æquatis legibus imminutam virtutem populi Romani eſſe.* Hæc ubi inter ſigna peditum dicta dedit; advolat deinde ad equites, *Agite juvenes*, inquit, 3 *præſtate virtute peditem, ut honore atque ordine præſtatis. Primo concurſu*

INTERPRETATIO.

h *Et aggreſſus* hoſtes, *cum nondum omnes eſſent educti caſtris; & cum ii qui jam educti erant*, nondum ordines plenè explicaſſent: elato à militibus *clamore*, factaque vehementi *impreſſione*, *ut* eorum *animis* jam *perturbatis terrorem ingeminaret*; *irruit in* eorum non confertas copias, ſed *turbam*, utpote *qui trepidi in diverſas partes inclinarent*, fluctuumque modo agitarentur; nec hoſtes ſed *ſe ipſos ſocioſque reſpicerent*.

a *Non autem ut ipſi poſtquam viciſſent Decemviris prædæ fierent*.

NOTÆ.

7. *Priuſquam totis viribus fulta conſtaret hoſtium acies.*] Gall. *Avant que toute l'Armée ennemie fuſt entierement rangée en bataille.*

1. *Nolle ominari.*] Non libet, inquiebat, augurari mala, quæ urbi impenderent, ſed quæ fore ut Jupiter & Mars Romuli conditoris noſtri pater, ab hac civitate felicibus auſpiciis condita avertant, neque ei accidere ſinant ſpero, optoque. Mos quippe Romanus ea, quæ mali eſſent ominis, dicere, aut facere ſedulò vitabat.

2. *Admonebat.*] Gall. *Il les faiſoit ſouvenir.*

3. *Præſtate virtute pedit em.*] *Præſtare* pro antecellere, non tantum cum dativo, ſed aliquando etiam cum accuſativo jungitur, ut hic & apud Quintilianum lib. 1. cap. *præſtat tamen ingenio alius alium.*

Urb. cond. an. 304. Coss. L. Valer. & M. Horat.

pedes movit hostem. pulsum vos immissis equis exigite è campo. Non sustinebunt impetum. & nunc cunctantur magis, quam resistunt. a Concitant equos, 4 permittuntque in hostem, pedestri jam turbatum pugna: & b perruptis ordinibus elati ad novissimam aciem, pars libero spatio circumvecti, jam fugam undique capessentes, plerosque à castris avertunt, prætereuntesque absterrent. Peditum acies & Consul ipse, c visque omnis belli fertur in castra: captisque cum ingenti cæde, majore præda potitur. Hujus pugnæ fama perlata non in urbem modo, sed in Sabinos ad alterum exercitum. In urbe lætitia modo celebrata est, in castris animos militum ad æmulandum decus accendit. Jam Horatius eos 5 & 6 excursionibus sufficiendo, prœliisque levibus experiundo d assuefecerat sibi potius fidere, quam meminisse ignominiæ Decemvirorum ductu acceptæ, parvaque certamina in summam totius profecerant spei. Nec cessabant Sabini feroces ab re e 6 priore anno bene gesta, lacessere atque instare, rogitantes, *Quid latrocinii modo procursantes pauci, recurrentesque, tererent tempus, & f in multa prœlia, paruaque carperent summam unius belli? Quin illi congrederentur acie, inclinandam semel fortunæ rem darent?* g Ad id quod sua sponte satis collectum animorum erat, indignitate etiam Romani accendebantur.

INTERPRETATIO.

b *Ordines hostium per vim aperiendo, ad extremam eorum aciem invecti sunt. Quidam excurrendo hinc inde quà patebat liber campus, & effusi circum fugaces, & juxta eos equitando, prohibent, ac deterrent eorum plerosque quo minus in castra se recipiant.*

c Per fugam hostium, *tota moles*, ut ita dicam, *certaminis defertur in* ipsorum *castra*: quibus *magna cum cæde captis*, Consul *prædâ potitur majori*, quàm pro modo cædis sperandum videretur.

d *Effecerat ut assiduo velitandi usu viribus suis jam confiderent.*

e *Ob bellum egregiè gestum anno proximo.*

f *Victoriam belli, quod ex se unum erat, carptim dividerent pluribus exiguis præliis.*

g *Præterquàm quod ultro Romani animos jam satis firmaverant, inflammabantur etiam ad* pugnandum *indignis Sabinorum increpationibus.*

NOTÆ.

4. *Permittuntque in hostem.*] Equum permittere aut admittere, est impellere, eique laxatis ac remissis habenis liberam procurrendi facultatem concedere. Gall. *Le pousser à toute bride, courir à bride abbatüe.*

5. *Excursionibus sufficiendo.*] Vereor ne *sufficere* hoc loco sumatur pro inficere, imbuere, ut sit *excursionibus* priùs *exercendo* idoneos efficere. Metaphora ducta à tinctoribus, qui colores non statim vividos & mansuros lanæ panniſve incoquunt: sed ad eos levioribus antèa præparant. Qua ratione Cic. in Hortensio. *Sufficiunt priùs lanam medicamentis quibusdam.*

6. *Priore anno.*] Inculcat Glareanus quartum hunc esse locum ex quo ostenditur tertium Decemvirorum annum, quo in tyrannide fuerunt, alium esse ab hoc anno, quo Valerius & Horatius Consules fuerunt. Sed reponitur diversos annos dici à Sabinis posse, quod bellum adversus eos à Decemviris ætate priore gestum fuerit; post Idus Majas ab Horatio Consule nunc gereretur, verno tempore anni sequentis ante Idus Majas: & sic utrorumque gesta unius anni curriculum non excedere.

LXII. Jam alterum exercitum victorem in urbem rediturum, ſibi ultro per contumelias hoſtem inſultare. *quando autem ſe, ſi tum non ſint, pares hoſtibus fore?* Ubi hæc fremere militem in caſtris Conſul ſenſit, concione advocata, *Quemadmodum*, inquit, *in Algido res geſta ſit, arbitror vos milites audiſſe. qualem liberi populi exercitum decuit eſſe, talis fuit. 1 conſultu collegæ, virtute militum victoria parta eſt. Quod ad me attinet, id conſilii animique habiturus ſum, quod vos, milites, mihi effeceritis; & trahi bellum ſalubriter, & mature perfici poteſt. Si trahendum eſt, ego ut in dies ſpes virtuſque veſtra creſcat, eadem qua inſtitui diſciplinâ efficiam. Si jam ſatis animi eſt, decernique placet; agitedum clamorem, qualem in acie ſublaturi eſtis, tollite hic, indicem voluntatis virtutiſque veſtræ.* Poſtquam ingenti alacritate clamor eſt ſublatus, *Quod bene vertat, geſturum ſe illis morem, poſteroque die 2 in aciem deducturum*, affirmat. Reliquum dici apparandis armis conſumptum eſt. poſtero die ſimul inſtrui Romanam aciem Sabini videre, & ipſi jam avidi certaminis prodeunt. Prælium fuit, quale inter fidentes ſibimet ambos exercitus, 3 veteris perpetuæque alterum gloriæ, alterum nuper nova victoria elatum. Conſilio etiam Sabini vires adjuvere. nam 4 quum æquaſſent aciem, duo extra ordinem millia, quæ in ſiniſtrum cornu Romanorum in ipſo certamine impreſſionem facerent, tenuere. quæ 2 ubi illatis ex transverſo ſignis degravabant prope circumventum cornu; ♆ equites duarum legionum 5 ſexcenti fere ex equis deſiliunt, cedentibuſque

Ucb. conſ. an. 304. Coſſ. L. Valer. & M. Horat.

INTERPRETATIO.

2 *Poſtquam* illæ Sabinorum cohortes *è latere immiſſa, adeò urgere cœperunt* | *cornu lævum* Romanorum, *ut ferè undique concluſum obrueretur.*

NOTÆ.

1. *Conſultu Collegæ.*] Aliàs *conſilio Collegæ.*] Illud elegit Gronovius ex melioribus Codicibus: idque exemplis confirmat.

2. *In aciem deducturum.*] Gronovius mavult *eductarum* auctoritate Livii lib. 7. *addidit & aliam fidentis ſpeciem, quod prior in aciem eduxit.* Sed non idcircò damnaveris *deducere in aciem*, quia educere rectè dicatur: *educere* eſt è caſtris, quod ſine pugna non rarò fit; *deducere* in locum prœlii atque animo prœliandi, quâ de re hic agebatur.

3. *Veteris, perpetuaque alterum gloria.*] Romanum exercitum vetere perpetuaque gloria clarum intelligit; eadem loquendi formâ, quâ dicimus hominem antiquæ probitatis. Nec eſt quod Sigonius addat *avidum*; quod tantum abeſt, ut deſideretur, ut ſi ſcriptum eſſet, redundaturum ſit. Quid enim eſt *veteris gloria avidum*, niſi adjicias *recuperandæ*?

4. *Quum æquaſſent aciem.*] Cum Sabini ſic aciem inſtruxiſſent, ut omni ex parte ejus facies eſſet æquata, ſpeciemque præberet omnium copiarum in his ordinibus ſtantium: duo millia ſuorum extra ordinem habuerunt in ſubſidiis, quæ inito jam prœlio in ſiniſtrum cornu Romanorum impetum facerent.

5. *Sexcenti fere.*] Id eſt, totus duarum legionum equitatus: nam ut plurimùm legio quaternis millibus peditum, ac trecentis equitibus conſtabat.

jam ſuis 6 provolant in primum, ſimulque & hoſti ſe opponunt, & æquato primum periculo, pudore deinde animos peditum accendunt. 7 Verecundiæ erat, equitem ſuo alienoque marte pugnare: peditem nec ad pedes quidem degreſſo equiti parem eſſe.

Urb. cond. an. 304. Coſſ. L. Valer. & M. Horat.

LXIII. Vadunt igitur in prælium ab ſua parte omiſſum, & locum ex quo ceſſerant, repetunt: momentoque non reſtituta modo pugna, ſed inclinatur etiam Sabinis cornu. Eques, inter ordines peditum tectus, ſe ad equos recipit, tranſvolat inde in partem alteram, ſuis victoriæ nuncius, ſimul & in hoſtes jam pavidos, quippe fuſo ſuæ partis validiore cornu, impetum facit. non aliorum eo prælio virtus magis enituit. Conſul providere omnia, laudare fortes, increpare ſicubi ſegnior pugna eſſet. Caſtigati 1 fortium ſtatim virorum operam edebant; tantumque hos pudor, quantum alios laudes excitabant. Redintegrato clamore undique omnes connixi hoſtem avertunt, nec deinde Romana vis ſuſtineri potuit. Sabini fuſi paſſim per agros caſtra hoſti ad prædam relinquunt. ibi 2 non ſociorum ſicut in Algido res, ſed ſuas Romanus populationibus agrorum amiſſas recipit. Geminâ victoriâ duobus bifariam prœliis parta, 3 malignè ſenatus in unum diem ſupplicationes conſulum nomine decrevit. Populus injuſſu & altero die frequens iit ſupplicatum. & hæc vaga populariſque ſupplicatio

NOTÆ.

6. *Provolant in primum.*] In primum locum procurrunt, ubi ſcilicet pugnabatur. Ita lib. 10. cap. 14. *Ni ſecunda acies juſſu Conſulis in primum ſucceſſiſſet.*

7. *Verecundiæ erat.*] Pudebat ea de cauſa pedites, quod fortitudinem equitum, qui non tantum ſuo more ex equis pugnabant, ſed omiſſis equis, ex quibus deſcenderant, jam alieno (peditum nempe ipſorum) more prœlium pedibus ineant, ne ſic quidem æquare ipſi poſſent.

1. *Fortium virorum operam edebant.*] Scribit cum pluribus Mſſ. Gronov. *operam edebant:* ſic enim noſter lib. 5. *An ſi ad calculos eum reſp. vocet: non meritò dicat, annuam aram habes, annuam operam edo.* Eam loquendi formam veteribus in uſu fuiſſe pro eo quod dicimus vulgò *Faire l'ouvrage, faire la fonction, ou rendre le ſervice que l'on doit à quelqu' un.* Qui quidem ſenſus non videtur a mente auctoris abhorrere, ut velit tantum milites *minùs ſtrenuos* ubi increparentur *fortium virorum ſtrenuam operam præſtitiſſe; ils agiſſoient & ſe comportoient en gens de cœur;* non tamen eos idcirco ſequitur fortium virorum opera, & præclara facinora ſtatim repræſentaſſe, *faiſoient des coups de valeur, & des actions extraordinaires,* quod ſanè plus eſt.

2. *Non ſociorum ſicut in Algido.*] Æqui & Volſci ad Algidum victi Hernicorum & Latinorum, qui Romanorum ſocii, agros populati erant ſupra cap. 38. & 60. at Sabini ipſum agrum Romanorum: eod. cap. 38.

3. *Malignè Senatus in unum diem ſupplicationes.*] Rebus feliciter geſtis decerni ſolitæ gratulationis causâ ſupplicationes ad templa Deorum, ſive ad omnia pulvinaria, *des ſacrifices, & des prieres publiques:* ſed hoc malignè, quod cum duæ ex diverſis hoſtibus victoriæ eſſent reportatæ, non niſi in unum diem indictæ erant ſupplicationes, cum de more pro unaquaque victoria, non modò unius, ſed poſterioribus temporibus ſæpe plurium dierum ſupplicatio decerneretur: adeò ut decem dierum ſupplicatio Pompejo decreta ſit confecto Mithridatico bello; Cæſari quindecim, imò ipſe tradit, viginti poſteà dierum.

ſtudiis propè celebratior fuit. Conſules ex compoſito, [4] eodem biduo ad urbem acceſſere, ſenatumque in Martium campum evocavere. ubi quum de rebus ab ſe geſtis agerent, queſti primores Patrum ſenatum inter milites dicta opera terroris cauſa haberi. itaque inde Conſules, [5] ne criminationi locus eſſet, in prata Flaminia, ubi nunc ædes Apollinis eſt [5] * (jam tum Appollinarem appellabant) avocavere ſenatum. Ubi quum ingenti conſenſu Patrum [6] negaretur triumphus, L. Icilius tribunus plebis tulit ad populum de triumpho Conſulum: multis diſſuaſum prodeuntibus, maximè C. Claudio vociferante, *De Patribus, non de hoſtibus conſules triumphare velle: gratiamque pro privato merito in tribunum, non pro virtute honorem peti. nunquam ante de triumpho per populum actum, ſemper æſtimationem arbitriumque ejus honoris penes ſenatum fuiſſe. ne reges quidem majeſtatem ſummi ordinis immiſſe; [7] ne ita omnia tribuni poteſtatis ſuæ implerent, ut nullum publicum conſilium ſinerent eſſe. Ita demum liberam civitatem fore, ita æquatas leges, ſi ſua quiſque jura ordo, ſuam majeſtatem teneat.* In eandem ſententiam multa & à cæteris ſenioribus Patrum cum eſſent dicta, [8] omnes tribus eam rogationem acceperunt. Tum primum ſine auctoritate ſenatus, populi juſſu triumphatum eſt.

Urb. cond. an. 305. Coſſ. L. Valer. & M. Horat.

LXIV. Hæc victoria tribunorum plebiſque prope [a] in haud ſalubrem luxuriam vertit; conſpiratione inter tribunos facta,

INTERPRETATIO.

a *Deflexit in damnoſam petulantiam.*

NOTÆ.

4. *Eodem biduo.*] Eodem tempore, ut unus pridie, alter poſtridie ad urbem accederet.

5. *Jam tum Apollinarem.*] Apud Aldum alioſque eum ſequutos; eſt, *Circum jam tum Apollinarem.* Et verò Circus eo loco poſteà fuit, Flaminius dictus à C. Flaminio Cenſore ducentis ferè poſt annis extructus, quem & Apollinarem dixere, ab vicina æde Apollinis. Sed non *jam tum.* Prata erant Flaminia, ut extremo cap. 54. teſtatur Livius. illud *jam tum* referendum quidem videretur ad Circum, ſi jam eo tempore Circus ibi fuiſſet; qui tunc Apollinaris, poſteà Flaminius dictus eſt: à quo Circo nomen deinde accepit regio urbis IX. tum extra urbem, neque enim magiſtratibus qui triumphum peterent mœnia ingredi licebat. Sed vocem illam *Circum* in Mſſ. deſiderari Rhenanus notavit; *Apollinarem* vel ut Gronov. mavult, neſcio an rectè, *Apollinar*, refer ad ædem illam Apollinis.

6. *Negaretur triumphus.*] Et hoc malignè; Caſtris quippe tam Æquorum & Volſcorum, quàm Sabinorum, non ſine ingenti cæde, ac præda captis, credibile eſt plus quinque millibus hoſtium utrobique cæſa, quod ad triumphi honorem deſiderabatur, auctoribus Valer. Max. lib. 2. cap. 8. & Dione lib. 37. Sed hæc ex odio patrum in hos Conſules nimis populares.

7. *Ne ita omnia Tribuni poteſtatis ſuæ implerent.*] Ne ſcilicet Tribuni poteſtatem ſuam ad omnia porrigerent, ejuſque prætextu, ita ſibi cuncta arrogarent, atque ad ſe traherent.

8. *Omnes tribus eam rogationem acceperunt.*] Uti rogaverat L. Icilius Tribunus plebis de Triumpho L. Valerii, & M. Horatii, omnes tribus ſuffragiis ſuis ita juſſerunt; factumque eâ de re plebiſcitum, non habitâ ratione eorum quæ à C. Claudio, aliiſque Senatoribus dicta eſſent. Hi ergo primi omnium injuſſu Senatus triumpharunt.

Urb. cond. an. 304. Coſſ. L. Valer. & M. Horat.

ut iidem tribuni reficerentur. & [b] quo ſua minus cupiditas eminere[t], conſulibus quoque continuarent magiſtratum. [1] Conſenſum Patrum cauſabantur, quo per contumeliam conſulum jura plebis labefacta eſſent. *Quid futurum, nondum firmatis legibus ſi novos tribunos per factiones ſuas conſules adorti eſſent? non enim ſemper Valerios Horatioſque conſules fore, qui libertati plebis ſuas opes poſtferrent.* [c] Forte quadam utili ad tempus, [2] ut comitiis præeſſet, potiſſimum M. Duilio ſorte evenit, viro prudenti, & ex continuatione magiſtratus invidiam imminentem cernenti. qui [3] quum ex veteribus tribunis negaret *ullius ſe rationem habiturum*, [4] pugnarentque collegæ ut liberas tribus in ſuffragium mitteret, aut concederet ſortem comitiorum collegis, habituris è lege potius comitia, quam ex voluntate Patrum; injecta contentione Duilius Conſules ad ſubſellia accitos, quum interrogaſſet, *quid de comitiis conſularibus in animo haberent*, reſpondiſſentque, *ſe novos Conſules creaturos*; [5] auctores popularis ſententiæ haud populares nactus, in concionem cum iis proceſſit. Ubi quum Conſules producti ad populum, interrogati-

INTERPRETATIO.

b *Ut ambitio ipſorum minùs appareret.*

c *Caſu quodam ad tempus accommodato* factum eſt ut *M. Duilio viro prudenti pra cæteris ſors habendorum comitiorum potius evenerit, quàm ulli collegarum.*

NOTÆ:

1. *Conſenſum patrum cauſabantur.*] Eam ambitioni ſuæ cauſam prætexebant, quod patriciorum factione ſubnixi ſuperiorum annorum Conſules, jura plebis aſſiduis contumeliis & vexationibus infregiſſent; cui incommodo nulla ratione alia melius obviam iri poſſet, quam ſi Conſules & Tribuni, qui nunc concordibus animis utilitatem plebis curabant, in ſuo quiſque magiſtratu permanerent, donec firmatis legibus res in tuto collocatæ eſſent. Poſſemus & *contumeliam Conſulum* paſſivè accipere: ut vellent periculoſum plebi eſſe, quod Valerio & Horatio triumphus conſenſu patrum, negatus eſſet: futurum enim ut hac contumelia, quæ Conſulibus popularibus illata eſſet, novi Conſules ſegniores fierent ad tuendam plebem: atque ita novis Tribunis per factiones ſuas negotium facceſſerent.

2. *Ut Comitiis præeſſet.*] Comitia intellige Tribunicia, creandorum nempe Tribunorum cauſa. Neque enim plebejo Magiſtratui Tribuno, qualis erat Duilius, licuit Conſularibus comitiis præeſſe, ut quæ majorum magiſtratuum creandorum propriis auſpiciis haberentur.

3. *Cum ex veteribus Tribunis negaret ullius ſe habiturum rationem.*] Ajebat Duilius, ſi quis ex Tribunis qui magiſtratu abibant, iterum ſuffragiis creatus eſſet, fore ut ipſe neminem eorum renunciaret.

4. *Pugnarentque collegæ ut liberas Tribus.*] Reliqui Tribuni plebis à Duilio contendebant, ut ſine ulla conditione permitteret tribubus ſuffragia ſua liberè in quoſcumque vellent, etiam in prioris anni Tribunos, ferre: aut certè ut ipſe remiſſâ comitiorum habendorum ſorte, quæ illi obtigerat, eo munere abſtineret; juſque illud in Collegas transferret.

5. *Auctores popularis ſententiæ, haud populares nactus.*] Cum inveniret extra plebejum ordinem aliquos auctores ſuæ ſententiæ quæ natura ſua popularis erat, utpote juris, moriſque retinens, de magiſtratibus ſcilicet non reficiendis, ſed continuandis.

que

que, *ſi eos P. R. memor libertatis per illos receptæ domi, memor militiæ rerumque geſtarum conſules iterum faceret, quidnam facturi eſſent*, 6 nihil ſententiæ ſuæ mutaſſent; collaudatis Conſulibus, quod perſeverarent ad ultimum, diſſimiles Decemvirorum eſſe, comitia habuit: & quinque tribunis plebis creatis, quum præ ſtudiis apertè petentium novem tribunorum, 7 alii candidati tribus non explerent, concilium dimiſit: nec deinde comitiorum causâ habuit. 8 Satisfactum legi ajebat, quæ numero nuſquam præfinito tribunis, modo ut relinquerentur, ſanciret; & ab iis qui creati eſſent, cooptari collegas juberet. Recitabatque 9 rogationis carmen, in quo, 10 *Si tribunos plebei decem rogabo, ſi quos minus hodie decem tribunos plebei fecerint; bi tum uti quos ſibi collegas cooptaſſint, ut illi legitimi eadem lege tribuni plebei ſint, ut illi quos hodie tribunos plebei feceritis.* Duilius quum ad ultimum perſeveraſſet, negando *quindecim tribunos plebis rempubl. habere poſſe*, victa collegarum cupiditate, pariter Patribus plebique acceptus, magiſtratu abiit. Urb. cond. an. 305. Coſſ. L. Valer. & M. Horat.

LXV. Novi tribuni plebis in cooptandis collegis Patrũ volũtatẽ foverunt. duos etiã

NOTÆ.

6. *Nihil ſententiæ ſuæ mutaſſent.*] Horatius nempe & Valerius perſtabant in priori ſua ſententia, creandi novos Conſules, nec prorogandi ſibi ipſis eam dignitatem.

7. *Alii candidati Tribus non explerent.*] Sigonius rectè opinor *Tribus non explere* interpretatur non poſſe legitimum ſuffragiorum numerum ferre, quod alibi dixit noſter *legitima ſuffragia non conficere.* Etenim à majori Tribuum parte candidatum quemque nominari oportebat, ut renunciari poſſet: atque ita, deſiderabantur hoc tempore tredecim tribuum ſuffragia: poſtquam autem tribuum numerus ad 35. excrevit, neceſſe erat in unum quemque concurrere ſuffragia octodecim Tribuum. Intelligenda enim hic ſunt comitia Tributa, utpote creandis Tribunis plebis. Unde nihil erat quod ambigeret Glareanus num *Tribus* pro *claſſe* diceretur à Livio. Porrò ex eo quod initio concionis Conſules extra ordinem à Duilio vocati comitiis interfuerint, non ſequitur eos comitia peregiſſe.

8. *Satisfactum legi ajebat.*] Intelligitur, opinor, lex quam ipſe Duilius anno ſuperiori tulerat, cap. 55. cujus & Diodorus Siculus meminit lib. 12. ut Tribuni plebis anno magiſtratus ſui exacto, mox alios in annum ſequentem deſignarent.

9. *Rogationis carmen.*] Variè vexatus à Rhenano, Glareano, Sigonio locus, quo continetur *Carmen*, id eſt verba ipſa legis, de Tribunis creandis latæ. Hanc quidam interpretantur pro ea quæ de duplicando numero Tribunorũm plebis lata fuerat an. u. c. 297. Q. Minutio, C. Horatio Conſulibus ſupra cap. 30. Alii probabilius ipſius Duilii legem de neceſſitate creandorum Tribunorum intelligunt.

10. *Si Tribunos plebei decem rogabo.*] Verba ſunt Tribuni ad populum legem ferentis: ut ſi ipſe decem Tribunos plebis creandos propoſuerit; & nihilominus quacumque ratione factum fuerit, ut minus quàm decem ea die à populo legitimis ſuffragiis creentur: ut iis qui legitimè facti fuerint, alios ſibi collegas uſque ad numerum denarium cooptare liceat, qui ab eis ſic cooptati, non minùs jure facti cenſeantur quam quos ipſe populus creaverit. Sed hãc Collegarum cooptandorum facultatem quam Tribuni ab initio habuiſſe videntur, ut ſuprã lib. 2. cap. 33. ſuſtulit anno ſequenti lex Trebonia.

Urb. cond. an. 306. Coss. Lar. Herm. & T. Virgin.

patricios consulareſque, 1 Sp. Tarpejum & A. Aterium cooptavêre. Consules creati, Lar. Herminius, T. Virginius Cœlimontanus, nihil magnopere ad Patrum aut plebis causam inclinati, otium domi ac foris habuêre. 2 L. Trebonius tribunus plebis infestus Patribus, quod se ab iis in cooptandis tribunis fraude captum, proditum à collegis, ajebat, rogationem tulit, 2 *ut qui plebem Romanam tribunos plebis rogaret, is usque eo rogaret, dum decem tribunos plebis faceret*: insectandisque Patribus, unde *Aspero* etiam indium est cognomen, tribunatum gessit. Inde M. Geganius Macerinus, & C. Julius Consules facti, 3 coitiones tribunorum adversus nobilium juventutem ortas, sine insectatione potestatis ejus, conservata majestate Patrum, sedavere. 4 plebem, decreto ad bellum Volscorum & Æquorum delectu, sustinendo rem, ab seditionibus continuere: urbano quoque otio foris omnia tranquilla esse affirmantes, per discordias civiles b externos tollere animos. Cura pacis, concordiæ quoque intestinæ causa fuit. sed alter semper ordo gravis alterius modestiæ erat. quiescenti plebi ab junioribus Patrum injuriæ fieri cœptæ. ubi tribuni auxilio humilioribus essent, in primis parum proderat: deinde 5 ne ipsi quidem inviolati erant; utique postremis mensibus, quum & per coitiones potentiorum injuria fieret, & vis potestatis omnis aliquanto posteriore anni parte languidior fermè esset: jamque plebs ita in tribunatu ponere aliquid spei, si similes Icilio tribunos haberet:

Urb. cond. an. 307. Coss. M. Geganius & C. Jul.

INTERPRETATIO.

2 Ut Magistratus, *qui ad plebem Rom. creati essent. de creandis Tribunis plebis referret, tandiu suffragia exquireret, donec decem*

b *Externis hostibus animum crescere.*

NOTÆ.

1. *Spur. Tarpejum, & A. Aterium.*] Consules ambo fuerant anno 300. sup. c. 31. Nunc itaque primùm Patriciis delatus Tribunatus plebis, cujus hactenus exsortes fuerant ex Lege post secessionem primam constituta mutuo ordinum consensu, sup. lib. 2. cap. 33.

2. *L. Trebonius.*] Hic Legis Treboniæ auctor, è numero quinque Tribunorum fuit suffragiis Tribuum creatorum: quæritur enim in aliis quinque cooptandis se deceptum. Illius Legem suprà interpretati sumus.

3. *Coitiones Tribunorum.*] Mss. habent *conciones*. Non probat Sigonius, *concliones ortas*: ideoque vel repugnantibus priscis, *coitiones* vel *contentiones* reponit. Quod vitio quidem caret: sed vereor ut ea de causa omnium codicum fides convelli debeat. *Conciones ortas* ego quidem absolutè non dixerim: sed *conciones Tribunorum adversus nobilium juventutem ortas*, non multò magis damnaverim, quàm *tibi a me nulla est orta injuria*: quod Terentius dixit: aut *facinus ex te ortum*, quod Plauti est.

4. *Plebem decreto, &c.*] Hic est, ni fallor, sensus: Consules, continendo plebem metu delectus ob bellum Volscorum & Æquorum indicti, rempublicam seditionibus vacuam habuisse.

5. *Ne ipsi quidem inviolati erant; utique.*] Tribuni qui legibus inviolabiles, tamen reipsa non semper inviolati erant: præsertim ultimis Tribunatus mensibus,

nomine tantum ſe biennio habuiſſe. Seniores contra Patrum, ut nimis feroces ſuos credere juvenes eſſe, ita malle, ſi modus excedendus eſſet, ſuis quam adverſariis ſupereſſe animos. ADEO c MODERATIO TUENDÆ libertatis, dum æquari velle ſimulando ita ſe quiſque tollit, ut deprimat alium, in difficili eſt; cavendoque ne metuant homines, metuendos ultro ſe efficiunt: & injuriam à nobis repulſam, tanquam aut facere aut pati neceſſe ſic, injungimus aliis. Urb. cond. an. 308. Coſſ. T. Quint. Capitol. IV. & Agr. Fur.

LXVI. T. Quintius Capitolinus quartum, & Agrippa Furius Conſules inde facti, nec ſeditionem domi, nec foris bellum acceperunt: ſed imminebat utrumque. Jam non ultra diſcordia civium reprimi poterat, & tribunis & plebe incitata in Patres, quum dies alicui nobilium dicta novis ſemper certaminibus conciones turbaret. ad quarum primum ſtrepitum, velut ſigno accepto arma cepere Æqui ac Volſci: ſimul quod perſuaſerant iis duces cupidi prædarum, biennio ante delectum indictum haberi non potuiſſe, abnuente jam plebe imperium. *eo, adverſus ſe non eſſe miſſos exercitus, diſſolvi licentia militandi morem, nec pro communi jam patria Romam eſſe. quicquid irarum ſimultatumque cum externis fuerit, in ipſos verti.* 1 *occæcatos lupos inteſtina rabie opprimendi occaſionem eſſe.* Conjunctis exercitibus Larinum primùm agrum populati ſunt: deinde, poſtquam ibi nemo vindex occurrebat, tum vero exultantibus belli auctoribus, ad mœnia ipſa Romæ populabundi 2 regione portæ Eſquilinæ acceſſere; vaſtationem agrorum urbi per contumeliam oſtentantes. unde poſtquam imulti prædam præ ſe agentes, retro ad Corbionem agmine jêre, Quintius conſul ad concionem populum vocavit. Ibi in hanc ſententiam locutum accipio:

LXVII. *Etſi mihi nullius noxæ conſcius, Quirites, ſum, tamen cum pudore ſummo in concionem veſtram proceſſi. Hoc vos ſcire, hoc poſteris memoriæ traditum iri, Æquos & Volſcos vix Hernicis modo pares, T. Quintio quartum Conſule ad mœnia vobis Romæ impune armatos veniſſe. Hanc ego ignominiam (quamquam jam diu ita vivitur, is ſtatus rerum eſt, ut nihil boni divinet animus) ſi huic potiſſimum imminere anno ſciſſem, vel exilio, vel morte*

INTERPRETATIO.

c *Moderatio in libertate tuenda.*

NOTÆ.

6. *Nomine tantùm.*] Querebatur plebs ſibi eo biennio, non re ſed nomine tantum Tribunos, ſive vindices fuiſſe.

1. *Occæcatos lupos.*] Dari nunc ajebant præclaram occaſionem opprimendi Romanos, qui luporum inſtar rabie excæcati mutuo ſæviant. Comparantur Romani lupis ſæpiùs, alluſione ad Lupam altricem Romuli facta.

2. *Regione portæ Eſquilinæ.*] Porta Eſquilina ab Eſquiliis dicta ea erat, qua Prænestè & Gabios ibatur. Clauſam hodie affirmat Fam. Nardinus, ſitamque fuiſſe inter Portam quam Majorem vocant, & eam quæ dicitur S. Laurentii.

Urb. cond. an. 308. Coss. T. Quint. Capitol. IV. & Agr. Fur.

a *si alia fuga honoris non esset, vitassem. Ergo,* 1 *si viri arma illa habuissent, quæ in portis fuere nostris, capi Roma me Consule potuit? satis honorum, satis superque vitæ erat. mori consulem tertium oportuit. Quem tandem ignavissimi hostium contempsêre? nos consules? an vos Quirites? Si culpa in nobis est, auferte imperium indignis: & si id parum est, insuper pœnas expetite.* 2 *Si in vobis? nemo Deorum nec hominum sit, qui vestra puniat peccata; Quirites, vosmet tantum pœniteat. Non illi vestram ignaviam contempsere, nec suæ virtuti confisi sunt; quippe toties fusi fugatique, castris exuti, agro multati, sub jugum missi, & se & vos novere. Discordia ordinum est,* 3 *venenum urbis hujus; Patrum ac plebis certamina: dum nec nobis imperii, nec vobis libertatis est modus, dum tædet vos patriciorum, nos plebejorum magistratuum, sustulere illi animos. Prô Deûm fidem, quid vobis vultis?* 4 *Tribunos plebis concupistis. concordiæ causa concessimus.* 5 *Decemviros desiderastis. creari passi sumus.* 6 *Decemvirorum vos pertæsum est. coëgimus abire magistratu. Manente in eosdem privatos ira vestra,* 7 *mori atque exulare nobilissimos viros honoratissimosque passi sumus.* 8 *Tribunos plebis creare iterum voluistis. creastis. Consules facere vestrarum partium, etsi Patribus videbamus iniquum,* 9 *patricium quoque magistratum plebi donum fieri vidimus: auxilium tribunicium, provocationem ad populum,* 10 *scita plebis injuncta patribus, sub titulo æquandarum legum nostra jura oppressa tulimus & ferimus. Qui finis erit discordiarum? Ecquando unam urbem habere, ecquando communem hanc esse patriam licebit? Victi nos æquiore animo quievimus, quam vos victores.* b *satisne est, nobis vos metuendos esse?* 11 *Adversus nos Aventinum capitur: adversus nos Sacer occupatur mons.* 12 *Esquilias qui-*

INTERPRETATIO.

a *Si non aliter liceret magistratum vitare.*

b *Annon etiam nimium est vos* plebejos *nobis* patriciis *esse terrori.*

NOTÆ.

1. *Si viri arma illa habuissent.*] Significat non arma hostibus, sed animum hostium armis defuisse; qui si virili animo fuissent præditi, urbem indefensam capere potuissent.

2. *Si in vobis.*] Supple *culpa est*; & si vitio vestro, inquit, id malum contigit: opto atque oro ut nec Deus, nec homo ullus delicta vestra ulciscatur: sed ea vos ipsi pœnitendo corrigatis.

3. *Venenum hujus urbis.*] Dixit anteà Tribunicio veneno.

4. *Tribunos plebis concupistis.*] Vide lib. 2. cap. 32. & 33.

5. *Decemviros desiderastis.*] Sup. hujus lib. cap. 31. & 33.

6. *Decemvirorum pertæsum est,*] c. 53. & 54.

7. *Mori, atque exulare.*] c. 58.

8. *Tribunos plebis iterum.*] c. 54.

9. *Patricium quoque magistratum plebi donum.*] Cum delatus esset Valerio & Horatio plebis adeo studiosis Consulatus c. 55.

10. *Scita plebis injuncta patribus.*] Lege Horatiâ, quâ plebiscita pro legibus etiam in Patricios valere jussa, Cap. 55.

11. *Adversus nos Aventinum capitur.*] Aventinus mons masculino plerumque genere effertur: hic neutro, quasi subintelligatur jugum. Sic *Rhenum* aliquando neutro genere dicimus, cum additur flumen.

dem ab hoſte prope captas, 13 *& ſcandentem in aggerem Volſcum hoſtem nemo ſubmovit.* 14 *in nos viri, in nos armati eſtis.*

LXVIII. *Agite dum, ubi hic curiam circumſederitis, & forum infeſtum feceritis, & carcerem impleveritis principibus; iiſdem iſtis ferocibus animis egredimini extra portam Eſquilinam: aut ſi ne hoc quidem audetis, ex muris viſite agros veſtros, ferro ignique vaſtatos, prædam abigi, fumare incenſa paſſim tecta. Atenim communis res per hæc loco eſt pejore. ager uritur, urbs obſidetur, belli gloria penes hoſtes eſt. Quid tandem?* 1 *privatæ res veſtræ quo ſtatu ſunt? Jam unicuique ex agris ſua damna nunciabuntur. quid eſt tandem domi,* a *unde ea expleatis?* 2 *Tribuni vobis amiſſa reddent ac reſtituent? vocis verborumque quantum voletis, ingerent, &* b *criminum in principes & legum aliarum ſuper alias, & concionum. Sed ex illis concionibus numquam veſtrum quiſquam re, fortuna, domum auctior rediit. Ecquis retulit aliquid ad conjugem & liberos, præter odia, offenſiones, ſimultates publicas privataſque?* 3 *à quibus ſemper non veſtra virtute innocentiaque, ſed auxilio alieno tuti ſitis. At Hercules,* 4 *quum ſtipendia, nobis conſulibus, non tribunis ducibus, & in caſtris, non in foro faciebatis, & in acie veſtrum clamorem hoſtes, non in concione Patres Romani horrebant; prædâ partâ, agro ex hoſte capto, pleni fortunarum gloriæque ſimul publicæ, ſimul privatæ, triumphantes domum ad penates redibatis. nunc oneratum veſtris fortunis hoſtem abire ſi-*

Urb. cond. an. 308. Coſſ. T. Quint. IV. & Agr. Fur.

INTERPRETATIO.

a *Unde poſſitis* damna *illa reſarcire?*
b *Criminationum in viros primarios.*

NOTÆ.

12. *Eſquilias quidem ab hoſte propè captas.*] *Eſquilia* vel *Exquilia* dicuntur prò monte Eſquilino, ubi nunc Eccleſia Sanctæ Mariæ Majoris, ſed de his l. 2. c. 12. & alibi.

13. *Et ſcandentem in aggerem Volſcum.*] Eſquilinus enim collis ab ea parte adibatur per aggerem Tarquinii ſuperbi, quod Gronovius notavit.

14. *In nos viri.*] In Patricios tantùm virilem induitis animum.

1. *Privata res veſtra quo ſtatu ſunt.*] Sic ex optimis libris, elegantius quàm *quo in ſtatu ſunt*. Oſtendit male ſe habere non minus rem cujuſque familiarem, quàm publicam.

2. *Tribuni vobis amiſſa reddent.*] Duo Mſſ. teſte Gronov. habent, *ſunt Tribuni: vobis amiſſa reddent.* Quaſi fingendo plebis reſponſionem, diceret. Pro tot tàtorumque damnorum pretio Tribunos habemus. Hoc ſat eſt. Adverſus quæ replicat: ſed an illi vobis detrimenta rei familiaris ſarcient?

3. *A quibus ſemper non veſtra virtute.*] Nec propria vis, nec innocentia veſtra vos præſtare tutos poteſt adverſus publicas contentiones, privataque odia inde orta? ſed tutela omnis veſtra ſemper ab aliena, & precario emendicata tribunorum pendet voluntate.

4. *Quum ſtipendia, nobis Conſulibus.*] Stipendiorum uſus adhuc Romanis incognitus: unde non videtur T. Quintius eorum mentionem facere potuiſſe. Sed, ut Poetæ, ita & hiſtorici ſæpe juxta uſum temporum ſuorum, non tantùm ex ſua, ſed & ex veterum perſona quos loquentes inducunt, res explicare ſolent. Dixit itaque *ſtipendia faciebatis*, pro *bellum gerebatis.*

Urb. cond. an. 308. Coſſ. T. Quint. & Agr. Fur.

nitis. Hærete affixi concionibus, & in foro vivite. ſequitur vos neceſſitas militandi quam fugitis. Grave erat in Æquos & Volſcos proficiſci. Ante portas eſt bellum. ſi inde non pellitur, jam intra mœnia erit, & arcem & Capitolium ſcandet, & in domos veſtras vos perſequetur. Biennio ante ſenatus delectum haberi, & educi exercitum in Algidum juſſit. ſedemus deſides domi, mulierum ritu inter nos altercantes; præſenti pace lati, nec cernentes ex otio illo brevi multiplex bellum rediturum. His ego gratiora dictu alia eſſe ſcio: ſed me c *vera pro gratis loqui, etſi meum ingenium non moneret, neceſſitas cogit. Vellem equidem vobis placere, Quirites: ſed multo malo vos ſalvos eſſe; qualicunque erga me animo futuri eſtis. Natura hoc ita comparatum eſt, ut qui apud multitudinem* d *ſua cauſa loquitur, gratior eo ſit, cujus mens nihil præter publicum commodum videt. niſi forte aſſentatores publicos, plebicolas iſtos, qui vos nec in armis, nec in otio eſſe ſinunt, veſtra vos cauſa incitare & ſtimulare putatis. 5 Concitati, aut honori aut quæſtui illis eſtis: & quia in concordia ordinum nullos ſe uſquam eſſe vident, malæ rei ſe quam nullius, turbarum ac ſeditionum, duces eſſe volunt. Quarum rerum ſi vos tædium tandem capere poteſt, & patrum veſtroſque antiquos mores vultis pro his nouis ſumere; nulla ſupplicia recuſo, niſi paucis diebus hos populatores agrorum noſtrorum fuſos fugatoſque caſtris exuero. & à portis noſtris mœnibuſque ad illorum urbes hunc belli terrorem, quo nunc vos attoniti eſtis, tranſtulero.*

LXIX. Raro alias tribuni popularis oratio acceptior plebi, quam tunc ſeveriſſimi conſulis fuit. Juventus quoquo, quæ inter tales metus detrectationem militiæ, telum acerrimum adverſus Patres habere ſolita erat, bellum & arma ſpectabat; & agreſtium fuga, ſpoliatique in agris & vulnerati, 1 fœdiora iis, quæ ſubjiciebantur oculis, nunciantes, totam urbem ira implevêre. In ſenatum ubi ventum eſt, ibi vero in Quintium omnes verſi, ut unum vindicem majeſtatis Romanæ intueri, & primores Patrum *dignam* dicere *concionem imperio conſulari, dignam tot conſulatibus anteactis, dignam vita omni plena honorum ſæpe geſtorum, ſæpius meritorum. Alios conſules aut per proditionem dignitatis*

INTERPRETATIO.

c *Vera potiùs quam grata.*

d *In ſuum privatum commodum ſermone blando utitur.*

NOTÆ.

5. *Concitati, aut honori*] Cum vos adverſus Senatum concitarunt Tribuni, honorem ex eo, aut lucrum capiunt, aut captant: & quia vident ſe nullo in pretio habendos, ſi concordia inter ordines ſervetur; malunt in re mala quam in nulla duces fieri.

1. *Fœdiora iis, quæ ſubjiciebantur oculis, nunciantes.*] Fugientes ex agris partim ſpoliati, partim ſauci, nuditatem, ac vulnera ſua oculis ſubjiciebant; ſed adhuc pejora, magiſque horrenda nunciabant, incendia putà, cædes aliaque ejuſmodi.

Patrum plebi adulatos; aut acerbe tuendo jura ordinis, [2] *aſperiorem domando multitudinem feciſſe: T. Quintium* [3] *orationem memorem majeſtatis Patrum, concordiæque ordinum, & temporum imprimis habuiſſe. Orare eum collegamque, ut capeſſerent rempubl. orare tribunos, ut uno* 5 *animo cum conſulibus bellum ab urbe ac mœnibus propulſari vellent, plebemque obedientem in re tam trepida Patribus præberent:* [2] *appellare tribunos communem patriam, auxiliumque eorum implorare, vaſtatis agris, urbe prope oppugnata.* Conſenſu omnium delectus decernitur habeturque. Quum conſules in concione pronunciaſſent, [4] *Tempus non eſſe cauſas cog-* 10 *noſcendi; omnes juniores poſtero die prima luce in campo Martio adeſſent: cognoſcendis cauſis eorum qui nomina non dediſſent, bello perfecto ſe daturos tempus pro deſertore futurum, cujus non probaſſent cauſam:* omnis juventus affuit poſtero die. [5] Cohortes ſibi quæque centuriones legerunt; [6] bini ſenatores ſingulis cohortibus præpoſiti. Hæc omnia 15 adeo mature perfecta accepimus, ut ſigna eo ipſo die à quæſtoribus ex ærario prompta [7] delataque in campum, [8] quarta diei hora mota ex campo ſint: exercituſque novus, paucis cohortibus veterum militum voluntate ſequentibus, manſerit ad decimum lapidem. Inſequens

Urb. cond. an. 308. Coſſ. T. Quint. & Agr. Fur.

INTERPRETATIO.

[2] *Romam, quæ patria communis ſit, invocare* atque *obteſtari* Tribunos.

NOTÆ.

2. *Aſperiorem domando feciſſe multitudinem.*] Ferociorem reddidiſſe, eam ultra modum premendo, domandi ac ſubigendi animo.

3. *Orationem memorem majeſtatis patrum.*] Memoria animantium eſt. Hic tamen orationem memorem majeſtatis dicit Livius, cum propriè velit dignam majeſtate; quam qui habebat, memor fuerat majeſtatis: tranſlatione ducta ab homine ad opus, atque affectum hominis, non alia ratione quam Virgil. dixit, *Sæva memorem Junonis ob iram* id eſt ob iram Junonis, cujus memoria nondum ei exciderat: ſic Horatius *impreſſit memorem dente labris notam* pro morſu cujus diu memor erit præ dolore is qui eſt impetitus.

4. *Tempus non eſſe cauſas cognoſcendi.*] Nunc tempus non permittere, ut Conſules cognoſcendis excuſationum cauſis vacarent: confecto bello ei cognitioni daturos operam; ita ut eum cujus cauſa ab ipſis comprobata non eſſet, tanquam deſertorem punirent.

5. *Cohortes ſibi quaque Centuriones legerunt.*] In legione fuere cohortes decem, centuriæ ſexaginta, ut tum alii, tum L. Cincius apud A. Gellium docet lib. 16. cap. 4. Fuerunt igitur in quaque cohorte Centuriæ, ac Centuriones ſex. Hi nunc ab ipſa cohorte lecti.

6. *Bini Senatores ſingulis cohortibus præpoſiti.*] Hoc novum, & extra ordinem: nam ſingulis cohortibus præerant ſinguli Tribuni partim à populo, partim à Conſulibus lecti. Sed præſens diſcrimen duplicari numerum præfectorum, & Senatores cohortibus præfici ſuaſit. Vel ex hoc loco patet falli eos, qui nullam cohortium mentionem in tota Livii hiſtoria fieri ajunt, ejuſque inſtituti, aut nominis auctorem fuiſſe Marium.

7. *Delataque in campum.*] Servabantur itaque ſigna à Quæſtoribus.

8. *Quarta diei hora.*] Mira celeritas, quatuor intra horas perfectus delectus, exercituſque armatus, & ad iter, prœliumque comparatus; confecit decem milliaria intra horas octo.

dies hoſtem in conſpectum dedit: caſtraque 9 ad Corbionem caſtris ſunt conjuncta. Tertio die quum ira Romanos; illos, quum toties rebellaſſent, conſcientia culpæ ac deſperatio irritaret, mora dimicandi nulla eſt facta.

Urb. cond. an. 308. Coſſ. T. Quint. & Agr. Fur.

LXX. In exercitu Romano quum duo conſules eſſent poteſtate pari; quod ſaluberrimum in adminiſtratione magnarum rerum eſt, ſumma imperii, concedente Agrippa, penes collegam erat: & prælatus ille facilitati ſummittentis ſe comiter reſpondebat; communicando conſilia laudeſque, & æquando imparem ſibi. In acie Quintius dextrum cornu, Agrippa ſiniſtrum tenuit: Sp. Poſtumio Albo legato datur media acies tuenda: legatum alterum Ser. Sulpicium equitibus præficiunt. Pedites ab dextro cornu egregiè pugnavêre; haud ſegniter reſiſtentibus Volſcis. Ser. Sulpicius per mediam hoſtium aciem cum equitatu perrupit. unde quum eàdem reverti poſſet ad ſuos, priuſquam hoſtis turbatos ordines reficeret, terga impugnare hoſtium ſatius viſum eſt. momentoque temporis in averſam incurſando aciem 1 ancipiti terrore diſſipaſſet hoſtes, aa 2 ni ſuo proprio eum prælio equites Volſcorum & Æquorum exceptum aliquandiu tenuiſſent. Ibi vero Sulpicius, *Negare cunctandi tempus eſſe, 3 circumventos intereluſoſque ab ſuis* vociferans, *ni equeſtre prælium conniſi omni vi perfiecrent. 4 Nec fugare equitem integrum ſatis eſse, conficerent equos viroſque, ne quis reveheretur inde ad prælium, aut integraret pugnam. non poſſe illos reſiſtere ſibi, quibus conferta peditum acies ceſſiſſet.* 5 Haud ſurdis auribus dicta: impreſſione una totum equitatum fudêre, 6 magnam vim ex equis præcipitavêre:

NOTÆ.

9. *Ad Corbionem.*] Oppidum id fuit in finibus Æquorum & Latinorum, de quo ante ſæpius.

1. *Ancipiti terrore.*] Anceps erat hoſtibus terror, non à ſolo Sulpicio, qui nunc non niſi à tergo incurſabat; ſed hinc ab Sulpicii equitibus, inde à Legionibus mediæ aciei, quæ à fronte pedites hoſtium impugnabat.

2. *His ſuo proprio eum prælio.*] Nimirum equeſtri prælio, quo genere ipſe Sulpicius equitatui præfectus perruptum peditatum hoſtilem, à tergo urgebat: idque intento in illum unum, ejuſque equites, tam Æquorum quàm Volſcorum equitatu.

3. *Circumventos, intercluſoſque à ſuis.*] Duo hic diſtincta vociferabatur Sulpicius, quo ſuos ad connitendum incitaret; alterum circumventos ipſos ab hoſtibus & prope concluſos inter hoſtilem equitatum & peditatum: alterum intercluſos à ſuis, id eſt prorſus ſegregatos à proprio exercitu, ut ſpes deinde nulla reditus ad eos ſupereſſet. Eodem ſenſu dictum à Cœlio apud Cicer. epiſt. lib. 8. ep. 1. *Ipſum apud Bellovacos circumſideri, intercluſum ab reliquo exercitu.*

4. *Nec fugare equitem integrum ſatis eſſe.*] Non ſufficere ſi equites ſanos atque incolumes in fugam dederint: ſed opus eſſe eos cum equis occidi, ne pugnam integrare poſſint: nec verendum eſſe fore ut equites ſibi reſiſtant, Romanis ſcilicet, qui inſtructam & confertam peditum aciem univerſam perfregerint, ac cedere coegerint.

5. *Haud ſurdis auribus dicta.*] Hæc non fruſtra dicta, quaſi ſurdis: ſed hominibus qui & audierint & perfecerint imperata. Alluſio ad paræmiam vulgarem *ſurdo canis.*

6. *Magnam vim.*] Vis pro multitudine.

ipſos,

ipſos, equoſque ſpiculis confodêre. is finis pugnæ equeſtris fuit. Tùnc adorti peditum aciem, nuncios ad conſules rei geſtæ mittunt, ubi jam inclinabatur hoſtium acies. nuncius deinde vincentibus Romanis animos auxit, & referentes gradum perculit Æquos. In media primum acie vinci cœpti, [a] qua permiſſus equitatus turbaverat ordines. Siniſtrum deinde cornu ab Quintio conſule pelli cœptum; in dextro plurimum laboris fuit. Ibi Agrippa, ætate viribuſque ferox, quum omni parte pugnæ melius rem geri, quam apud ſe videret; accepta ſigna ab ſigniferis ipſe inferre, quædam jacere etiam in confertos hoſtes cœpit. [7] Cujus ignominiæ metu concitati milites, invaſere hoſtem. ita æquata ex omni parte victoria eſt. Nuncius tum à Quintio venit, victorem jam ſe imminere hoſtium caſtris, nolle irrumpere antequam ſciat debellatum & in ſiniſtro cornu eſſe. Si jam fudiſſet hoſtes, [8] conferret ad ſe ſigna, ut ſimul omnis exercitus prædâ potiretur. Victor Agrippa cum mutua gratulatione ad victorem collegam caſtraque hoſtium venit. ibi paucis defendentibus, momentoque fuſis, ſine certamine in munitiones irrumpunt: [9] prædaque ingenti compotem exercitum, ſuis etiam rebus recuperatis, quæ populatione agrorum amiſſæ erant, reducunt. Triumphum nec ipſos poſtulaſſe, nec delatum iis ab ſenatu, accipio: nec traditur cauſa ſpreti aut non ſperati honoris. Ego quantum in tanto intervallo temporum conjicio, quum Valerio atque Horatio conſulibus, qui præter Volſcos & Æquos Sabini etiam belli perfecti gloriam pepererant, negatus ab ſenatu triumphus eſſet, verecundiæ fuit pro parte dimidia rerum conſulibus petere triumphum. ne etiam ſi impetraſſent, magis hominum ratio, quam meritorum habita videretur. Urb. cond. an. 302. Coſſ. T. Quint. & Agr. Furt.

LXXI. Victoriam honeſtam ex hoſtibus partam, [1] turpe domi de finibus ſociorum judicium populi deformavit. [2] Aricini atque Ardeates de ambiguo agro quum ſæpe bello certaſſent, multis invicem cladibus feſſi, judicem populum Romanum cepere. Quum ad cau-

INTERPRETATIO.

a *Ea parte qua equitatus effuſo curſu immiſſus, &c.*

NOTÆ.

7. *Cujus ignominiæ metu.*] Nihil ignominioſius exercitui, quàm ſi ejus ſigna in manibus hoſtium remanerent, tanquam victoriæ argumentum.

8. *Conferret ad ſe ſigna.*] Accederet ad ſe cum parte copiarum cui præerat, & ſigna ſui cornu ſignis cæteris admoveret.

9. *Prædaque ingenti compotem exercitum.*] Cum genitivo potius, quàm cum ablativo jungitur *compos*, ut & *impos*. Apud Salluſt. tamen lib. 2. occurrit *neque animo neque linguâ ſatis compos*.

1. *Turpe domi judicium.*] Vix ulla nomini Romano turpior inuſta legitur nota.

2. *Aricini atque Ardeates.*] Aricia ex Strabone lib. 5. oppidum Latii eſt poſt Albanum montem in via Appia, 160. ſtadiis ab urbe diſſitum: nunc adjecto articulo dicitur *l'Aricia*. De Ardeatibus & Ardea Rutulorum urbe vide quæ nos lib. 2. cap. 37. attulimus.

Urb. Cond. an. 308. Coſſ. T. Quint. & Agr. Fur.

ſam orandam veniſſent, concilio populi à magiſtratibus dato, magnâ contentione actum. jamque editis teſtibus, quum tribus vocari & populum inire ſuffragium oporteret, conſurgit P. Scaptius de plebe, magno natu: &, [2] *Si licet*, inquit, *conſules, de republica dicere; errare ego populum in hac cauſa non patiar*. Quum, ut vanum, eum negarent Conſules audiendum eſſe, vociferantemque *prodi publicam cauſam*, ſummoveri juſſiſſent; tribunos appellat. Tribuni, ut fere ſemper reguntur à multitudine magis quam regunt, dedere cupidæ audiendi plebi, ut quæ vellet, Scaptius diceret. Ibi infit, [3] *Annum ſe tertium & octogeſimum agere, & in eo agro de quo agitur, militaſſe; non juvenem, ſed viceſima jam ſtipendia merentem, quum ad Coriolos ſit bellatum. Eo ſe rem vetuſtate obliteratam, cæterum ſuæ memoriæ infixam afferre. Agrum, de quo ambigitur,* [4] *finium Coriolanorum fuiſſe, captiſque Coriolis jure belli publicum populi Romani factum. Mirari ſe, quonam more Ardeates Aricinique, cujus agri jus nunquam uſurpaverint incoluani Coriolana re, cum ſe à populo Romano, quem pro domino judicem fecerint, intercepturos ſperent. Sibi exiguum vitæ tempus ſupereſſe: non potuiſſe ſe tamen inducere in animum, quin quem agrum miles pro virili parte manu cepiſſet, eum ſenex quoque voce, qua unâ poſſet, vindicaret. Magnoperè ſe ſuadere populo, ne inutili pudore ſuam ipſe cauſam damnaret.*

LXXII. Conſules, quum Scaptium, non ſilentio modo, ſed cum aſſenſu etiam audiri animadverriſſent; Deos hominesque teſtantes *flagitium ingens fieri*, Patrum primores arceſſunt. cum his circumire tribunos, orare, *Ne peſſimum facinus pejore exemplo admitterent*; [1] *judices in ſuam rem litem vertendo; quum præſertim, etiamſi fas ſit curam*

INTERPRETATIO.

2 O *Conſules* (inquit Scaptius) *ſi* mihi *liceat de rep. dicere, ego non ſinam populum in hac cauſa decipi.*

NOTÆ.

3. *Annum ſe tertium & octogeſimum agere.*] Hujus hominis annos ita digerit Sigonius, ut oſtendat nihil in numero mutandum; ut ſubdubitabant Glareanus & Rhenanus. Si enim ad Coriolos Scaptius vigeſimum jam annum militabat, natum eo tempore annos ſaltem 36. oportuit: neque enim ante annum 17. Romani militabant. Corioli autem capti fuerant anno 261. ab urbe cond. à quo ad hunc annum numerabantur anni 47. qui additi ad 261. reddunt præciſè 308. U. C. annum.

4. *Finium Coriolanorum fuiſſe.*] Coriolos Volſcorum quaſi caput fuiſſe memorat Dionyſius: fuit olim ea urbs ad ortum Lanuvii, quod Ardeam inter, Ariciamque interjacet. Fuerit ergo ager, de quo nunc quæritur, non procul Solonio campo, qui Lanuvinorum fuit.

1. *Judices in ſuam rem litem vertendo.*] Tanaquil. Faber. legit, *Judicis*, quaſi ſit *exemplo judicis*. Sic *ne peſſimum facinus pejori exemplo admitterent judicis in ſuam rem vertentis litem*: ego tamen nihil opus eſſe video emendatione. Rectè enim *judices* refertur ad præcedens verbum *admitterent*: ne ſcilicet Tribuni & cives Romani eorum auctoritate, admitterent peſſimum facinus, ut ipſi *judices* cum ſint, *litem* ſive id de quo lis erat, *verterent in rem ſuam*. Sic enim

emolumenti ſui judici eſſe; nequaquam tantum agro intercipiendo acquiratur, quantum amittatur alienandis injuriâ ſociorum animis. Nam FAMÆ QUIDEM AC FIDEI *damna majora eſſe, quam quæ æſtimari poſſent.* 2 *Hoc legatos referre domum? hoc vulgari? hoc ſocios audire? hoc hoſtes? Quo cum dolore hos? quo cum gaudio illos? Scaptione hoc concionali ſeni aſſignaturos putarent finitimos populos?* 3 *Clarum hac fore imagine Scaptium nomen. populum Romanum* 4 *quadruplatoris & interceptoris litis alienæ perſonam latuum. quem enim hoc privatæ rei judicem feciſſe, ut ſibi* 5 *controverſam adjudicaret rem? Scaptium ipſum id quidem,* 6 *etſi præmortui jam ſit pudoris, non factum.* Hæc Conſules, hæc Patres vociferantur, 7 ſed plus cupiditas, & auctor cupiditatis Scaptius valet. 8 Vocatæ tribus judicaverunt agrum publicum populi Romani eſſe. 9 Nec abnuitur ita fuiſſe, ſi ad judices alios itum foret: Urb. cond. an. 308. Coſſ. T. Quint. & Agr. Fur.

NOTÆ.

litem hoc loco accipere oportet, quemadmodum Juriſconſulti faciunt, qui *litem æſtimare, & in litem jurare dicunt.* pro eo quod eſt certo pretio rem controverſam æſtimare, aut jurejurando interpoſito taxare quanti ſit res, de qua litigatur.

2. *Hoc legatos referre domi.*] Sibaudi quis ferat, aut patiemur ne ut legati Ardeatium & Aricinorum ad ſuos hujus indigni judicii nuncium reportent? Ut tantum populi Romani flagitium ubique recitetur? Ut illud ſocii, illud hoſtes audiant?

3. *Clarum hac fore imagine Scaptium nomen.*] An putarent fore ut ea re laudi aſſignata huic Scaptio, ejus familia inde inclareſceret, & hic plebejus imaginem ex eo mereretur, quæ propria nobilium.

4. *Quadruplatoris & interceptoris.*] Quadruplatores dicuntur delatores, quibus in præmium quarta pars bonorum, ejus quem detulerant aſſignabatur. Interceptor autem eſt fraudator, qui rem alienam, aut alteri deſtinatam avertit atque in ſe transfert.

5. *Controverſam adjudicaret rem.*] Quando, Sigonio teſte, quidam Codices ita ſcribunt, hanc lectionem ante ponendam cenſeo vulgari, & *controverſam* rem dici potiùs quàm *controverſioſam*; quod nomen veteribus cæteris ignotum.

6. *Etſi præmortui jam ſit pudoris.*] Quaſi dicat, etiamſi is omnem pudoris ſenſum, omnemque honeſtatem priuſquam animam amiſerit. Non aliter apud Plinium lib. 7. cap. 50. ait in ſenib. *præmori viſum, auditum, inceſſum.*

7. *Sed plus cupiditas.*] Ira quoque ex parte huic judicio præſediſſe videtur, quod moleſtè ferret populus Romanus, ſe, quem agro fraudatum putabat, judicem à contendentibus ſumptum, quaſi id datâ operâ ideo factum, ut ſibi non liceret agrum illum recuperare, quem ipſe alienum eſſe judicaſſet.

8. *Vocatæ Tribus.*] Cum Urnæ ſeu vaſa duo appoſita eſſent, accipiendis cujuſque calculis vel Ardeatum, vel Aricinorum gratiâ: juſſit populus tertium apponi pro urbe Roma, atque huc collata ſunt cuncta ſuffragia.

9. *Nec abnuitur ita fuiſſe.*] Mirum ſanè ſi Ardeatium, aut Aricinorum longiùs poſitorum is ager ab initio eſſe potuerit, interjecto inter utroſque Lanuvino, & Coriolano quondam territorio. Unde non adeò ſortè abſurda, aut à vero abhorrens Scaptii narratio. Sed cum poſt Coriolorum excidium populus Romanus agrum illum per annos 47. à vicinis poſſideri paſſus eſſet, nec illum publicandum, aut ſibi vindicandum cenſuiſſet: & nunc ejus controverſiæ judicem ſe ferret, nec ulla æquitatis ratio, nec bona fides pati vi-

Urb. cond. an. 308. Coſſ. T. Quint. & Agr. Fur.

a nunc haud ſanè quicquam bonâ causâ elevatur dedecus judicii . idque non Aricinis Ardeatibuſque , quam Patribus Romanis , fœdius atque acerbius viſum. Reliquum anni quietum ab urbanis motibus & ab externis manſit.

INTERPRETATIO.

a *Porro judicii probrum bonitate cauſæ nullatenus minuitur.*

NOTÆ.

deatur eum ſibi ipſi jus dicere , ac litigioſum inter alios agrum ſibi adjudicare.

FINIS LIBRI TERTII.

Digitized by Google

T. LIVII LIBER IV.

EPITOME LIBRI QUARTI.

*LEX de Connubio Patrum & plebis à tribunis plebis, contentione magnâ, Patribus repugnantibus, perlata eſt. Tribuni militares. Aliquot annis res populi Romani domi militiæque per hoc genus magiſtratus adminiſtratæ. Item Cenſores tunc primum. * creati Ager Ardeatinis populi Romani judicio ablatus, miſſis in eum colonis, reſtitutus eſt. Cum fame populus Romanus laboraret, Sp. Mælius eques Romanus frumentum populo ſua impenſa largitus eſt: & ob id factum conciliata ſibi plebe, regnum affectans, à C. Servilio Ahala magiſtro equitum, juſſu Quintii Cincinnati dictatoris, occiſus eſt: L. Minucius index bove aurata donatus eſt. Legatis Romanis à Fidenatibus occiſis, quoniam ob rempublicam occubuerant, ſtatuæ in Roſtris poſitæ ſunt. Cornelius Coſſus tribunus militum, occiſo Tolumnio rege Vejentium, opima ſpolia ſecunda Feretrio retulit. Mamercus Æmilius dictator, cenſuræ honore, qui antea per quinquennium gerebatur, anni & ſex menſium ſpatio finito, ob eam rem à cenſoribus notatus eſt. Fidenæ in poteſtatem redactæ, eoque coloni miſſi ſunt. quibus occiſis Fidenates, quum defeciſſent à populo Romano; à Mamerco Æmilio dictatore victi ſunt, & Fidenæ captæ. Conjuratio ſervorum oppreſſa. Poſtumius tribunus militum, propter crudelitatem ab exercitu occiſus eſt. Stipendium ex ærario tum primum militibus datum. Res præterea geſtas adverſum Volſcos & Vejentes, Fidenates, & Faliſcos, continet.*

I. HOs ſecuti M. Genucius & [a] C. Curtius conſules. Fuit annus domi foriſque infeſtus: nam anni principio & [1] de Connubio Patrum & plebis C. Canulejus tribunus plebis rogationem promulgavit; qua contaminari ſanguinem ſuum Patres, [2] confundique jura Urb. cond. an. 309. Coſſ. M. Genuc. & C. Curt.

NOTÆ.

* *Ager Ardeatinis.*] Sic habent vetuſtiores editiones, meliùs quàm poſteriores, in quibus eſt *Ardeatinus*. Eſt enim ager qui Ardeatinis, ſive Ardeatibus, ablatus fuerat, eiſdem nunc reſtitutus.

1. *De Connubio [Patrum & plebis.*] Duodecim tabulis inſerta lex fuerat ne patriciis cum plebeiis Connubium eſſet, id eſt, jus legitimarum inter utroſque nuptiarum. Hujus inſtituti cauſa ex ſequentibus apparebit.

2. *Confundique jura gentium.*] Cave hoc ad jus gentium trahas, quod oppo-

Urb. cond. an. 309. Coſſ. M. Genuc. & Curt. Horat.

gentium rebantur: & mentio primo ſenſim illata à tribunis, ut alterum ex plebe conſulem liceret fieri, eò proceſſit deinde, 3 ut rogationem novem tribuni promulgarent, *ut populo poteſtas eſset, ſeu de plebe, ſeu de Patribus vellet, conſules faciendi*. Id vero ſi fieret, non vulgari modo cum infimis, ſed prorſus auferri à primoribus ad plebem ſummum imperium credebant. Læti ergo audiêre Patres, Ardeatium populum ob injuriam agri abjudicati deſciſſe, & 4 Vejentes depopulatos extrema agri Romani, & Volſcos Æquoſque, 5 ob communitam Verruginem, fremere. adeo vel infelix bellum ignominioſæ paci præferebant. His itaque in majus etiam acceptis, ut inter ſtrepitum tot bellorum conticeſcerent actiones tribuniciæ, delectus haberi, bellum armaque vi ſumma apparari jubent; 6 ſi quo intentius poſſit, quam T. Quintio conſule apparatum ſit. Tum C. Canulejus pauca in ſenatu vociferatus *nequicquam territando conſules avertere plebem à cura novarum legum; nunquam eos ſe vivo delectum habituros, antequam ea quæ promulgata ab ſe collegiſque eſsent, plebes ſciviſset*; confeſtim ad concionem advocavit.

II. Eodem tempore & conſules ſenatum in tribunum, & tribunus

INTERPRETATIO.

a *Fruſtra* conari *conſules, injecto metu, abducere plebem à conſilio* ferendarum *legum novarum*.

NOTÆ.

nitur juri Civili. Jura enim gentium, ſunt hic gentilitia, id eſt, propria cujuſque gentis patriciæ jura. Gentis autem vocabulo plures ejuſdem nominis familias, diverſis cognominibus diſtinctas contineri, jam annotatum eſt. Quicunque porrò ejuſdem ſanguinis erant, gentiles invicem habebantur: ut omnes *Cornelii*, Maluginenſes nempe, Coſſi, Scipiones, &c. Agnati verò ii tantùm dicebantur, qui ejuſdem erant cognominis, ut Scipiones.

3. *Ut rogationem novem Tribuni promulgarent*.] Canulejus, & alii octo, omnes denique Tribuni præter C. Furium, quem Dionyſius excipit. Idcirco novem malim, quam *novam*, quæ lectio placet magis Sigonio.

4. *Vejentes depopulatos extrema*.] Vejentibus datæ fuerant in annos 40. induciæ à C. Manlio Conſule lib. 2. cap. 54. an. ab U. C. 280. Hinc anni fluxerant ferè 29. Sic Vejentes annis undecim anteverterunt finem induciarum.

5. *Ob communitam Verruginem*.] Volſcorum oppidum fuit *Verrugo* in Æquorum confinio, inter Coram & Algidum, Velitris ad Boream. Diodorus ſicul. lib. 14. Ἐρρουγα vocat, fortè mendosè. In quibuſdam Valerii Maximi Codicibus perperam ſcriptum eſt *Ferruginem*. Quando autem Verruginem Romani Volſcis ademiſſent, quando muniiſſent, nos anteà Livius nullibi docuit, ut Glar. notat. Captum fortè hoc oppidum cum Velitris fuerat, an. 260. A. Virginio T. Veturio Conſulibus, vel anno ſeq. cum capti ſunt Corioli. De quibus lib. 2. cap. 30. & 33. Potuit & adhuc locus fuiſſe cuivis exercitui patens: ut muniri nunc à Romanis nihil vetet, quamvis anteà captus ab illis non eſſet.

6. *Si quò intentiùs poſſit*.] Vix dubium videtur quin ſit referibendum *ſi quâ*, ut ſit, bellum hoc anno diligentiùs adhuc & majori curâ præparandum eſſe, ſi qua ratione fieri poſſit, quàm anno ſuperiore ſit præparatum T. Quintio Capitolino quartum Conſule, lib. 3. cap. 69.

populum in conſules incitabat. Negabant conſules *jam ultra ferri poſſe furores tribunicios, ventum jam ad finem eſſe: domi plus belli concitari, quam foris. Id adeo non plebis, quam Patrum; neque tribunorum magis, quam conſulum culpa accidere. cujus rei præmium ſit in civitate, eam maximis ſemper auctibus creſcere: ſic pace bonos, ſic bello fieri. Maximum Romæ præmium ſeditionum eſſe: 1 id & ſingulis univerſiſque ſemper honori fuiſſe, Reminiſcerentur quam majeſtatem ſenatûs ipſi à patribus accepiſſent, quam liberis, tradituri eſſent; 2 ut* β *quemadmodum plebs gloriari poſſet. auctiorem amplioremque eſſe. finem ergo non fieri, nec futuram, 2 donec, quam felices ſeditiones, tam honorati ſeditionum auctores eſſent. Quas, quantaſque res C. Canuleium aggreſſum? colluvionem gentium, 3* γ *perturbationem auſpiciorum publicorum privatorumque afferre; ne quid ſinceri, ne quid incontaminati ſit; ut diſcrimine omni ſublato, 4 nec ſe quiſquam, nec ſuos noverit. Quam enim aliam vim connubia promiſcua habere, niſi ut ſeravum prope ritu vulgarentur. concubitus plebis Patrumque? ut qui natus ſit, ignoret cujus ſanguinis, 5 quorum ſacrorum ſit; dimidius Patrum ſit, dimidius plebis, ne*

Urb. cond. an. 309. Coſſ. M. Genuc. & C. Curt.

INTERPRETATIO.

a *Quamdiu & ſeditiones felicem exitum ſortirentur, & idcirco clari earum auctores exiſterent.*

NOTÆ.

1. *Id & ſingulis univerſiſque ſemper honori fuiſſe.*] Deſideratur in quibuſdam Voſſii membranis illud *honori*. Suſpicatur ſic legendum: *Maximum Romæ præmium ſeditionum eſſe, & ſingulis univerſiſque ſemper fuiſſe*. Sed ſervatâ lectione vulgari, idoneus, nec admodum diverſus eſt ſenſus, nimirùm ſeditionum præmia nunquam Romæ defuiſſe, auctos inde honore, tum ſingulos tribunos alioſve ſeditionum auctores, qui magis ac magis ex eo in pretio fuere; tum etiam plebejum ordinem univerſum, qui paulatim omnia, propria olim patriciorum jura, ad ſe traxerit.

2. *Ut quemadmodum plebs gloriari poſſet.*] Variæ ſunt hujus loci lectiones: diverſæ interpretum Rhenani, Glareani, Sigonii, Gronovii ſententiæ. Hic ita legit, *Reminiſcerentur quam majeſtatem Senatûs, ipſi à patribus accepiſſent, quam liberis traditurus eſſent, ut* (id eſt, quomodo, quâ ratione) *auctiorem amplioremque*. Mihi perſpicua quidem ſententia videtur ſi conjunctio, & (quam legerat Vigenereus) loco particulæ *ut* ſubſtituatur. *Sed* quidni pro *ut* legamus *utrùm*? Interrogatio erit non inconcinna, utrùm Senatores relicturi eſſent liberis majeſtatem ordinis ſui à ſe amplificatam, quemadmodum plebeii gloriari poſſent, rebus ſic ſtantibus, plebis auctoritatem à ſe ampliorem poſteris tradi. Non eſt ad manum, fateor, Codex, quo hæc lectio fulciatur: ſed nec magna mutatio introducitur; nec aliorum emendationes, quæ quidem tolerabilem ſenſum exhibeant, ſcriptis voluminibus nituntur.

3. *Perturbationem auſpiciorum.*] Quorum obſervatio & peritia penes ſolos patricios hactenus fuerat, ut paulò antè dictum.

4. *Nec ſe quiſquam, nec ſuos noverit.*] Volunt ex haſce connubiorum permixtione eventurum, ut nemo, qui diverſi ordinis parentibus natus ſit, propriam; qui ex diverſi generis uxore liberos genuerit, ipſorum conditionem certò dicere poſſe; an ſcilicet patricii, an plebeii ſanguinis ſit.

5. *Quorum ſacrorum ſit.*] Familiæ cuique ſua propria ſacra ex inſtituto Romuli erant. Quin & ſepulcrorum jura

Urb. cond. an. 309. Coſſ. M. Genuc. & C. Curt.

ſeorum quidem ipſe concors. Parum id videri, quod omnia divina humanaque turbentur: jam ad conſulatum vulgi turbatores accingi. & primo, ut alter conſul ex plebe fieret, id modo ſermonibus tentaſſe: nunc rogari, ut ſeu ex patribus, ſeu ex plebe velit, populus conſules creet: & creaturos haud dubie ex plebe ſeditioſiſſimum quemque. Canulejos igitur Icilioſque conſules fore. ne Jupiter optimus maximus ſineret regiæ majeſtatis imperium eo recidere: & ſe millies morituros potius, quam ut tantum dedecoris admitti patiantur. Certum habere, majores quoque ſi divinaſſent, concedendo omnia non mitiorem in ſe plebem, ſed aſperiorem, alia ex aliis iniquiora poſtulando, quum prima impetraſſet, futuram; primo quamlibet dimicationem ſubituros fuiſſe potius, quam eas leges ſibi imponi paterentur. [6] *quia tum conceſſum ſit de tribunis* [7], *iterum conceſſum eſſe.* [7] *Finem non fieri poſſe, & in eadem civitate tribunos plebis, & patres eſſe: aut hunc ordinem, aut illum magiſtratum tollendum eſſe: potiuſque ſero, quam nunquam obviam eundum audaciæ temeritatique. Illine ut impune primo diſcordias ſerentes concitent finitima bella, deinde adverſus ea quæ concitaverint, armari civitatem defendique prohibeant?* [8] *& quum hoſtes tantum non arceſſierint, exercitus conſcribi adverſus hoſtes non patiantur? Sed audeat Canulejus in ſenatu proloqui, ſe, niſi ſuas leges tanquam victoris, Patres accipi ſinant, delectum haberi prohibiturum. quid eſſe aliud, quam minari ſe proditurum patriam? oppugnari atque capi paſſurum? quid eam vocem animorum, non plebi Romanæ, ſed Volſcis, & Æquis & Veientibus allaturam? Nonne Canulejo duce ſe ſperaturos Capitolium atque aream ſcandere poſſe, ſi Patribus tribuni cum jure majeſtate adempta, animos etiam eripuerint? Conſules paratos eſſe duces prius adverſus ſcelus civium, quam adverſus hoſtium arma.*

III. Quum maxime hæc in ſenatu agerentur, Canulejus pro legibus ſuis & adverſus conſules ita diſſeruit: *Quantopere vos, Quirites, contemnerent Patres, quam indignos ducerent, qui una ſecum urbe intra eadem mœnia viveretis, ſæpe equidem & antè videor*

NOTÆ.

una cum jure ſacrorum, familiam & hæredem ſequebantur. Cic. præ cæteris lib. 2. de Legibus.

6. *Quia tum conceſſum ſit de Tribunis, iterum conceſſum eſſe.*] Queruntur Conſules prava quæque in exemplum trahi, & exempla pro legibus haberi: atque inde factum, ut quoniam ſemel plebi conceſſerint patricii quod petebatur de creandis tribunis: adhuc idem jus, à Decemviris ablatum; his oppreſſis, plebi ſit reſtitutum.

7. *Finem non fieri poſſe*, &c.] Legebatur anteà *ſine re non fieri poſſe*. Tan. Faber hunc locum ſic legit. *Finem non fieri, nec poſſe in eadem civitate Tribunos plebis, & patres eſſe.* Fortè non deſuerint, qui illud ex veteribus libris non improbent. *Sinere* (ſive pati) *non poſſe* (intellige *ſe* conſules) *in eadem Civitate Tribunos plebis & patres eſſe.*

8. *Et cum hoſtes tantum non arceſſierint.*] Elegantiùs illud *tantùm non*, quam Sigonianum *tantum hoſtium*. Nam *tantùm non*, idem eſt ac *parum abeſt, quin*, vel *propemodum*.

animad-

animadvertiſſe: nunc tamen maxime, quod adeo atroces in has rogationes noſtras coorti ſunt, quibus quid aliud quam admonemus cives nos eorum eſſe, & ſi non eaſdem opes habere, eandem tamen patriam incolere? Alterâ connubium petimus, quod finitimis externiſque dari ſolet, nos 5 *quidem civitatem, quæ plus quam connubium eſt, hoſtibus etiam victis, dedimus.* [a] *Alterâ nihil novi ferimus: ſed id, quod populi eſt, repetimus atque uſurpamus; ut quibus velit, populus Romanus* [b] *honores mandet. Quid tandem eſt,* [1] *cur cœlum ac terras miſceant, cur in me impetus modo penè in ſenatu ſit factus?* [2] *negent ſe manibus temperaturos, violaturoſ-* 10 *que denuncient ſacroſanctam poteſtatem? Si populo Romano liberum ſuffragium datur; ut quibus velit conſulatum mandet, & non præciditur ſpes plebejo quoque, ſi dignus ſummo honore erit, adipiſcendi ſummi honoris, ſtare urbs hæc non poterit? de imperio actum eſt? & perinde hoc valet,* 3 *plebejuſne conſul fiat, tanquam ſervum aut libertinum aliquis conſulem* 15 *futurum dicat? Ecquid ſentitis in quanto contemptu vivatis? Lucis vobis hujus partem, ſi liceat, adimant. quod ſpiratis, quod vocem mittitis, quod formas hominum habetis, indignantur. Quin etiam (ſi Diis placet) nefas aiunt eſſe, conſulem plebejum fieri.* 4 *Obſecro vos!* 5 *ſi non ad faſtos, non ad commentarios pontificum admittimur;* [c] *ne ea quidem ſci-* 20 *mus, quæ omnes peregrini etiam ſciunt: conſules in locum regum ſucceſſiſſe: nec aut juris aut majeſtatis quicquam habere, quod non in regibus ante fuerit? En unquam creditis fando auditum eſſe Numam Pompilium,*

Urb. cond. an. 309. Coſſ. M. Genuc. & C. Curt.

INTERPRETATIO.

a *Non conſtituimus quicquam novi per alteram* legem.

b *Committat magiſtratus.*

c *An hæc quoque ignoramus?*

NOTÆ.

1. *Cur cœlum ac terras miſceant.*] Proverbialis locutio pro eo quod eſt omnia perturbare ac ſuſque deque vertere. Ita Juven.

Quis cœlum terris non miſceat, ac mare cœlo?

2. *Negent ſe manibus temperaturos.*] Repete *quid eſt cur*, minentur ſcilicet fore, ut non abſtineant à vi: cur ſignificent ſe violaturos, &c.

3. *Plebejuſne Conſul fiat.*] Et cum quæritur an plebejus Conſul fieri poſſit, hoc perinde accipitur à patriciis, ac ſi quis dicat ſervum Conſulem fieri. Prætorem certè à populo factum legimus Barbarium Philippum, qui reverà ſervus erat; ſed pro libero habebatur.

4. *Obſecro vos.*] Forma eſt honeſtior contradicendi iis quæ ab alio, ſive præſente, ſive abſente proferuntur: quaſi dicas, oro, id conſideremus. Videte quæſo quid dicatur. Hinc reſpondet Gallica quoque phraſis: *Hé je vous prie, Meſſieurs.*

5. *Si non ad faſtos.*] Faſtorum, ac feriarum indicendarum, imò totius anni digerendi, juriſque interpretandi, & componendorum annalium cura penes Pontifices erat; eorumque commentariis hæc omnia continebantur, uti ex Dionyſio lib. 2. Livio lib. 1. cap. 20. lib. 6. cap. 1. & maxime lib. 9. cap. 46. colligitur. Pontifices autem ex patriciis duntaxat cooptabantur, à Numæ uſque temporibus ad Conſulatum Q. Apuleii Panſæ, & M. Valerii Corvi, id eſt, an. u. c. 454. poſt 145. annos ab his Conſulibus, M. Genucio, & C. Curtio.

Urb. cond. an. 309. Coll. M. Genuc & C. Curt.

6 *non modò non patricium, ſed ne civem quidem Romanum, ex Sabino agro accitum, populi juſſu, Patribus auctoribus Romæ regnaſſe? L. deinde Tarquinium non modò Romanæ, ſed nec Italicæ quidem gentis, Demarati Corinthii filium, incolam ab Tarquiniis, vivis liberis Anci, regem factum? Servium Tullium poſt hunc captiva Corniculana natum, & patre nullo, matre ſerva, ingenio & virtute regnum tenuiſſe? Quid enim de T. Tatio Sabino dicam, quem ipſe Romulus parens urbis in ſocietatem regni accepit? Ergo dum nullum faſtiditur genus, in quo eniteret virtus, crevit imperium Romanum. Pœniteat nunc vos plebeii conſulis, quum majores noſtri advenas reges non faſtidierint: & ne regibus quidem exactis clauſa urbs fuerit peregrinæ virtuti. Claudiam certè gentem, poſt reges exactos, ex Sabinis non in civitatem modo accepimus, ſed etiam in patriciorum numerum. 9 Ex peregrinone patricius, deinde conſul fiat; civis Rom. ſi ſit ex plebe, præciſa conſulatus ſpes erit? Utrùm tandem non credimus fieri poſſe, ut vir fortis ac ſtrenuus, pace belloque bonus, ex plebe, ſit Numæ, L. Tarquinio, Servio Tullio ſimilis? An, ne ſi ſit quidem, ad gubernacula reipubl. accedere eum patiemur? potiuſque decemviris, deterrimis mortalium, 10 qui tum omnes ex Patribus erant, quam optimis regum, noxiis hominibus ſimiles conſules ſumus habituri?*

IV. *Atenim nemo poſt reges exactos de plebe conſul fuit. Quid poſtea?* NULLANE RES NOVA *inſtitui debet? & quod nondum eſt factum (multa enim nondum ſunt facta in novo populo) ea, ne ſi utilia quidem ſint, fieri oportet? Pontifices, Augures, Romulo regnante nulli erant: ab Numa Pompilio creati. cenſus in civitate, & deſcriptio centuriarum claſſiumque non erat: ab Servio Tullio eſt facta. Conſules nunquam fuerant: regibus exactis creati ſunt. Dictatoris nec imperium, nec nomen*

NOTÆ.

6. *Non modò non Patricium.*] Non erat ille quidem è numero patriciorum Romanorum, ſed apud Sabinos ſuos nobilis: & poſt communicatum cum Tatio Sabino regnum, non omninò externæ gentis videri poterat. V. lib. 1. cap. 17.

7. *Tarquinium non modò Romanæ.*] Vide lib. 1. cap. 34.

8. *Patre nullo, matre ſerva.*] Jure quidem Romano, pater eſt quem nuptiæ demonſtrant; ideòque qui extra juſtas nuptias, & in his qui ex ancilla naſcuntur, ſine patre intelliguntur. Servium autem Tullium reverà ex ſerva natum fuiſſe negat ipſe Liv. lib. 1. cap. 39. quem vide.

9. *Ex peregrinone patricius &c.*] Captioſa argumentatio: quâ ſeditioſus hic tribunus oſtendere nititur pejoris eſſe conditionis plebejos quam peregrinos, niſi plebeii Conſules fieri poſſint. Nam nec peregrini conſules creari poterant, quandiu peregrini manebant: & plebeii non minùs quam peregrini in patriciorum Senatorumve numerum adſciſci potuere: quod ante hæc quoque tempora ſæpiùs aucto Senatu, factum. Quâ ratione ad Conſulatum pervenire poterant.

10. *Qui tum omnes ex patribus erant.*] Hoc verum, ſi de primi anni Decemviris agas, qui permodeſtè magiſtratum geſſerunt, lib. 3. cap. 33. At quos *deterrimos mortalium* dicit, Decemviri nempe poſteriores, eorum tres ex plebe fuere, uti diſertè ſcriptum à Dionyſio lib. 10.

fuerat: 1 *apud Patres esse cœpit. Tribuni plebis, ædiles,* 2 *quæstores, nulli erant: institutum est ut fierent. Decemviros legibus scribendis intra decem hos annos & creavimus, & è republ. sustulimus. Quis dubitat, quin in æternum urbe condita, & in immensum crescente, nova imperia, sacerdotia,* 3 *jura gentium, hominumque, instituantur? Hoc ipsum, ne connubium patribus cum plebe esset,* 3 *non decemviri tulerunt paucis his annis* 4 *pessimo exemplo publico, cum summa injuria plebis? An esse ulla major, aut insignior contumelia potest, quàm partem civitatis velut contaminatam, indignam connubio haberi? Quid est aliud, quam exilium intra eadem mœnia,* 5 *quam relegationem pati? Ne affinitatibus, ne propinquitatibus immisceamur, cavent; ne societur sanguis. Quid? hoc si pollut nobilitatem istam vestram, quam plerique oriundi ex Albanis & Sabinis, non genere nec sanguine, sed per cooptationem in Patres habetis, aut ab regibus lecti, aut post reges exactos jussu populi; sinceram servare privatis consiliis non poteratis, nec ducendo*

Urb. cond. an. 309. Coll. M. Genuc. & C. Curt.

INTERPRETATIO.

2 *Familiarum* propria quædam *jura*.

NOTÆ.

1. *Apud patres esse cœpit.*] Non *apud* sive *penes* Senatores (quamvis id quoque verum): sed apud Patres nostros, hoc est tempore patrum nostrorum. Hoc enim vult Canulejus. Et sanè ante annos tantùm 56. cœperat dictatura an. u. c. 253. ut Consulatus an. 245. Tribunatus plebis & ædilitas an. 261.

2. *Quæstores nulli erant.*] Junius tamen Gracchanus apud Ulpianum Jurisconsultum scripserat ipsum Romulum, Numamque Pompilium *Quæstores* habuisse: ac certum saltem esse Tullo Hostilio rege Quæstores fuisse; & apud Tacitum 11. Annal. *Quæstores regibus etiam imperantibus instituti sunt.* Et regum ea in re institutum statim post reges exactos ab L. Bruto lege curiatâ repetitum fuisse docet ibid. Tacitus: qui & Consulibus mansisse potestatem eos deligendi tradit. Verùm id adjicit quod tacet noster: anno 63. post Tarquinios exactos Valerium Potum (imò Potitum) & Æmilium Mamercum Quæstores primùm à populo creatos, qui rem militarem comitarentur. At in annorum numero erratum probat Lipsius, vultque pro anno LXIII. (qui esset hic ipse annus cujus nunc res describuntur) reponi XXIII. ut sit annus urbis 267. Post quem satis frequens apud Livium ac Dionysium mentio Quæstorum. De his igitur Quæstoribus in singulos annos rei militaris causa creari cœptis accipiendum nunc Canuleii dictum.

3. *Non Decemviri tulerunt paucis his annis.*] Tulerant verò ante quadriennium. Sed per interrogationem prolata negatio affirmandi vim habet; ut sit: *nonne tulerunt?*

4. *Pessimo exemplo publico.*] Alii *pessimo exemplo*, Rhenanus addidit *publico* ex cod. Borbetom. Harum ego lectionum utramvis malim, quam quæ Gronovio, licet nullis veteribus libris subnixa, blanditur: *pessimo publico*. Ita quidem locutus est Tacitus, sed semel opinor, & solus.

5. *Quam relegationem pati.*] Hæc ad plebejos, qui injuriam patiantur: superiora *indignam connubio haberi*, ad Patricios injuriam plebi facientes, referuntur. Cæterùm *Relegatio* minor pœna est quàm exilium, sive aquæ & ignis interdictio, quæ postea in Deportationem mutata est. Hoc enim genere Civitas amittitur, non Relegatione. Ideoque Ovid. de Tristib. hæc distinguit.

Urb. cond. an. 309. Coll. M. Genuic. & C. Curt.

ex plebe, neque veſtras filias ſororeſque 6 *enubere ſinendo è Patribus? Nemo plebejus patriciæ virgini vim afferret: patriciorum libido eſt. nemo invitum pactionem nuptialem quemquam facere coëgiſſet. Verum enimvero lege id prohiberi, & connubium tolli Patrum ac plebis, id demum contumelioſum plebi eſt.* b *cur enim non confertis, ne ſit connubium divitibus ac pauperibus? Quod privatorum conſiliorum ubique ſemper fuit, ut in quam cuique fœminæ conveniſſet domum, nuberet; ex qua pactus eſſet vir, domo, in matrimonium duceret; id vos ſub legis ſuperbiſſimæ vincula conjicitis, qua dirimatis ſocietatem civilem, duaſque ex una civitate faciatis. Cur non ſancitis, ne vicinus patricio ſit plebejus? ne idem convivium ineat? ne in foro eodem conſiſtat? Quid enim in re eſt aliud, ſi plebejam patricius duxerit; ſi patriciam plebejus, quid juris tandem mutatur? nempe patrem ſequuntur liberi. nec quod nos ex connubio veſtro petamus, quicquam eſt; præterquam ut hominum, ut civium numero ſimus. Nec vos (niſi in contumeliam ignominiamq; noſtram certare juvat) quod contendatis, quicquam eſt.*

V. *Denique, utrum tandem populi Romani an veſtrum ſummum imperium eſt? Regibus exactis, utrum vobis dominatio, an omnibus æqua libertas parta eſt? Oportet licere populo Romano, ſi velit, jubere legem? an ut quæque rogatio promulgata erit, vos delectum pro pœna decernetis? & ſimul ego tribunus vocare tribus in ſuffragium cœpero, tu ſtatim conſul* a *ſacramento juniores adiges & in caſtra educes: & minaberis plebi, minaberis tribuno? Quid, ſi non quantum iſtæ minæ adverſus plebis conſenſum valerent, bis jam experti eſſetis? ſcilicet quia nobis conſultum volebatis, certamine abſtinuiſtis. an ideo non eſt dimicatum,* b *quod quæ pars firmior, eadem modeſtior fuit? Nec nunc erit certamen, Quirites. animos veſtros illi tentabunt ſemper, vires non experientur. Itaque ad bella iſta, ſeu falſa ſeu vera ſunt, conſules, parata vobis plebes eſt, ſi connubiis redditis, unam hanc civitatem tandem facitis; ſi coaleſcere, ſi jungi, miſcerique vobis privatis neceſſitudinibus poſſunt: ſi ſpes, ſi aditus ad honores viris ſtrenuis & fortibus datur: ſi in conſortio, ſi in ſocietate reipubl. eſſe, ſi, quod æquæ libertatis eſt,* c *invicem annuis magiſtratibus parere, atque imperitare licet. Si hæc impediet aliquis: ferte ſermonibus, & multiplicate famâ bella; nemo eſt nomen daturus, nemo arma capturus: nemo dimicaturus pro ſuperbis dominis, cum quibus nec in re publica honorum, nec in privata connubii ſocietas eſt.*

INTERPRETATIO.

b *Cur enim non ſimul fertis* legem? &c.

a *Juventutem coges ad juſjurandum militare.*

b Quod *pars quæ validior* erat, eadem *moderatior* quoque *fuerit.*

c *Si per magiſtratus annuos*, qui omnibus pateant, *licebit unicuique per vices parere, atque imperare.*

NOTÆ.

6. *Enubere ſinendo.*] Non permittendo ut extra patriciorum ordinem nubant eorum filiæ ac ſorores, quæ in ipſorum poteſtate ſunt, *ne permittant pas qui ellet ſe meſalliens.*

VI. Quum in concionem & conſules proceſſiſſent, & res [a] à perpetuis orationibus in altercationem vertiſſet; interroganti tribuno, *cur plebejum conſulem fieri non oporteret?* ut fortaſſe verè, ſic parum utiliter in præſens certamen [1] reſpondit, [2] *quod nemo plebejus auſpicia haberet. ideoque decemviros connubium diremiſſe, ne incertâ prole auſpicia turbarentur.* Plebes ad id maximè indignatione exarſit, quod auſpicari, [3] tamquam inviſi Diis immortalibus negarentur poſſe. nec antè finis contentionum fuit, (quum & tribunum acerrimum auctorem plebs nacta eſſet, & ipſa cum eo pertinaciâ certaret) quam victi tandem Patres, [b] ut de connubio ferretur, conſensêre: ita maximè rati contentionem de plebeiis Conſulibus tribunos, aut totam depoſituros, aut poſt bellum dilaturos eſſe, contentamque interim connubio plebem, paratam delectui fore. Quum Canulejus, victoriâ de Patribus, & plebis favore [c] ingens eſſet; accenſi alii tribuni ad certamen pro rogatione ſua, ſumma vi pugnant; & creſcente in dies fama belli, delectum impediunt. Conſules, quum per ſenatum, [d] intercedentibus tribunis, nihil agi poſſet, conſilia principum domi habebant. apparebat, aut hoſtibus, aut civibus, [4] de victoria concedendum eſſe. Soli ex conſularibus Valerius atque Horatius non intererant conſiliis. C. Claudii ſententia conſules armabat in tribunos: Quintiorum, Cincinnatique & Capitolini ſententiæ abhorrebant à cæde, [5] violandiſque quos, fœdere icto cum plebe, ſacroſanctos accepiſſent. Per hæc conſilia eò deducta res eſt

Urb. cond. an. 309. Coſſ. M. Genuc. & C. Curt.

INTERPRETATIO.

a *Concionum & continuorum ſermonum loco ſucceſſiſſent rixæ atque altercationes interciſæ.*

b *Ut* rogaretur ac *perferretur* lex *de promiſcuis* inter ordines nuptiis.

c *Potentia & fama eſſet auctus.*

d *Eo quod Tribuni pl. obſiſterent.*

NOTÆ.

1. *Reſpondit.*) Conſul haud dubiè: ſed uter, Genuciuſne, an Curtius non explicat.

2. *Quod nemo plebeius auſpicia haberet.*) Id verum: nam lege Romuli ſacra, cumque his auſpicandi jura, ſolis Patriciis commiſſa fuiſſe paulò ante obſervatum eſt. Sed hæc reſponſio, parum accommodata ad tempus, auxit ſeditionem, quam ſedare oportebat.

3. *Tanquam inviſi Diis.*) Divinationis genus omne à Deo eſt, ut & nomen ipſum innuit, & rei natura evincit. Eſt enim divinatio vis quædam cognoſcens & explicans ſigna futurorum, quæ hominibus à Diis portendantur, ut Chryſippus apud Ciceronem definit. Ejuſmodi ſunt Auſpicia, auguria, & alia ejuſmodi. Ideo plebeii auſpicandi & per aves prædicendi facultatem ſibi penitus ademptam, ita interpretabantur, ac ſi Deorum beneficiis indigni dicerentur.

4. *De victoria concedendum.*) Remittendam condonandamque, vel hoſtibus vel civibus, victoriam, *qu'il falloit ſe départir de la pretenſion de la victoire, en faveur des ennemis ou du peuple.*

5. *Violandiſque.*) Sententia eſt abhorruiſſe illos ab offendendis per vim Tribunis, quos per leges concordiæ cum plebe initæ tanquam inviolabiles ſuſceperant; *qu'ils avoient reconnus, & acceptez pour ſacrez & inviolables.*

Urb. cond. an. 310. Tribb. mill. C. p. Aul. Sempron. &c.

ut Tribunos Militum conſulari poteſtate promiſcue ex Patribus ac plebe creari ſinerent: de conſulibus creandis nihil mutaretur. eoque contenti tribuni, contenta plebs fuit. Comitia tribunis conſulari poteſtate tribus creandis indicuntur. quibus indictis, extemplo quicunque aliquid ſeditioſe dixerat aut fecerat, quàm maximè tribunicii, & prenſare hominès, & concurſare toto foro candidati cœpere: ut patricios deſperatio primo, irritata plebe, adipiſcendi honoris: deinde indignatio, ſi cum his gerendus eſſet honos, deterreret. poſtremo, coacti tamen à primoribus, petière, ne ceſſiſſe poſſeſſione reipubl. viderentur. Eventus eorum comitiorum docuit, ALIOS ANIMOS in contentione libertatis dignitatiſque, alios ſecundum depoſita certamina, incorrupto judicio, eſſe: Tribunos enim omnes patricios creavit populus; contentus eo, quod ratio habita plebejorum eſſet. Hanc modeſtiam æquitatemque & altitudinem animi, ubi nunc in uno inveneris, quæ tunc populi univerſi fuit?

VII. Anno trecenteſimo decimo, quam urbs Roma condita erat, primum tribuni militum pro conſulibus magiſtratum ineunt. A. Sempronius Atratinus, L. Atilius, T. Cæcilius, quorum in magiſtratu concordia domi, pacem etiam foris præbuit. Sunt qui propter adjectum, Æquorum Volſcorumque bello, & Ardeatium defectioni, Vejens bellum, quia duo conſules obire tot ſimul bella nequirent, tribunos militum tres creatos dicant, ſine mentione promulgatæ legis de conſulibus

NOTÆ.

6. *Ut Tribunos militum Conſulari poteſtate.*] Hoc initium hujus dignitatis ex commento C. Claudii, qui cum plurium ſententiæ de Conſulatu cum plebe communicando cedendum neceſſariò videret, hoc temperamentum fuggeſſit ut duorum Conſulum loco crearentur in annum proximum Tribuni militum tres patricii, plebeii totidem, qui Conſulari poteſtate rempub. gererent. Finito autem eorum annuo imperio, conſuleretur Senatus & populus Conſules more ſolito ex patriciis, an iterum Tribunos militum ex utroque ordine fieri vellet. Eam verò ſententiam per Valerium, Horatium, alioſque plebi acceptos Senatores, coram Tribunis plebis in Senatu proponi curavit. Quod ideo factum, ut nec plebs Conſules ſui ordinis haberet: & tamen hac ſummi magiſtratus temporariâ participatione deliniretur, ſicque ad delectum extemplo nomina daret. Sed pro ſex utroque ex ordine Tribunis, plebs tribus patriciis contenta fuit.

7. *Tribus creandis.*] Tres quidem tantùm creati ſunt. Verùm ita lex lata erat, ut ſex creare liceret, nec promiſcuè, ſed æquali numero ex utroque ordine, ut ex Dionyſio retulimus notâ proximâ.

1. *Anno trecenteſimo decimo.*] Plerique, ex lapidibus Capitolinis Tribunos militum conſulari poteſtate anno 309. ſive cum Zonara Coſſ. M. Genucio, & C. Curtio primùm creatos cenſent. Glareanus an. 311. Me non pigebit Livium hìc ſequi, præſertim cum certum ſit hos Tribunos, quòd vitio, & minus rectè ſervatis auſpiciis creati eſſent, tertio menſe, ſive ex Dionyſio poſt 73. dies abdicaſſe, eorumque in locum ſuffectos Conſules, quos Dionyſius jam laudatus & Zonaras in unum eumdemque cum his Tribunis annum conjiciunt: ille in fine lib. 11. ait annum 3. fuiſſe Olympiadis 84. Archonte Athenis Diphilo. Non igitur cum Genucio & Curtio, ſed cum ſequentibus Conſulibus in eumdem annum concurrunt.

creandis ex plebe: & imperio, & insignibus consularibus usos. Non tamen pro firmato jam stetit magistratus ejus jus: quia tertio mense quam injerunt, augurum decreto, perinde ac vitio creati, honore abiere: quod C. Curtius, qui comitiis eorum præfuerat, [2] parum rectè [a] tabernaculum cepisset. Legati ab Ardea Romam venerunt: [3] ita de injuria querentes, ut si demeretur ea, in fœdere atque amicitia mansuros restituto agro appareret. Ab senatu responsum est, *judicium populi rescindi ab senatu non posse, [4] præterquam quod nullo nec exemplo, nec jure fieret, concordiæ etiam ordinum causâ. Si Ardeates [5] sua tempora expectare velint, arbitriumque senatui levandæ injuriæ suæ permittant, fore, ut postmodum gaudeant se iræ moderatos: sciantque Patribus æquè curæ fuisse, ne qua injuria ineos oriretur, ac ne orta diuturna esset.* Ita legati, quum se [6] rem integram relaturos dixissent, comiter dimissi. Patricii, quum sine curuli magistratu respubl. esset, cojêre, & interregem creavêre. contentio, consulesne, an tribuni militum crearentur, in interregno rem dies complures tenuit. Interrex ac senatus, consulum comitia; tribuni plebis & plebs tribunorum militum ut habeantur, tendunt. Vicerunt Patres, quia & plebs patriciis seu hunc seu illum delatura honorem, frustra certare supersedit: & principes plebis ea comitia malebant, quibus non haberetur ratio sui, quam quibus ut indigni præterirentur. tribuni quoque plebis [a] certamen sine effectu in beneficio apud primores Pa-

Urb. cond. an. 310. Cost. L. Papir. & L. Sempron.

INTERPRETATIO.

a *Inutilem contentionem remiserunt, quasi ea in re gratificarentur primoribus Senatorii,*

NOTÆ.

2. *Parum rectè tabernaculum cepisset.*] Inter cætera centuriatorum Comitiorum solennia, illud imprimis observabatur, ut magistratus comitia habiturus, post peracta sacra, & captata intra pomœrium cum augure auspicia, extra urbem tabernaculum caperet tanquam Dux exercitus, atque in eo sederet captandorum adhuc auspiciorum causâ; eumque Cives armati, sub signis & in suis quique Centuriis sequerentur. Sed in capiendo locandove Tabernaculo vitium committi censebatur, si is priusquam pomœrium transgrederetur, auspicia non consuluisset, aut si adversa apparuissent. Quod ubi contigerat, nihil actum videbatur, decernebantque augures, ut qui sic vitio creati essent, magistratum deponerent, uti ex Dionysio Halic. lib. 2. Cic. 3. de Legib. & 2. de Divin. Dione lib. 37. Plutarcho in Marcello discimus.

3. *Ita de injuria querentes.*] Querebantur de agris ex testimonio Sceptii sibi abjudicatis: parati tamen iis restitutis, & sic sublatâ injuriâ, in fœdere manere.

4. *Præterquam quod nullo nec exemplo, nec jure fieret.*] Nunc quidem non licebat Senatui acta populi aut plebis rescindere, idque ad concordiam utriusque ordinis ita servari conveniebat: sed quod nullo exemplo niti hic dicitur, ad hæc tempora accommodatum. Antiquis enim temporibus paulò aliter se rem habuisse ostendimus ex Halicarnasseo lib. 2. cap. 6.

5. *Sua tempora expectare velint.*] Significat tempus commodum Senatui, ad id perficiendum, occasionem, καιρὸν.

6. *Rem integram relaturos.*] An rem totam suis renunciaturos: an potiùs rem in integro relicturos, & eodem statu reportaturos, quo ante ipsorum discessum fuisset?

Urb. cond. an. 310. Coss. L. Papir. & L. Sempron.

trum reliquêre. T. Quintius Barbatus interrex consules creat 7 L. Papirium Mugilanum, L. Sempronium Atratinum. His Consulibus cum Ardeatibus fœdus renòvatum est, idque monumenti est, consules eos illo anno fuisse, qui neque in annalibus priscis, neque in libris magistratuum inveniuntur. credo, 8 quod tribuni militum initio anni fuerunt, eò perinde ac si totum annum in imperio fuerint, suffectis his consulibus, prætermissa nomina consulum horum. 9 Licinius Macer auctor est, & in fœdere Ardeatino, & 10 in linteis libris 11 ad Monetæ inventa. Et foris, quum tot terrores à finitimis ostentati essent, & domi otium fuit. 8

VIII. Hunc annum, 12 (seu tribunos modo, seu tribunis suffectos consules quoque habuit,) sequitur annus haud dubiis consulibus, M. Geganio Macerino iterum, T. Quintio Capitolino quintum Consulibus. Idem 2 hic annus Censuræ initium fuit; rei à parva origine ortæ. quæ deinde tanto incremento aucta est, 3 ut morum disciplinæque Romanæ penes eam regimen, sena- 10 15

NOTÆ.

7. *L. Papirium.*) Eodem anno quo primi Tribuni militum creati, abdicarunt, suffecti sunt Consules in reliquum annum, id est, in novem ferè menses.

8. *Quòd Tribuni militum initio anni fuerunt.*) Summi magistratus qui annum inchoaverant, nomen ei dabant in fastis; licet in discursu anni alii sufficerentur.

9. *Licinius Macer.*) Annalium, sive rerum Romanarum libros scripsit C. Licinius Macer, & qui cum an. u. c. 665. quæsturam gessisset, à Cicerone prætore accusatus repetundarum, voluntaria morte periit, teste eodem Cicerone lib. 1. epistolar. ad Atticum, & Plut. in Cicer.

10. *In linteis libris.*) Veteres etsi plerunque tabulis cera oblitis, membranisve ad scribendum uterentur: tamen alia quoque materiâ usi sunt, telâ etiam in id adhibitâ. Testis Plinius lib. 13. c. 11. *in Palmarum* (aut malvarum) *foliis primò scriptitatum: deinde quarundam arborum libris: postea publica monumenta plumbeis voluminibus; mox & privata linteis confici cœpta, aut cereis*, Alludit Auson. ep. 23.

—— *per licia texta querelas*
Edidit & tacitis mandavit crimina telis.

Ea Carbasina volumina vocantur à Martiano Capella lib. 2. de nupt. Philologiæ. Chartæ autem quæ nunc papyri nomine apud nos in usu, quid aliud quam textilia in linteis, aut xylinis, alicubi etiam bombycinis panniculis, sive centonibus folia? In Monetæ itaque æde *libri linteï* servabantur in quibus continebantur Romani Imperii fata atque historia. Noster infrà cap. 20.

11. *Ad Monetæ.*) Ædes Junonis Monetæ in arce erat, ubi fuerat ædium M. Manlii Capitolini areæ. Liv. lib. 7 cap. 28.

12. *Seu Tribunos modò.*) In aliis Romanorum annalibus Tribuni tantùm militum, in aliis Consules soli hoc anno memorabantur, in paucis utrique teste Dionysio: qui se posteriorum sententiam sequutum affirmat ex fide sacrorum Librorum.

2. *Hic annus Censuræ initium fuit.*) Censum à Servio Tullio Rege institutum, & ipse sæpius, & post Tarquinium Consules hactenus egerant. Sed hi bello ac Tribuniciis certaminibus distracti, salubrem hunc morem jamdiu intermiserant: cum tamen ea res necessaria omnibus videretur, deque ea Consules ad Senatum referrent, placuit creari Censores, qui huic tantùm negotio vacarent. Hi magistratus initio quinquennales paulatim auctoritatem suam ad alia porrexerunt.

3. *Ut morum disciplinæque Romanæ.*) Ideo Magistri quoque morum dicebantur Censores quorum munia Cic. lib. 3. de Legib. describit hac lege propositâ.

tus,

tus, 4 equitumque centuriæ, decoris dedecorisque discrimen sub ditione ejus magistratus, publicorum jus, privatorumque locorum, & vectigalia populi Romani, sub nutu atque arbitrio essent. Ortum autem initium rei est, quod in populo 5 per multos annos a incenso neque differri census poterat, neque consulibus, quum tot populorum bella imminerent, b operæ erat id negotium agere. Mentio illata ab senatu est, rem operosam, ac minime consularem suo proprio magistratu egere: c cui scribarum ministerium, custodiæque & tabularum cura, cui arbitrium formulæ censendi subjiceretur. Et patres, quamquam rem parvam, tamen quo plures patricii magistratus in republica essent, læti accepêre: id quod evenit, futurum credo etiam rati, ut mox opes eorum qui præessent, ipsi honori jus majestatemque adjicerent. & tribuni (id quod tunc erat) magis necessariam, quam speciosi ministerii procurationem intuentes; ne in parvis quoque rebus incommodè adversarentur, d haud sanè tetendêre. Quum à primoribus civitatis spretus honor esset, 6 Papirium Semproniumque, 7 quorum de consulatu dubitabatur, ut eo magistratu parum

Urb. cond. an. 311. Coss. L. Papir. & L. Sempron.

INTERPRETATIO.

Non relato in tabulas Censuales.

b *Nec Consulibus opera pretium esse* videbatur *ei rei incumbere.* Vel *Consules ei negotio dare operam non poterant.*

c *Penes quem magistratum esset potestas in scribas eorumque ministerium; Librorum item* Censualium *tum conficiendorum, tum custodiendorum cura;* cum facultate *arbitrandi qua formula in censum quisque referendus esset.*

d *Nequaquam contenderunt: ne viderentur etiam in minimis quibusque* Senatui *reluctare.*

NOTÆ.

Censores populi avitates. (ætates) *soboles, familias pecuniasque censento. Urbis templa, vias, aquas, ærarium, vectigalia tuentor, populique partes in Tribus distribuunto. Exin pecunias, ætates, ordines partiuntor: Equitum peditumque prolem describunto: cœlibes esse prohibento: mores populi regunto. probrum in Senatu ne relinquunto: bini sunto: magistratum quinquennium habento.* Vide & Plut. in Catone majore, & Paulo Æmilio.

4. *Equitumque Centuriæ.*] Equitum apud Romanos duo fuere genera: alii medium inter Senatores & vulgus civium ordinem constituebant: alii equis suis merebant, peditibus oppositi. Utrique in Centurias divisi: sed hic de prioribus sermo est, qui in Equestrem ordinem lecti erant à Censoribus, assignato equo publico, datoque aureo annulo, quo à reliqua plebe, ut angusto clavo à Senatoribus, distinguebantur.

5. *Per multos annos.*] A L. Cornelii & Q. Fabii Consulatu an. u. 295. per annos fermè XVII. ut observat Dionys.

6. *Papirium Semproniumque.*] Superioris anni Consules. Cic. loco paulo antè dicto scripsit L. Papirium Mugillanum qui Consul fuit cum L. Sempronio Atratino anteà Censorem cum eodem fuisse. Qua in re Librarii vitium arguit Sigonius. Sed & auctor ipse memoriâ labi potuit: quod ipse aliquando de se in veteri historia confitetur.

7. *Quorum de Consulatu dubitabatur.*] Miror non additam hujus dubitationis causam. Ego de ipsa dubitatione facilè dubitaverim, cum jure, nemine refragante creati, menses aliquot gesserint. Si mutare liceat, pro *dubitabatur* non ægrè reposuerim *demorabatur*. Cum enim mense Decembri iniissent, auctore Dionys. annum solidum non impleverant, ut noster quoque subjicit.

solidum consulatum explerent, 8 censui agendo populus suffragiis præfecit. *Censores* ab re appellati sunt.

Urb. cond. an. 311. Coss. M. Genan. 11. & T. Quint. v.

IX. Dum hæc Romæ geruntur, legati ab Ardea veniunt, pro veterrima societate, renovatoque fœdere recenti auxilium prope eversæ urbi implorantes. frui namque pace optimo consilio cum populo Romano servata, per intestina arma non licuit, quorum causa atque initium traditur ex certamine factionum ortum: QUÆ FUERE eruntque pluribus populis magis exitio, quam bella externa, quam fames, morbive, 1 quæque alia in Deûm iras, velut ultima publicorum malorum, vertunt. Virginem plebeii generis, maxime forma notam, petiêre juvenes: alter virgini genere par, tutoribus fretus; 2 qui & ipsi ejusdem corporis erant: nobilis alter, nulla re, præterquam forma captus. adjuvabant eum optimatium studia, per quæ in domum quoque puellæ certamen partium penetravit: nobilis, superior judicio matris esse, quæ quam splendidissimis nuptiis jungi puellam volebat. tutores, 2 in ea quoque re partium memores, ad suum tendere. Quum res peragi intra parietes nequisset, ventum in jus est. postulatu audito matris tutorumque, magistratus secundum parentis arbitrium 3 dant jus nuptiarum. sed vis potentior fuit. namque tutores inter suæ partis homines, de injuria decreti palam in foro concionati, manu factâ virginem ex domo matris rapiunt. adversus quos infestior coorta optimatium acies sequitur accensum injuria juvenem. fit prælium atrox. Pulsa plebs, 4 nihil Romanæ plebi similis, armata ex urbe profecta, colle quodam capto, in agros optimatium cum ferro ignique excursiones facit. urbem quoque, 5 omnis etiam expertem antè certaminis, mul-

INTERPRETATIO.

2 *Qui*, tutores, *ipsi quoque plebeii generis atque ordinis erant*.

NOTÆ.

8. *Censui agendo*.] Et verò undecimum lustrum ab his conditum Sigonius ex sequentibus lustris conjicit, notatque ex Varrone & Livio Censores inter se sortiri solitos, uter lustrum conderet; & qui condidisset, eum fere collegæ postponi solitum.

1. *Quæque alia in Deûm iras*.] Et alia, quæ homines, ex suis vitiis orta, transferunt ad Deos, eorumque iræ assignant; sibi ipsis, qui vera eorum causa sunt, parcentes.

2. *In ea quoque partium memores*.] Partium plebejarum studium in hoc quoque retinentes, eum, qui ejusdem secum ordinis erat, omni ope tuebantur.

3. *Dant jus nuptiarum*.] Significat ex matris arbitrio pronunciatum cui filia uuberet.

4. *Nihil Romanæ plebi simile*.] Intellige quantum ad modestiam in nobiles eorumque bona, quibus Ardeates non pepercere, ut pepercerat Patriciorum corporibus ac rebus plebs Romana, duabus in montem Sacrum secessionibus. Cæterùm quod ad partium studium attinet, satis utraque plebs similis, & quod armatæ ex suis quæque urbibus profectæ collem occuparunt.

5. *Omnis etiam expertem antè certaminis*.] Quomodo urbs anteà omnis certaminis expers, si prælium atrox in ea inter nobilitatem & plebem, sique hæc armis pulsa? Quid si pro *expertem* unà

titudine opificum ad ſpem prædæ evocata, obſidere parat. nec ulla ſpecies, cladeſque belli abeſt; velut contacta civitate rabie duorum juvenum, funeſtas nuptias ex occaſu patriæ petentium. Parum parti utrique domi armorum bellique eſt viſum. optimates Romanos ad auxilium urbis obſeſſæ; plebs ad expugnandam ſecum Ardeam Volſcos excivêre. Priores Volſci 6 duce Æquo Cluilio Ardeam venerunt, & mœnibus hoſtium vallum objecere. Quod ubi Romam eſt nunciatum, extemplo M. Geganius Conſul cum exercitu profectus, tria millia paſſuum ab hoſte locum caſtris cepit, præcipitique jam die curare corpora milites jubet. quarta deinde vigilia ſigna proferre: cœptumque opus adeo approperatum eſt, ut ſole orto Volſci firmiore ſe munimento ab Romanis circumvallatos, quam à ſe urbem viderent. & alia parte Conſul 7 muro Ardeæ brachium 8 injunxerat; 9 qua ex oppido ſui commeare poſſent. Urb. cond. an. 311. Cæſ. M. Geganius & T. Quint. V.

X. 1 Volſcus imperator, qui ad eam diem, non commeatu præparato, ſed ex populatione agrorum rapto in diem frumento aluiſſet militem; poſtquam ſeptus vallo 2 repente inopem omnium rerum videt, ad colloquium conſule evocato, *ſi ſolvendæ obſidionis causâ venerit Romanus, abductûrum ſe inde Volſcos* ait. Adverſus ea Conſul; a *victis*

INTERPRETATIO.

a *Victos debere leges pacis accipere, non dare.*

NOTÆ.

literulâ mutatâ legamus *expertes*, id eſt, Cives locupletes qui neutrarum hactenus partium fuerant; quos tamen cum optimatibus urbe incluſos, plebs evocatis ex ea opificibus, ac ſellulariis, obſedit, non contenta in agros adverſariorum graſſari.

6. *Duce Æquo Cluilio.*] Non nunc primum Volſci ſubſidio Æquorum uſi, Hic Cluilius ex Æquis Dux aſcitus, eadem opinor ex gente fuit ex qua Gracchus Cloelius, qui Minucium conſulem obſedit, tandemque T. Quintio Cincinnato deditus eſt, lib. 3. c. 28. Cluilliorum certè, & Cloeliorum nomen haud multum diverſum, ſi vera pronunciatio ſervetur.

7. *Muro Ardeæ brachium.*] Brachium valli ſpecies eſt. Accedit, opinor, ad munitionis illud genus quod noſtris, *ligne de communication*. Id Lucan. ita deſcripit:

—— Fonteſque & pabula campi
Amplexus foſſâ, denſas tollentia pinnas
Cæſpitibus, crudaque extruxit brachia terrâ.

Pinnæ his brachiis attribuuntur, quod cervis, id eſt, ferreis furcis tricipitibus aut quadricipitibus per intervalla intextis firmarentur. Brachii autem nomen, eadem de cauſa indium, quâ ſinuoſi terrarum mariumve flexus brachia dicuntur: quod nempe brachii ſeu cubiti in ſpeciem curventur.

8. *Injunxerat.*] Sigonius de ſuo, *immiſerat*; quod nec Modio nec Gronovio probatur. Apud noſtrum eadem forma lib. 5. *Vineaque tantùm non injuncta mœnibus eſſent* lib. 10. *opere ac vineis demum injunctis muro*. Injungere enim hic eſt adjungere, *avancer auprès*. Sumitur & pro immittere, vel annectere, ut in lege XII. Tabularum *de tigno injuncto*.

9. *Qua ex oppido ſui commeare poſſent.*] Per ſuos intellige optimates Ardeatium, quibus opem laturus advenerat Geganius.

1. *Volſcus imperator.*] Cluilius nempe, qui antea Æquus dux vocatur. Sed Æquus à patria, Volſcus ab exercitu cui imperabat.

2. *Repente inopem omnium rerum videt.*] Militem ſcilicet quem hactenus rapto frumento aluiſſe dicitur.

Urb. cond. an. 311. Coſſ. M. Gegan. II. & T. Quint. V.

conditiones accipiendas eſſe, non ferendas, reſpondit; *neque ut venerint ad oppugnandos ſocios populi Romani ſuo arbitrio, ita abituros Volſcos eſſe. Dedi imperatorem, arma poni* jubet. *fatentes victos ſe eſſe, imperio parere. aliter tam abeuntibus, quam manentibus ſe hoſtem infenſum, victoriam potius ex Volſcis, quam pacem infidam Romam relaturum*, 3 Volſci exiguam ſpem in armis, alia undique abſciſsâ, quum tentaſſent; præter cætera adverſa, loco quoque 4 iniquo ad pugnam congreſſi, iniquiore ad fugam, quum ab omni parte cæderentur; ad preces a certamine verſi, dedito imperatore, traditiſque armis ſub jugum miſſi, cum ſingulis veſtimentis ignominiæ cladiſque pleni dimittuntur, & quum haud procul urbe Tuſculo conſediſſent, vetere Tuſculanorum odio inermes oppreſſi dederunt pœnas, vix nunciis cædis relictis. Romanus Conſul Ardeæ turbatas ſeditione res, principibus ejus motus ſecuri percuſſis, boniſque eorum in publicum Ardeatium redactis, compoſuit: 5 demptamque injuriam judicii tanto beneficio populi Romani Ardeates credebant. ſenatui ſupereſſe aliquid ad delendum publicæ avaritiæ monumentum videbatur. Conſul triumphans in urbem rediit, Cluilio Volſcorum duce ante currum ducto, prælatiſque ſpoliis, quibus dearmatum exercitum hoſtium ſub jugum miſerat. Æquavit, quod haud facile eſt, Quintius Conſul togatus armati gloriam collegæ: quia concordiæ pacisque domeſticam curam, jura infimis ſummiſque moderando ita tenuit, ut cum & Patres ſeverum Conſulem, & plebs ſatis comem crediderint. Et adverſus tribunos [b] auctoritate plura quam certamine tenuit. quinque Conſulatus eodem tenore geſti, vitaque omnis conſulariter acta, [c] verendum penè ipſum magis, quam honorem faciebant. eò tribuno-

INTERPRETATIO.

b *Obtinuit, pervicit, non tam contentione quam propria gravitate.*

c *Efficiebant ut majorem venerationem ex perſona ſua quam ex dignitate alliceret. Ideo, &c.*

NOTÆ.

3. *Volſci exiguam ſpem in armis alia undique abſciſſa, quum tentaſſent.*] Hoc vult: Cum Volſci, adempta omni alia ſpe, experiri voluiſſent, eam ſalutis viam & ſpem quæ ſola atque admodum tenuis ipſis ſupererat, in armis ſcilicet, ſi forte vi perrumpere poſſent Romanas munitiones, &c. Quod ſpem tentaſſe Volſcos ait, hoc dicendi genere ſignificat id quod ſperabant fieri poſſe: ejus generis exempla profert Gronovius ex eod. Liv. lib. 26. *Inde alia ſpes ab eo tentata eſt*; & lib. 37. *Tentata interim ſpe auxilii ab Anthioco*. Fruſtra Sigonius hic vocem *ponentes* interſerit, quaſi ſit; *Volſci exiguam ſpem in armis ponentes*. Fruſtra pro accuſativo legitur in auferendi caſu *exiguâ ſpe*. Neutrâ enim ratione erit quò referas *cum tentaſſent*; niſi *alia undique abſciſſa* in neutro pluralis numeri ſumas. Sed quid erit *tentare alia abſciſſa*?

4. *Iniquo ad pugnam congreſſi, iniquiore ad fugam.*] Locus ad pugnam iniquus erat, quod ancipiti prælio decernendum eſſet, urgentibus hinc Romanis à fronte, inde obſeſſis à tergo: iniquior ad fugam, quæ non niſi perruptis Romanorum munitionibus patebat.

5. *Demptamque injuriam Judicii*:] De agro inter Ardeates & Aricinos controverſo, lib. 3. cap. ult.

rum militarium nulla mentio his conſulibus fuit.

Urb. cond. an. 312. Coſſ. M. Fab. III. & Poſtu. Æbut.

XI. [a] Conſules creant M. Fabium Vibulanum, Poſtumum Æbutium Cornicinem. Fabius & Æbutius conſules, [b] quò majori gloriæ rerum domi foriſque geſtarum ſuccedere ſe cernebant ([1] maximè autem memorabilem annum apud finitimos ſocios hoſteſque eſſe, quod Ardeatibus in re præcipiti tantâ foret curâ ſubventum): eò impenſius, ut delerent prorſus ex animis hominum infamiam judicii, ſenatuſconſultum fecerunt; ut quoniam civitas Ardeatium inteſtino tumultu redacta ad paucos eſſet, [2] coloni eo præſidii cauſa adverſus Volſcos ſcriberentur. 3 Hoc palam relatum in tabulas, ut plebem tribunoſque falleret, judicii reſcindendi conſilium initum. Conſenſerant autem, ut multo majore parte Rutulorum colonorum quam Romanorum ſcripta: nec ager ullus divideretur, niſi is qui interceptus judicio infami erat: nec ulli priùs Romano ibi, quam omnibus Rutulis diviſus eſſet, gleba ulla agri aſſignaretur. Sic ager ad Ardeates rediit. Triumviri ad coloniam Ardeam deducendam creati, Agrippa Menenius, T. Cloelius Siculus, M. Æbucius Elva. qui per minime populare miniſterium agro aſſignando ſociis, quem populus Romanus ſuum judicaſſet, quum plebem offendiſſent; ne primoribus quidem Patrum ſatis accepti, quod nihil gratiæ cujuſquam dederant: vexationes, ad populum jam die dicta ab tribunis, colonis aſcripti [4] remanendo in colonia, quam teſtem integritatis juſtitiæque habebant, vitavêre. Pax domi foriſque fuit, & hoc & inſequenti anno.

XII. C. Furio Pacilo, & M. Papirio Craſſo Conſulibus; Ludi ab decemviris, per ſeceſſionem plebis à Patribus ex ſenatuſconſulto voti, eo anno

INTERPRETATIO.

a *Conſules prioris anni novos Conſules eligi curant.*

b *Quò majori gloriâ ob res* præclarè *hinc bello, hinc pace geſtas eſſe videbant* Geganium & Quintium *Conſules, quibus ipſi ſuccedebant.*

NOTÆ.

1. *Maximè autem memorabilem annum.*] Repete ex anterioribus, *cernebant.*

2. *Coloni eò præſidii cauſâ.*] De jure Civium Romanorum qui in Colonias mittebantur, videndus inter cæteros A. Gell. lib. 16. cap. 13.

3. *Hoc palam relatum in tabulas.*] Mens conſulum erat, ut ager Ardeatibus ereptus iniquo populi Romani judicio, iiſdem redderetur: quod Tribuni plebis non erant probaturi. Igitur in Senatuſconſulto non niſi colonorum Romæ Ardeam mittendorum mentio facta. Et quia colonis agri erant aſſignandi, dividi tantùm juſſus eſt ager ille quem populus poſſeſſoribus Ardeatibus ademptum, Romani juris illo judicio fecerat. Verùm tacito quaſi Senatuſconſulto tribus Senatoribus, quibus deducendæ coloniæ munus incumbebat, mandatum ut in aſſignandis tot jugeribus, quot unicuique per Senatuſconſultum attribui debebant, priùs Rutulorum omnium, veterum ſcilicet Ardeæ incolarum, quàm novorum colonorum Româ profectorum, rationem haberent.

4. *Remanendo in colonia.*] Hi triumviri civitatem mutare maluerunt, quàm Romæ cauſam coram populo dicere.

Urb. cond. an. 313. Coſſ. C. Fur. & M. Papir.

facti ſunt. Cauſa ſeditionum nequicquam [1] à Petilio quæſita. qui tribunus plebis iterum ea ipſa denunciando factus, neque ut de agris dividendis plebi referrent conſules ad ſenatum, pervincere potuit: & quum magno certamine obtinuiſſet, ut conſulerentur Patres, conſulum an tribunorum placeret comitia haberi; conſules creari juſſi ſunt. ludibrioque erant minæ tribuni denunciantis ſe delectum impeditrum, quum, quietis finitimis, neque bello, neque belli apparatu opus eſſet. Sequitur hanc tranquillitatem rerum annus, Proculo Geganio Macerino, L. Menenio Lanato conſulibus, multiplici [2] clade ac periculo inſignis, ſeditionibus, fame; regno propè per largitionis dulcedinem in cervices accepto. Unum abſuit bellum externum: quo ſi aggravatæ res eſſent, [3] vix ope Deorum omnium reſiſti potuiſſet. Cœpêre à fame mala, ſeu adverſus annus frugibus fuit, ſeu dulcedine concionum & urbis, deſerto agrorum cultu. nam utrumque traditur. & Patres plebem deſidem, & tribuni plebis, nunc fraudem, nunc negligentiam conſulum accuſabant. Poſtremò perpulêre plebeii, haud adverſante ſenatu, ut [4] L. Minucius præfectus annonæ crearetur; felicior in eo magiſtratu ad cuſtodiam libertatis futurus, quàm ad curationem miniſterii ſui: quamquam poſtremo annonæ quoque levatæ, haud immeritam & gratiam & gloriam tulit. Qui quum multis circa finitimos populos legationibus terra marique nequicquam miſſis (niſi quod ex Etruria haud ita multum frumenti advectum eſt) [a] ullum momentum annonæ feciſſet: & revolutus ad diſpenſationem inopiæ, profiteri cogendo frumentum, & vendere quod uſui menſtruo ſupereſſet, fraudandoque parte diurni cibi ſervitia, criminando inde & obiiciendo iræ populi frumentarios, acerba inquiſitione aperiret magis quam levaret inopiam; multi ex plebe

INTERPRETATIO.

a *Cum nihil profeciſſet in rei frumentariæ copia* inducenda; *eò deſcendit ut exiguam ejus quantitatem*, quæ in urbe erat, parciſſimè *diſpenſaret*.

NOTÆ.

1. *A Petilio*.] Sigonius legit Petelio.

2. *Clade ac periculo*.] Clades ex fame, periculum ex affectata tyrannide; utrumque ex ſeditionibus.

3. *Vix ope Deorum omnium reſiſti potuiſſet*.] Sic Modius & Gruterus ſecundum ſcriptos Codices, vetereſque editiones: aliàs *vix ope Deorum omnium res ſiſti potuiſſet*. Gronovius libros omnes corruptos eſſe contendit, jubetque ſcribi *ſiſti potuiſſet*: quam quidem loquendi formam pro eo quod eſt *rem ſalvam eſſe*, aut *ſervari non potuiſſe*, & elegantem, & Livio uſitatam non diffiteor. Sed cum agatur de bello externo, cui verbum *reſiſti* optimè convenit; nihil eſt quod abſque antiquorum librorum auctoritate quicquam hìc moveatur.

4. *L. Minucius præfectus annonæ*.] Extraordinarius hic magiſtratus creabatur, rei frumentariæ curandæ causâ, cum gravis erat annona, & alimentorum inopiâ urbs laborabat. Auguſtus ordinarium fecit magiſtratum ex Tranquillo, qui Curatorem frumenti populo dividendi vocat.

ſpe amiſſa, [b] potius quam ut cruciarentur trahendo animam, capitibus obvolutis ſe in Tiberim præcipitaverunt.

XIII. Tum Sp. Mælius ex equeſtri ordine, ut illis temporibus, prædives, rem utilem peſſimo exemplo, pejore conſilio eſt agreſſus. frumento namque ex Etruria, privata pecunia per hoſpitum clientiumque miniſteria coëmpto (quæ credo ipſa res ad levandam publica cura annonam impedimento fuerat) largitiones frumenti facere inſtituit: plebemque hoc munere delinitam, quacunque incederet [1] conſpectus elatuſque ſupra modum hominis privati, ſecum trahere; haud dubium conſulatum [2] favore ac ſpe deſpondentem. Ipſe, [a] ut eſt HUMANUS ANIMUS inſatiabilis eo quod fortuna ſpondet, ad altiora & non conceſſa tendere. & quoniam conſulatus quoque [b] eripiendus invitis patribus eſſet, de regno agitare: id unum [3] dignum tanto apparatu conſiliorum & certamine, quod ingens exſudandum eſſet, præmium fore. Jam comitia conſularia inſtabant. [c] quæ res eum [4] necdum compoſitis maturiſve ſatis conſiliis, oppreſſit. Conſul ſextum creatus T. Quintius Capitolinus, minime opportunus vir novanti res: collega additur ei Agrippa Menenius, cui Lanato erat cognomen; [5] & L. Minucius præfectus annonæ, ſeu refectus, ſeu quoad res poſceret,

Urb. cond. an. 314. Coſſ. Proc. Geg. & L. Menen.

INTERPRETATIO.

b *In Tiberim ſeſe præcipites agere maluerunt, quàm inter famis cruciatus vitam producerent.*

a *Ut mens hominum contenta nunquam eſt iis rebus quæ ſperari poſſunt ex ſorte cujuſque.*

b *Exterquendus eſſet, & quaſi auferèdus.*

c *Quæ cauſa fuit cur opprimeretur.*

NOTÆ.

1. *Conſpectus elatuſque.*] Conſpectum dixit pro claro & conſpicuo: quemadmodum lib. 22. *Plebejum Conſulem ſua plebs perſecuta, turbâ quam dignitate conſpectior.* Deſcribitur ergo Sp. Mælius ſeſe oculis hominum conſpiciendum per arrogantiam præbens, ac venditans. Quod autem pro *conſpectus*, ex quibuſdam libris Signius obtrudit, *Conſulis pectus gerens*; improbat non immerito Gronovius.

2. *Favore ac ſpe deſpondentem.*] Plebs quæ Sp. Mælium ſequebatur, largitionibus frumentariis illecta, ei Conſulatum pro certo & favore ſuo deſtinabat, & ſpe augurabatur.

3. *Dignum tanto apparatu conſiliorum & certamine.*] Legunt alii, *& certaminis*; non malè: alii *certaminum*; quod non placet. Nam ſequentia, *quod ingens exſudandum eſſet*, referenda eſſent ad *præmium*; nemo autem dixerit *præmium exſudare*. Senſus hic eſt. Cum æquè difficile ſibi plebejo videret Sp. Mælius Conſulatum adverſante Senatu obtinere, ac regnum: hoc præmium dignius ipſi viſum eſt tanto apparatu conſiliorum, tantoque certamine quantum ipſi in perſequendo Conſulatu ſubeundum intelligebat.

4. *Necdum compoſitis maturiſve ſatis conſiliis.*] Jam lib. 3. eadem locutione uſus eſt auctor. *Querentibus legatis quæ poſtulata plebis eſſent, compoſito jam ante adventum legatorum conſilio, ea poſtulavit.*

5. *Et L. Minucius.*] Ne dixeris hunc quoque additum collegam Quintio: Præfectus enim annonæ Conſulum miniſter potiùs erat quàm collega. Conjunctiva itaque pericula non eò referenda eſt, ſed ad id quod ſequitur; ſeu refectus, ſeu incertum creatus.

Digitized by Google

Urb. cond. an. 315. Coss. T. Quint. Capitolino VI. & Agr. Menen.

6 in incertum creatus. nihil enim constat, nisi 7 in libros linteos utroque anno relatum inter magistratus præfecti nomen. Hic Minucius 8 eandem rei publicæ curationem agens, quam Mælius privatim agendam susceperat, 9 quum in utraque domo genus idem hominum versaretur, rem compertam ad senatum refert, *Tela in domum Mælii conferri, eumque* 10 *conciones domi habere: ac non dubia regni consilia esse.* d *tempus agendæ rei nondum stare; cætera jam convenisse, & tribunos mercede emptos ad prodendam libertatem, & partita ducibus multitudinis ministeria esse. Serius se pene, quam tutum fuerit,* e *ne cujus incerti vanique auctor esset, ea deferre.* Quæ postquam sunt, audita, & undique primores Patrum & prioris anni consules increparent, *quod eas largitiones, cœtusque plebis in privata domo passi essent fieri*, & novos consules, *quod expectassent, donec à præfecto annonæ tanta res ad senatum deferretur, quæ consulem non auctorem solùm desideraret, sed etiam vindicem*, tum T. Quintius, *consules immerito increpari*, ait, *qui constricti legibus de provocatione* 11 *ad dissolvendum imperium latis, nequaquam tantum virium in magistratu ad eam rem pro atrocitate vindicandam, quantum animi haberent. opus esse non forti solum viro, sed etiam libero, exso-*

INTERPRETATIO.

d *Nondum statum fixumque esse rei perficiendæ diem.*

e *Ne rem aliquam futilem ac parum certam, deferret ac nunciaret.*

NOTÆ.

6. *In incertum creatus.*] Ab initio tanquàm magistratus extra ordinem ex necessitate creatus: non in annum, ut solebant ordinarii magistratus; sed quandiu arcta esset annona.

7. *In libros Linteos.*] De his antea c. 7. sub finem.

8. *Eandem reipublicæ curationem agens.*] Scribendum censet Gronovius *eandem publicè curationem agens*. Id est, publica auctoritate, publico nomine, annonam populo curans ac dividens: quemadmodum Mælius privatâ auctoritate: vel *ejusdem rei publicæ curationem*. Potest tamen vulgata quoque lectio ferri, atque ita explicari, ut ea pars rei publicæ, sive munus illud publicum curandum Minucio esset mandatum; quod privato consilio sibi ipse Mælius curandum suscepisset.

9. *Quum in utraque domo genus idem hominum.*] Inopia ciborum laborantes homines, tam ad L. Minucii præfecti annonæ, quàm ad Sp. Mælii largientis frumentum ædes, cum æquè confluerent; à nonnullis eorum didicit Minucius quæ apud Mælium agerentur.

10. *Conciones domi habere.*] Non placent Gronovio hæ domesticæ conciones, censetque legendum *coitiones*; quod alibi Rhenanus & Sigonius nostro restituêre: idque eo magis quod mox eadem de re dicitur, *quod eas largitiones cœtusque plebis in privata domo passi essent fieri*. Sed quid si *conciones* pro coitionibus aut cœtibus? Non enim semper concio pro oratione sumitur, sed sæpenumero pro conventu ac multitudine convocata, uti manifestum fit, vel ex hoc Ciceronis loco pro Sextio: *Consul advocat concionem, habet orationem*. Et verò unde concionis vocabulum nisi à *conciendo*? Licet autem Concio propriè dicatur de multitudine publicè congregata: quid ni ad eam trahatur quæ privatim coit, præsertim si quis rem criminandi animo amplificet?

11. *Ad dissolvendum imperium latis.*] Leges intelligit de provocatione ad populum & intercessione tribunorum, quæ omnem Consularis imperii vim haud dubiè dissolvebant.

Intoque

lutoque legum vinculis. Itaque se dictatorem L. Quintium dicturum ibi animum parem tantæ potestati esse. Approbantibus cunctis, primo Quintius abnuere: *& quid sibi vellent*, rogitare, *qui se ætate exacta tantæ dimicationi objicerent.* Dein quum undique *plus in illo senili animo, non consilii modo, sed etiam virtutis esse, quam in omnibus aliis* dicerent, laudibusque haud immeritis onerarent, & consul nihil remitteret; precatus tandem Deos immortales Cincinnatus, *ne senectus sua in tam trepidis rebus damno dedecorive reipubl. esset*, Dictator à Consule dicitur. ipse deinde C. Servilium Ahalam magistrum equitum dicit. Urb. cond. an. 315. Dictat. L. Quint. Cincinnat.

XIV. Postero die, dispositis præsidiis quum in forum descendisset, conversaque in eum plebs novitate rei ac miraculo esset, & [1] Mæliani, atque ipse dux eorum in se intentam vim tanti imperii cernerent; expertes consiliorum regni, [2] *qui tumultus, quod bellum repens, aut dictatoriam majestatem, aut Quintium post octogesimum annum rectorem reipub. quæsisset*, rogitarent; missus ab dictatore Servilius magister equitum ad Mælium, *Vocat te*, inquit, *dictator*. quum pavidus ille, *quid vellet*, quæreret; Serviliusque *causam dicendam esse* proponeret, *crimenque, à Minucio delatum ad senatum, diluendum*: tunc Mælius recipere se in catervam suorum, & primùm circumspectans, tergiversari: postremo quum apparitor jussu magistri equitum duceret; ereptus à circumstantibus fugiensque, fidem plebis Romanæ implorare: *& opprimi se consensu Patrum dicere, quod plebi benigne fecisset*. orare, *ut opem sibi ultimo in discrimine ferrent, neve ante oculos suos trucidari sinerent*. Hæc eum vociferantem assecutus [3] Ahala Servilius obtruncat: respersusque cruore obtruncati, stipatus caterva patriciorum juvenum, dictatori renunciat, *Vocatum ad eum Mælium, repulso apparitore concitantem multitudinem, pœnam meritam habere*. Tum dictator, *Macte virtute*, inquit, *C. Servili, esto, liberatâ republicâ.*

XV. Tumultuantem deinde multitudinem [1] incerta existimatione facti, *ad concionem vocari* jussit; & *Mælium jure cæsum pronunciavit, etiamsi regni crimine insons fuerit, qui vocatus à magistro equitum ad dictatorem non venisset. Se ad causam cognoscendam consedisse; quæ cognita, habiturum fuisse Mælium* [2] *similem causæ fortunam. Vim pa-*

NOTÆ.

1. *Mæliani*.] Plebeii qui pro Mælio stabant, & tyrannicorum ejus consiliorum participes erant: nam plerique plebejorum ei quidem favebant, sed ejusmodi consiliorum ignari.

2. *Qui tumultus*.] Non enim creari solitus Dictator, nisi belli externi, aut seditionis domesticæ vis major grave reipub. discrimen minaretur. Ut enim in Tribunis tutela plebis, ita in Dictatore patrum fiducia.

3. *Ahala Servilius obtruncat*.] Is postea custoditæ libertatis civium pœnas exilio suo pependisse dicitur à Valer. Max. lib. 5. cap. 3.

1. *Incertâ existimatione facti*.] Cum dubia esset opinio bene an malè factum esset Quemadmodum de cæde Cæsaris Tac. 1. Annal. *Qua aliis pessimum, aliis pulcherrimum facinus videbatur.*

2. *Similem causæ fortunam*.] Judicium causæ suæ conveniens: ideſt, si bona

Urb. cond. an. 315. Dictat. L. Quint., Cincinn.

rantem, ne judicio se committeret, vi coërcitum esse. nec cum eo tanquam cum cive agendum fuisse; qui natus in libero populo, inter jura legesque, ex qua urbe reges exactos scirent, eodemque anno 3 sororis filios regis, & liberos consulis liberatoris patriæ, 4 propter pactionem indicatam recipiendorum in urbem regum, à patre fecuri esse percussos; ex qua Collatinum Tarquinium consulem, nominis odio abdicare se magistratu atque exulare jussum; in qua de Sp. Cassio post aliquot annos propter consilia inita de regno, supplicium sumptum; in qua nuper decemviros bonis, exilio, capite mulctatos ob superbiam regiam; in ea Sp. Mælius spem regni conceperit. Et quis hom? quamquàm nullam nobilitatem, nullos honores, nulla merita cuiquam ad dominationem 5 pandere viam: sed tamen Claudios, Cassios, consulatibus, decemviratibus, suis majorumque honoribus, splendore familiarum sustulisse animos, quò nefas fuerit e Sp. Mælium, cui tribunatus plebis magis optandus, quam sperandus fuerit, 6 frumentarium divitem 7 bilibris farris speraſſe libertatem se civium suorum emisse, 8 cibo- 15 que objiciendo ratum victorem finitimorum omnium populum in servitutem

INTERPRETATIO.

2 *Et existimasse fore ut populus* Romanus *vicinorum omnium victor, obla-* | *tutem*: ut Sp. Mælium *quem Senatorem* | *fieri vix ferre civitas posset, tum regem* | *peteretur.*
tis in diem *cibis* attrahi *posset in servi-*

NOTÆ.

causa, & Mælius insons repertus esset, absolutionem: sin mala causa, atque ille reus compertus, condemnationem.

3. *Sororis filios regis.*] Filii Consulis Junii Bruti nati non erant sorore Tarquinii regis: sed ipse Brutus Tarquinia Tarquinii Prisci filia, Superbi sorore, autamita natus erat. Filii ergo Consulis duo pronepotes Tarquinii Prisci, Superbi fororis ad summum nepotes. Sed filiorum appellatione sæpe nepotes cæterique liberi intelliguntur. De Juniis itaque solis, Bruti Consulis filiis hæc accipienda: quæ autem de *regis* nomine delendo, de Vitelliis, Aquiliisque & Collatino Consule habent Glareanus & Sigonius, ea pro non scriptis habenda. Nam de Collatino mox noster seorsim.

4. *Propter pactionem indicatam.*] Pactionem ab ipsis initam, indicatam à Vindicio servo, lib. 2. cap. 4.

5. *Pandere viam.*] An alludere voluit ad vocabuli proprietatem? Pandendi quippe verbum à pane dando derivat apud Nonium Varro, quod eis *qui ope indigerent, & ad asylum Cereris confugissent, panis daretur, & nunquam fanum talibus eluderetur.*

6. *Frumentarium divitem.*] Cujus nulla esset alia dignatio, nullum meritum, quàm quod mercator frumenti, opes quibus abundabat, in eam negotiationem impenderet.

7. *Bilibris farris.*] Omissis Rhenani, Glareani, Sigonii lectionibus, & conjecturis variis; nomen *bilibris* adjectivè ne sumas: sed à bilibra substantivo deduc, quod formatur ut selibra, ut bilanx & bimensis. Et cum Gronovio intellige duas frumenti libras, sive singulas bilibras multis è plebe datas à Mælio. Hinc patet veteres frumentum non solùm admetiri, sed etiam appendere solitos. Quod lex etiam XII. tabularum ostendit, cum vincto, si suo vivere nequeat, ab eo qui vinctum tenet, singulas in dies libras farris dari jubet. Quam quantitatem videtur Sp. Mælius suis plebeiis duplicare voluisse. Farris porrò generali nomine, quodvis frumentum, propriè ador intelligitur. Sed & farina nonnunquam eodem nomine significatur.

perlici posse, ut quem senatorem concoquere civitas vix posset, regem ferret: Romuli conditoris, ab Diis orti, recepti ad Deos, insignia atque imperium habentem. Non pro scelere id magis, quam pro monstro habendum. Nec satis esse sanguine ejus expiatum, nisi tecta parietesque intra quæ tantum amentiæ conceptum esset; dissiparentur: 8 bonaque contacta pretiis regni mercandi, publicarentur. Jubere itaque quæstores, vendere ea bona, atque in publicum redigere. Urb. cond. an. 315. Dictat. L. Quint. Cincinnat.

XVI. Domum deinde, ut monumento area esset oppressæ nefariæ spei, dirui extemplo jussit. id 1 Æquimelium appellatum est. 2 L. Minucius × bove aurato 3 extra portam Trigeminam est donatus, ne plebe quidem invita, quia frumentum Mælianum 4 assibus in modios æstimatum plebi divisit. Hunc Minucium apud quosdam auctores transisse à Patribus ad plebem, undecimumque Tribunum plebis cooptatum, seditionem motam ex Mælianæ cæde sedasse, invenio. Cæterum vix credibile est, numerum tribunorum Patres augeri passos. idque potissimum exemplum a patricio homine introductum: a nec deinde id plebem, concessum semel, obtinuisse, aut certe

INTERPRETATIO.

a *Nec probabile est plebem id postea non obtinuisse, aut saltem tentasse, si semel ipsi concessum fuisset. Præsertim verò ex eo falsi arguitur titulus* Tribuni pl. *Minucii domestici imagini adscriptus, quòd paucis ante annis constitutum lege fuerat ne liceret Tribunis plebis collegam sibi asciscere.*

NOTÆ.

8. *Bonaque contacta pretiis regni mercandi publicarentur.*] Faber suspicatur legendum *contracta*: id est, *quæ contracta*, inquit, *ab eo fuerant, ut pretio sibi regnum pararet.* Esset igitur *pretiis*, idem atque *ad pretia*, de quo viderint eruditi: & *contrahi bona*, pro eo quod est *parari, acquiri*, haud facile quis dixerit. Mihi elegantior Livii sententia videtur futura, si nihil mutetur. Possunt enim intelligi *bona contacta pretiis regni mercandi*: sensu quo dictum à nostro, *Si diem contactum religione insignemque nomine ejus loci timeant Romani.* Ut *contacta* dicantur quasi pestifera, & contagione quadam laborantia ob nefandum commercium. Possunt & *contacta bona* dici, id est, delibata jam sumptibus ad regnum mercandum factis, quæ cum prava illorum voluntate in populum aliqua ex parte erogata sint, nihil fiet contra æquitatem si omnia publicentur. Rhenanus similem indicat locum ex lib. 2. cap. 4. *Ut contacta regiâ præda.*

1. *Æquimelium appellatum.*] Quasi dicas solo æquatam Mælii domum. Fuit autem Æquimelium inter Velabrum & Capitolium ad tabernas laneas.

2. *L. Minucius bove aurato donatus,*] Plin. lib. 18. cap. 3. & lib. 34. cap. 5. statuâ donatum refert, idque stipe à populo collatâ. Idcirco suspectus est Liptio hic locus 1. Elector. cap. 8. Unde refelli videtur quod Valer. lib. 2. & Ammian. 14. negant statuam auratam in Italia visam priusquam à M. Acilio Glabrione patri poneretur in æde Pietatis: id fuit an. u. c. 562. Addit Lips. vetustum ipsius codicem præferre *bâ. auro*, cujus correctionem eruit, *bove & agro*. Pro quo Gron. *Bove & arvo*.

3. *Extra portam Trigeminam.*] Eadem est cum Ostiensi inter Aventinum, ac Cælium montes: unde via Ostiam ducit, qua parte annona Romam adverso Tiberi vehebatur. Nunc *Porta di San Paolo*.

4. *Assibus in modios æstimatum.*] Ut modius asse uno constaret, id est, si æs grave intelligatur, nostratis hodiernæ monetæ assibus ferme 13. cum dimidio. Sed videtur Livius ad sui temporis asses respicere, quorum singuli

Urb. cond. an. 316. Tribb. mill. M'. Æmil. Mamer. &c.

tentasse. sed ante omnia refellit falsum imaginis titulum, paucis ante annis 5 lege cautum, *ne tribunis collegam cooptare liceret*. Q. Cæcilius, Q. Junius, Sex. Titinnius, soli ex collegio Tribunorum, neque tulerant de honoribus Minucii legem: & criminari nunc Minucium, nunc Servilium apud plebem, querique indignam necem Mælii non desiterant. Pervicerunt igitur, ut tribunorum militum potius quam consulum comitia haberentur: haud dubii, 6 quin sex locis 7 (tot enim jam creari licebat) & plebeii aliqui *profitendo se ultores fore Mælianæ cædis*, crearentur. Plebs, quamquam agitata multis eo anno & variis motibus erat, nec plures quam tres tribunos consulari potestate creavit, & in iis L. Quintium Cincinnati filium; ex cujus dictaturæ invidia tumultus quærebatur: Prælatus suffragiis Quintio Mamercus Æmilius vir summæ dignitatis. L. Julium tertium creant.

XVII. In horum magistratu 1 Fidenæ colonia Romana 2 ad Lartem Tolumnium Vejentium regem 3 ac Vejentes defecere. Majus additum defectioni scelus. C. Fulcinium, Cloelium Tullum, Sp. Ancium, L. Roscium legatos Romanos, causam 4 novi consilii quærentes, jussu Tolumnii interfecerunt. Levant quidam regis facinus:

NOTÆ.

novem denarios Gallicos haud superabant. Capit autem Modus sedecim sextarios, sive tertiam amphoræ partem, id est libras 26. cum 8 unciis Romanis: *environ un boisseau mesure de Paris pesant vingt de nos livres, ou environ*.

5. *Lege cautum*.] Hanc cautionem nusquam in Livio lectam antea; nec Trebonia legi anno 307. latæ assignari posse contendit Glar. Reverà lex Trebonia cavebat tantùm, ut qui Magistratus Tribunitiis Comitiis præesset, non antè desineret, quam decem Tribuni plebi facti essent, lib. 3. cap. 65.) nec apertè undecimum addi vetabat. Sed cum hæc lex à Trebonio lata fuerit abolendæ alterius legis causâ quæ Tribunos, si qui numero deessent, ab iis, qui ritè creati erant cooptari, juberet, (cap. 64.) sequitur posteriori lege hanc ipsis potestatem fuisse ademptam: neque plebi ipsi numerum excedere licuisse. Et fatendum, quod innuit hic Livius, & lib. 8. palàm notat, sæpè à posteris nobilium vitiatam memoriam falsis imaginum titulis, dum familia ad se quæque famam rerum gestarum, honorumque, fallente mendacio, trahunt.

6. *Quin sex locis*.] Ald. & aliæ edd. *Sex lectis*, id est, si sex Tribuni Mil. electi essent. Sed veteres habent, *locis*: Gall. *s'il y avoit six places à remplir*. Et probat Gronov. exemplis aliquot: velut. mox *primoribus patrum splendore gratiaque ad petendum præparatis, omnia loca obtinuere*,

7. *Tot enim jam creari licebat*.] Quo jure aut qua lege non explicat. sed ex Dionysio antea ostendimus id jam ab initio licuisse, suprà cap. 6.

1. *Fidenæ colonia*.] Albanorum primùm, deinde Romanorum colonia, deductis ab ipso Romulo anno U. C. 13. duobus millibus & quingentis colonis. Plutarcho auctore. Vide lib. 1. c. 14. & 27.

2. *Ad Lartem Tolumnium*.] *Tolumnius* nomen proprium est, *Lar* appellativum, ni fallor, quod Regem significabat apud Etruscos: Lar verò ejusmodi sive rex, semel ad Fanum Voltumnæ suffragiis communibus duodecim Etruriæ populorum creatus, dum viveret eum honoremusurpabat: cum annui essent Lucumones, sive Dictatores cujusque populi. Vid. Liv. lib. 1. cap. 8.

3. *Ac Vejentes*.] De Vejis & Vejentibus vid. l. b. 1.

4. *Novi consilii*.] Defectionis ad Vejentes.

5 in teſſerarum proſpero jactu vocem ejus ambiguam, ut occidi juſſiſſe videretur, ab Fidenatibus exceptam, cauſam mortis legatis fuiſſe. Rem incredibilem: interventu Fidenatium novorum ſociorum, conſulentium de cæde ruptura jus gentium, [a] non averſum ab intentione luſus animum: [6] nec deinde in horrorem verſum facinus. [b] propius eſt fidem, obſtringi Fidenatium populum, [c] ne reſpicere ſpem ullam ab Romanis poſſet conſcientia tanti ſceleris, voluiſſe. Legatorum qui Fidenis cæſi erant, ſtatuæ [7] publicè in Roſtris poſitæ ſunt. Cum Vejentibus Fidenatibuſque, præterquam finitimis populis, ab cauſa etiam tam nefanda bellum exorſis, atrox dimicatio inſtabat. Itaque ad curam ſummæ rerum, quieta plebe, tribuniſque ejus, nihil controverſiæ fuit, quin conſules crearentur M. Geganius Macerinus tertium, & L. Sergius *Fidenas*, à bello credo, quod deinde geſſit, appellatus. Hic enim primus [8] cis Anienem cum rege Vejentium ſecundo prælio conflixit: nec incruentam victoriam retulit. Major itaque ex civibus amiſſis dolor,

Urb. condi. an. 317. Coſſ. M. Geganius. III. & L. Serg.

INTERPRETATIO.

a *Ejus mentem ab intenta in ludum cogitatione non fuiſſe abductam.*

b *Veriſimilius eſt*, & fide dignius.

c *Ut Fidenatium populus, poſt tantum ſcelus* perpetratum, *ejus conſcientiâ deterreretur quo minùs* iterum *reſpiceret ad Romanos, aut ſpei quicquam* reliquum haberet pacis cum eis reconciliandæ.

NOTÆ.

5. *In teſſerarum proſpero jactu.*] Quæ vox Tolumnio exciderit non dicit Liv. fortè quòd Latina verba Etruſcis ejus verbis non ſatis reſponderent. Dixerit fortè *jacta eſt alea, vicimus, perierunt*; aut quid ſimile (ad adverſarios, quibuſcum luderet directo ſermone.)

6. *Nec deinde in horrorem verſum facinus.*] Veteres quidam libri *ac deinde in errorem verſum facinus*. Quod Sigonio placet, quaſi incredibile videatur tanti facinoris cauſam in errorem conjectam. Sed meliores Codices apud Gronov. pro altera lectione ſtant: quæ magis videtur Livii menti convenire. Cum enim dixiſſet incredibile ſibi videri quod de cauſa ejus cædis, quaſi non juſſu regis, ſed per imprudentiam factæ, nonnullis memoretur; cauſas ſubjicit duas cur id ſibi parum veriſimile videatur; alteram ex eo tempore petitam, quod præceſſit Legatorum cædem, quo non debuerit rex de re tam atrocî à novis ſociis conſultus, cum colluſoribus jocari, ac ſocios ſine certo & meditato reſponſo dimittere: alteram ex eo quòd ſubſequutum eſt, quod ſcilicet auditâ tam dirâ joci ſui interpretatione, ex qua jus gentium crudeliter violatum eſſet, non exhorruerit ejuſmodi facinus. ex quo in eum hominis nefarii titulus atque infamia redundaret; nec ſaltem id apud hoſtes excuſaverit.

7. *Statuæ publicè in Roſtris.*] Honoris genus, quo Græci & Romani auctores præclari alicujus facinoris remunerari ſoliti. Sic Equeſtri ſtatua donatam vidimus Cloeliam lib. 2. cap. 13. & cap. proximè ſuperiori erectum in honorem Minucii auratum bovem. Atque hoc præmii genus in iis maximè locum habebat, qui mortem pro patria oppetiiſſent, veluti Athenienſium atque Alexandri Magni Judicio in Equitibus qui in pugna Marathonia, quique ad Granicum ceciderant; & Romanorum nunc juſſu in his Legatis.

8. *Cis Anienem.*] In agro ſcilicet Romano: nec procul ab urbe.

Urb. cond. an. 317. Coſſ. M. Geganius Macer. III. L. Ser. Fiden.

quam lætitia fuſis hoſtibus fuit. & ſenatus, ut intrepidis rebus, dictatorem dici Mamercum Æmilium juſſit. Is magiſtrum equitum ex collegio prioris anni, qui ſimul tribuni militum conſulari poteſtate fuerant, L. Quintium Cincinnatum, dignum parente juvenem, dixit. Ad delectum ab conſulibus habitum 10 centuriones veteres belli periti adjecti: & numerus amiſſorum proximâ pugnâ expletus. Legatos, Quintium Capitolinum, & M. Fabium Vibulanum ſequi ſe dictator juſſit. 11 Quum poteſtas major, tum vir quoque poteſtati par, hoſtes ex agro Romano 12 trans Anienem ſubmovere; colleſque inter Fidenas atque Anienem ceperunt, referentes caſtra: nec ante in campos degreſſi ſunt, d quam legiones auxilio Faliſcorum venerunt. Tum demum caſtra Etruſcorum pro mœnibus Fidenarum poſita. & dictator Romanus haud procul inde 13 ad confluentes conſedit in utriuſque ripis amnis, qua ſequi munimento poterat, vallo interpoſito. poſtero die in aciem edixit: inter hoſtes fuere variæ ſententiæ.

XVIII. 1 Faliſcus, procul ab domo militiam ægre patiens, ſatiſ-

INTERPRETATIO.

d *Quam Faliſcorum legiones advenerunt in auxilium* Vejentium & Fidenatium.

NOTÆ.

9. *Ex collegio prioris anni*.] Num rectiùs, *ex collegis prioris anni*.

10. *Centuriones veteres belli periti adjecti*.] Præfert Gronovius *adlecti*, optatque deleri vocem *periti*. Ut dicantur *Centuriones veteres belli allecti*, quemadmodum apud Tac. *vetus militia, vetus operis ac laboris*.

11. *Quum poteſtas major*.] Hæc duo cognita hoſtibus, eos ad caſtra ultra Anienem transferenda impulerunt. Hinc Dictator creatus, cujus maxima apud Romanos poteſtas, inde virtus Æmilii, cui delatum illud ſummum imperium.

12. *Trans Anienem ſubmovere*.] Repulerunt, *ils les chaſſerent au delà de la riviere*. Non vi, opinor, ſed famâ; cogendo eos pedem referre.

13. *Ad confluentes conſedit*.] Dictator tranſmiſſo & ipſe Anien, quâ is in Tiberim influit; ripas primùm utriuſque amnis occupavit: tum ad hoſtes acceſſit, eos ita inſequutus, ut vallo adverſus eorum impetus, atque inſidias objecto tutus eſſet.

1. *Faliſcus*.] Inter duodecim Etruriæ populos non poſtremi fuere *Faliſci*, ab Argivis orti, deductore Haleſo, quem plerique Agamemnonis filium memorant. Eorum urbs *Falerii* ſive *Falerium*. Quamquàm Strabo *Falerium* & *Faliſcum*, veluti duo diverſa oppida, diſtinguit; ut & Solinus *Faliſcam* & *Falerios*. Sed hi ſoli ex veteribus. Livius certè, aliique Romani urbem *Falerios*, populum agroſque *Faliſcos* ſemper appellant. Hos Virgilius aliique *Æquos* cognominarunt, id eſt, juſtos; *quia*, inquit Servius, *populus Romanus, miſſis decemviris, ab ipſis jura Fecialia & nonnulla ſupplementa xii. tabularum accepit, quæ ab Athenienſibus habuerant*. Fecialia tamen jura ante Decemviros habuere Romani, quæ ab Æquis, ſive Æquicolis Cis-Tiberinis, tempore Anci Marcii acceperant, Dionyſio teſte lib. 2. nec admodum probabile Italos Argis ortos, leges ab Athenienſibus petiiſſe. Faliſcorum urbs, *Falerii*, duplex fuit: altera vetus, loco edito ac munito ad Tiberim ſita, ſed à Manlio Torquato everſa, ubi nunc *Civita Caſtellana*: altera nova, poſteà in plano poſita, cujus ruinæ priſtinum ferè ſervant nomen. *Falari* enim vocantur, arbitro Holſtenio, à quo nec abhorret Cluverius: licet Antonius Maſſa de Orig. &

que fidens ſibi, poſcere pugnam. Vejenti Fidenatique plus ſpei in trahendo bello eſſe. Tolumnius, quamquam ſuorum magis placebant conſilia, 3 ne longinquam militiam non paterentur Faliſci, poſtero die ſe pugnaturum edicit. Dictatori ac Romanis, quod detrectaſſet pugnam hoſtis, animi acceſſere: poſteroque die jam militibus *caſtra urbemque ſe oppugnaturos* frementibus, *ni copia pugnæ fiat*; utrimque acies inter bina caſtra, in medium campi procedunt. Vejens multitudine abundans, qui inter dimicationem caſtra Romana aggrederentur, poſt montes circumміſit. Trium populorum exercitus ita ſtetit inſtructus, ut dextrum cornu Vejentes, ſiniſtrum Faliſci tenerent, medii Fidenates eſſent. Dictator dextro cornu adverſus Faliſcos, ſiniſtro contra Vejentem Capitolinus Quinctius intulit ſigna: ante mediam aciem cum equitatu magiſter equitum proceſſit. Parumper ſilentium & quies fuit; nec Etruſcis niſi eogerentur, pugnam inituris; & dictatore 4 arcem Romanam reſpectante, 2 ut ab auguribus, ſimul aves rite admiſiſſent, ex compoſito tolleretur ſignum. Quod ubi conſpexit, primos equites clamore ſublato in hoſtem emiſit. ſecuta peditum acies ingenti vi conflixit. Nulla parte legiones Etruſcæ ſuſtinuere impetum Romanorum. eques maxime reſiſtebat, equitumque longe fortiſſimus ipſe rex ab omni parte effuſe ſequentibus obequitans Romanis, trahebat certamen.

Urb. cond. an. 317. D tat. M'. Æmil. Mamer.

XIX. Erat tum inter equites [1] tribunus militum [2] A. Cornelius

INTERPRETATIO.

2 *Ut, prout convenerat, Augures ſignum ederent ſtatim atque aves addixiſſent, & proſperum augurium ſe oſtendiſſet.*

NOTÆ.

rebus Faliſcorum, patriam ſuam *Galeſe* loco priſci Faleriorū oppidi ſucceſſiſſe velit.

2. *Procul ab domo.*] Paulò quidem illi longiùs *domo* aberant quam Vejentes, quam Fidenates: ſed cum ipſorum oppidum vix triginta paſſuum millibus ab urbe Roma abeſſet, non admodum longinqua hæc militia dici poterat.

3. *Ne longinquam militiam non paterentur.*] Negationem alteram perperam exturbaverat Sigon. Eſt enim *ne non paterentur*, idem ac ne pati nollent; ut lib. 35. *Sed metuens ne dilationem res non pateretur.* Hæc autem cauſa Tolumnio fuit pugnæ præter animi ſui ſententiam properandæ.

4. *Arcem Romanam reſpectante.*] Itane Æmilius diem horamque prælii Auguribus prædicere potuerat? Et adeone acutis oculis erat, ut ad quatuor aut quinque millia paſſuum poſitus, ſignum ex Capitolio elatum videre poſſet? Non enim minùs quinque milliaribus Fidenæ ab urbe diſtabant.

1. *Tribunus militum.*] Non ille quidem Tribunus militum conſulari poteſtate, quales hoc anno nulli: ſed unus ex Tribunis legionum, qui nempe legionariæ cohorti præerant. Valerius tamen Maximus lib. 3. cap. 2. & qui de Viris illuſtribus ſcripſit, hunc Coſſum Magiſtrum equitum nominant: noſter cap. prox. ſeq. ſuſpicatur, & quidem probabilius, opima ſpolia, ab eo non hoc anno, ſed in Conſulatu relata annis ab hinc novem.

2. *A. Cornelius Coſſus.*] Cognomen Coſſi quid ſignificet, & cur inditum aperit Feſtus. *Coſſi*, inquit, *ab antiquis dicebantur natura rugoſi corporis homines, atque aſpera facie*: idque *à ſimilitudine vermium ligno editorum, qui Coſſi appellantur.*

Urb. cond. an. 317. Dictat. M'. Æmil. Mamer.

Coſſus, eximia pulcritudine corporis, animo ac viribus par, 3 memorque generis, quod ampliſſimum acceptum, majus auctiuſque reliquit poſteris. is quum ad impetum Tolumnii, quacunque ſe intendiſſet, trepidantes Romanas videret turmas, inſignemque eum regio habitu volitantem tota acie cognoviſſet, *Hiccine eſt*, inquit, *ruptor fœderis humani violatorque gentium juris? Jam ego hanc mactatam victimam, (ſi modo ſancti quicquam in terris eſſe Dii volunt) legatorum manibus dabo.* Calcaribus ſubditis infeſta cuſpide in unum fertur hoſtem. quem quum ictum equo dejeciſſet; confeſtim & ipſe [a] haſta innixus, ſe in pedes excipit. Aſſurgentem ibi regem umbone reſupinat, reperitumque ſæpius cuſpide [4] ad terram affixit. tum exſangui detracta ſpolia, caputque abſciſſum victor ſpiculo gerens, terrore cæſi regis, hoſtes fundit. ita equitum quoque fuſa acies, quæ una fecerat anceps certamen, Dictator fugatis legionibus inſtat, & ad caſtra compulſos cædit. Fidenatium plurimi locorum noticia effugere in montes. Coſſus Tiberim cum equitatu tranſvectus, ex agro Vejentano ingentem detulit prædam ad urbem. [b] Inter prælium & ad caſtra Romana pugnatum eſt adverſus partem copiarum, ab Tolumnio, ut ante dictum eſt, ad caſtra miſſam. Fabius Vibulanus [5] coronâ primum vallum defendit: intentos deinde hoſtes in vallum, [6] egreſſus dextrâ principali cum triariis repente invadit. quo pavore injecto, cædes minor, quia pauciores erant; fuga non minus trepida, quam in acie fuit.

XX. Omnibus locis re bene geſta, dictator ſenatuſconſulto juſſuque populi triumphans in urbem rediit. Longe maximum triumphi ſpectaculum fuit, Coſſus ſpolia opima regis interfecti gerens. in eum milites [1] carmina incondita, æquantes eum Romulo, canere. Spolia in ædo Jovis Feretrii, prope Romuli ſpolia, [2] quæ prima Opima ap-

INTERPRETATIO.

a *Ita deſilit ex equo innixus haſta, ut utroque ſimul pede terra inſiſteret.*

b *Eodem tempore quo prælium committebatur, pugnatum quoque eſt circa caſtra Romanorum.*

NOTÆ.

3. *Memorque generis, quod ampliſſimum.*] Cornelionum antiqua ex eo nobilitas colligi poteſt, quod ab hac gente nomen una ex 35. populi tribubus acceperit.

4. *Ad terram affixit.* Vel afflixit.

5. *Coronâ primum vallum defendit.*] Coronâ urbem cingere atque oppugnare ſæpè invenies. At coronâ defendere caſtra ab hoſte oppugnata, minùs uſitatum. Reſpondet nimirum oppugnationi defenſio: & militibus per caſtrorum ambitum diſpoſitis, geminatiſque quoad licebat ordinibus corona inſtituebatur, ut per extimum ambitum urbis oppugnatæ.

6. *Egreſſus dextrâ principali.*] Caſtrorum apud Romanos quatuor erant Portæ: Prætoria à fronte, à tergo Decumana, ad dextram lævamque Principales duæ, à Principiis dictæ, quæ inter utramque; aut à militibus ſecundi ordinis, ſive principibus circà tendentibus.

1. *Carmina incondita.*] De carminibus & jocis triumphalibus dictum antè.

2. *Quæ prima opima appellata.*] Vocem *prima* redundare Sigonius ait, quod prima dici non potuerint, quandiu ſe-

pellara

pellata ſola ea tempeſtate erant, cum ſolenni dedicatione dono fixit. averteratque in ſe à curru dictatoris civium ora, & celebritatis ejus diei fructum propè ſolus tulerat. Dictator coronam auream libram pondo ex publica pecunia, populi juſſu, in Capitolio Jovi donum poſuit. Omnes ante me auctores ſecutus, A. Cornelium Coſſum tribunum militum, ſecunda ſpolia Opima 3 Jovis Feretrii templo intuliſſe, expoſui. cæterum, præterquam quod ea rite Opima ſpolia habentur, quæ dux duci detraxit; nec ducem novimus, niſi cujus auſpicio bellum geritur: titulus ipſe ſpoliis inſcriptus, illos meque arguit, conſulem ea Coſſum cepiſſe. Hoc ego quum Auguſtum Cæſarem, 4 templorum omnium conditorem aut reſtitutorem, ingreſſum ædem Feretrii Jovis, quam vetuſtate dilapſam refecit, ſeipſum 5 in thorace linteo ſcriptum 5 legiſſe audiſſem, prope ſacrilegium ratus ſum, Coſſo ſpoliorum ſuorum Cæſarem ipſius templi auctorem ſubtrahere te teſtem. 6 qui ſi ea in re ſit error, quod tam veteres annales, quodque magiſtratuum 7 libri, quos linteos in æde repoſitos Monetæ Macer Licinius citat identidem auctores, nono poſt demum anno cum T. Quintio Penno, A. Cornelium Coſſum conſulem habeant: exiſtimatio communis omnibus eſt. nam etiam illud accedit, ne tam clara pugna in eum annum transferri poſſet, quod imbelle triennium ferme peſtilentia inopiaque frugum circa A. Cornelium conſulem fuit: adeo, ut quidam annales velut funeſti, nihil præter nomina conſulum ſuggerant. Tertius ab conſulatu Coſſi annus, Tribunum cum militum conſulari poteſtate habet: eodem anno magiſtrum equitum. quo in imperio alteram inſignem edidit pugnam equeſtrem. 8 ea libera con-

Urb. Cond. an. 317. Dict. M'. Æmil. Mamer.

NOTÆ.

manda non relata: ſed & prima dicuntur quæ nihil antecedit etiamſi nihil ſequatur, ut probat Glar. & Prima nunc dici cœperunt, quæ hactenus ſola fuerant.

3. *Jovis Feretrii templo*.] De hoc templo lib. 1. cap. 10.

4. *Templorum omnium conditorem aut reſtitutorem*.] Extruxit inter alia Auguſtus ædem Jovis Tonantis in Capitolio, ædem item Martis ultoris, templum Apollinis in Palatio, allaque ſub nominibus alienis ex Suet. cap. 29. dedicavit & templum Jani quadrifrontis, auctore Servio. Multa etiam refecit ſervatis auctorum nominibus, in quibus ædem quoque Jovis Feretrii; atque ad civitatem publicis operibus ornandam principes viros adhortatus eſt.

5. *Legiſſe audiſſem*.] Gronovio videtur excidiſſe *dicentem*: aut ſcribendum *ipſum* non ſeipſum.

6. *Qui ſi ea in re ſit error*.] Quaſi dicat, qui error ſi in eo verſetur quod Coſſus hoc tempore ac Tribunus militum ſpolia Opima de Tolumnio retuliſſe dicitur; aut in eo quod tum veteres annales, tum libri magiſtratuum Coſſum non niſi nono poſt anno Conſulem habent: ea tamen communis omnium & recepta opinio eſt. Quæ ex eo quoque confirmari poteſt quod non videatur tam clara pugna, tamque illuſtris victoria in annum ab hinc nonum cadere poſſe.

7. *Libri, quos Linteos*.] De his ſuprà cap. 7.

8. *Ea libera conjectura eſt*.] An ſcilicet Coſſus, Tribunus militum Conſulari poteſtate, ac Magiſter equitum

Urb. cond. an. 318. Coſſ. M. Corn. & L. Papir.

jectura. Sed (ut ego arbitror) [a] vana verſare in omnes opiniones licet : quum auctor pugnæ recentibus ſpoliis in ſacra ſede poſitis, Jovem propè ipſum, cui vota erant, Romulumque intuens, [9] haud ſpernendos falſi tituli teſtes, ſeſe *A. Cornelium Coſſum conſulem* ſcripſerit.

XXI. M. Cornelio Maluginenſe, L. Papirio Craſſo Conſulibus, exercitus in agrum Vejentem & Faliſcum ducti : prædæ abactæ hominum pecorumque : hoſtis in agris nuſquam inventus, neque pugnandi copia facta. urbes tamen non oppugnatæ : quia peſtilentia populum invaſit. Et ſeditiones domi quæſitæ ſunt, nec motæ tamen, ab Sp. Mælio Tribuno plebis, qui favore nominis moturum ſe aliquid ratus, & Minucio diem dixerat, & rogationem de publicandis bonis Servilii Ahalæ tulerat : falſis criminibus à Minucio circumventum Mælium arguens, Servilio cædem civis indemnati objiciens : [1] quæ vaniora ad populum ipſo auctore fuere. Cæterum magis vis morbi ingraveſcens curæ erat, terroreſque ac prodigia : maxime quod crebris motibus terræ ruere in agris nunciabantur tecta. [2] Obſecratio itaque à populo, duumviris præeuntibus, eſt facta. Peſtilentior inde annus C. Julio iterum, & L. Virginio Conſulibus, [3] tantum metum vaſtitatis in urbe agriſque fecit, ut non modo prædandi cauſa quiſquam ex agro Romano non exiret, [4] bellive inferendi memoria Patribus aut plebi eſſet : ſed ultro Fidenates, qui ſe primo aut oppido, aut montibus, aut muris tenuerant, populabundi deſcenderent in agrum Romanum. deinde Vejentium exercitu accito (nam Faliſci perpelli ad inſtaurandum bellum, neque clade Romanorum, neque ſociorum precibus potuere) duo populi tranſiêre Anienem ; atque haud procul [5] Collina porta ſigna habuere. Trepidatum itaque non in agris magis, quam in urbe eſt.

INTERPRETATIO.

[a] *Ea, quæ falſa ſunt, flecti poſſunt in varias opiniones.*

NOTÆ.

fuerit, atque in hoc magiſterio inſignem pugnam equeſtrem ediderit ; eamque alteram ac diverſam, an eandem cùm illa cujus antè mentio : vel utrum hæc priori an poſteriori tempore geſta ſint.

9. *Haud ſpernandos.*] Quâ figura dixit alibi ; *Polybius non contemnendus auctor*. Extenuationes hæ loco amplificationis ſunt.

1. *Quæ vaniora ad populum ipſo auctore fuere.*] Quid ergo eſt quod Cic. & Valer. Maxim. lib. 5. cap. 3. teſtatur, *Ahalam, cum Magiſter equitum Sp. Mælium regnum affectantè occidiſſet, cuſtodiæ libertatis civium, exilio ſuo pœnas pependiſſe* ?

2. *Obſecratio.*] Obſecrare eſt precari atque obteſtari per ſacra. Obſecrationis nomen ad Deos relatum Pontificii Juris proprium eſſe videtur. Hinc Cicer. de Aruſp. reſp. *conſtituendæ nobis ſunt procurationes & obſecrationes*.

3. *Tantum metum vaſtitatis.*] Tanaquill. Faber expungit *ti metum* ; rectè, opinor. Fuit enim non tantùm *metus*, ſed revera *vaſtitas*.

4. *Bellive inferendi memoria.*] *Memoria* pro cura & ſollicitudine.

5. *Collina porta.*] Eadem & Quirinalis à Vicino monte, & Salaria à vectura ſalis, adhuc *Salaria*.

Julius Conſul in aggere muriſque explicat copias. à Virginio ſenatus in æde Quirini conſulitur. Dictatorem dici A. Servilium placet: cui Priſco alii, alii Structo fuiſſe cognomen tradunt. Virginius dum collegam conſuleret, moratus; permittente eo, nocte dictatorem dixit. is ſibi magiſtrum equitum Poſtumum Ælbutium Elvam dicit. Urb. cond. an. 319. Dictat. A. vel Q. Servil.

XXII. Dictator *omnes luce prima extra portam Collinam adeſſe* jubet. quibuſcunque vires ſuppetebant ad arma ferenda, præſto fuere: 1 ſigna ex ærario prompta feruntur ad dictatorem. Quæ quum agerentur, hoſtes in loca altiora conceſſere. eo dictator agmine infeſto ſubit: 2 nec procul Nomento ſignis collatis fudit Etruſcas legiones. compulit inde in urbem Fidenas, valloque circumdedit. Sed neque ſcalis capi poterat urbs alta, & munita: neque in obſidione vis ulla erat: quia frumentum non neceſſitati modo ſatis, ſed copiæ quoque abundè ex antè convecto ſufficiebat. Ita expugnandi pariter cogendique ad deditionem ſpe amiſſa; dictator in locis, propter propinquitatem notis, ab averſa parte urbis maximè neglecta, quia ſuapte natura tutiſſima erat, agere in arcem cuniculum inſtituit. ipſo diverſiſſimis locis ſubeundo ad mœnia quadrifariam diviſo exercitu, qui alii aliis ſuccederent ad pugnam, continenti die ac nocte prælio, [a] ab ſenſu operis hoſtes avertebat: donec perfoſſo à caſtris monte, erecta in arcem via eſt, intentiſque Etruſcis ad vanas à certo periculo minas, clamor ſupra caput hoſtilis captam urbem oſtendit. Eo anno 3 C. Furius Pacilus, & M. Geganius Macerinus, Cenſores, 4 *in* villam publicam in Campo Martio 5 probaverunt: 6 ibique primum cenſus populi eſt actus.

XXIII. Eoſdem Conſules inſequenti anno refectos, Julium tertiùm,

INTERPRETATIO.

a *Hoſtes diſtinebat, ne cuniculum fieri ſentirent aut ſuſpicarentur; donec monte cuniculis ſuffoſſo, via ſubterranea ex caſtris facta eſt qua aſcenſus in arcem datus.* Ita dum *Etruſci* & Fidenates, *ad fictos Romanorum aſſultus & inania terriculamenta intenti, à vero, ex arce inſidiis capienda,* periculo *abſtrahebantur: eâ per cuniculum expugnatâ clamor hoſtilis ſuper eorum capita excitus docuit captam quoque urbem eſſe.*

NOTÆ.

1. *Signa ex ærario prompta.*] Erat igitur ærarium pro armamentario, in quo ſigna & arma ſervabantur.

2. *Nec procul Nomento.*] De hoc anteà.

3. *C. Furius Pacilus, & M. Geganius Macerinus.*] Hæc ſecunda eſt Cenſura quinquennio à prima.

4. *Villam publicam.*] Hanc villam publicam in Campo Martio ad publicos uſus ædificatam Varro lib. 3. de re ruſt. ſcribit, veluti *ut ibi cohortes ad delectum Conſuli adducta conſiderent, ibique arma oſtenderent.*

5. *Probaverunt.*] Cenſorum enim erat publica opera quæ mancipibus facienda locabantur, perfecto opere probare aut improbare.

6. *Ibique primùm cenſus populi eſt actus.*] Atqui objicit Glareanus, Cenſus in Campo Martio, ab ipſo primùm Servio Tullio rege actus jamdiu fuerat. Reponit Sigonius, actum quidem fuiſſe aliàs in Campo Martio: ſed nunc primùm in hac villa publica.

Urb. cond. an. 320. Coss. C. Jul. III. & L. Virgin. II.

Virginium iterum, apud Macrum Licinium invenio. Valerius Antias, & Q. Tubero, Marcum Manlium, & Q. Sulpicium Consules in eum annum edunt. cæterum in tam discrepanti editione, [1] & Tubero & Macer libros linteos auctores profitentur: neuter [2] Tribunos militum eo anno fuisse, traditum à scriptoribus antiquis, dissimulat. Licinio libros haud dubiè sequi linteos placet: & Tubero incertus veri est. [3] sed inter cætera vetustate incomperta, hoc quoque in incerto positum. Trepidatum in Etruria est post Fidenas captas, non Vejentibus solum exterritis metu similis excidii, sed etiam Falisci memoriâ iniri primo cum iis belli: quamquam rebellantibus non affuerant. Igitur quum duæ civitates, legatis [4] circa duodecim populos missis, impetrassent ut [5] ad Voltumnæ fanum indiceretur omni Etruriæ concilium: velut magno inde tumultu imminente, senatus [6] Mamercum Æmilium dictatorem iterum dici jussit. ab eo A. Postumius Tubertus magister equitum est dictus; bellumque [7] tanto majore quam proximo conatu apparatum est, quanto plus erat ab omni Etruria periculi, quam ab duobus populis fuerat.

XXIV. Ea res aliquanto expectatione omnium tranquillior fuit. Itaque quum renunciatum à mercatoribus esset, negata Vejentibus auxilia, jussosque suo consilio bellum initum, suis viribus exequi; nec adversarum rerum quærere socios, cum quibus spem integram communicati non sint; tum dictator, ne nequicquam creatus esset,

NOTÆ.

1. *Et Tubero & Macer libros linteos auctores profitentur.*] Veteres hi fuere rerum Romanarum scriptores. Sed mirum, si uterque sequuti eosdem Libros, tamen diversos Consules eodem anno edebant.

2. *Tribunos militum eo anno fuisse.*] Diodorus Siculus lib. 12. hanc sententiam amplexus, tres tribunos militum consulari potestate hoc anno edidit, corruptis admodum nominibus. Fieri potest, ut & Consules & Tribuni eodem anno fuerint, alteris abdicantibus, quemadmodum anno 310. suprà cap. 7. Sic nihil vetat quin & C. Julius, L. Virginius Consules, & M. Manlius, Q. Sulpicius Prætextatus, & Cornelius Cossus (sic enim opinor scribendum esset,) vel antè, vel post, intra eumdem annum Tribuni militum fuerint.

3. *Sed inter cætera.*] Muretus rectè, ni fallor, *sic inter cætera.*

4. *Circa xii. populos missis,*] Aliàs perperam *xxii. populos.* Sed duodecim fuisse Etruriæ populos ex Marone, aliisque non semel indicavimus: quamquam non diffiteor, præter hos principes populos, fuisse alios minores.

5. *Ad Voltumnæ fanum.*] Ibi totius Etruriæ conventus habitos jam prænuimus, quemadmodum Latinorum ad caput aquæ Ferentinæ. Fanum Voltumnæ, (quam alii Vulturnam, Giraldus Vertunam Etruscorum Deam facit) ibi fuit ubi nunc *Viterbo*: medio inter Tarquinios, Cære, Vejos, Falerios, Volsinios, præcipuas Etruriæ australis urbes, situ, ideoque ad hæc concilia per commodo.

6. *Mam. Æmilium.*] Qui 6. loco Dictator quadriennio antè creatus fuerat, nunc iterum octavam Dictaturam gessit Mam. Æmilius M. F. Mamercinus.

7. *Tanto majore quam proximo conatu.*] Legi vult Gronovius *quam proximè*: ut mox infrà: *majore tamen conatu quàm aliàs unquam.*

materiâ quærendæ bello gloriæ adempta, in pace aliquid operis edere, quod monumentum eſſet dictaturæ, cupiens, cenſuram minuere parat: ſeu nimiam poteſtatem ratus; ſeu non tam magnitudine honoris, quam diuturnitate offenſus. Concione itaque advocata, a *rem-publ. foris gerendam*, ait, *tutaque omnia præſtanda, Deos immortales ſuſcepiſſe: ſe, quod intra muros agendum eſſet, libertati populi Romani conſulturum. maximam autem ejus cuſtodiam eſſe, ſi magna imperia diuturna non eſſent: & temporis modus imponeretur,* 1 *quibus juris imponi non poſſet. Alios magiſtratus annuos eſſe, quinquennalem cenſuram: grave eſſe iſdem per tot annos magna parte vitæ obnoxios vivere. ſe legem laturum, ne plus quam annua ac ſemeſtris cenſura eſſet.* Conſenſu ingenti populi legem poſtero die pertulit. *Et ut reipſa*, inquit, *ſciatis Quirites, quam mihi diuturna non placeant imperia, dictatura me abdico.* Depoſito ſuo magiſtratu, modo aliorum magiſtratui impoſito, 2 ſine alteri; cum gratulatione ac favore ingenti populi domum eſt reductus. Cenſores ægre paſſi, Mamercum, quod magiſtratum populi Romani minuiſſet, tribu moverunt, 3, octuplicatoque cenſu ærarium fecerunt. quam rem ipſum ingenti animo tuliſſe ferunt: 4 cauſam potius ignominiæ intuentem, quam ignominiam: primores Patrum,

Urb. cond. an. 320. Dict at. Æmil. Mam.

INTERPRETATIO.

a *Deos immortales ſuſcepiſſe* ipſos *publicas res foris adminiſtrandas, omnia-que* in iis quæ ad bellum pertineant *in tuto collocaſſe*,

NOTÆ.

1. *Quibus juris imponi non poſſet.*] Quibus modus poteſtatis non poſſet imponi. Sed quidni Cenſorium jus, perinde ac conſulare moderari licuiſſet? Fortè quod Cenſores neque Magiſtratuum, neque Judiciorum Comitia haberent, quibus de capite civium decernerent? Quin etiam ab iis notati non tantùm per ſucceſſores, ſed & per judices causâ cognitâ, vel per populum reſtitui poterant. Et à Cic. pro Cluent. atque Valer. Max. lib. 2. cap. 9. memorantur Senatu à Cenſoribus moti duo, qui ipſi poſteà Cenſores facti, C. Geta, & M. Valerius Meſſala. *Rubore* enim *excitati, omnibus viribus incubuerunt, ut digni civibus viderentur, quibus dari potiùs quàm objici cenſura deberet.* Idem hic Æmilius, ob hanc ipſam legem poſtea Tribu motus à Cenſoribus, nihilominus Dictator tertiùm eſt creatus.

2. *Fine alteri.*] Hæc duo vocabula, vel dele cum Sigonio tamquam gloſſema aliis verbis exponere volentis illud, *modo aliorum magiſtratui impoſito*, vel lege *fine anni*, quod offert Gronovius.

3. *Octuplicatoque cenſu ærarium fecerunt.*] Ærarii propriè qui ærea opera fabricant: ſed Ærarium fieri, aut in ærarios referri dicebatur ex Aſconio, qui nullum aliud jus civitatis retinebat, quam ut pro capite ſuo tributi nomine æra penderet: ita ut qui ærarius factus eſſet, is non ſolùm ſuffragio urbano, ſed etiam ſtipendiis militaribus ſpoliatus eſſet. Iidem Cenſores Æmilii cenſum in octuplum auxerunt, ut pro ejus ratione conferre majus tributum cogeretur. Verùm non diu ſtetit hoc eorum judicium.

4. *Cauſam potiùs ignominiæ intuentem.*] Non pœna, quæ in inſontem cadere poteſt, ſed cauſa pœnæ, crimen putà, infamem reverà facit. Undè ex Juris-Conſultorum ſententia, *Ictus fuſtium infamiam non importat, ſed cauſa propter quam id pati quis meruit, ſi ea fuit quæ infamiam damnato irrogat.* Adeo ut *qui*

Urb. cond. an. 321. Tribb. mill. M. Fab. &c.

quamquam 5 deminutum cenſuræ jus noluiſſent, exemplo acerbitatis cenſoriæ offenſos. quippe quum ſe quiſque diutius ac ſæpiùs ſubjectum cenſoribus fore cerneret, quam cenſuram geſturum. Populi certè tanta indignatio coorta dicitur, ut vis à cenſoribus nullius auctoritate præterquam ipſius Mamerci, deterreri quiverit.

XXV. Tribuni plebis aſſiduis concionibus prohibendo conſularia comitia, quum res propè ad interregnum perducta eſſet, evicere tandem, ut tribuni militum conſulari poteſtate crearentur: victoriæ præmium quod petebatur, ut plebejus crearetur, nullum fuit. omnes patricii creati ſunt, 1 M. Fabius Vibulanus, M. Foslius, L. Sergius Fidenas. Peſtilentia eo anno aliarum rerum otium præbuit. ædes Apollini pro valetudine populi vota eſt. multa 2 duumviri ex libris placandæ Deûm iræ, avertendæque à populo peſtis cauſa, fecere: 3 magna tamen clades in urbe agriſque promiſcuè hominum pecorumque pernicie accepta. 4 famem cultoribus agrorum timentes, in Etruriam, Pomptinumque agrum, & Cumas, poſtremo in Siciliam quoque frumenti cauſa miſere. Conſularium comitiorum nulla mentio habita eſt. Tribuni militum conſulari poteſtate omnes patricii creati ſunt, L. Pinarius Mamercus, L. Furius Medullinus, Sp. Poſtumius Albus. Eo anno vis morbi levata, neque à penuria frumenti, quia ante proviſum erat, periculum fuit. Conſilia ad movenda bella in Volſcorum Æquorumque conciliis, & in Etruria ad fanum Voltumnæ agitata. Ibi prolatæ in annum res: decretoque cautum, ne quod antè concilium fieret; nequicquam Vejente populo querente, eandem, qua Fidenæ deletæ ſint, imminere Veiis fortunam. Interim Romæ principes plebis jam diu nequicquam imminentes ſpei majo-

NOTÆ.

majori pœnâ afficitur quàm legibus ſtatuta eſt, infamis non fiat: idque hac eleganti ratione, quod *duriori ſententiâ cum reo tranſactum de exiſtimatione ejus videatur.*

5. *Deminutum cenſura jus noluiſſent.*] Sic ex Voſſii cod. & quibuſdam editionibus Gronov. Alii habent *voluiſſent*. Quod fortè verum: ſed tunc, *quamquàm deminutum cenſura jus voluiſſent*, ita erit accipiendum, ut Livius velit, primores Senatorum, cum etiam anteà voluiſſent Cenſorum poteſtatem coërceri: tantò magis id probaſſe, ubi hoc ſeveritatis exemplum non ſine magna offenſione viderunt.

1. *M. Fabius.*] Hic M. Fabius Vibulanus ante novem annos Conſul fuerat, filius Q. Fabii ter Conſulis & Decemviri legum ſcribendarum, à quo Fabii Ambuſti.

2. *Duumviri ex Libris.*] De Duumviris ſacrorum ſive factis faciundis, deque libris Sibyllinis egimus lib. 3. cap. 10. Vide & lib. 5. cap. 13.

3. *Magna tamen clades.*] Gronovius ſcopas diſſolutas hic notat. Nihil tamen præter conſuetum hiſtorico ſtylum. Et ſatis conſtat ac ſibi cohæret oratio, ſi ita invertas, *magna tamen clades accepta* (ſupple eſt) *per hominum pecorumque perniciem*, &c.

4. *Famem cultoribus agrorum.*] De his non immerito dubitat idem Gronovius. Cur enim Romani famen agreſtibus potiùs quam toti urbi timuerint? Videtur aliquid deeſſe. Quod ſuſpicatur ſcribendum, *Famem inculto agrorum timentes*, dum melius quid occurrat, amplector. Niſi ſi quis voce unâ inſertâ mallet, *deficientibus cultoribus agrorum*

ris honoris, dum foris otium eſſet, cœtus indicere in domos tribunorum plebis: ibi ſecreta conſilia agitare: queri, *ſe à plebe adeò ſpretos, ut quum per tot annos tribuni militum conſulari poteſtate creentur, nullus unquam plebeio ad eum honorem aditus fuerit: multum providiſſe ſuos majores, qui caverint, ne cui patricio plebeii magiſtratus paterent: aut patricios habendos fuiſſe tribunos plebis. adeò ſe ſuis etiam ſordere: nec à plebe minus, quam à Patribus contemni.* Alii purgare plebem, culpam in Patres vertere, *eorum ambitione artibuſque fieri, ut obſeptum plebi ſit ad honorem iter. ſi plebi reſpirare ab eorum miſtis precibus miniſque liceat,* [6] *memorem eam ſuorum inituram ſuffragia eſſe, & parto auxilio imperium quoque aſcituram.* Placet tollendæ ambitionis cauſa tribunos legem promulgare, [7] ne cui [5] album in veſtimentum addere, petitionis causâ liceret. Parva nunc res, & vix ſerio agenda videri poſſit, quæ tunc ingenti certamine Patres, ac plebem accendit. Vicêre tamen tribuni, ut legem perferrent: apparebatque irritatis animis plebem ad ſuos ſtudia inclinaturam. quæ ne libera eſſent, fenatuſconſultum factum eſt, ut conſularia comitia haberentur. Urb. cond. an. 322. Tribb. mil. L. Pinar. &c.

XXVI. Tumultus cauſa fuit, quem ab Æquis & Volſcis, Latini atque Hernici nunciarant. T. Quintius Lucii filius, Cincinnatus (eidem & Penno cognomen additur), & C. Julius Mento, Conſules facti: nec

NOTÆ.

5. *Ne cui Patricio.*] Prudenter cautum à majoribus ſuis fuiſſe ajunt, ne ulli Patricio liceret Tribuno plebis eſſe; quod ſi lege nominatim cautum non fuiſſet, fore ut Tribunatus Patriciis ferè ſemper deferretur: quandoquidem plebis primores à plebe ipſa deſpiciantur.

6. *Memorem eam ſuorum.*] Futurum ut plebs plebejorum in ſuffragiis ferendis rationem haberet, modò libera ſit à precibus potentiorum, quæ minis miſtæ pro juſſis ſunt. Quod ſi hac in re auxilium plebi detur à Tribunis, eam Magiſtratum quoque cui cohæreat imperium, ſibi ſuiſque ſumpturam.

7. *Ne cui album in veſtimentum.*] Qui Magiſtratum petebant, albâ togâ induti comparebant, & populum prenſabant; indeque Candidatorum nomen. Rhenan. ex ſcripto exemplari legit, unico vocabulo *inveſtimentum*, idque Hotoman. & Giphanius ſequuntur. Exponit autem veſtimentum exterius, quod ſupra alteram veſtem inducitur (quod Romanorum veterum habitus haud facilè pati videtur) *Inveſtiendi* verbum Latinum agnoſcit Rhen. idem, ut quo Plin. per metaphoram ſaltem, uſus ſit, atque inde peti exiſtimat Juriſconſultorum poſteriorum *inveſtituram*. Gronov. poſt Lipſium, vocem illam in duas dividit: & prohibitum hoc plebiſcito ne album in veſtimentum adderetur, hoc eſt, ne qui magiſtratus peterent togam arte dealbarent, & candidiorem redderent, prout moris erat. Veſtitus quidem Romanorum vulgaris, præſertim in officiis urbanis, albus fuit: unde apud Juvenalem, *Neveoſque ad frena Quirites*. Sed qui honores ambiebant, albo illo, id eſt, ſimplici, & nativo lanæ colore, non contenti, Togis ſuis candorem quemdam, atque adeò fulgorem conciliabant inditâ cretâ: quo pertinet illud Perſii *cretata ambitio*. Idcirco Polybius candidatorum hanc veſtem λαμπρὰν dicere maluit, ſplendentem ſcilicet, quam λευκὴν, id eſt, *album*. Sed quid in plebis primores emolumenti ex ea lege, quid in patricios incommodi, non video: niſi quis probet ſolis patriciis licuiſſe in ejuſmodi candida, ſive ſplendida veſte honores petere.

Urb. Cond. an. 323. Coſſ. T. Quint. Pen. & C. Jul. Mento.

ultra terror belli eſt dilatus. 1 Lege ſacrata, quæ maximâ apud eos vis cogendæ militiæ erat, delectu habito, 2 utrinque validi exercitus profecti in Algidum convênere. ibique ſeorſum Æqui, ſeorſum Volſci caſtra communivêre, intentiorque quam unquam antè, muniendi exercendique militem cura ducibus erat. eo plus nunciis terroris Romam attulere. Senatui dictatorem dici placuit: quia etſi ſæpe victi populi, majore tamen conatu quam aliàs unquam rebellarent: & aliquantum Romanæ juventutis morbo abſumptum erat. ante omnia 3 pravitas conſulum diſcordiaque inter ipſos, & certamina in conſiliis omnibus terrebant. Sunt qui male pugnatum ab his conſulibus in Algido auctores ſint, eamque cauſam dictatoris creandi fuiſſe. Illud ſatis conſtat, ad alia diſcordes, in uno adverſus Patrum voluntatem conſenſiſſe, ne dicerent dictatorem, donec, quum alia aliis terribiliora afferrentur, nec in auctoritate ſenatus conſules eſſent, Q. Servilius Priſcus 4 ſummis honoribus egregie uſus; *Vos*, inquit, *tribuni plebis, quoniam ad extrema ventum eſt, ſenatus appellat, ut in tanto diſcrimine reipubl. dictatorem dicere conſules 5 pro poteſtate veſtra cogatis*. Qua voce audita, occaſionem oblatam rati tribuni augendæ poteſtatis, ſecedunt: proque collegio pronunciant, *placere conſules ſenatui dicto audientes eſſe: ſi adverſus conſenſum ampliſſimi ordinis ultra tendant, in vincula ſe duci eos juſſuros*. Conſules ab tribunis, quam ab ſenatu vinci maluerunt: *proditum à Patribus ſummi imperii jus, datumque ſub jugum tribunicium*

NOTÆ.

1. *Lege ſacratâ*.] Hæc ſacrata lex non Romanorum fuit, quales in gratiam Tribunorum plebis latæ, ſed Æquorum & Volſcorum; quâ ſacrabantur, ac devovebantur, opinor, capita eorum qui militiæ nomina dare recuſarent.

2. *Utrinque*.] Hinc ex Æquis, inde ex Volſcis.

3. *Pravitas conſulum, diſcordiaque inter ipſos*.] Sigon. ſubſtituerat *Privata Conſulum diſcordia quæ inter ipſos erat*. Priorem ac veriorem lectionem reſtituit Gronov. & pluribus probat *Pravitatem*, etſi propriè de vitiis corporis dicatur: (ut cum Horat. ait, *pravo vivere naſo*, & *pravis fultum malè talis*): tamen ad animi vitia translatam hanc vocem: (ut apud eundem, *fruſtra vitium vitaveris illud, ſi te alio pravum detorſeris*): ita ut *pravus* opponatur recto. Sed præter illam generalem ſignificationem, ſpecialiùs de invidia, malignitate, & pertinacia, tanquam de fœdiſſimo vitio dici notat: quemadmodum infrà lib. 9, *Collega nunc temeritas, nunc pravitas impedimento aut damno fuit*. Et apud Tacit. 3. Annal. *Inuſato Lollio, quem auctorem C. Cæſari pravitatis, & diſcordiarum arguebat*. Nominis autem originem è Græco fonte trahit: quaſi *pravus* dicatur non quidem à nomine πρᾶος, uti Julio Scaligero viſum; ſed à πραπίδες quod Æoles, ut & Attici, mutato α in ο, ut alibi ſæpè, πραπίς efferrent.

4. *Summis honoribus egregiè uſus*.] Hic Q. Servilius Priſcus, P. Servilii Conſulis filius, Conſulumque Nepos ac pronepos, an. 319. Dictator Fidenis expugnatis cognomen Fidenatis meruerat. Vide ſuprà cap. 1. ubi mendoſe Aulus pro Quintio nominatur.

5. *Pro poteſtate veſtra cogatis*.] Non ea ſanè Tribunis plebis à principio in Conſules data poteſtas; ſed in tuendis dumtaxat adverſus patriciorum impotentiam plebeiis poſita.

poteſtati

poteſtati conſulatum, memorantes. [6] *ſiquidem cogi aliquid pro poteſtate ab tribuno conſules, & (quod quid ulterius privato timendum foret!) in vincula etiam duci poſſent*, Sors ut dictatorem diceret, (nam ne id quidem inter collegas convenerat) T. Quintio evenit. is A. Poſtumium Tubertum, ſocerum ſuum, ſeveriſſimi imperii virum, dictatorem dixit: ab eo L. Julius magiſter equitum eſt dictus. Simul edicitur, & juſtitium: [7] neque aliud tota urbe agi, quam bellum apparari; [8] cognitio vacantium militiæ munere poſt bellum differtur. Ita dubii quoque inclinant ad nomina danda, & Hernicis Latiniſque milites imperati: utrinque [9] enixè obeditum dictatori eſt. Urb. cond. an. 323. Dictat. A. Poſtum.

XXVII. Hæc omnia celeritate ingenti acta: relictoque C. Julio Conſule ad præſidium urbis, & L. Julio magiſtro equitum ad ſubita belli miniſteria, [1] ne qua res, qua eguiſſent in caſtris, moraretur; dictator, [2] præeunte A. Cornelio pontifice maximo, ludos magnos tumultus cauſa vovit: profectuſque ab urbe, diviſo cum Quintio Conſule exercitu, ad hoſtes pervenit. Sicut bina caſtra hoſtium parvo inter ſe ſpatio diſtantia viderant, ipſi quoque mille ferme paſſus ab hoſte, [3] dictator Tuſculo, Conſul Lanuvio propiorem locum caſtris ceperunt. Ita quatuor exercitus totidem munimenta, planitiem in medio non parvis modo excurſionibus ad prælia, ſed vel ad explicandas utrinque acies ſatis patentem habebant. nec ex quo caſtris caſtra collata ſunt, ceſſatum à levibus prœliis eſt: facilè patiente dictatore, [2] conferendo vires, ſpem univerſæ victoriæ, tentato paulatim eventu certaminum,

INTERPRETATIO.

2 *Cum dictator non ægrè pateretur, ut ſui, tentando paulatim eventum certaminum, antecaperent ſpem victoriæ ex viribus propriis collatis cum hoſtium viribus*

NOTÆ.

6. *Si quidem cogi aliquid pro poteſtate.*] Sic Plinius in Paneg. *Ereptumque principi illud in principatu beatiſſimum quod nihil cogitur.*

7. *Neque aliud totâ urbe agi, quàm bellum apparari.*] Valdè Gronovio ſuſpectum *tò agi*, quod in talibus adhibere non ſolet Livius lib. 2. *Et hoſtes quidem nihil quàm perfuſis vano timore Romanis citato agmine abeunt*; & lib. 34. *Per biduum nihil aliud quàm ſteterunt parati ad pugnam.*

8. *Cognitio vacantium militiæ munere.*] Vide ſuprà lib. 3. cap. 69.

9. *Enixè obeditum Dictatori.*] Mſſ. & veteres ante Curionem & Gryphium editiones, *obnixè*. Quod Terentii quoque eſt in Andr. *Quem ego credo manibus pedibuſque obnixè omnia facturum.*

1. *Ne qua res, qua eguiſſent in caſtris moraretur.*] Vult curaſſe Poſtumium ne quid earum rerum quibus indigerent in caſtris milites, eis moram afferret: omniaque ipſis ab urbe, Conſulis & Magiſtri militum curâ, ſubminiſtrarentur.

2. *Præeunte A. Cornelio Pontifice.*] Sive dedicandum, ſive vovendum templum, aut quid aliud, id conceptis verbis fieri oportebat, quæ ſolis Pontificibus cognita. Idcirco formulam Pontifex voventi, aut dedicanti præibat.

3. *Dictator Tuſculo, Conſul Lanuvio.*] Tuſculi & Lanuvii, ſitum & nomen hodiernum expoſuimus lib. 1. Cave autem Caſtra Dictatoris apud Tuſculum, Conſulis apud Lanuvium fuiſſe putes: utrasque circa Algidum, ubi bina hoſtium caſtra parvo inter ſe ſpatio diſtantia, à quibus mille paſſus Romani ſua, & ipſi

Urb. cond. an. 323. Dictat. A. Posthum.

suos præcipere. Itaque hostes nulla 4 in prælio justo relicta spe, no-
ctu adorti castra Consulis, rem in casum anceps eventus committunt.
Clamor subito ortus, non consulis modo vigiles, exercitum deinde om-
nem; sed dictatorem quoque ex somno excivit. Ubi præsenti ope res
egebant, Consul nec animo deficit, nec consilio: pars militum porta- 5
rum stationes firmant: 5 pars corona vallum cingunt. In alteris apud
dictatorem castris, quo minus tumultus est, eo plus animadvertitur
quid opus facto sit: 6 missum extemplo ad castra subsidium, cui Sp.
Postumius Albus legatus præficitur: 7 ipse parte copiarum, parvo
circuitu, b locum maximè secretum ab tumultu petit: unde ex nec 10
opinato aversum hostem invadat. Q. Sulpicium legatum præficit castris:
8 M. Fabio legato assignat equites. 9 nec ante lucem movere jubet ma-
num, inter nocturnos tumultus moderatu difficilem. Omnia; quæ vel
alius imperator prudens & impiger, & in tali re præciperet agere-
que, præcipit ordine, atque agit. illud eximium consilii animique spe- 15
cimen, & neutiquam vulgatæ laudis, quod ultro 10 ad oppugnanda
castra hostium, unde majore agmine profectos exploratum fuerat, M.
Geganium cum cohortibus delectis misit, qui postquam intentos homi-
nes in eventum periculi alieni, pro se incautos, neglectis vigiliis
stationibusque, est adortus; prius pene cepit castra, quam oppugna- 20
ri hostes satis scirent. 11 inde fumo, ut convenerat, datum signum, ubi
conspectum ab dictatore est, exclamat, *capta hostium castra*: *nun-
ciarique passim* jubet.

INTERPRETATIO.

b *Devium, & à certaminis loco quam maximè remotum.*

NOTÆ.

bina castra posuere, inter mediâ planicie. Sed Dictator ea parte tendebat quæ Tusculo propior; Consul Lanuvium versus: ita ut ille Tusculo quinque circiter millibus passuum abesset, hic Lanuvio ferè decem.

4. *In prælio justo.*] Justum prælium appellat apertum, & sine insidiis, æquo marte palam initum.

5. *Pars coronâ vallum cingunt.*] Habes iterum interiorem coronam militum hostes oppugnantes repellentium, eaque de causa confertorum ad vallum.

6. *Missum extemplo ad castra subsidium.*] Ad castra Quintii Consulis è castris Postumii Dictatoris. Hiare hìc orationem Gronovius putat, atque ex Mff. reponit *misso subsidio*: miror hic quoque minùs memorem interciſi Liviani ſtyli.

7. *Ipse parte copiarum.*] Dictator ipse per se.

8. *M. Fabio Legato.*] Plures in exercitu legati, quot scilicet legiones.

9. *Nec ante lucem movere jubet manum.*] Vetat ne Fabius equitatui præfectus ante lucem turmas loco moveat, quod equi noctu difficiliùs regantur.

10. *Ad oppugnanda castra hostium.*] Utrorum? nam diversi metabantur, hinc Æqui, inde Volsci. Æquorum puto fuisse. Nam cap. sequenti Volscorum castra nondum capta erant: & ad oppugnandum Consulem ardentiores videntur Æqui fuisse, quod in suis finibus bellum gereretur.

11. *Inde fumo.*] Hæret Tanaq. Faber, num *flamma*, quæ signum magis nocturnum est, fumus diurnum. Potest tamen & sereno cœlo fumus noctu pro signo esse.

XXVIII. Et jam lucescebat, omniaque sub oculis erant: & Fabius cum equitatu impetum dederat, & Consul eruptionem è castris in trepidos jam hostes fecerat. Dictator autem parte alterâ, 1 subsidia, & secundam aciem adortus, circumagenti se, ad dissonos clamores, ac subitos tumultus, hosti undique objecerat victorem peditem equitemque. Circumventi igitur jam in medio ad unum omnes, pœnas rebellionis dodissent, ni 2 Vectius Messius ex Volscis, nobilior vir factis quam genere, 3 jam orbem volventes suos increpans clara voce, 4 *Hic præbituri*, inquit, *vos telis hostium estis indefensi, inulti? Quid igitur arma habetis? aut quid ultro bellum intulistis; in otio tumultuosi, in bello segnes? Quid hic stantibus spei est? an Deum aliquem protecturum vos, raptumque hinc putatis? Ferro via facienda est. Hac, qua me prægressum videritis, agite; qui visuri domos, parentes, conjuges, liberosque estis, ite mecum. Non murus, nec vallum; sed armati armatis obstant. virtute pares, necessitate, quæ ultimum ac maximum telum est, superiores estis.* Hæc locutum, exsequentemque dicta, redintegrato clamore, secuti, dant impressionem, qua Postumius Albus cohortes objecerat: & 5 moverunt victorem, donec dictator pedem jam referentibus suis advenit. eoque omne prælium versum est. 6 Uni viro Messio fortuna hostium inniti tur, multa utrinque vulnera, multa passim cædes est. Jam nec duces quidem Romani incruenti pugnant: Unus Postumius ictus saxo, perfracto capite, acie excessit. non dictatorem humerus vulneratus, non Fabium propè affixum equo femur, non brachium abscissum Consulem ex tam ancipiti prælio submovit.

Urb. cond. an. 323. Dictat. A. Postum.

XXIX. a Messium impetus per stratos cæde hostes cum globo for-

INTERPRETATIO.

a *Messius facto impetu perrupit usque ad castra Volscorum per mediam hostium stragem.*

NOTÆ.

1. *Subsidia & secundam aciem adortus.*] Gallicè; *Donnant sur le Corps de reserve & sur la seconde ligne de l' Armée ennemie, qui attaquoit les lignes du Consul Fabius.*

2. *Vectius Messius.*] Sigonius suspicatur scribendum, *Vettius Merius.*

3. *Jam orbem volventes.*] Id est, se circumagentes in globum, ut nullibi hostibus terga darent, sed adversos ipsi undique adversi repellerent. Ita apud Cæsarem lib. 4. de Bell. Gall. *Jusserunt pronunciari ut impedimenta relinquerent, atque in orbem consisterent.* Qui enim undique urgentur, cum pauci à longè pluribus se circumventos vident, solent in orbem pugnare, ut militum terga tuta sint. Alibi Livius id vocat *in orbem se tutari.* Cui respondet Gallicum, *Faire face de tous costez.*

4. *Hic præbituri, inquit, vos telis hostium.*] Aliàs *periturí*, & mox *pregressum*. Utrumque rectè videtur emendasse Rhen. in *præbituri*, & *pregressum*.

5. *Moverunt victorem.*] Loco scilicet; id est repulerunt, seu potiùs impulerunt Postumium Album, à cujus cohortibus premebantur. *Ils poussarent, ils firent reculer les ennemis.*

6. *Uni viro Messio.*] Legit Faber, *Uni Vettio Messio*, nulla vel necessitate, vel operæ pretio.

Urb. cond. an. 323. Dictat. A. Postum.

tissimorum juvenum extulit ad castra Volscorum, quæ nondum capta erant. [b] eodem omnis acies inclinatur. Consul effusos usque ad vallum persecutus, ipsa castra vallumque aggreditur: eodem & dictator alia parte copias admovet. non segnior oppugnatio est, quam pugna fuerat. Consulem signum quoque intra vallum injecisse ferunt, quo milites acrius subirent: repetendoque signo primam impressionem factam. Et dictator [1] prorupto vallo, jam in castra prælium intulerat. Tum objici arma passim, ac dedi hostes cæpti. *castrisque & his captis, hostes præter senatores, omnes venundati sunt. Præda [2] pars, sua cognoscentibus Latinis, atque Hernicis reddita; partem [3] sub hasta dictator vendidit: præpositoque consule castris, ipse triumphans invectus urbem, dictatura se abdicavit. [4] Egregiæ dictaturæ tristem memoriam faciunt, qui filium ab A. Postumio, quod occasione bene pugnandi captus, injussu decesserit præsidio, victorem securi percussum tradunt. [5] Nec libet credere: & licet, in variis opinionibus. & argumento est, quod imperia Manliana, non Postumiana appellata sint: [6] quum qui prior auctor tam sævi exempli foret, occupaturus insignem titulum crudelitatis fuerit. Imperioso quoque Manlio cognomen inditum: Postumius nulla tristi nota est insignitus. C. Julius Consul ædem Apol.

INTERPRETATIO.

[b] *Tota vis certaminis in eam partem defertur.*

NOTÆ.

1. *Prorupto vallo.*] Ex Mss. & vett. edd. ita melius, quam *perrupto*, aut *prorupto*; id est, *disjecto*.

*Castrisque & his.] Volscorum etiam castris.

2. *Pars, sua cognoscentibus Latinis.*] Pars prædæ, quam socii Romanorum Latini Hernicique suam, id est, sibi ablatam cognoverunt, pristinis reddita dominis.

3. *Sub hasta.*] Auctiones, hastâ in foro aliove celebri loco positâ, per præconem fieri tritum; atque ita publicè bona prædamque hostilem venundari. Unde hasta pro auctione. Ut *quos non illa infinita Pompeii hasta sastavit*. Cic.

4. *Egregiæ dictaturæ tristem memoriam.*] Valer. Max. lib. 2. cap. 2. & de Postumio, & de Torquato id memorat: itemque Diodorus lib. 12. & A. Gell. lib. 17. cap. 21. ubi bis fallitur, & cum Postumium Torquatum nominat, (quod Manlii posteà cognomen fuit); & cum hostes tunc populi Romani Fidenates dicit. Idem lib. 1. cap. 13. *Postumiana imperia* conjungit cum Manlianis; ex Livio, ni fallor, contra Livii mentem.

5. *Nec libet credere: & licet, in variis opinionibus.*] Liv. noluit credere, quamvis ob varias opiniones liceret. Hæc interpretatus non essem, nisi Glareanus testaretur à se non planè intelligi.

6. *Quum qui prior.*] Duo affert argumenta cur credibile non putet à Postumio Dictatore filium securi percussum: alterum quod Postumius prior Manlio fuerit, à quo filium, quod contra præscriptum pugnasset, interemptum constat: unde si & Postumius eâdem inhumanitate in filium sæviisset, proverbio ipse potiùs quàm Manlius causam fuisset daturus. Primi enim rei cujusque auctores, earum titulum præcipiunt in utramque partem. Alterum argumentum est, quod Manlius *imperiosi* cognomine notatus ex eo fuerit, Postumius nullâ ejusmodi notâ aspersus. Tristis nota, est nota odiosa, ad infamiam, aut invidiam pertinens: sic litera tristis est littera *d*, apud Latinos damnationis index auctore Asconio.

linis abſente collega [7] ſine ſorte dedicavit: ægrè id paſſus Quintius, quum dimiſſo exercitu in urbem rediſſet, nequicquam in ſenatu eſt conqueſtus. Inſigni magnis rebus anno additur, nihil tum ad rem Romanam pertinere viſum, quod [8] Carthaginenſes, tanti hoſtes futuri, tum primum per ſeditiones Siculorum ad partis alterius auxilium in Siciliam exercitum trajecêre. Urb. cond. an. 323. Dictat. A. Poſtum.

XXX. Agitatum in urbe ab tribunis plebis, ut tribuni militum conſulari poteſtate crearentur: nec obtineri potuit. Conſules fiunt L. Papirius Craſſus, L. Julius. Æquorum legati fœdus ab ſenatu cum petiſſent, & [a] pro fœdere deditio oſtentaretur, [1] inducias annorum octo impetraverunt. Volſcorum res, ſuper acceptam in Algido cladem, pertinaci certamine inter pacis bellique auctores, in jurgia & ſeditiones verſa. Undique otium fuit Romanis. [2] Legem de mulctarum æſtima- Urb. cond. an. 324. Coſſ. L. Papir. & L. Jul.

INTERPRETATIO.

a *Et loco fœderis, ſignificaret* Senatus ſe *deditionem Æquorum* expectare, ac *velle*,

NOTÆ.

7. *Sine ſorte.*] Quæ ad Collegas æquè pertinent, niſi inter ſe convenerint Collegæ, ſorti committi ſolent.

8. *Carthaginenſes, tanti hoſtes futuri.*] Quamdiu longo maris tractu diviſi à Romanis Carthaginenſes fuere, ſocietatem mutuò coluerunt: ubi utrique in Sicilia bellare cœperunt, hoſtes facti. Carthaginenſium in Siciliam trajectum quibus auctoribus in hunc annum conjecerit Liv. noſſe juvaret. Diodorus rectè l. 11. incitante Xerxe Perſarum rege, inſulam invadere tentaſſe, ducemq: ipſorum Amilcarem cum centum quinquaginta hominum millibus ad Himeram eodem die, quo prælium ad Thermopylas commiſſum eſt, interfectum memorat, Conſulibus Sp. Caſſio, & Proc. Virginio; id eſt, an. ab U. C. 268. & ſic annos quinque ſupra quinquaginta ante hos Conſules. Quod ſi non de hoc primo ingreſſu loqui noſtrum dixerimus, ſed de eo tempore quo ſeditionibus incolarum vocati in eam navigarunt: nec ſic quidem convenient tempora. Idem enim Diod. Sic. lib. 13. poſt Thucydidem, excitos ab Egeſtanis Pœnos, proſtigatis in Sicilia poſt vanam Syracuſarum obſidionem Athenienſibus & Annibalis Pœnorum Ducis adventum confert in annum 22. belli Peloponneſiaci, qui cum anno urbis 343. concurrit.

1. *Inducias annorum octo.*] Atenim iidem Æqui poſt annos ſex novas inducias triennales impetrarunt; quibus nihil opus, ſi adhuc hæ priores durabant. Glar. videndum ait num, hic *VI. annorum*, pro *VIII.* legendum.

2. *Legem de mulctarum æſtimatione.*] De hac re mulctatitiâ plures latæ leges reperiuntur. Primò Lege P. Valerii Poplicolæ apud Plut. conſtitutum fuerat, ut qui Conſulibus non paruiſſet, quinque boum, ac duarum ovium mulctam ſolveret. 2. Sp. Tarpejo Capitolino, & A. Aterio vel Æternio Coll. anno poſt Romam conditam 300. Lege, idcirco Tarpeja vel Ateria ſive Æternia dicta, cautum eſt, ſi Dionyſio Halicarnaſeo fides, (qui Ternium pro Æternio nominat) ut liceret omnibus magiſtratibus ſuæ majeſtatis læſæ reos mulctare. Anteà quippe id ſolis Conſulibus licebat. Verùm mulctæ modus non ipſorum arbitrio relictus eſt, ſed præfinitus ne duos boves, triginta oves excederet, contrà tamen Feſtus, & A. Gellius, incitatos qui per contumaciam abeſſent, ſupremam Mulctam inſtitutam eſſe ajunt duarum ovium, ſive arietum, (nam oves genere maſculino appellabantur) triginta boum; pro copia ſcilicet boum, & ovium penuria apud veteres Italos. Sed quoniam ejuſmodi mulctæ pecoris armentique à magiſtratibus die

Digitized by Google

Urb. cond. an. 325. Coſſ. L. Serg. & Hoſto Lucret.

tione pergratam populo, quum ab tribunis parari conſules [b] unius ex collegio proditione excepiſſent, ipſi præoccupaverunt ferre. Conſules L. Sergius Fidenas iterum, Hoſtus Lucretius Tricipitinus. Nihil dignum dictu actum his conſulibus. Secuti eos conſules, 3. A. Cornelius Coſſus, T. Quintius Pennus iterum. Vejentes in agrum Romanum excurſiones fecerunt. Fama fuit, quoſdam ex Fidenatium juventute participes ejus populationis fuiſſe: cognitioque ejus rei L. Sergio & Q. Servilio, & Mamerco Æmilio permiſſa. Quidam Hoſtiam relegati, quod, cur per eos dies à Fidenis abfuiſſent, parum conſtabat. 4 colonorum additus numerus, agerque iis bello intercemptorum aſſignatus. Siccitate eo anno plurimum laboratum eſt: nec cœleſtes modo defuerunt aquæ, ſed terra quoque 5 ingenito humore egens, vix ad perennes ſuffecit amnes. defectus alibi aquarum circa torridos fontes rivoſque, ſtragem ſiti pecorum morientium dedit: ſcabie alia abſumpta: vulgarique contactu in homines morbi, & primo in agreſtes ingruerant, ſervitiaque. urbs deinde impletur. Nec corpora modo [6] affecta tabo, ſed animos quoque multiplex religio, & pleraque externa, invaſit; novos ritus ſacrificando, vaticinando, inferentibus in domos, quibus quæſtui ſunt capti ſuperſtitione animi: donec 7. publicus jam pudor ad primores civitatis pervenit; cernentes in omnibus vicis, ſacelliſque peregrina atque inſolita piacula pacis Deûm expoſcendæ. Datum inde negotium ædilibus, ut animadverterent, *ne qui, niſi Romani Dii, neu quo alio more quam pa-*

Urb. cond. an. 326. Coſſ. A. Cornel. & T. Quint.

INTERPRETATIO.

b. *Conſules cognoviſſent*, & quaſi expiſcati eſſent *prodente uno ex Collegio* Tribunorum plebis.

NOTÆ.

ctæ, ob diverſum ex ovium bonitate varia qualitate pretium, inæquales admodum erant, prodiit biennio poſt lex 3. T. Menenio Lanato, & P. Sextio Capitolino Conſulibus 5. quâ certum pretium his dictum eſt, in ſingulas oves æris deni ſive decem aſſes librales, in boves ſinguloscenteni. Quod tamen prioribus legibus iidem auctores adſcribunt, Plutarchus Valeriæ, Feſtus & A. Gellius Tarpejæ; quidam huic Quartæ latæ Conſulibus L. Papirio, L. Julio. Noſter ſane eam de Mulctarum æſtimatione fuiſſe memorat.

3. *A. Cornelius*.] Hic ille eſt A. Cornelius Coſſus, qui ſpolia Opima de Larte Tolumnio retulit ex vulgata ſententia an. 318. Livii judicio hoc ipſo anno, uti cap. 20. eſt obſervatum.

4. *Colonorum additus numerus*.] Jam enim à Romuli temporibus eò deducta fuerat Colonia.

5. *Ingenito humore egens*.] Tan. Faber indicat *ingenuo*, tanquam Ovidianum, & Lucretianum.

6. *Affecta tabo*.] *Tabo* dixit pro *tabe*. Hæc tamen aliquantum diverſa. *Tabes* enim maciem & languorem proprie ſignificat, quo corpus defluens extenuatur, & ſenſim conſumitur. *Tabus* autem, vel potiùs in caſibus obliquis, *tabo*, & *tabe*, pus eſt ac putridus cruor.

7. *Publicus jam pudor*.] Eo ſcilicet res proruperat, ut pudere primores cœpiſſet. Romani enim jamdiu publicè recepta ſacra miro ſtudio colebant, nova aliunde introduci ægrè patiebantur, quod ſic diſſolvi facilè religionem putarent, quemadmodum differit apud noſtrum Poſtumius Conſul lib. 59.

rio, colerentur. Iræ adverſus Vejentes [8] in inſequentem annum, C. Servilium Ahalam, L. Papirium Mugillanum conſules dilatæ ſunt. Tunc quoque ne confeſtim bellum indiceretur, neve exercitus mitterentur, [9] religio obſtitit: feciales prius mittendos ad res repetendas cenſuere. Cum Vejentibus nuper acie dimicatum ad Nomentum & Fidenas fuerat. induciæque inde, non pax, facta: quarum & dies exierat, & ante diem rebellaverant. Miſſi tamen [10] feciales: nec eorum, quum more patrum jurati repeterent res, verba ſunt audita. Controverſia inde fuit, utrum populi juſſu indiceretur bellum, [11] an ſatis eſſet ſenatusconſultum. Pervicêre tribuni, denunciando impedituros ſe delectum, [12] ut conſules de bello ad populum ferrent. omnes centuriæ juſſere. In eo quoque plebs ſuperior fuit, quod tenuit, ne conſules in proximum annum crearentur. Urb. cond. an. 327. Coſſ. C. Servil. & L. Papir.

XXXI. Tribuni militum conſulari poteſtate quatuor creati ſunt, T. Quintius Pennus [1] ex conſulatu, C. Furius, M. Poſtumius, A. Cor-

NOTÆ.

8. *In inſequentem annum Conſules, &c.*] In annum ſequentem, cui à Conſulibus C. Servilio, L. Papirio nomen. Hanc lectionem ex Voſſiano codice cæteris anteponit Gronovius. Ut Livius *annum, Conſules* dixerit eleganti appoſitione: quemadmodum apud Ovid.

Turba, ruunt in me, luxuriоſa, proci.

Vel ita intelligi poteſt, ut præpoſitio repetita cenſeatur, *in inſequentem annum, in quos Conſules, &c.* Nec tamen quidquam vetat retineri vulgatam ſcripturam, *ira... in inſequentem annum* C. Servilio Ahala, L. Papirio Mugillano Conſulibus *dilata*, id eſt in annum quo futuri erant hi Conſules.

9. *Religio obſtitit.*] Plures erant belli Vejentibus inferendi cauſæ, omnes idoneæ: religioni tamen Romanis fuit exercitum in eos mittere, niſi prius rebus repetitis, indictoque palam bello.

10. *Feciales... cum more patrum jurati.*] Antiqua formula res repetendi ac belli more Romano indicendi refertur à Liv. lib. 1. cap. 32.

11. *An ſatis eſſet Senatusconſultum.*] Sigon. *Senatuſconſulto*. Illud nihil pejus Gronovio videtur. Sed unde nata circa hoc bellum indicendum controverſia, cum belli paciſque arbitrium à temporibus uſque Romuli, penes populum univerſum fuiſſet? Ideo forte quod non tam à Romanis, quàm à Vejentibus, hoc bellum ortum, & videbatur magis defenſionis quàm aggreſſionis cauſâ fieri. Quia tamen res repeti cenſuerant Patres, aut eam religionem Feciales injecerant auctoritate Senatus tanquàm de novo bello interpoſitâ; rem comitiis committendam, nec ſufficere Senatusconſultum Tribuni non omninò ſine cauſa contendebant.

12. *Ut Conſules de bello.*] Miſſ. & vett. edd. *Ut Quintius Conſul de bello ad populum ferret*. Sigonius Quintii mentionem improbat, quod is non hoc, ſed priori anno Conſul fuiſſet: ideoque legit, *ut Conſules... ferrent*. Eumque hac in re audiendum putat Gronovius. Ego verò ambigo. Licet enim iræ adverſus Vejentes in Servilium & Papiriam Conſules dilatæ dicantur; id de bello gerendo intelligi poteſt: nec inde ſequitur conſilia quoque belli in horum Conſulum annum dilata fuiſſe. Quapropter potuit Quintius extremo conſulatu ſuo ad populum referre de bello indicendo. Quod Gronovius ex margine Voſſiani Codicis pro *ut Conſules* haud dubiè legendum cenſet, *ni Conſules ad populum ferrent*: id vix tanti eſt. Si enim referas *ad impedituros delectum, ni Conſules, &c.* rectè ſe res habebit. ſi referas ad priora, *Pervicere Tribuni ut Conſules ferrent*, nihilo deterius fuerit.

1. *Ex Conſulatu.*] Proximi ante hunc annum Conſules à Livio memorantur C. Servilius Ahala, & L. Papirius Mu-

Urb. cond. an. 328. Tribb. mill. T. Quint. &c.

nelius Coſſus: ex iis Coſſus præfuit urbi. tres delectu habito profecti ſunt Vejos, documentoque fuere, quam PLURIUM IMPERIUM bello inutile eſſet. tendendo ad ſua quiſque conſilia, quum aliud alii videretur, [a] aperuerunt ad occaſionem locum hoſti. incertam namque aciem, ſignum aliis dari receptui, aliis cani jubentibus, invaſere opportune Vejentes: caſtra propinqua turbatos, ac terga dantes accepere. plus itaque ignominiæ quam cladis eſt acceptum. Mœſta civitas, vinci inſueta, odiſſe tribunos, poſcere dictatorem: in eo verti ſpes civitatis. & quum ibi quoque religio obſtaret, ne non poſſe niſi ab conſule dici dictator augures conſulti, eam religionem exemêre. A. Cornelius dictatorem [2] Mamercum Æmilium dixit: & ipſe ab eo magiſter equitum eſt dictus, adeo ſimul fortuna civitatis virtute vera eguit, [3] nihil cenſoria animadverſio effecit, quo minus regimen rerum ex notata indigne domo peteretur. Vejentes re ſecunda elati, miſſis circum Etruriæ populos legatis jactando tres duces Ro-

INTERPRETATIO.

a Hoſtibus *locum præbuerunt utendi occaſione* rei bene gerendæ. *Vejentes enim opportunè aggreſſi ſunt exercitum* Romanorum *fluctuantem ac dubium cui duci parendum eſſet: cum alius receptui cani juberet, alii ſignum pugnæ dari.*

NOTÆ.

gillanus. Unde notat Sigonius in quibuſdam libris alienâ manu ſuper *ex Conſulatu*, ſcriptum eſſe *ter Conſul*: ſed temerè inquit: jam enim non niſi bis Conſul fuerat. Quod conſentaneum cum Livii calculo. At Diodorus, poſt Conſulatum cum Cornelio Coſſo geſtum, ſequenti anno eundem Conſulem facit cum A. Sempronio, atque hunc Conſulatum interſerit ante C. Servilium, & L. Papirium Conſules. Quod ſi admittas, adjiciendus erit annus unus ad ſummam. Ut ut ſit, intelligendum Sigonius ait, Quintium anno poſtquàm Conſul fuit Tribunum militum Conſulari poteſtate factum, habitâ ratione ejus anni quo petivit, non quo geſſit, hunc ſcilicet militum tribunatum. Mihi ſanè dubium non eſt quin *ex Conſulatu* idem ſonet ac poſt Conſulatum. Sed hæc loquendi forma aliquando inter ea quæ ante, quæque poſt geſta ſunt, intervallum recipit; nec abſolutè requirit ut poſterius cum priori continuetur. Ut cum dicimus *ex eo die*, ex *rupibus nactus planiciem*, &c. Nec tamen nego plurimum hic eſſe ambagium: quæ fortaſſe tolli poſſent, ſi conjectura eſſet Servilium Ahalam & Papirium Mugillanum Conſules quidem deſignatos fuiſſe, aliqua tamen ex cauſa non geſſiſſe Conſulatum: contra Quintium Pennum ante hunc annum ter fuiſſe Conſulem, ut Diodorus ſcripſit. Sic enim omnia facilè conciliarentur quæ ſive in rebus, ſive in temporum deſignatione, abſurda apparent.

2. *Mamercum Æmilium.*] Nunc decimò ad Dictatorem res devoluta: eaque dignitas tertiùm delata huic Æmilio.

3. *Nihil cenſoria animadverſio effecit, quominùs.*] Fruſtra Sigon. contra optimorum librorum & veterum editionum fidem, *ut nihil cenſoria animadverſio effecerit*: pendet enim hoc membrum à ſuperiori, quo cauſa indicatur cur non obſtiterit Cenſorum nota quominus Æmilius Dictator diceretur: quia ſcilicet ejus virtute opus erat hoc tempore ad res reſtituendas. Igitur *ſimul atque*, id eſt, *ſtatim atque fortuna civitatis verâ virtute eguit, nihil cenſoria animadverſio effecit.* Ita enim meliùs auctore Tan. Fabro, quam ut vulgò legitur *effecit*; quod Gronovius exemplis comprobat.

manos

mânos ab ſe uno prælio fuſos, quum tamen [b] nullam publici conſilii ſocietatem moviſſent, voluntarios undique ad ſpem prædæ adſciverunt. Uni Fidenatium populo rebellare placuit: &, tanquam niſi ab ſcelere bellum ordiri nefas eſſet, ſicut legatorum antea, ita tum novorum colonorum cæde imbutis armis, Vejentibus ſeſe conjungunt. Conſultare inde principes duorum populorum, Vejos an Fidenas ſedem belli caperent. Fidenæ viſæ opportuniores. itaque trajecto Tiberi, Vejentes Fidenas tranſtulerunt bellum. Romæ terror ingens erat. acito exercitu ab Veiis, eoque ipſo ab re malè geſta perculſo, caſtra locantur ante portam Collinam; & in muris armati diſpoſiti, & juſtitium in foro, tabernæque clauſæ, fiuntque omnia caſtris quam urbi ſimiliora. Urb. Cond. an. 328. Dictat. Æmil. Mamer. III.

XXXII. Tum trepidam civitatem præconibus per vicos dimiſſis dictator ad concionem advocatam increpuit, *quod animos ex tam levibus fortunæ momentis ſuſpenſos gererent, ut parvâ jacturâ accepta, quæ ipſa non virtute hoſtium, nec ignavia Romani exercitus, ſed diſcordia imperatorum accepta ſit, [1] Vejentem hoſtem ſexies victum pertimeſcant, [2] Fidenaſque prope ſæpius captas quam oppugnatas. Eoſdem & Romanos, & hoſtes eſſe, qui per tot ſæcula fuerint: eoſdem animos, eaſdem corporis vires, eadem arma gerere. ſe quoque eundem dictatorem Mamercum Æmilium eſſe, qui ante Vejentium Fidenatiumque adjunctis Faliſcis ad Nomentum exercitus fuderit. & magiſtrum equitum A. Cornelium eundem in acie fore, qui priore bello [a] tribunus militum Larte Tolumnio rege Vejentium in conſpectu duorum exercituum occiſo, ſpolia Opima Jovis Feretrii templo intulerit. Proin memores, ſecum triumphos, ſecum ſpolia, ſecum victoriam eſſe: cum hoſtibus, ſceleſtis legatorum contra jus gentium interfectorum, cæde in pace Fidenatium colonorum, inducias ruptas, ſeptimam infelicem defectionem, arma caperent: ſimul caſtra caſtris conjunxiſſent, ſatis confidere, nec ſceleratiſſimis hoſtibus diuturnum ex ignominia exercitus Romani gaudium fore: & populum Romanum intellecturum,*

INTERPRETATIO.

b *Cum tamen Vejentes non potuiſſent flectere ullam civitatem Etruriæ, quæ publico conſilio cum illis fœdus vellet.*

NOTÆ.

1. *Vejentem hoſtem ſexies victum.*] Quærit Sigonius num legendum potiùs *toties victum*, ut in pleriſque antiquis libris: præſertim cum ſæpius quàm ſexies victi Vejentes fuerint, Quadrat tamen cum hoc numero quod mox ſequitur, *ſeptimam infelicem defectionem:* & quod App. lib. 5. ait Vejentes ſepties rebellaſſe, uti Glareanus notat; apud quem tamen legebatur *ſeptiesvictum*: additque idem ex Livio oſtendi poſſe novies cum Vejentibus hactenus dimicatum: ſed pugnas poſt amiſſum Cremeræ præſidium pro una victoria computare auctor videtur. Ego duodecies ferme cum eis bellatum reperio, à Romulo ad hæc tempora: plus quàm ſexies victos non video.

2. *Fidenaſque prope ſæpius captas quam oppugnatas.*] A Romulo captæ fuerant irruptione Rom. exercitus qui fugientes Fidenates inſequebatur, lib. 1. c. 14. Quæ tamen T. Æbutio, C. Veturio Coſſ. obſeſſæ fuerant, non captæ lib. 2. cap. 19. idcirco adjecit *prope ſæpius*.

Urb. cond. an. 328. Dictat. Æmil. Mam. III.

quanto melius de republica meriti sint, qui se dictatorem tertiùm dixerint, 3 quam eos, qui, ob ereptum censuræ regnum, labem secundæ dictaturæ suæ imposuerint. Votis deinde nuncupatis profectus, mille & quingentos passus circa Fidenas castra locat: dextrâ montibus; lævâ Tiberi amne sepsus. 4 T. Quintium Pennum legatum occupare montes jubet, [a] 5 occultumque id jugum capere, quod ab tergo hostibus foret. Ipse postero die, quum Etrusci pleni animorum [b] ab pristini diei meliore occasione quam pugna, in aciem processissent; cunctatus parumper, dum speculatores referrent Quintium evasisse in jugum propinquum arci Fidenarum, 5 signa profert; peditumque aciem instructam 6 pleno gradu in hostem inducit: magistro equitum præcipit, *ne injussu pugnam incipiat: se, quum opus sit 7 equestri auxilio, signum daturum. tum ut memor regiæ pugnæ, memor Opimi doni, Romulique ac Jovis Feretrii, rem gereret.* Legiones impetu ingenti confligunt. Romanus odio accensus, *impium Fidenatem, prædonem Vejentem, ruptores induciarum, cruentos legatorum infanda cæde, respersos sanguine colonorum suorum, perfidos socios, imbelles hostes* compellans, factis simul dictisque odium explet.

XXXIII. Concusserat primo statim congressu hostem: quum repentè patefactis Fidenarum portis, nova erumpit acies, inaudita ante id

INTERPRETATIO.

a *Non tam ob pugnam quâ ante aliquot dies præclarè pugnassent, quàm ob præclaram occasionem rei gerendæ quam habuerant.*

b *Et occultè occupare verticem illum montis, qui erat hostibus à tergo.*

NOTÆ.

3. *Quam eos qui.*] Deleri istud *eos* meritò jubet Tan. Faber: sin minus solœcismus fuerit, *meliùs* meriti sint, *quàm eos*. Legendum itaque *quàm qui ob ereptum censuræ regnum*.

4. *T. Quintium Pennum legatum.*] Eundem qui eo anno inter Tribunos militum consulari potestate primum obtinebat locum, jam sæpiùs Consul. Is igitur ex Tribuno mill. ex Consule nuper, nunc legatus sub Dictatore.

5. *Signa profert.*] Et *signa* militaria & *proferendi* verbum variè sumuntur. Hic ita videntur accipienda, ut Dictator Æmilius aliquandiu cunctatus, jusserit deinde pedites cum aquilis & manipulis, in hostes progredi.

6. *Pleno gradu.*] Id est, nec cursu effuso, nec lento passu, sed militari gradu, & paulò grandiore. Hoc sensu Panegyricus, *gradu pleno ferentes agmina quadrata legiones*. Nam ut est apud A. Gell. l. 1. cap. 11. *tum & gradu clementi & silentio est opus, cum ad hostem itur, in conspectu longinquo procul distantem: cum verò propè ad manus ventum est, tum jam è propinquo hostis & impetu propulsandus est, & clamore terrendus,*

7. *Equestri auxilio.*] Legendum Tanaq. Faber affirmat *equestri vexillo*, quod vexilla, tunc & citeriori tempore, equitum essent. Huic ego sententiæ accedere non possum: nec quæ tunc fuerint equitum signa, hìc anxiè quæro. Sed ex contextu mihi colligere videor eam Æmilii Dictatoris mentem, ut primo loco concurrerent legiones; quæ si equitum auxilio egerent, magister equitum eis cum equitatu adesset: tempus equestris auxilii peditibus mittendi sibi reservaret, signoque dato, (quodcunque tandem signum esset de quo inter eos convenisset) id magistro equitum significaret.

tempus inſtrataque. 1 ignibus armata ingens multitudo, facibuſque ardentibus tota collucens, velut fanatico inſtincta curſu, in hoſtem ruit: formaque inſolitæ pugnæ Romanos parumper exterruit. Tum dictator magiſtro equitum, equitibuſque, tum ex montibus Quintio accito, prælium ciens, ipſe in ſiniſtrum cornu, 2 quod incendio ſimiliùs quam prælio territum, ceſſerat flammis, accurrit: claraque voce, *Fumone victi*, inquit, *velut examen apium loco veſtro exacti, inermi cedetis hoſti? Non ferro extinguetis ignes: non faces has ipſas pro ſe quiſque, ſi igni non telis pugnandum eſt, ereptas ultro inferetis? Agite nominis Romani ac virtutis patrum veſtræque memores, vertite incendium hoc in hoſtium urbem: & ſuis flammis delete Fidenas, quas veſtris beneficiis placare non potuiſtis. Legatorum, hoc vos veſtrorum, colonorumque ſanguis vaſtatique fines monent.* Ad imperium Dictatoris mota cuncta acies: faces partim emiſſæ excipiuntur, partim vi eripiuntur. utraque acies armatur igni. Magiſter equitum & ipſe novat pugnam equeſtrem. 3 frenos ut detrahant equis, imperat: & ipſe princeps calcaribus ſubditis evectus, effreno equo in medios ignes infertur: & alii concitati equi libero curſu ferunt equitem in hoſtem. Pulvis elatus miſtuſque fumo, lucem ex oculis virorum equorumque auſert. ea quæ militem terruerat ſpecies, nihil terruit equos. ruinæ igitur ſimilem ſtragem eques quacunque pervaſerat, dedit. Clamor deinde accidit novus, qui quum utramque mirabundam in ſe aciem vertiſſet, dictator, exclamat, Quintium legatum & ſuos ab tergo hoſtem adortos: ipſe redintegrato clamore infert acrius ſigna. Quum duæ acies, duo diverſa prælia, circumventos Etruſcos & à fronte & ab tergo urgerent, neque in caſtra retro, neque in montes, unde ſe novus hoſtis objecerat, iter fugæ eſſet, & equitem paſſim 3 liberi frenis diſpuliſſent equi, Vejentium maxima pars Tiberim effuſi petunt, Fidenatiumque qui ſuperſunt, ad urbem Fidenas tendunt. 4 Infert pavidos

Urb. cond. an. 328. Dictat. Æmil. Mam. III.

NOTÆ.

1. *Ignibus armata ingens multitudo.*] Imitatio Gedeonis: niſi quod hic trecentis contentus militibus, divinâ potiùs ope, quam arte humana nixus.

2. *Quod incendio ſimilius quam prælio.*] Sigonius videtur *ſimilius* dictum pro *veriſimilius*. Lipſius & Gruterus delent. Ms. Palatinus *melius*. Gronovius reponendum conjicit *incendio verius quàm prælio*. Mihi, ſi conjecturæ locus, non minùs arrideat *facilius territum*, quod paulò minùs diſtat à *ſimilius*. Alioqui *quod* ad ſiniſtrum cornu, *ſimilius* ad genus certaminis pertinet.

3. *Liberi frenis diſpuliſſent equi.*] Gronovius ſcribi vellet *diſtuliſſent*, quod & Latinum eſt, & huic loco convenire poteſt, ut huc illuc diſperſi fuerint hoſtes ab equitatu Romano: nec tamen malè convenit *diſpuliſſent*, id eſt, loco pulſos in fugam dediſſent.

4. *Infert pavidos fuga in mediam eadem.*] Hæc de Fidenatibus accipio, qui poſt primum conflictum ſuperſtites, urbem ſuam petebant: quia enim ſecundum Tiberim Fidenæ, & ſpatium inter ipſorum caſtra Tiberim & Fidenas à Quintianis occupatum erat, ubi fugacium cædes fiebat: illac quoque fugientes plerique, circa Tiberis ripas cæſi, alii ſubmerſi.

Urb. cond. an. 328. Dictat. Æmil. Mamer. III.

fuga in mediam cædem; obtruncantur in ripis: alios [a] in aquam coſim-pulſos gurgites ferunt; etiam peritos nandi laſſitudo & vulnera & pavor degravant: pauci ex multis tranant. alterum agmen fertur per caſtra in urbem: eodem & Romanos ſequentes impetus rapit. Quintium maximè, & eum eo degreſſos modo de montibus, recentiſſimum ad laborem militem, quia ultimo prælio advenerat.

XXXIV. Hi poſtquam miſti hoſtibus portam intravêre, in muros evadunt: ſuiſque capti oppidi ſignum ex muro tollunt. Quod ubi dictator conſpexit, (jam enim & ipſe in deſerta hoſtium caſtra penetraverat) cupientem militem diſcurrere ad prædam, ſpe injecta majoris in urbe prædæ, ad portam ducit: receptuſque intra muros in arcem, quo ruere fugientium turbam videbat, pergit. Nec minor cædes in urbe, quam in prælio fuit, donec abjectis armis, nihil præter vitam petentes, dictatori deduntur. Urbs caſtraque diripiuntur. Poſtero die ſingulis captivis ab equite ad centurionem ſorte ductis, & quorum eximia virtus fuerat, binis; aliis ſub corona venundatis, exercitum victorem opulentumque præda triumphans dictator Romam reduxit; juſſoque magiſtro equitum abdicare ſe magiſtratu, ipſe deinde [1] abdicat die ſextodecimo: reddito in pace imperio, quod in bello trepidiſque rebus acceperat. [2] Claſſibus quoque ad Fidenas pugnatum cum Vejentibus quidam annales retulêre: rem æquo difficilem atque incredibilem; [3] nec nunc lato ſatis ad hoc amne; & tum aliquanto, ut à veteribus accepimus, arctiore. niſi in trajectu fortè fluminis prohibendo, aliquarum navium concurſum in majus (ut fit) celebrantes, navalis victoriæ vanum titulum appetivêre.

Urb. cond. an. 329. Tribb. mill. A. Sempron. &c.

XXXV. Inſequens annus tribunos militares conſulari poteſtate habuit, A. Sempronium Atratinum, L. Quintium Cincinnatum,

INTERPRETATIO.

[a] *Alii in flumen adacti abſorbentur vorticibus.*

NOTÆ.

1. *Abdicat die ſexto decimo.*] Repetito L. Quintii Cincinnati exemplo, lib. 3. cap. 29.

2. *Claſſibus quoque ad Fidenas pugnatum.*] Si de claſſe navali accipias, obſtat ratio hic ſtatim adducta. Tanaquil. Faber *claſſes* aliâ ſignificatione dictas ab annalium ſcriptoribus putat. *Claſſes* enim in numero plurativo pro equeſtribus copiis uſurpabant. Quamquàm quæ ex Virgilio profert 2. Æneid. *Claſſibus hic locus*, & *ſcio me Danais è claſſibus unum*, fortè ad naves Græcorum trahi poſſent. Non tamen ejus in hac re ſententiam in dubium revoco. qui ſciam *procinctus claſſes*, pro inſtructa acie, ſive exercitu armato dici apud Gell. lib. 1. cap. 11. & lib. 10. cap. 25. & auctore Feſto *Claſſem* priùs dictam, hominum, quàm navium multitudinem. Nec fieri poſſe nego ut in priſcis hiſtoriæ auctoribus interpretandis hallucinatus aliquando Livius fuerit.

3. *Nec nunc lato ſatis ad hoc amne.*] Tiberis ne poſterioribus quidem temporibus Auguſto ſcilicet imperante, ad veram navalem pugnam ſatis lato erat alveo. Olim autem anguſtior adhuc fluebat.

L. Furium Medullinum, L. Horatium Barbatum. Vejentibus annorum viginti induciæ datæ, & Æquis triennii, quum plurium annorum petiſſent. Et ab ſeditionibus urbanis otium fuit. Annum inſequentem neque bello foris, neque domi ſeditione inſignem, [1] ludi bello voti celebrem & tribunorum militum apparatu, & finitimorum concurſu fecere. Tribuni conſulari poteſtate erant, Ap. Claudius Craſſus, Sp. Nautius Rutilus, L. Sergius Fidenas, Sextus Julius Julus. ſpectaculum [2] comitate etiam hoſpitum, ad quod publico conſenſu venerant, advenis gratius fuit. Poſt ludos, conciones ſeditioſæ tribunorum plebis fuerunt, objurgantium multitudinem, *quod admiratione eorum quos odiſſet, ſtupens, in æterno ſeipſa teneret ſervitio:* [a] *& non modo* [3] *ad ſpem conſulatus in partem revocandam adſpirare non auderet: ſed ne in tribunis quidem militum creandis (quæ communia eſſent comitia Patrum ac plebis) aut ſui aut ſuorum meminiſſet. Deſineret ergo mirari, cur nemo de commodis plebis ageret: eo impendi laborem ac periculum, unde emolumentum atque bonos ſperetur. Nihil non aggreſſuros homines, ſi* [4] *magna conatis magna præmia proponantur. Ut quidem aliquis tribunus plebis ruat cæcus in certamina periculo ingenti, fructu nullo, ex quibus pro certo habeat Patres, adverſus quos tenderet, bello inexpiabili ſe perſecuturos; apud plebem, pro qua dimicaverit, nihilo ſe honoratiorem fore: neque ſperandum, neque poſtulandum eſſe. Magnos animos, magnis honoribus fieri. Si nominem ſe plebejum contemptorum; ubi contemni deſiſſent. Experiendam rem*

Urb. cond. an. 330. Tribb. mill. Ap. Claud. &c.

INTERPRETATIO.

a *Non modo non auderet cogitare de parte aliqua in ſpe Conſulatus ad ſe trahenda &c.*

NOTÆ.

1. *Ludi bello voti.*] Vota enim Dictator Æmilius Româ diſcedens nuncupaverat ſuprà cap. 32. Qui autem ludi fuerint non explicat. Opinor decurſiones equeſtres exemplo Romuli.

2. *Comitate etiam hoſpitum, ad quod publico conſenſu convenerant.*] Rhenan. ex veteri exemplari lituris notato, ubi legebatur *hoſpitium*, aliaque manu ſuperſcriptum erat *hoſpitum*; ſciens quo pacto hoſpitii nomine Livius utatur hanc expreſſit lectionem, *Spectaculum comitate etiam hoſpitii, in quam publico conſilio conſenſerant, advenis gratius fuit.* Intelligitque humanitatem finitimis ſpectandi causâ advenientibus, juſſu magiſtratuum exhibitam. Gronovius incivile ducit intrudi vocem *conſilio*: legitque *in quam publicè conſenſerant*. Sed non minùs incivile videtur deleri nomen *conſenſu*, quàm ejus loco ſubſtitui *conſilio*: Nec diffiteor ſine publica auctoritate, conſenſu populi, factum aliquid in ejuſmodi rebus fuiſſe. Sed non inde ſequitur nihil unquam in eo genere fieri publico conſilio poſſe. Vulgata ſcriptura, etſi ſenſu tolerabili non caret, ſi illud *ad quod publico conſenſu venerant*. (vel *convenerant*) *advenis* attribuatur, duriorem certe habet conſtructionem.

3. *Ad ſpem conſulatus in partem revocandam.*] Dicit *in partem* pro ex parte, id eſt ad reſumendam ſpem participandi Conſulatus. Forte etiam *in partes*, id eſt ad partes atque ordinem plebejum.

4. *Magna conatis magna præmia proponantur.*] Nam, ut eſt in veteri adagio, *bonos alit artes*.

5. *Nominem ſe plebejum contemptorum.*] Hoc ridiculè dictum opinatur Tanaq. Faber. Legit itaque *neminem plebejum contemptum iri*. Hic quidem ſenſus planus omninò. Vereor tamen ut vir eruditus

Urb. cond. an. 330. Tribb. mill. Ap. Claud. &c.

denique in uno, aut altero eſse, ſitne aliquis plebejus ferendo magno honori: an portento ſimile miraculoque ſit, fortem, ac ſtrenuum virum aliquem exſtere ortum ex plebe. Summa vi expugnatum eſse ut tribuni militum conſulari poteſtate & ex plebe crearentur. Petiſse viros domi militiæque ſpectatos: primis annis ſugillatos, repulſos, riſui Patribus fuiſse: deſiſse poſtremo præbere ad contumeliam os. Nec ſe videre cur non lex quoque abrogetur, qua id liceat quod nunquam futurum ſit. minorem quippe ruborem fore in juris iniquitate, quam ſi per indignitatem ipſorum prætereantur.

XXXVI. Hujus generis orationes cum aſſenſu auditæ, incitavêre quoſdam ad petendum tribunatum militum, alium alia de commodis plebis laturum ſe in magiſtratu profitentem. Agri publici dividendi, coloniarumque deducendarum oſtentatæ ſpes: [1] & vectigali poſſeſſoribus agrorum impoſito, in ſtipendium militum erogandi æris. [2] Captatum deinde tempus ab tribunis militum, quo per diſceſſum hominum ab urbe, quum Patres clandeſtina denunciatione revocati ad diem certam eſſent, ſenatusconſultum fieret abſentibus tribunis plebis: ut quoniam Volſcos in Hernicorum agros prædatum exiſſe fama eſſet, ad rem inſpiciendam tribuni militum proficiſcerentur, conſulariaque comitia haberentur. Profecti Appium Claudium, filium decemviri, præfectum urbis relinquunt; impigrum juvenem, & jam inde ab incunabulis imbutum odio tribunorum plebiſque. [a] tribunis plebis nec cum abſentibus iis, qui ſenatuſconſultum fecerant,

INTERPRETATIO.

[a] *Non habuere Tribuni plebis cum quo certare poſſent: non cum* Tribunis militum *auctoribus Senatuſconſultis, quia* Volſcos verſus profecti *aberant; non cum Appio Claudio* Præfecto urbis, *quia jam Senatuſconſultum factum fuerat.*

NOTÆ.

auctoris mentem aſſecutus fuerit. Mihi certè videtur elegantior futura ſententia, ſi dicant Tribuni plebis fore ut plebejorum nemo ſe ipſe contemnat, & contemptim in rebus agendis ſe gerat; ubi viderit plebejos in univerſum contemni deſiiſſe, eiſque licere ad ſumma aſpirare. Sic fore ut ſe quiſque magni faciat, quò ab aliis magni fiat. Itaque ſe ipſum contemnit qui animum ſuum virtutibus ornare, ſeque honoribus dignum præſtare negligit: quod illis facilè contingit, qui ad fortunam ſtatumque ſuum præſentem quicquam adjicere poſſe deſperant.

1. *Et vectigali poſſeſſoribus agrorum impoſito.*] Non tantùm mercibus importandis exportandiſve imponuntur vectigalia, ſed & agris publicis quæ privatis certa mercede annuâ elocantur in longum tempus. Quæ pecunia hinc proveniret, eam in ſtipendium militum erogandam promittebant Tribuni plebis, ſummæ poteſtati per hæc blandimenta inhiantes: cum alii publicum agrum ſe plebi diviſuros oſtentarent, alii Colonias deducturos, in quibus agri civibus Romanis eò deductis aſſignarentur.

2. *Captatum deinde tempus.*] Tribuni militum, omnes adhuc patricii, cum patriciis faverent, feriarum autumnalium captato tempore, quo Tribuni plebis rure agebant, effecere ut ſine ulla ipſorum interceſſione clandeſtinum Senatuſconſultum de Conſulibus crearidis fieret, quos tunc non niſi ex patriciis legere licebat.

3 nec cum Appio, tranſacta re, quod contenderent, fuit.

XXXVII. Creati Conſules, C. Sempronius Atratinus, Q. Fabius Vibulanus. Peregrina res, ſed memoriâ digna traditur, eo anno facta: 1 Vulturnum Etruſcorum urbem, quæ nunc Capua eſt, ab Samnitibus captam: Capuamque ab duce eorum Capye, vel (quod propius vero eſt) à campeſtri agro appellatam. Cepere autem, prius bello fatigatis Etruſcis, in ſocietatem urbis agrorumque accepti: deinde feſto die graves ſomno epuliſque incolas veteres novi coloni nocturna cæde adorti. 2 His rebus actis, conſules ii, quos diximus, 3 idibus Decembribus magiſtratum accepêre. Jam non ſolum qui ad id miſſi erant, retulerant imminere Volſcum bellum: ſed legati quoque ab Latinis & Hernicis nunciabant, *Non antè unquam Volſcos nec ducibus legendis, nec exercitui ſcribendo intentiores fuiſſe.* Vulgo fremere, *aut in perpetuum arma bellumque oblivioni danda, jugumque accipiendum: aut iis cum quibus de imperio certetur, nec virtute, nec patientia, nec diſciplina rei militaris cedendum eſſe.* Haud vana attulere: ſed nec perinde

Urb. cond. an. 331. Coſſ. C. Sempron. & Q. Fab.

NOTÆ.

3. *Nec cum Appio Claudio.*] Videtur hic Claudius Decemviri filius, non idem fuiſſe cum Appio Tribuno militum Conſulari poteſtate: ſi enim ex proximorum Tribunorum numero eſſet, ipſe quoque unà cum reliquis auctor Senatuſconſulti fuiſſet: quo poſito ſi expoſtulandi adverſus eum locus non erat, propterea quod jam tranſacta res eſſet; nec futurus fuiſſet locus expoſtulandi adverſus collegas, quamvis adeſſent. Quod ſi eum in Tribunis militum eius anni cum Sigonio numerare velimus; divinandum erit abſentem forte ex causâ neſcio qua, Senatuſconſulto non interveniſſe.

1. *Vulturnum Etruſcorum urbem.*] Capuam octo ferè & quadraginta annis ante Romam conditam colligit Vellejus. Condidere Tuſci, &, ſi Servio fides, Aliternum dixere: unde Latini Vulturnum fecêre, quo nomine dicitur adhuc fluvius eum tractum alluens. Serv. idem ad 10. Æn. Capuæ appellationem deduxit à viſo Falconis augurio, qui Tuſca lingua *Capys* dicitur. Noſter à Capye Samnitum duce, qui hoc anno eam urbem ceperunt, vel à Campeſtri agro ſeu planicie. Nam & à Capua Campani vocantur non Capuani; quod nominis priſcis incognitum. Samnites itaque novi coloni, Etruſcos veteres dominos perfidè obtruncarunt poſt quàm illi annos prope 379. urbem poſſederant. Capua porro quondam inter tres maximas habita Romæ tantùm & Carthagini cedebat, utriuſque æmula, poſt evetſa, dein reſtituta. Nunc vix ejus ruinæ extant juxta vicum populoſum qui *Santa Maria di Capoa*. Nova Capua altero ab illa milliari condita circa veteris Caſilini ruinas, quantum abeſt ab veteris elegantia, dignitate, amplitudine? In ea Capys conditoris ſepulcrum fuit, in quo à Colonis per Cæſarem Dictatorem deductis tabula reperta mortem ipſi Cæſari denuncians, apud Svet. vulgò nobis *Capouë* in Terra Laboris, quæ præcipua regni Neapolitani provincia.

2. *His rebus actis.*] Hæc tria verba, quoquo referre placuerit; ſive ad Capuam inter deſignatorum & magiſtratum ineuntium conſulum intervallum per Samnites interceptam, ſive ad res ſuperiori conſulatu geſtas, frigida eſſe Gronovio aſſentior, & nullo diſpendio deleri poſſe.

3. *Idibus Decembribus.*] Idcirco has idus indicat, quia non tum ſolennis hic ineundo conſulatui die.

Urb. cond. an. 331. Coſſ. C. Sempron. & Q. Fab.

Patres moti ſunt, & C. Sempronius, cui ea provincia ſorte evênit, 4 tanquam conſtantiſſima re, fortunâ fretus, 5 quod victoris populi adverſus victos dux eſſet, omnia temere ac negligenter egit .. adeo ut 6 diſciplinæ Romanæ plus in Volſco exercitu, quam in Romano eſſet: Ergo fortuna, ut ſæpe aliàs, virtutem eſt ſecuta. 7 Primo prælio, 5 quod ab Sempronio incaute inconſulteque commiſſum eſt, non ſubſidiis firmata acie, 8 non equite aptè locato, concurſum eſt. 9 clamor indicium primum fuit, quo res inclinatura eſſet. excitatior crebriorque ab hoſte ſublatus, 10 ab Romanis diſſonus, impar, ſegnis, ſæpe iteratus incerto clamore prodidit pavorem animorum. Eo ferocior illatus hoſtis, urgere ſcutis, a micare gladiis: altera ex parte 10

INTERPRETATIO.

a Micantes *vibrabant gladios.*

NOTÆ.

4. *Tanquam conſtantiſſima re, fortunâ fretus.*] Ita Mſſ. omnes & vett. editiones. Rhen. mutavit, *Conſtantiſſima rei fortuna*. Improbat Gronovius cui perſuaſum non eſt veteres cum dandi caſu junxiſſe verbum *fretus*; exempla tamen ex noſtro profert Rhenanus.

5. *Quod victoris populi adverſus victos dux eſſet.*] Nempe ferè ſemper victoris, adverſus eos qui victi ab ipſo ſæpiùs fuerant. Cæterùm lubens accedo Gronovio, non modo ex Rhenani conjectura, ſed etiam ex Ms. Helmſtad. fide, legentis *dux eſſet*: nec placet *quod victoris populi exercitum adverſus victos duxiſſet*; quod & plures Codices ignorant *τὸ exercitum*: &, ſi verbo ducendi utendum videretur aptius futurum hic erat *duceret*, quam *duxiſſet*.

6. *Diſciplina Romana plus in Volſco.*] Latini, Volſci, vicinique alii populi, bellando cum Romanis, militari eorum diſciplinæ aſſueverant: ut omnia apud utroſque ſimilia eſſent. Vid. noſtrum lib. 8. cap. 8.

7. *Primo prælio.*] Non aliud memorat commiſſum ab his Conſulibus prælium. Ergo primum quod nihil ejuſdem generis præcedit, licet nihil etiam ſequatur,

8. *Non equite apte locato.*] Ad latera plerumque locari ſolet equitatus, indeque Alarum nomen. Homerici Heroës in fronte collocabant. Craſſus equitum turmam ad quamque cohortem appoſuit, apud *Plut.*

9. *Clamor indicium primum fuit.*] Clamoris ejus militaris ſive ululatus, aut barritus non ſolùm apud Barbaros, ſed apud Græcos quoque & Romanos uſitati. Eum Græci ἀλαλαγμὸν appellant, fortè per onomatopæjam quod *al al* inclamare ſoliti eſſent. Barritus vocabulum à Germanis fluxiſſe Lipſius ex Tacito ſcribit, ſive à verbo *baëren*, quod apud eos ſublatè & ferociter clamare ſignificat: ſive a nomine *barn*, quod urſum denotat; ſive denique à priore ſyllaba repetita, ut *bar bar* vociferentur: quemadmodum hodiè Turcis iratis *brè brè* ſolenne eſt. Verum hanc poſtremam vocis originem Tacitus ipſe refellere videtur: Carmina enim à Germanis cani conſueta docet: atque *eorum relatu quem barritum*, inquit, *vocant*, non ſolùm *accendunt animos*, ſed etiam (quod ad Livium facit) *futura pugna fortunam ipſo cantu augurantur*.

10. *Ab Romanis diſſonus, incerto clamore impar.*] Paulo ante *clamor* ſublatus hic repeti debet; unde erit *clamor incerto clamore*, quod nemini probari poteſt. Viri docti varie corrigunt: Sigonius & poſt eum Tanaq. Faber, *incerto tenore*, Lipſ. *incerto clangore*, quod minùs à clamore abſcedit. Gronov. *incerto languore*. Rhen. ita legit, itaque diſtinguit: *ab Romanis diſſonus, impar, ſegnis, ſæpe iteratus. Quò majorem incerto clamore Romanus prodidit pavorem animorum; eo ferocior illatus hoſtis.*

nutant

Urb. cond. an. 331. Coſſ. C. Sempron. & Q. Fab.

11 nutant circumſpectantibus galeæ, & incerti trepidant, applicantque ſe turbæ. Signa nunc reſiſtentia deſeruntur ab anteſignanis, nunc inter ſuos manipulos recipiuntur. nondum fuga certa, nondum victoria erat. tegi magis Romanus quam pugnare. Volſcus inferre ſigna, urgere aciem, plus cædis hoſtium videre, quam fugæ.

XXXVIII. Jam omnibus locis ceditur, nequicquàm Sempronio conſule objurgante atque hortante: nihil nec imperium, nec majeſtas valebat: dataque mox terga hoſtibus forent, ni Sex. Tempanius, decurio equitum, labente jam re, præſenti animo ſubveniſſet. qui quum [1] magna voce exclamaſſet *ut equites, qui ſalvam rempublicam vellent eſſe, [v] ex equis deſilirent;* omnium turmarum equitibus, velut ad conſulis imperium motis, [2] *Niſi hæc*, inquit, *parmata cohors ſiſtat impetum hoſtium, actum de imperio eſt. Sequimini pro vexillo cuſpidem meam: oſtendite Romanis Volſciſque neque equitibus vobis ullos equites, nec peditibus eſſe pedites pares.* Quum clamore comprobata adhortatio eſſet, vadit alte cuſpidem gerens. quacunque incedunt, vi viam faciunt: eò ſe inferunt objectis parmis, ubi ſuorum plurimum laborem vident. reſtituitur omnibus locis pugna, in quæ eos impetus tulit: nec dubium erat, quin ſi tam pauci ſimul obire omnia poſſent, terga daturi hoſtes fuerint.

XXXIX. Et quum jam parte nulla ſuſtinerentur, dat ſignum Volſcis imperator, [1] ut parmatis, novæ cohorti hoſtium, locus detur; donec impetu illati [a] ab ſuis excludantur. Quod ubi eſt factum, intercluſi equites, nec perrumpere eadem, qua tranſierant, poſſe, [b] ibi maximè confertis hoſtibus, qua viam fecerant: & conſul legioneſque Romanæ, quum, [c] quod te-

INTERPRETATIO.

a *Sejungantur à reliquo exercitu ſuorum*, Romanorum ſcilicet.

b Cum ordines *ea parte maximè denſaſſent Volſci, quâ viam ſibi fecerant* Romani illi equites.

c *Cum non viderent ſtrenuum equitum pedibus pugnantium globum, qui virtute ſua totum exercitum paulò antea tuebatur, eique velut pro tegumento erat.*

NOTÆ.

11. *Nutant circumſpectantibus galeæ.*] Ex parte Romanorum, reſpectantibus huc illuc, ut in pavore, militibus, conſpiciebantur nutantes, vacillantibus capitibus galeæ; ipſi dubii quid agerent, fugere deberent, an certare; interim trepidabant: & qui ad pugnandum proceſſerant, retrocedebant ad turbam ſuorum. Illata in hoſtes ſigna, partim, ſigniferis loco manentibus, deſerebantur ab anteſignanis, qui ea tueri debuerant: partim, retrocedentibus ſigniferis, referebantur ad ſuos manipulos.

1. *Magnâ voce exclamaſſet.*] Hoc quidem imperatorium officium, in decurione, ſi militarem diſciplinam ſpectes, capitale. At enim ſalus populi ſuprema lex, audaciam charitate patriæ expreſſam, vertit in laudem.

2. *Niſi hæc, inquit, parmata cohors.*] Vulgò *armata*. Gron. ex mente Schelii, emendat *parmata*, quâ re diſtinguuntur equitum turmæ à cohortibus peditum: hæ quippe ſcuto utebantur. Et ita paulò poſt, iidem *parmati* dicuntur; alioqui omnes cohortes armatæ.

1. *Ut parmatis novæ cohorti hoſtium.*] Equites intelligit parmâ, ſive brevi ac rotundo clypeo, tectos; qui novo more pedites pugnabant inſtar cohortium.

Urb. Cond. an. 331. Coss. C. Sempron. & Q. Fab.

gumen modò omnis exercitus fuerat, nusquam viderent; ne tot fortissimos viros intercluſos opprimeret hostis, [d] tendunt in quemcumque casum. [e] Diversi Volsci, hinc consulem ac legiones sustinêre: altera fronte instare Tempanio atque equitibus: qui quum sæpe conati, nequissent perrumpere ad suos; tumulo quodam occupato, in orbem se rutabantur, nequaquam inulti. Nec pugnæ finis ante noctem fuit. consul quoque, nusquam remisso certamine, dum quicquam superfuit lucis, hostem tenuit. nox incertos diremit, [f] tantusque ab imprudentia eventûs utraque castra tenuit pavor, ut relictis sauciis, & magna parte impedimentorum, ambo pro victis exercitus se in montes proximos reciperent. Tumulus tamen circumsessus ultra mediam noctem est. [2] quum circumsedentibus nunciatum esset, castra deserta esse, victos rati suos, & ipsi qua quemque in tenebris pavor tulit, fugerunt. Tempanius, metu insidiarum, suos ad lucem tenuit. digressus deinde ipse cum paucis speculatum, quum ab sauciis hostibus sciscitando comperisset castra Volscorum deserta esse, lætus ab tumulo suos devocat, & in castra Romana penetrat. ubi quum vasta desertaque omnia, atque [g] eandem quam apud hostes fœditatem invenisset, [3] priusquam Volscos cognitus error reduceret, quibus poterat sauciis ductis secum, ignarus quam regionem consul petisset, ad urbem proximis itineribus pergit.

XL. Jam eò fama pugnæ adversæ, castrorumque desertorum perlata erat: & ante omnia deplorati erant equites, non privato magis quam publico luctu. Fabiusque Consul terrore urbi quoque injecto, stationem ante portas agebat: quum equites procul visi, non sine terrore ab dubiis quinam essent; mox cogniti, tantam ex metu lætitiam fecere, ut clamor urbem pervaderet, gratulantium salvos victoresque rediisse equites: & ex mœstis paulò ante domibus, quæ conclamaverant suos, procurreretur in vias, pavidæque matres ac conjuges, [1] oblitæ præ gaudio decoris, obviam agmini occurrerent; in suos

INTERPRETATIO.

d *In quodvis periculum ruunt.*
e *Volsci in duas contrarias partes versi.*
f *Propter ignoratum exitum pugnæ, &c.*
ambo exercitus in vicinos quisque montes se, velut victi, receperunt.
g *Fœdam pariter solitudinem.*

NOTÆ.

2. *Quum circumsedentibus.*] Mss. omnes & typis expressi ante Gryphium. Quò *cum circumsedentibus nunciatum esset*: quod Gronovius probat.

3. *Priusquam Volscos cognitus error reduceret.*] Vult Tempanium, cum nesciret quò contendisset Consul; abductis sauciis quos ducere secum *potuit*, urbem proximis itineribus petiisse, antequam Volsci certiores facti de rerum statu, & cognito errore, qui causa fugæ ipsis fuerat, in locum pugnæ revertererentur.

1. *Oblitæ præ gaudio decoris.*] Non enim facile Romanis moribus matronæ ac Virgines cum viris juvenibusque permistæ in publico visebantur.

quæque [a] simul corpore atque animo, vix præ gaudio compotes, effu- Urb. Cond.
ſæ. Tribunis plebis, qui M. Poſtumio & T. Quintio diem dixerant, an. 331.
quod ad Veios eorum opera malè pugnatum eſſet, occaſio viſa eſt per Coll. C.
recens odium Sempronii conſulis [b] renovandæ in eos invidiæ. Itaque, Sempron. &
advocata concione, cum *proditam Veiis rempublicam eſſe ab ducibus,* Q. Fab.
proditum deinde, quia illis impune fuerit, in Volſcis ab conſule exercitum, traditos ad cædem fortiſſimos equites, deſerta fœdè caſtra, vociferati eſſent; C. Julius unus ex Tribunis Tempanium equitem vocari juſſit, coramque eis, *Sexte Tempani*, inquit, [c] *quæro de te, arbitreriſne C. Sempronium conſulem, aut in tempore pugnam iniſſe, aut firmaſſe ſubſidiis aciem, aut ullo boni conſulis functum officio? & tunc ipſe victis legionibus Romanis, tuo conſilio equitem ad pedes deduxeris, reſtitueriſque pugnam? excluſo deinde ab acie noſtra tibi atque equitibus, num aut conſul ipſe ſubvenerit, aut miſerit præſidium? poſtero denique die ecquid præſidii uſquam habueris? an tu cohorſque in caſtra veſtrâ virtute perruperitis? ecquem in caſtris conſulem, ecquem exercitum inveneritis? an deſerta caſtra, relictos ſaucios milites? Hæc pro virtute tua fideque, qua unâ hoc bello reſpubl. ſtetit, dicenda tibi ſunt hodie. Denique, ubi C. Sempronius, ubi legiones noſtræ ſint? deſertus ſis, an deſerueris conſulem exercitumque? victi denique ſimus, an vicerimus?*

XLI. Adverſus hæc Tempanii oratio incompta fuiſſe dicitur: cæterum militariter gravis; non ſuis vana laudibus, non crimine alieno læta: *Quanta prudentia rei bellicæ in C. Sempronio eſſet,* [1] *non militis, de imperatore æſtimationem eſſe, ſed populi Romani fuiſſe, quem eum comitiis conſulem legeret. Itaque ne ab ſe imperatoria conſilia, neu conſulares artes exquirerent,* [2] *quæ penſitanda quoque magnis animis atque ingeniis eſſent: ſed quod viderit, referre poſſe. Vidiſſe autem ſe prius quam ab acie intercluderetur, conſulem in prima acie pugnantem, adhortantem, inter ſigna Romana telaque hoſtium verſantem: poſtea ab conſpectu ſuorum ablatum. Et ſtrepitu tamen & clamore ſenſiſſe uſque ad noctem extractum certamen: nec ad tumultum, quem ipſe ſemerat, præ multitudine hoſtium credere* [3] *perrumpi potuiſſe. Exercitus ubi eſſet, ſe nescire: arbitrari velut ipſe, in re trepida, loci præſidio ſe ſuoſque ſit tutatus, ſic conſulem ſervandi*

INTERPRETATIO.

a *Ruentes in amplexus, animoque geſtientes, cum præ gaudio, vix ſui compotes eſſent.*

b *Inſtaurandæ in eos accuſationis odioſæ.*

c *Peto abs te*, ut dicas.

NOTÆ.

1. *Non militis de imperatore æſtimationem.*] Quædam membranæ habent *exiſtimationem*: & *exiſtimatio* pro judicio, à noſtro alibi, a Cicerone, Seneca, Suetonio; quod Gronov. exemplis haud neceſſariis confirmat.

2. *Quæ penſitanda, &c.*] Gronov. vult *quæ penſitare quoque magni animi atque ingenii eſſet*: ſed eadem ex vulgata lectione ſequitur ſententia.

3. *Perrumpi potuiſſe.*]. A reliquo exercitu Romano.

Urb. cond. an. 331. Coss. C. Sempron. & Q. Fab.

exercitus causa loca tutiora castris cepisse, 4 *Nec Volscorum meliores res esse credere, quam populi Romani; fortunam, noctemque omnia erroris nutui implesse*. precantemque deinde, ne, se fessum labore ac vulneribus tenerent; cum ingenti laude, non virtutis magis quam moderationis, dimissum. Quum hæc agerentur, jam consul 5 viâ Lavicanâ 6 ad fanum Quietis erat .. eò missa plaustra jumentaque alia ab urbe, exercitum a affectum prælio ac via nocturna excepere. Paulo post in urbem est ingressus consul, non ab se magis enixè amovens culpam, quam Tempanium meritis laudibus ferens. Mœstæ civitati ab re malè gestâ, & iratæ ducibus, M. Postumius reus objectus, qui tribunus militum pro consule ad Vejos fuerat, 7 e decem millibus æris gravis damnatur. T. 8 Quintium collegam ejus, quia & in Volscis consul auspicio dictatoris Postumii Tuberti, & ad Fidenas legatus dictatoris alterius Mamerci Æmilii, res prosperè gesserat, totam culpam ejus temporis in prædamnatum collegam transferentem, omnes tribus absolverunt.. profuisse ei Cincinnati patris memoria dicitur, venerabilis viri; & exactæ jam ætatis Capitolinus Quintius, suppliciter orans, b *ne se, brevi vel quo vitæ spatio, tam tristem nuncium ferre ad Cincinnatum paterentur*.

INTERPRETATIO.

a *Expugna fessum.*

b *Cumque exiguum sibi vitæ spatium superesset, ne sinerent se tristem fratri suo nuncium ad inferos ferre de* filii damnatione;

NOTÆ.

4. *Nec Volscorum meliores res esse credere, quam populi Rom. fortunam, &c.*] Rectè meo judicio correxit apud Grun. Schelius interpunctione insertâ ante *fortunam*: antea legebatur uno tenore, *quam populi Romani fortunam*.

5. *Via Lavicana*.] De Lavicis, seu Labico opp. unde *via Lavicana* dictum lib. 2. cap. 39. Hæc porro via incipiebat à porta Esquilina, & relictis ad dextram Lavico & Tusculo, ad Pictas Tabernas in Latinam desinebat ex Strabone; quo posito, magis est ut *Labici* fuerint circa op. *Colonnam*, quam ad *Zagarolam*: Tabernæ autem *Fictæ* non procul *Valmontone*.

6. *Ad fanum Quietis*.] Fanum sive Ædes Quietis extra portam Collinam memoratur in urbis descriptione, regione 5. Ferrarius non procul ab urbe fuisse scribit ubi nunc templum *SS. Petri, Pauli, & Marcellini*. Sed à Porta Esquilina, non à Collina exit via Lavicana, ad quam Livius Fanum Quietis locat.

7. *Decem millibus aris gravis*.] Quæ respondent libris 67 50. Turonensibus.

8. *Quintium collegam ejus*.] Tres fuerant Tribuni militum Cons. pot. qui ad Vejos malè rem gesserant, M. Postumius, C. Furius, T. Quintius .. Postumius solus damnatus est: T. Quintius ob patris Cincinnati, propriaque, & Quintii Capitolini patrui merita, absolutus, translata in collegam culpâ .. C. Furii nulla mentio. An quod mors eum accusationi exemisset? Glareano mirum videtur quarto demum anno reos factos, cum triennio antè magistratu abissent.

1. *Tribunos plebis absentes*.] Non omnes hic nominantur Tribuni plebis: decem enim creari solebant .. sed ii tantùm nominantur qui absentes ob egregiè navatam in bello adversus Volscos operam creati sunt. Posteriorum nomina

XLII. Plebs [1] tribunos plebis abſentes, Sex. Tempanium, A. Sellium, L. Antiſtium, Sex. Pompilium, fecit. quos & pro centurionibus ſibi præfecerant Tempanio auctore equites. Senatus, quum odio Sempronii, [a] conſulare nomen offenderet, tribunos militum conſulari poteſtate creari juſſit. creati ſunt [2] L. Manlius Capitolinus, Q. Antonius Merenda, L. Papirius Mugillanus. Principio ſtatim anni L. Hortenſius tribunus plebis C. Sempronio, conſuli anni prioris, diem dixit. quem quum [3] quatuor collegæ inſpectante populo Romano orarent; *ne imperatorem ſuum innoxium, in quo nihil præter fortunam reprehendi poſſet, vexaret*; ægrè Hortenſius pati, [b] tentationem eam credens eſſe perſeverantiæ ſuæ; nec precibus tribunorum, quæ in ſpeciem modò jactentur, ſed auxilio confidere reum. itaque modo ad eum converſus, *Ubi illi patricii ſpiritus, ubi ſubnixus & fidens innocentiæ animus eſſet*, quærebat. *ſub tribunicia umbra* [4] *conſularem virum delituiſſe*. modo ad collegas: *Vos autem ſi reum perago, quid acturi eſtis? an erepturi jus populo,* [5] *& everſuri tribuniciam poteſtatem?* Quum illi, *& de Sempronio, & de omnibus ſummam populi Romani poteſtatem eſſe* dicerent; *nec ſe judicium populi tollere aut velle aut poſſe: ſed ſi preces ſuæ pro imperatore, qui ſibi parentis eſſet loco, non valuiſſent, ſe veſtem cum eo mutaturos*: tum Hortenſius, *Non videbit*, inquit, *plebs Romana ſordidatos*

Urb. cond. an. 332. Tribb. mill. L. Manl. &c.

INTERPRETATIO.

a *Nomine conſulum offenderentur* hominum animi.

b *Cum crederet hæc fieri in experimentum perſeverantiæ ſuæ; neque* Sempronium *reum fiduciam habere in his precibus Tribunorum plebis, qui eas* interim *oſtentationis tantùm cauſa interponerent: ſed in eorumdem*, aperto *auxilio*, & interceſſione, quâ adverſum ſe uſuri eſſent.

NOTÆ.

ex iis quæ Sigonius appoſitè diſſeruit, emendata ſunt. Glar. diſpiciendum monet cur adjectum ſit illud *abſentes*. Credo id præter morem: conſueverant enim peti magiſtratus, & præſentibus candidatis mandari.

2. *L. Manlius*.] Tres tantùm Tribunos militum Conſulari poteſtate Livius memorat hoc anno, quo ea dignitas octavum uſurpata, *L. Manlium* Capitolinum, qui & Volſo, Auli Conſulis N. *Q. Antonium* Merendam, *L. Papirium Mugillanum*. Deeſt nomen quarti. Is fuit *L. Servilius* Structus, quem Livius anno 338. iterum fuiſſe tradit; cum tamen non appareat, quo anno primùm fuerit, niſi hoc anno fuiſſe dicamus; quo tres tantùm nominantur, cum jam quatuor quotannis cœpiſſent fieri; quemadmodum Sigon. indicat, qui multos alios in vulgatis libris deſiderari oſtendit.

3. *Quatuor collegæ*.] Illi quatuor qui equis in exercitu Sempronii anno ſuperiore meruerant, & abſentes licèt, Tribuni plebis fuerant creati.

4. *Conſularem virum delituiſſe*.] Imò *delituiſſe*; agitur enim in re præſenti.

5. *Et everſuri tribuniciam poteſtatem*.] Antiqua lectio apud Rhen. *& everſuri Tribuni poteſtatem plebis*: ipſe ſcribi jubet; *& everſuri tribuniciam poteſtatem plebi*. Gronovius vocem ultimam, (quæ & inſolentem reddit orationem, & nuſquam in excerptis ejus reperiebatur) abraſit; meritò: poterat tamen vetus lectio tolerari.

Digitized by Google

tribunos ſuos. [6] *C. Sempronium nihil moror, quando hoc eſt in imperio conſecutus, ut tam carus eſſet militibus*. Nec pietas quatuor tribunorum, quam Hortenſii tam placabile ad juſtas preces ingenium, pariter plebi Patribuſque, gratior fuit. Non diutius fortuna Æquis indulſit, qui ambiguam victoriam Volſcorum pro ſua amplexi fuerant.

Urb. cond. an. 333. Coſſ. Num. Fab. & T. Quint.

XLIII. Proximo anno [1] Numerio Fabio Vibulano, T. Quintio Capitolini filio Capitolino conſulibus; ductu Fabii, cui ſorte ea provincia evenerat, nihil dignum memoratu actum. quum trepidam tantum oſtendiſſent aciem Æqui, turpi fuga funduntur, haud magno conſulis decore. itaque triumphus negatur. Cæterùm, ob Sempronianæ cladis levatam ignominiam, ut ovans urbem intraret, conceſſum eſt. Quemadmodum bellum minore, quam timuerant, dimicatione erat perfectum: ſic in urbe ex tranquillo nec opinata moles diſcordiarum inter plebem ac Patres exorta eſt; cœpta ab duplicando Quæſtorum numero. quam rem, [2] ut præter duos urbanos Quæſtores, duo conſulibus ad miniſteria belli præſto eſſent, à conſulibus relatam; quum & Patres ſumma ope approbaſſent; conſulibus tribuni plebis certamen intulerunt, ut pars quæſtorum (nam ad id tempus patricii creati erant) ex plebe fieret. [3] Adverſus quam actionem primo & conſules

N. O. T. Æ.

6. *C. Sempronium moror.*] Solennia verba judicis reum abſolventis, vel certè accuſatoris eum dimittentis, atque ab accuſatione deſiſtentis.

1. *Numerio Fabio.*] *Numerius Fabius* Vibulanus. Qu. Fabii Decemviri, qui cladi Cremeranæ ſolus ſuperſtes fuiſſe putatur, filius fuit, Marci & Quinti nuper Conſulum frater; & M. ſive Cnæi, qui & ipſe poſt Conſul. Numerii autem prænomine ſolam ex Patriciis gentem Fabiam uſam fuiſſe docet Valer. Max. lib. 10. idque ea de cauſa, quod trecentis ſex apud Cremeram cæſis, qui unus ex ea ſtirpe ſuperfuerat, filiam Numerii Otacilii Malaventani, ſub eo pacto uxorem duxiſſet, ut quem primum filium ſuſtuliſſet, ei materni avi prænomen imponeret.

2. *Ut præter duos urbanos Quæſtores, duo Conſulibus.*] Hæc paulò planiora videntur futura, ſi uſque ad *à Conſulibus relatam*, parentheſi includantur. Quæſtores initio à Conſulibus deligebantur auctore Tac. lib. 11. Sed quod adjicit *creatos primùm à populo lxii). anno poſt Tarquinios exactos ut rem militarem comitarentur; dein gliſcentibus negotiis duos additos qui Romæ curarent*; non modo in tempore erratum videtur, ſcribendumque *xxiii) anno*, quod antè monuimus: ſed præterea in eo peccari ſuſpicor, quod Quæſtores, qui rem militarem comitarentur, priùs creari cœptos vult, quàm qui Romæ curarent. Noſter contrà, cujus longè probabilior ratio apparet, urbanos primùm Quæſtores ponit; nunc præter illos duos, totidem alios, *qui Conſulibus ad miniſteria belli præſto eſſent*. Priùs enim fuit ærarium, quod in urbe erat, curari: poſterius inſtitui qui promptam ex ærario pecuniam in bellicos uſus, juſſu Conſulum impenderent: unde origo Quæſtorum provincialium. Fateor ante hæc quoque tempora Quæſtorum in exercitu mentionem aliquoties occurrere: ſed longè ſæpius Quæſtorum urbanorum; ex quo veriſimile fit, vel ipſos urbanos Quæſtores utroque munere olim functos eſſe; vel hactenus manſiſſe Conſulibus jus per homines fidos, qui Quæſtorum munere fungerentur, militarem pecuniam adminiſtrandi.

3. *Adverſus quam actionem.*] Actio hìc ſumi videtur: pro ea quam Juriſconſulti vocant intentionem: *Contre cette prétenſion on demande*.

& Patres [a] ſumma ope adniſi ſunt : concedendo deinde , ut quemadmodum tribunis conſulari poteſtate creandis uſi ſunt , [4] adæquè in Quæſtoribus liberum eſſet arbitrium populi ; quum parum proficerent , totam rem de augendo Quæſtorum numero omittunt . Excipiunt omiſſam tribuni : [b] aliæque ſubinde , inter quas & agrariæ legis ſeditioſæ actiones exiſtunt : propter quos motus quum ſenatus conſules quam tribunos creari mallet , neque poſſet per interceſſiones tribunicias ſenatus conſultum fieri ; reſpublica à conſulibus ad interregnum , [c] neque id ipſum (nam coire patricios Tribuni prohibebant) ſine certamine ingenti , redit . [5] Quum pars major inſequentis anni per novos tribunos plebis , & aliquot interreges certaminibus extracta eſſent , modo prohibentibus tribunis patricios coire ad prodendum interregem , modo interregem interpellantibus , ne ſenatusconſultum de comitiis conſularibus faceret ; poſtremò L. Papirius Mugillanus proditus interrex , caſtigando nunc Patres , nunc tribunos plebis ; *deſertam omiſſamque ab hominibus rempublicam* [6] *Deorum providentiâ curaque*

Urb. cond. an. 334. Interreg.

INTERPRETATIO.

[a] *Summoperè* .

[b] *Et alia* Tribunorum plebis *poſtulata ſeditioſa exorta ſunt , atque in eorum numero petitio legis* ferendæ *de agro publico* plebi dividendo .

[c] *Neque ipſe* ad interregnum *reditus ſine ingenti certamine* , obtineri potuit : etenim *conciliis patriciorum intercedebant Tribuni* .

NOTÆ.

4. *Adæquè in Quæſtoribus liberum eſſet arbitrium populi* .] Id eſt , *æquè* . Alias , *id æquè* , perperam : ſed quando Senatus concedebat ut æquè ex plebe atque ex patriciis quæſtores creare liceret , quid erat quod ampliùs quererentur Tribuni plebis ? Nempe ut non liberum eſſet populi arbitrium , qui ut Tribunos militum , ita & Quæſtores ex ſolis patriciis electurus timebatur : ſed ut pro dimidia parte neceſſariò ex plebeiis crearentur .

5. *Cum pars major inſequentis anni* .] Si major pars anni exacta jam erat , hic annus nobis perdi videtur Glareano ; quòd veriſimile non ſit in paucos menſes duntaxat creatos fuiſſe Tribunos militum , ſed in annum integrum . Hunc autem annum ad ſummam faſtorum addendum eſſe , ex eo quoque probat , quòd cum Veientibus datæ in annos viginti , eſſent induciæ anno 330. res tamen ab eis repetantur an. 348. aliaque addit de anno Conſulatus Horatii & Valerii numerando extra Decemvirorum tempus . Neque hæc concillari poſſe contendit ex ſolenni ineundis magiſtratibus die , ut qui mirum in modum varius inveniatur . Verùm ratio ex induciis Veientium deducta , nihil opinor conficit . Hæ quippe non an. u. c. 330. ſed biennio antè conceſſæ , Tribunis militum A. Sempronio Atratino , ejuſque collegis , ſuprà cap. 35. Hoc tamen ille humaniter , quòd in unius anni diſcrimine nullam ſe facere difficultatem teſtatur ; eaque de cauſa hunc annum ſe in ſua chronologia omiſiſſe. Omiſit & Sigonius annum hujus interregni Liviani , quem ſumma annorum Capitolina non patitur .

6. *Deorum providentiâ curaque excepta memorabat* .] Sæpè non inelegantèr ſumitur *excipere* pro ex alio capere ac ſuſcipere , vel ſuſtinere quod ab aliis datum , dimiſſum , derelictum , impulſum eſt : ita apud Cicer. *Ex alterius oratione excipere aliud atque ille vult : excipere fugientes : & excipere aliquem labentem* : qui ſenſus eſt hujus loci .

Urb. cond. an. 334. Interreg.

exceptam memorabat [6] *Vejentibus induciis, & cunctatione Æquorum ſtare. Unde* [d] *ſi quid increpet terroris, ſine patricio magiſtratu placere rempublicam opprimi. non exercitum, non ducem ſcribendo exercitui eſſe. an bello inteſtino bellum externum propulſaturos?* [e] *Quæ ſi in unum conveniant, vix Deorum opibus quin obruatur Romana res, reſiſti poſſe.* [f] *quin illi, remittendo de ſumma quiſque juris,* [7] *mediis copularent concordiam: Patres patiendo tribunos militum pro conſulibus fieri: tribuni plebis non intercedendo, quò minus quatuor Quæſtores promiſcuè de plebe ac Patribus libero ſuffragio populi fierent.*

Urb. cond. an. 334. Tribb. mill. T. Quint, &c.

XLIV. [1] Tribunicia primùm comitia ſunt habita. creati tribuni conſulari poteſtate omnes patricii, [2] L. Quintius Cincinnatus tertium, L. Furius Medullinus iterum, M. Manlius, A. Sempronius Atratinus. Hoc tribuno comitia Quæſtorum habente, petentibuſque inter aliquot plebejos filio Antiſtii tribuni plebis, & fratre alterius tribuni plebis Sex. Pompilii, nec poteſtas, nec ſuffragatio horum valuit; quin quorum patres avoſque conſules viderant, eos nobilitate præferrent. Furere omnes tribuni plebis, ante omnes Pompilius Antiſtiuſque, repulsâ ſuorum accenſi, *Quidnam id rei eſſet? non ſuis beneficiis, non Patrum injuriis,* [a] *non denique uſurpandi libidine, quam liceat quod antea non licuerit, ſi non tribunum militarem, ne quæſtorem quidem quemquam ex plebe factum. non valuiſſe patris pro filio, fratris pro fratre preces, tribunorum plebis, poteſtatis ſacroſanctæ ad auxilium libertatis creatæ. Fraudem profecto in re eſſe, & A. Sempronium comitiis plus artis adhibuiſſe, quam fidei. Ejus injuriâ queri ſuos honore dejectos.* Itaque quum in ipſum & innocentiâ tutum, & magiſtratu, in quo tunc erat, impetus fieri non poſſet, [3] flexêre iras in C. Sempro-

INTERPRETATIO.

d *Si ſtrepat aliquis terror.*

e *Quæ duo* bella ſcilicet, inteſtinum & externum *ſi* fortè *ſimul concurrant.*

f *Quin potiùs de ſummo jure aliquid utrinque detrahentes.*

a *Non ſaltem cupidine uſurpandi* jus illud.

NOTÆ.

6. *Vejentibus induciis.*] Quidam Vejentium *induciis.* Sed Livianum eſt. *Vejens bellum, Vejens præda,* adjectivè.

7. *Mediis copularent concordiam.*] Alii *remediis*, nonnulli *mediis Diis.* Meliùs Frobenius aliique *mediis*, id eſt media quadam viâ, temperamento aliquo: vel ut aliàs apud noſtrum *mediis conſiliis*; quibus uſi ſic controverſiam deciderent, ut concordia ſancirctur.

1. *Tribunicia primùm comitia.*] Non Tribunis plebis, ſed Tribunis militum creandis.

2. *L. Quintius* III.] Quidam hoc loco non *L. Quintium* agnoſcunt, ſed ejus fratrem T. Quintium Cincinnatum, cui Penno cognomen. Quaſi ille ſemel tantùm eum magiſtratum geſſiſſet. Hic bis. Sed falluntur opinor.

L. Furius Medullinus Trib. mil. legitur an. 322. cap. 25. Item an. 329. cap. 35. Sed quamvis idem ſit nomen, an tamen idem fuerit qui nunc Tribunatum militum geſſit ambigi poteſt. Plures enim L. Furii Medullini per hæc tempora in eo magiſtratu, ut notavit Sigon.

3. *Flexêre iras in C. Sempronium patruelem Atratini.*] Iras quas in A. Sempronium Tribunum militum exercere non poterant, ideo verterunt in Cajum

nium

nium patruelem Atratini: eique ob ignominiam Volſci belli, adjutore collega M. Canulejo, diem dixere. Subinde ab eiſdem tribunis mentio in ſenatu de agris dividendis illata eſt, cui actioni ſemper acerrimè C. Sempronius reſtiterat: 4 ratis id quod erat, aut depoſita cauſâ leviorem futurum apud Patres reum; aut perſeverantem ſub judicii tempus, plebem offenſurum. Adverſæ invidiæ objici maluit, & ſuæ nocere cauſæ quam publicæ deeſſe: ſtetitque in eadem ſententia, 5 *Ne qua largitio, ceſſura in trium gratiam tribunorum, fieret. nec tum agrum plebi, ſed ſibi invidiam quæri. Se quoque ſubiturum eam tempeſtatem forti animo. nec ſenatui tanti ſe civem aut quemquam alium debere eſſe, ut in parcendo uni, malum publicum fiat.* Nihilo demiſſiore animo, quum dies venit, cauſa ipſe pro ſe dicta, nequicquam omnia expertis Patribus ut mitigarent plebem, 6 x quindecim millibus æris damnatur. Eodem anno Poſtumia virgo Veſtalis de inceſtu cauſam dixit, 7 crimine innoxia, b ob ſuſpicionem propter cultum amœniorem, ingeniumque liberius quam virginem decet, parum abhorrens famam. 8 Ampliatam, deinde abſolutam.

Urb. cond. an. 334. Tribb. mill. T. Quint. &c.

INTERPRETATIO.

b *Non ſatis rumores ſpernens natos ex cultu, & paulo magis licentioſum ingenium, ſuſpicione quam ingerebat elegantior ornatus, quàm virgini conveniret.*

NOTÆ.

Sempronium Atratinum Conſulem anni 331. quod hic proximâ cum illo agnatione conjunctus eſſet, utpote frater patruelis, *Conſim germain*. Hulc quidem Cajo L. Hortenſius Trib. plebis diem dixerat ob rem malè in Volſcis geſtam: ſed exoratus à quatuor Collegis qui ſub eo ſtipendia fecerant, in quibus hi quoque L. Antiſtius & Sex. Pompilius, remiſerat accuſationem. Itaque quaſi non abſolutum, iidem cum M. Canulejo alio collega reſumunt.

4. *Ratis id quod erat, aut depoſitâ cauſa, &c. aut perſeverantem.*] Refer ad ſuperiora, *ab eiſdem Tribunis* plebis: quibus mentionem agrorum dividendorum in Senatu facientibus, duorum alterum videbatur eventurum, ut C. Sempronius reus, aut accuſationis metu ab impedienda (ut hactenus fecerat) lege agraria deſiſteret, & ſic vilior fieret apud Senatum, quo non defendente facilius damnaretur: aut adhuc in priſtina ſententia perſtaret, ac legem agrariam impugnare pergeret; quo facto ſub tempus ipſum, quo cauſam coram populo dicturus eſſet, magis ac magis exoſus fieret plebi judicium laturæ.

5. *Ne qua largitio ceſſura in trium gratiam Tribunorum fieret.*] Ne ulla eo tempore largitio plebi fieret, utpote cujus gratiam ad populum laturi eſſent ſoli Tribuni tres accuſatores ſui, Pompilius, Antiſtius, & Canulejus.

6. *Quindecim millibus aris.*] Si æs grave Livius intelligit, erunt noſtræ Libræ Turonenſes, 10125. At ſi ad uſum ſui temporis reſpicit, exiſtent paulò minus 500. libris noſtratibus.

7. *Crimine innoxia.*] Hoc eſt innocens, quod ad crimen ipſum attinet. Aliàs perperàm *obnoxia*.

8. *Ampliatam, deinde abſolutam.*] Dicuntur *ampliari*, quorum judicium differtur, pronunciante judice *non liquere*, id eſt nondum ſatis idoneis argumentis probatum eſſe crimen, licet adminicula quædam ſuſpectum faciant reum.

Urb. cond. an. 335. Tribb. mill. Agr. Menen. &c.

pro collegii ſententia 9 pontifex maximus abſtinere jocis, colique ſanctè potiùs quam ſcitè juſſit. Eodem anno 10 à Campanis Cumæ, quam Græci tum urbem tenebant, capiuntur.

XLV. Inſequens annus tribunos militum conſulari poteſtate habuit, Agrippam Menenium Lanatum, P. Lucretium Tricipitinum, Sp. Nautium, C. Servilium. 1 Annus 2 felicitate populi Romani, periculo potius ingenti, quam clade inſignis. Servitia urbem ut incenderent diſtantibus locis, conjurarunt: populoque ad opem paſſim ferendam tectis intento, ut arcem Capitoliumque armati occuparent. Avertit nefanda conſilia Iupiter: indicioque duorum comprehenſi ſontes, pœnas dederunt. indicibus 2 dena millia gravis æris, quæ tum divitiæ habebantur, ex ærario numerata, & libertas præmium fuit. Bellum inde ab Æquis reparari cœptum: & novos hoſtes Lavicanos conſilia cum veteribus jungere, haud incertis auctoribus Romam eſt allatum. Æquorum jam velut anniverſariis armis aſſueverat civitas. 3 Lavicos legati miſſi, quum reſponſa inde retuliſſent dubia, quibus necdum bellum parari, nec diuturnam pacem fore appareret: Tuſculanis negotium datum *adverterent animos, ne quid novi tumultus Lavicis oriretur*. Ad inſequentis anni tribunos militum conſulari poteſtate, inito magiſtratu, legati ab Tuſculo venerunt, L. Sergium Fidenatem, M. Papirium Mugillanum, C. Servilium Priſci filium, quo dictatore Fidenæ captæ fuerant. 4 Nunciabant legati *Lavicanos arma cepiſſe, & cum Æquorum exercitu depopulatos agrum Tuſculanum, caſtra in Algido poſuiſſe*. tum Lavicanis bellum indictum: factoque ſenatuſconſulto, ut duo ex tribunis ad bellum proficiſcerentur, unus res Romæ curaret; certamen ſubito inter tribunos exortum: ſe quiſque belli ducem potiorem ferre, curam urbis ut ingratam ignobilemque aſpernari. Quum parum decorum

INTERPRETATIO.

2. *Inſignis periculo magis quam clade, quam felicitas populi Romani diſcuſſit.*

NOTÆ.

9. *Pontifex maximus.*] Veſtalium, ſcilicet & Sacerdotum aliorum, Judex, rerumque ad ſacra & religiones pertinentium. Is tunc erat Sp. Minucius ex Plut. de utilitate ex inimicis capienda.

10. *A Campanis Cumæ.*] Novi Capuæ incolæ, vel prædones potiùs, Samnites, de quibus ſuprà cap. 37. Nunc Cumas Græcorum urbem cepere. De hac urbe dictum lib. 2. cap. 21. & d. cap. 37.

1. *Annus felicitate.*] Gronovius ſuſpicatur vocem *annus* incertam ab iis quibus arduum erat repetere à tertio ſuperiore verſu, *Inſequens annus*.

2. *Dena millia gravis æris . . . numerata.*] Æs tamen grave ſeu infectum appendi potiùs quam numerari ſolitum antea vidimus. Sed nonnunquam æs grave de percuſſo quoque dicitur, quandiu priſtinum pondus retinuit. Decem autem ejuſmodi aſſium millia, ipſo pondere nunc æquipollerent libris noſtris 6750.

3. *Lavicos miſſi.*] Lavici vel Labicum. Hod. *La Colonna*, aut inde non procul. Ut ſuprà annotatum cap. 4. Vide & lib. 2. cap. 39.

4. *Nunciabant Legati.*] Gronovio, libens accedo, qui nomen *Legati* fruſtra neque ex auctoris more, repetitum putat, ideoque delendum.

inter collegas certamen mirabundi Patres conſpicerent, Q. Servilius; *Quando nec ordinis hujus ulla*, inquit, [b] *nec reip. eſt verecundia, ſi patria majeſtas altercationem iſtam dirimet. filius meus extra ſortem urbi præerit. Bellum utinam qui appetunt,* [c] *conſideratiùs concordiſque quam cupiunt, gerant.* Urb. cond. an. 336. Tribb. mill. L. Serg. &c.

XLVI. Delectum haberi non ex toto paſſim populo placuit: decem tribus ſorte ductæ ſunt, ex his ſcriptos juniores duo tribuni ad bellum duxêre. Cœpta inter eos in urbe certamina, cupiditate eadem imperii, [a] multò impenſius in caſtris accendi: nihil ſentire idem; pro ſententia pugnare: ſua conſilia velle, ſua imperia ſola rata eſſe. contemnere invicem & contemni, donec, caſtigantibus legatis, tandem [b] ita comparatum eſt, ut alternis diebus ſummam imperii haberent. Quæ quum allata Romam eſſent, dicitur Q. Servilius, ætate & uſu doctus, precatus ab Diis immortalibus, *ne diſcordia tribunorum damnoſior Reipub. eſſet, quam ad Veijos fuiſſet:* & velut haud dubia clade imminente, inſtitiſſe filio, *ut milites ſcriberet, & arma pararet.* Nec falſus vates fuit. nam ductu L. Sergii, cujus dies imperii erat, loco iniquo ſub hoſtium caſtris, quum, quia ſimulato metu receperat ſe hoſtis ad vallum, ſpes vana expugnandi caſtra eò traxiſſet; repentino impetu Æquorum per ſupinam vallem fuſi ſunt, multique [1] in ruina majore quam fuga oppreſſi obtruncatique: caſtraque eo die ægre retenta, poſtero die circumfuſis jam magna ex parte hoſtibus, per averſam portam fuga turpi deſeruntur. duces legatique & quod circa ſigna roboris de exercitu fuit, Tuſculum petiere. Palati alii per agros paſſim multis itineribus, majoris, quam accepta erat, cladis nuncii Romam contendêrunt. Minus trepidationis fuit, quod eventus timori hominum congruens fuerat: & quod e ſubſidia, quæ reſpicerent in re trepida, præparata erant ab tribuno militum: juſſuque ejuſdem per minores magiſtratus, ſedato in urbe tumultu, ſpeculatores propere miſſi nunciavere, *Tuſculi duces exercitumque eſſe; hoſtem caſtra loco non moviſſe.* & quod plurimum animorum fecit, dictator ex ſenatuſconſulto dictus Q. Servilius Priſcus; Urb. cond. an. 336. Dictat. Q. Servil.

INTERPRETATIO.

b *Nulla in Senatum, nulla in Rempublicam reverentia eſt.*

c *Utinam qui belli gerendi provinciam tanto certamine affectant, majori prudentia concordique in eo adminiſtrando ſe gerant, quam nunc in concupiſcendo.*

a *Vehementiùs multò exarſerant in caſtris.*

b *Ita res compoſita & conſtituta eſt.*

c *A C. Servilio Tribuno militum comparata jam fuerant auxilia & remedia.*

NOTÆ.

5. *Patria majeſtas.*] Verè majeſtas apud Romanos, qui non ſolùm vitæ necisque in liberos poteſtatem privatim habebant; ſed in publica inter magiſtratus contentione patrio jure, quaſi majore quodam imperio utebantur, ut hoc exemplo ſatis conſtat.

1. *In ruina majore, quam fuga.*] Cum non tam fugerent quam in alios alii per declivia ruerent.

vir, cujus providentiam in repub. quum multis aliis tempeſtatibus ante experta civitas erat, tum eventu ejus belli, quod uni certamen tribunorum ſuſpectum ante rem male geſtam fuerat: magiſtro equitum creato, à quo ipſe tribuno militum dictator erat dictus, filio ſuo: ut tradidêre quidam, (nam alii Ahalam Servilium magiſtrum equitum eo anno fuiſſe ſcribunt) novo exercitu profectus ad bellum, accitis qui Tuſculi erant, duo millia paſſuum ab hoſte locum caſtris cepit.

Urb. cond. an. 337. Tribb. mill. Agr. Menen. &c.

XLVII. Tranſierat ex re bene geſta ſuperbia negligentiaque ad Æquos, quæ in Romanis ducibus fuerat. itaque primo ſtatim prælio, quum dictator equitatu immiſſo anteſignanos hoſtium turbaſſet, legionum inde ſigna inferri propere juſſit, [1] ſigniferumque ex ſuis unum cunctantem occidit. Tantus ardor ad dimicandum fuit, ut impetum Æqui non tulerint: victique acie, quum fuga effuſa petiſſent caſtra, brevior tempore & certamine minor caſtrorum oppugnatio fuit, quam prælium fuerat. Captis direptiſque caſtris, quum prædam dictator militi conceſſiſſet, ſecutique fugientem ex caſtris hoſtem equites, renunciaſſent omnes Lavicanos victos, magnam partem Æquorum Lavicos confugiſſe; poſtero die ad Lavicos ductus exercitus: oppidumque [a] coronâ circumdatum, ſcalis captum ac direptum eſt. Dictator exercitu victore Romam reducto, [2] die octavo quam creatus erat, magiſtratu ſe abdicavit; & opportune ſenatus, prius quam ab tribunis plebis agrariæ ſeditiones, mentione illata de agro Lavicano dividendo, fierent, cenſuit frequens, coloniam Lavicos deducendam. coloni ab urbe mille & quingenti miſſi bina jugera acceperunt. Captis Lavicis, ac deinde tribunis militum conſulari poteſtate, Agrippa Menenio Lanato, & L. Servilio Structo, & P. Lucretio Tricipitino, iterum omnibus his, [3] & Sp. Rutilio Craſſo, & inſequenti anno A. Sempronio Atratino tertium, & duobus iterum M. Papirio Mugillano, & [4] Sp. Nautio Rutilo, biennium tranquillæ externæ res, diſcordia domi ex agrariis legibus fuit.

INTERPRETATIO.

a *Militum agmine undique cinctum* in coronæ modum.

NOTÆ.

1. *Signiferum, &c. cunctantem occidit.*] Cum faciendus erat in hoſtes impetus, ſigniferi in eos progrediebantur, ſignaque promovebant, circa quæ manipuli incedebant. Tardiùs itaque ſignum inferens, quia copias retardabat; obtruncatus eſt à Dictatore.

2. *Die octavo quo creatus erat.*] Mirati ſumus lib. 3. cap. L. Quintium Cincinnatum, & hujus lib. cap. 34. Æmilium Mamercum, confecto intra diem XVI. bello dictatura ſe abdicaſſe. At utrumque nunc ſuperavit Q. Servilius.

3. *Et Sp. Rutilio Craſſo.*] Diodorus pro Rutilio ſubjicit *Veturium*. Quod Sigonio probatur duabus de cauſis, 1. quod Rutilia gens plebeja, Veturia patricia eſſet; hactenus autem Tribuni militum Conſ. pot. ex patriciis. 2. Quod Craſſus cognomen fuit Veturiorum, non Rutiliorum.

4. *Sp. Nautio Rutilo.*] Hic enumeratis addendus ex Diodoro & fragmento

XLVIII. Turbatores vulgi erant [1] Sp. Mæcilius quartùm, & Metilius tertiùm, tribuni plebis, [2] ambo abſentes creati. & quum rogationem promulgaſſent, *ut ager ex hoſtibus captus viritim divideretur*, magnæque partis nobilium [3] eo plebiſcito publicarentur fortunæ (nec enim ferme quicquam agri [4] ut in urbe alieno ſolo poſita, non armis partum erat: nec quod væniſſet aſſignatumve publice eſſet, præter quam plebs habebat) atrox plebi Patribuſque propoſitum videbatur certamen: nec tribuni militum, nunc in ſenatu, nunc in conciliis privatis principum cogendis, viam conſilii inveniebant. quum Ap. Claudius, nepos ejus, qui decemvir legibus ſcribendis fuerat, minimus natu ex Patrum concilio, dicitur dixiſſe, *Vetus ſe ac familiare conſilium domo afferre. [5] proavum enim ſuum Appium Claudium oſtendiſſe Patribus viam unam diſſolvendæ tribuniciæ poteſtatis per collegarum interceſſionem. Facilè homines novos, auctoritate principum, de ſententia deduci, ſi temporum interdum memor, potius quam majeſtatis adhibeatur oratio. Pro fortuna illis animos eſſe. ubi videant collegas principes agendæ rei gratiam omnem ad plebem præoccupaſſe, nec locum in ea relictum ſibi; haud gravate [6] acclinaturos ſe ad cauſam ſenatus, per quam univerſo ordini cum primoribus ſe patrum concilient.* Approbantibus cunctis, & ante omnes Q. Servilio Priſco, quod non degeneraſſet ab ſtirpe Claudia,

Urb. cond. an. 338. Tribb. mill. A. Sempron. &c.

NOTÆ.

Capitolino, prætermiſſus apud Livium culpâ librariorum, *Q. Fabius Vibulanus* Q. F. M. N. ut Sigonius comprobat ipſius Livii teſtimonio, qui poſteà, in Tribunis militum an. 340. recenſendis *Q. Fabium*, Tribunum mil. II. adjicit.

1. *Sp. Mæcilius quartùm, & Metilius tertiùm.*] Putat Sigonius legendum in numero plurali *Spurii*, ut intelligatur ambos eo prænomine fuiſſe.

2. *Ambo abſentes.*] Quemadmodum ſuprà cap. 42. *Plebs Tribunos abſentes Sex. Tempanium, &c.* fecit Pigh. quia in Aldino *præſentes* legerat; corrigit *prenſantes*; quod Gronovio non placere nihil mirum: cum enim candidatis in more poſita eſſet, prenſatio quæ non niſi à præſentibus fieri poteſt; quid attinuit in his duobus notari quod omnium propè commune erat? At abſentes eligi valde ratum: ideoque notari potuit.

3. *Eo plebiſcito publicarentur fortunæ.*] Facultates omnium ferè patriciorum in agris ex hoſte captis, quas ipſi poſt victoriam ſibi vindicare ſoliti: aut ſi quid publicè venditum, aſſignatumve nonnunquam fuerat, id plebeii poſſidebant. Hinc de Agrariis legibus tot tantaque inter ordines diſſidia, patriciis agrorum partorum ex hoſte, necdum publicâ auctoritate aſſignatorum, diviſionem averſantibus, veluti fortunarum ſuarum ſcopulum: plebeiis contra pro iis, tanquam pro ſuo incremento, nitentibus.

4. *Ut in urbe alieno ſolo poſitâ.*] Exiguo certè territorio, hinc Latinorum ſeu Albanorum & Sabinorum, inde Tuſcorum terris clauſo.

5. *Proavum ſuum.*] Appius Claudius qui primus ex Sabinis Romam migravit, hujus abavus fuit.

6. *Acclinaturos ſe ad cauſam Senatus, per quam.*] Id eſt, *Acceſſuros ad partes Senatorum, quas*, ſi *amplexi* fuerint, agentes *cum primoribus Senatorum poſſint totius Senatus favorem ſibi comparare*. Planior fortè videatur ſententia, ſi cum Tanaq. Fabro legamus: *Per quam, cum univerſo ordini, tum primoribus ſe patrum conciliens*: ſed nullius Codicis auctoritatem profert, in emendatione quæ non omninò neceſſaria.

Digitized by Google

Urb. cond. an. 338. Tribb. mill. A. Sempron. &c.

collaudante juvenem, negotium datur, ut, quos quisque posset ex collegio tribunorum ad intercessionem perliceret. Misso senatu, prensantur à principibus tribuni: suadendo, monendo, pollicendoque gratum id singulis privatim, gratum universo senatui fore, sex ad intercessionem comparavêre. Posteroque die quum ex composito relatum ad senatum esset de seditione, quam Mæcilius Metiliusque largitione pessimi exempli concirent: ex orationes à primoribus Patrum habitæ sunt, *ut pro se quisque jam nec consilium sibi suppetere diceret, nec se ullam opem cernere aliam usquam, præter quam in tribunicio auxilio.* [a] *in ejus potestatis fidem circumventam remp. tamquam privatum inopem confugere. Præclarum ipsis potestatique esse, non advexandum senatum, discordiamque ordinum movendam, plus in tribunatu virium esse, quam ad resistendum improbis collegis.* Fremitus deinde universi senatus ortus, cum ex omnibus partibus curiæ tribuni appellarentur. tum silentio facto, [b] ii qui præparati erant gratiâ principum, quam rogationem à collegis promulgatam senatus censeat dissolvendæ reipubl. esse, se ei intercessuros ostendunt. Gratiæ intercessoribus ab senatu actæ. Latores rogationis concione advocata, *proditores plebis commodorum, ac servos consularium* appellantes, aliaque truci oratione in collegas invecti, [c] actionem deposuere.

Urb. cond. an. 339. Tribb. mill. P. Cornel. &c.

XLIX. [1] Duo assidua bella insequens annus habuisset, quo P. Cornelius Cossus, C. Valerius Potitus, Quintius Cincinnatus, Numerius Fabius Vibulanus, tribuni militum consulari potestate fuerunt: [a] ni Vejens bellum religio principum distuliſſet, quorum agros Tiberis super ripas effusus maxime ruinis villarum vastavit. Simul Æquos triennio ante accepta clades prohibuit [2] Volanis, suæ gentis populo, præsidium ferre. [3] Excursiones inde in confinem agrum Lavicanum factæ erant, noviſque colonis bellum illatum. quam noxam quum se consensu omnium Æquorum defensuros [d] speraſſent; deserti ab suis, ne memorabili quidem bello, per obsidionem levemque unam pu-

INTERPRETATIO.

a *Rempublicam oppressam, non secus ac pauperem privatum* (qui opprimeretur) *perfugere ad patrocinium Tribunicia potestatis.*

b Ex Tribunis pl. illi *qui à primoribus ad id parati fuerant, testati sunt se obsturos ei legi, quam Senatus censeat pertinere ad remp. perturbandam, si ab aliis Tribunis promulgata omninò fuerit.*

c *Destiterunt ab ea postulatione.*

a *Nisi bellum Vejentium dilatum esset, superstitione quadam injecta animis eorum, qui apud ipsos principatum obtinebant, &c.*

NOTÆ.

1. *Duo assidua bella.*] In Ms. Cod. apud Rhenan. *duo ardua bella*: quod nequaquàm deterius mihi videtur: duo autem, hinc à Vejentibus; inde ab Æquis.

2. *Volanis, suæ gentis populo.*] De *Volis*, seu potius *Bolis* oppido Æquorum in Latinorum finibus, dixi: fuit ubi nunc *Poli*.

3. *Excursiones inde.*] A Bolis.

gnâm, & oppidum & fines amisêre. Tentatum ab L. Sextio tribuno plebis, ut rogationem ferret, qua Volas quoque, ſicut Lavicos coloni mitterentur per intercessionem collegarum, *qui nullum plebiſcitum, niſi ex auctoritate ſenatus paſſuros ſe perferri oſtenderunt*, diſcuſſum eſt. Urb. cond an. 340. Tribb. mill. Cn. Cornel. &c.

Volis inſequente anno receptis, Æqui coloniaque eò deductâ, novis viribus oppidum firmarunt, tribunis militum Romæ conſulari poteſtate Cn. Cornelio Coſſo, L. Valerio Potito, Q. Fabio Vibulano iterum, M. Poſtumio Regillenſi. Huic bellum adverſus Æquos permiſſum eſt, pravæ mentis homini; quam tamen victoria magis, quam bellum oſtendit. Nam exercitu impigre ſcripto, ductoque ad Volas, quum levibus prœliis Æquorum animos fregiſſet, poſtremò in oppidum irrupit. deinde ab hoſtibus in cives certamen vertit: & [6] quum inter oppugnationem prædam militis fore edixiſſet, capto oppido fidem mutavit. Eam magis adducor ut credam iræ cauſam exercitui fuiſſe, quam quod [7] in urbe nuper direpta, coloniaque nova, [b] minus prædicatione tribuni prædæ fuerit. Auxit eam iram, poſtquam ab collegis accerſitus propter ſeditiones tribunicias, in urbem revertit. Audita vox ejus in concione ſtolida, ac prope vecors: qua Sextio tribuno plebis legem agrariam ferenti, *ſimul Volas quoque ut mitterentur coloni laturum ſe* dicenti, [8] *dignos enim eſſe qui armis cepiſſent, eorum urbem agrumque Volanum eſſe: Malum quidem militibus meis*, inquit, *niſi quieverint*. quod auditum, non concionem magis, quam mox Patres offendit: & tribunus plebis, vir acer nec infacundus, nactus inter adverſarios ſuperbum ingenium, immodicamque linguam, quam irritando agitandoque in eas impelleret voces, quæ invidiæ non ipſi tantum, ſed

INTERPRETATIO.

b *Non tantùm prædæ fuerit* inventum, *quantum dixerat Tribunus* militum, Poſtumius

NOTÆ.

4. *M. Poſtumio Regillenſi.*] Nomen *Regillenſis* duabus gentibus diverſis ex cauſis inditum; *Claudiis*, quòd Regillo Sabinorum oppido eſſent orti; *Poſtumiis* verò ob victoriam ad Regillum Latii lacum à Poſtumio Dictatore relatam.

5. *Pravæ mentis homini; quam.*] Fuiſſe vult hunc Poſtumium animo pervicaci: quem durante bello continuerit, poſt victoriam nudaverit. Legendum enim *quam*, non *tum*, ut cenſebat Sigon.

6. *Et quum inter oppugnationem.*] Legendum omninò, *nam quum*, ſi Tan. Fabro credimus: reddetur enim ratio priorum verborum, *ab hoſtibus in cives certamen vertit*.

7. *In urbe nuper direpta.*] Bolis nempe, quæ urbs à Romanis direpta ſuperiore anno, nunc ab Æquis recepta, novam ab his coloniam acceperat.

8. *Dignos enim eſſe qui armis cepiſſent, eorum urbem agrumque Volanum eſſe.*] Græcâ forte loquendi forma dictum, legendumque, *dignum*, cum Tan. Fabro, id eſt, *æquum*. Sed & Interpunctione interpoſita ſatis conſtare videtur ſenſus: *Volas quoque ut mitterentur coloni ſe laturum: dignos enim eſſe qui armis cepiſſent*: dignos ſcilicet, ut ea lex ipſorum causâ ferretur. *Eorum urbem agrumque Volanum eſſe*: id eſt, *ad eos pertinere*.

Urb. cond. an. 340. Tribb. mill. Cn. Cornel. &c.

cauſæ atque univerſo ordini eſſent, neminem ex collegio tribunorum militum ſæpius quam Poſtumium in diſputationem trahebat. Tum vero ſecundum tam ſævum atque inhumanum dictum *Auditis*, inquit, *Quirites, ſicut ſervis malum minantem militibus? tamen hæc bellua dignior vobis tanto honore videbitur, quam qui vos 9 urbe agriſque donatos in colonias mittunt, qui ſedem ſenectuti veſtræ proſpiciunt, qui pro veſtris commodis* 10 *adverſus tam crudeles ſuperboſque adverſarios depugnant.* 11 *Incipite deinde mirari, cur pauci jam veſtram ſuſcipiant cauſam. quid ut à vobis ſperent? an honores, quos adverſariis veſtris potius quam populi Romani propugnatoribus datis? Ingemueſtis modo voce hujus audita. quid id refert? Jam ſi ſuffragium detur, hunc qui malum vobis minatur, iis qui agros ſedeſque ac fortunas ſtabilire volunt, præferetis.*

L. Perlata hæc vox Poſtumii ad milites, multo in caſtris majorem indignationem movit. *Prædæne interceptorem fraudatoremque etiam malum minitari militibus?* Itaque quum fremitus aperte eſſet, & quæſtor P. Seſtius eadem violentia coërceri putaret ſeditionem poſſe qua mota erat; miſſo ad vociferantem quendam militem lictore, quum inde clamor & jurgium oriretur, ſaxo ictus turba excedit: inſuper increpante qui vulneraverat, *habere quæſtorem, quod imperator eſſet militibus minatus*. Ad hunc tumultum accitus Poſtumius, aſperiora omnia fecit acerbis quæſtionibus, crudelibus ſuppliciis, poſtremo quum modum iræ nullum faceret, ad vociferationem eorum, quos Ψ necari [1] ſub erate juſſerat, concurſu facto, ipſe ad interpellantes pœnam vecors de tribunali decurrit. Ibi quum ſubmoventes paſſim lictores centurionesque vexarent turbam, eo indignatio erupit, ut tribunus militum [2] ab exercitu ſuo lapidibus cooperiretur. Quod tam atrox facinus poſtquam eſt Romam nunciatum, tribunis militum de morte collegæ per ſenatum [2] quæſtiones decernentibus, tribuni plebis intercedebant. ſed ea contentio ex certamine alio pendebat: quod cura inceſſerat Patres, ne metu quæſtionum

INTERPRETATIO.

2 *Cum in Senatu decerni curarent ut inquireretur* de morte Poſtumii Tribun. mill.

NOTÆ.

9. *Urbe agriſque donatos.*] Per Urbem patet non intelligi Romam, cujus Cives alloquebatur Sextius, ſed Coloniam, quam antea *ſedem ſenectuti* dixit: in quam Tribuni eos miſſuri erant.

10. *Adverſus tam crudeles ſuperboſque adverſarios.*] Poſtumio ſimiles patricios.

11. *Incipite deinde mirare.*] Malè Sigonius *incipite demum*: particula enim *deinde* ponitur eleganter ut ſignificet, *poſtea*; quod obſervat Gron. affertque ex Plinii Panegyrico exemplum.

1. *Quos necari ſub erate.*] Hoc ſupplicii genus lib. 1. cap. 51. explicatur.

3. *Ab exercitu ſuo lapidibus cooperiretur.*] Non facilè aliàs in Repub. Rom. occurrit memoria imperatoris per ſeditionem lapidibus ab exercitu obruti, aliove mortis genere interfecti.

num-

num plebs irata, tribunos militum ex plebe crearet: tendebantque ſumma ope, ut conſules crearentur. Quum ſenatuſconſultum fieri tribuni plebis non paterentur, iidem intercederent conſularibus comitiis, res ad interregnum rediit. victoria deinde penes Patres fuit. Urb. Cond. an. 341. Coll. M. Cornel. & L. Fur.

LI. Q. Fabio Vibulano interrege comitia habente, conſules creati ſunt M. Cornelius Coſſus, L. Furius Medullinus. His conſulibus principio anni ſenatuſconſultum factum eſt, [a] *ut de quæſtione Poſtumianæ cædis tribuni primo quoque tempore ad plebem ferrent: plebeſque præficeret quæſtioni quem vellet.* [1] A plebe, conſenſu populi, conſulibus negotium mandatur. qui ſumma moderatione ac lenitate per paucorum ſupplicium, quos ſibimetipſos conſciſſe mortem ſatis creditum eſt, tranſacta re; nequivêre tamen conſequi, ut non ægerrime id plebs ferret. *jacere tandiu irritas* [2] *ſanctiones quæ de ſuis commodis ferrentur: quum interim de ſanguine ac ſupplicio ſuo latam legem confeſtim exerceri, & tantam vim habere.* Aptiſſimum tempus erat, vindicatis ſeditionibus, [b] delinimentum animis Volani agri diviſionem objici: quo facto minuiſſent deſiderium agrariæ legis, quæ poſſeſſo per injuriam agro publico Patres pellebat. Tunc & ipſa indignitas angebat animos, non in retinendis modo publicis agris, quos vi teneret, pertinacem nobilitatem eſſe: ſed ne vacuum quidem agrum nuper ex hoſtibus captum plebi dividere: mox paucis, ut cætera, futurum prædæ. Eodem anno adverſus Volſcos, populantes Hernicorum fines, legiones ductæ a Fu-

INTERPRETATIO.

a *Ut Tribuni* plebis *quàm primùm referrent ad plebem, fieretque plebiſcitum, quo decernerentur quæſtores parricidii, qui inquirerent & cognoſcerent de cæde Poſtumii Tribuni militum in exercitu perpetrata.*

b *Tempus erat aptiſſimum ut poſt vindicatas ſeditiones,* exulceratis plebejorum *animis offerretur, delinimenti loco, diviſio agri Volani. Sic enim* patricii *ſedare potuiſſent cupiditatem,* quâ plebs ardebat ferendæ *legis Agrariæ, qua Senatoribus, qui publicos* alios *agros nullo jure ſibi vindicaverant, adimenda erat eorum poſſeſſio.*

NOTÆ.

1. *A plebe conſenſu populi.*] Factum videtur extra ordinem ut, præter Senatuſconſultum & plebiſcitum, conſenſus populi adhibitus fuerit, Sane conſentiente hinc Senatu, inde plebe, ſatis videtur conſenſiſſe populus univerſus, ut qui plebejis & patriciis tantùm conſtet. Quia tamen non omnes patricii in Senatum allecti erant, verum erat ſupereſſe adhuc partem aliquam populi & civitatis, quæ cauſari potuiſſet ſe nequaquam id quod agebatur, approbaſſe. Ideo, ſecundum Senatuſconſultum, legem comitiis centuriatis fieri placuit, quæ delectum quæſitorum plebejis ſolis permitterent.

2. *Sanctiones.*] Quid *Sanctio* propriè ſit, diximus ſuprà. Rhen. magis probat *actiones*. Sed his non convenit, quod ſubjungitur verbum *ferrentur*. Hæ quippe meliùs inſtitui dicuntur: leges & ſanctiones ferri. Particulam porro *quum*, quæ ſequitur, abeſſe mallet non abs re Gruter.

Urb. cond. an. 341. Coss. M. Cornel. & L. Fur.

rio consule, quum hostem 3 ibi non invenissent, 4 Ferentinum, quo magna multitudo Volscorum se contulerat, cepêre. Minus prædæ quam speraverant fuit: quod Volsci postquam spes tuendi exigua erat, sublatis rebus nocte 5 oppidum reliquerunt. postero die prope desertum capitur. Hernicis ipse ager dono datus.

LII. Annum modestia tribunorum quietum excepit tribun. plebis 1 L. Icilius, Q. Fabio Ambusto, C. Furio Pacilo consulibus. Is cum principio statim anni, velut pensum nominis familiæque seditiones agrariis legibus promulgandis cieret, pestilentia coorta, minacior tamen quam perniciosior, cogitationes hominum à foro certaminibusque publicis ad domum 2 curamque corporum nutriendorum avertit. minusque eam damnosam fuisse quam seditio futura fuerit, credunt. 3 Defuncta civitate plurimorum morbis, perpaucis funeribus, pestilentem annum, inopia frugum neglecto cultu agrorum,

NOTÆ.

3. *Ibi non invenissent.*] In agro Hernicorum sociorum populi Romani.

4. *Ferentinum.*] Plura esse hujus nominis per Italiam loca indicavimus ad lib. 2. cap. 38. Hoc Volscorum oppidum fuit à Furio Consule jam captum; Hernicisque attributum. Corruptè nunc vulgò *Fiorentino*, 48. ab urbe milliari.

5. *Oppidum reliquerunt.*] Sigonius *reliquerant*, ex vett. libb.

1 *L. Icilius.*] Cum alibi *Lucilius*, alibi *Licinius* legeretur, quidam haberent *L. Icilius*, secundam lectionem primæ, ultimam utrique meritò Glareanus antepositit. Nulla enim plebeja familia Tribunicijs seditionibus ad hæc tempora illustrior legitur quàm Icilia. Sp. primò Icilium inter eos qui primi tributis comitiis creati sunt, vidimus Tribunum an. u. 283. Ap. Claudio, T. Quintio Consulib. apud Liv. lib. 2, cap. 58. Deinde Coss. M. Valer. & Spur. Virginio, id est, an. 297. princeps Collegii Tribunorum L. Icilius pervicit, ut Aventinus plebi divideretur, uti Dionys. scribit lib. 10. Idemque, anno sequenti refectus, ausus est jubere Consules in carcerem duci. L. quoque Icilius Tribunicius Virginiæ sponsus secessione plebis in Aventinum primas tenuit apud Dionys. lib. 11. & apud nostrum lib. 3. cap. 44. & seqq. ac paulò post Tribunus plebis creatus, legem de triumpho L. Valerii, & M. Horatii Consulum tulit adversante Senatu, ejusdem lib. cap. 63. Ejus è familia prodiisse videtur hic *L. Icilius*: idcirco hanc *familiam infestissimam patribus* noster appellat cap. 54.

2. *Curamque corporum nutriendorum.*] Facilè accedo Tanaquilli Fabri sententiæ, qui *nutriendorum* velut glossema tolli jubet.

3. *Defuncta civitate plurimorum morbis, perpaucis funeribus.*] Non placet Godelevæi ex Budæo explicatio, *cum civitas à morbis liberata esset*. Nullum enim idoneum sensum habet, si quæ sequuntur sic accipias, ut dicas civitatem liberatam à paucis funeribus. Itaque hoc loco *defuncta morbis & funeribus* dicitur, quæ ita hanc mala perpessa est, ut per hæc liberata fuerit à graviori periculo quod ex seditione timebatur. *Defungi* quidem plura habet significata: atque interdum, ubi ad munera refertur, idem ferè significat quod Gallicè dicimus, *s' acquitter d' une charge*. Sed cum refertur ad pericula & incommoda, idem est quod *par un mal mediocre estre quitte, ou s' affranchir d' un plus grand mal que l'on apprehendoit*. Hoc posteriori sensu, & hic & alibi usus est *defungendi* verbo Livius: veluti cum lib. 2. cap. 35. dixit, *ut unius pœnâ defungendum esset patribus*. Ita & Cic. 5. in Verr. *Quis non maximo se affectum beneficio putavit, cum tribus decumis, pro una defungeretur*, id est, *quand il estoit quitte en payant trois dismes pour une*.

(ut plerumque fit) excepit, 4 M. Papirio, C. Nautio Rutilo conſulibus. [a] Jam fames quam peſtilentia triſtior erat: ni dimiſſis circà omnes populos legatis, qui Etruſcum mare, quique Tiberim accolunt, ad frumentum mercandum, annonæ foret ſubventum. Superbè ab 5 Samnitibus, qui Capuam habebant Cumaſque, legati prohibiti commercio ſunt: [b] contra ea benignè ad Siculorum tyrannis adjuti, maximos commeatus ſummo Etruriæ ſtudio Tiberis devexit. Solitudinem in civitate ægrâ experti conſules ſunt: quum in legationes [6] non plus ſingulis ſenatoribus invenientes, coacti ſunt binos equites adjicere. Præterquam ab 10 morbo annonaque, nihil eo biennio inteſtini externive incommodi fuit, at [7] ubi hæ ſollicitudines diſceſſere, omnia quibus turbari ſolita erat civitas, domi diſcordia, foris bellum exortum. Urb. cond. an. 342. Coſſ. M. Papirio & C. Nautio.

LIII. Mamerco Æmilio, C. Valerio Potito, conſulibus, bellum Æqui parabant: Volſcis, quanquam non publico conſilio capeſſentibus arma, [1] voluntariis mercede ſecutis militiam. Ad quorum famam hoſtium (jam enim in Latinum Hernicumque tranſcenderant agrum) delectum habentem Valerium conſulem [2] M. Mænius tribunus plebis [a] legis agra- Urb. cond. an. 344. Coſſ. M. Æmil. C. Valer.

INTERPRETATIO.

2 *Atrocior jam fames erat quàm peſtis. niſi inopia allatum eſſet ſubſidium, legatis per omnes populos Tuſci maris, ac Tiberis accolas ad coëmendum frumentum miſſis.*

b *Ex contrario.*

a *Paratus ad ferendam legem Agrariam.*

NOTÆ.

4. *M. Papirio.*] In pluribus Livii exemplaribus ſcriptum legebatur, *Papirio Atratino*. Emendavit rectè Sigonius, variis de cauſis, præſertim quòd *Atratinus* cognomen ſit Semproniorum, non Papiriorum: Diodorus autem & Caſſiodorus, M. Papirium habeant, qui ſub M. Papirii Mugillani titulo Tribunus militum fuiſſe dicitur cap. 45. hujus libri.

5. *Samnitibus qui Capuam habebant.*] Samnites Capuam tenebant ex quo eam dolo ceperant. Vide ſuprà cap. 37. Iidem cum Capuæ dominarentur, Cumas ceperant Græcam urbem maritimam cap. 44. de Cumis dixi lib. 2. cap. 21.

6. *Non plus ſingulis Senatoribus inventes.*] Alii apud Glareanum *inventis*, eodem ſenſu, nec obſcuro. Non ita rectè Sigonius, ex neſcio quibus libris *non plus ſingulis Senatoribus miſſis inventes*. Inveniendi quippe fuerant, ante quàm mitterentur. Porrò ex vetere inſtituto publici Romanorum Nuncii ad exteras nationes cum mandatis ex ſolo ordine Senatorio mittebantur. Id poſterioribus temporibus minus ſervatum.

7. *Ubi hæ ſollicitudines diſceſſere.*] Gronovius mavult *deceſſere*: ut lib. 9. *priusquàm ea cura decederet patribus*. Sed hæc tenuia.

1. *Voluntariis mercede ſequutis militiam,*] *Voluntarium* eſt quod nullo cogente fit; & *voluntarius* qui ſponte & nulla publica auctoritate aliquid ſuſcipit, ut apud Cicer. Philip. 13, *Eſt etiam Aſinius quidam Senator voluntarius lectus ipſe à ſe*. itaque Voluntarii milites apud Romanos dicebantur, qui ultrò operam ſuam offerebant, ac ſine delectus neceſſitate, licet non ſine mercede militabant; apud nos hodiè Voluntarii appellantur, qui ſponte & ſine mercede militiam ſequuntur.

2. *M. Mænius Trib. pl.*] Aliàs *Menenius*. Verùm emendavit Sigonius. Gens enim *Menenia* patricia, *Mænia* plebeja.

Urb. Cond. an. 344. Coſſ. M. Æmil. & C. Valer.

lator, quum impediret, auxilioque tribuni nemo invitus 3 ſacramento diceret; repente nunciatur, 4 *arcem Carventanam ab hoſtibus occupatam eſſe*. b Ea ignominia accepta, quum apud Patres invidiæ Mænio fuit, tum cæteris tribunis jam ante præparatis intercеſſoribus legis agrariæ, præbuit juſtiorem cauſam reſiſtendi collegæ. Itaque quum res diu dicta per altercationem eſſet; conſulibus Deos hominesque teſtantibus, *quicquid ab hoſtibus cladis ignominiæque acceptum eſſet, aut immineret, culpam penes Mænium fore, qui delectum impediret*; Mænio contra vociferante, *ſi injuſti domini poſſeſſione agri publici cederent, ſe moram delectui non facere*; decreto interpoſito novem tribuni ſuſtulerunt certamen, pronunciaveruntque ex collegii ſententia, C. *Valerio* c *conſuli ſe damnum aliamque coërcitionem, adverſus intercеſſionem collegæ delectus cauſa detrectantibus militiam inhibenti, auxilio futuros eſſe*. Hoc decreto conſul armatus, quum paucis appellantibus tribunum, 5 a collum torſiſſet; metu cæteri ſacramento dixere. Ductus exercitus ad Carventanam arcem, quamquam inviſus infeſtuſque conſuli erat, impigre primo ſtatim adventu, dejectis qui in præſidio erant, arcem recepit. prædatores ex prædio per negligentiam dilapſi, occaſionem aperuere ad invadendum. Prædæ ex aſſiduis popularionibus, quod omnia in locum tutum congeſta erant, fuit aliquantum. venditum ſub haſta conſul in ærarium redigere quæſtores juſſit; tum prædicans participem prædæ fore exer-

INTERPRETATIO.

b *Acceptum* in arce amittendâ *dedecus, &c.*

c *Se contra intercеſſionem collegæ, auxilio, futuros Conſuli irroganti mulctam aliamve pœnam iis qui recuſarent ad delectum reſpondere, ac militare.*

NOTÆ.

3. *Sacramento dicerent.*] Accipitur *dicere* non rarò pro eo quod eſt *promittere*, aut etiam conſtituere ſive deſtinare ex Nonio: cum ergo bis hoc capite, & lib. 2. cap. 24. lib. 24. cap. 8. & lib. 25. cap. 5. antiquâ loquendi forma, dicuntur milites *ſacramento dicere*, vult auctor eos jurejurando promittere ac ſe obſtringere, intelligo conventuros juſſu. Conſulis, nec injuſſu abituros, &c. ut lib. 3. cap. 20. Et nihilominùs Latinè quoque dicitur. *Sacramentum dicere*.

4. *Arcem Carventanam*.] Non procul urbe videtur hæc fuiſſe Arx; quando quidem ignominiæ aſſignatur quod amiſſa fuerit. Sigonius infra ad cap. 55. Æquis aſcribit, *Carventus* oppidum Latinorum nominatur Stephano Καρουεντος; unde gentile *Carventanus*.

5. *Collum torſiſſet.*] Reos veteri Romanorum inſtituto, ſi in jus vocati non ſequerentur, *obtorto collo* in jus trahi ſolitos, non ex Juriſconſultis modò, ſed ex Grammaticis quoque notum. Hinc Marcellus Donatus ortum notat antiquum dicendi morem, *collum obſtringere*, vel *obtorquere*, pro vim inferre, per vim adigere. Et Magiſtratus per lictores ſuos, aliquando ipſi quoque contumacibus manum injiciebant, in collum invadentes: quod tanquam genus erat, non quidem legitimæ pœnæ, ſed extraordinariæ coërcitionis: ut probat Turnebus lib. 18. adverſar. cap. 34. Hinc apparet Latinis aliud eſſe *collum torquere*, aliud fauces elidere (quod tamen Gallicè dicimus, *tordre le cou*): cum *torquere* accipiatur tantùm pro angere, premere, cruciare.

eitum, quum militiam non abnuiſſet. Auctæ inde plebis ac militum in conſulem iræ. itaque quum ex ſenatuſconſulto urbem ovans introiret, Urb. cond. an. 344. Coſſ. M. Æmil. & C. Valer.
[d] alternis incondita verſus militari licentia jactati: quibus conſul increpitus, Mænii celebre nomen laudibus fuit; ad omnem mentionem tribuni, favor circumſtantis populi plauſuque & aſſenſu cum vocibus militum certaret. Pluſque ea res, quam prope ſolennis militum laſcivia in conſulem, curæ Patribus injecit. [d] & tanquam haud dubius inter tribunos militum honos Mænii, ſi peteret, conſularibus comitiis eſt excluſus.

LIV. Creati conſules ſunt Cn. Cornelius Coſſus, L. Furius Medullinus iterum. Non alias ægrius plebs tulit tribunicia ſibi comitia non commiſſa. eum dolorem quæſtoriis comitiis ſimul oſtendit & ulta eſt; [1] tunc primum plebejis quæſtoribus creatis: ita, ut in quatuor creandis, uni patricio Cæſoni Fabio Ambuſto relinqueretur locus: tres plebeji, Q. Silius, P. Ælius, P. Pupius, clariſſimarum familiarum juvenibus præferrentur. Auctores fuiſſe tam liberi populo ſuffragii Icilios accipio, ex familia infeſtiſſima patribus tres in eum annum [2] tribunos plebis creatos, multarum magnarumque rerum molem avidiſſimo adeo populo oſtentantes: cum affirmaſſent *nihil ſe moturos, ſi ne quæſtoriis quidem comitiis, quæ ſola promiſcua plebi Patribuſque reliquiſſet ſenatus, ſatis animi populo eſſet ad id, quod tandiu vellent, & per leges liceret.* Pro ingenti itaque victoria id fuit plebi. [3] quæſturamque eam non honoris ipſius fine Urb. cond. an. 345. Coſſ. Cn. Cornel. & L. Fur. II.

INTERPRETATIO.

d *Et quaſi certum eſſet fore ut Manius, ſi tribunatum militum proximis comitiis peteret, hunc honorem* ſuffragiis populi *conſequeretur, inditta ſunt* à Conſulibus *ad eum excludendum comitia* non tribunorum ejuſmodi, ſed *Conſulum creandorum* cauſa.

NOTÆ.

6. *Alternis incondita verſus.*] De jocis militaribus, & carminibus triumphantium, ſive ad laudem, ſive ad vituperationem jactari conſuetis, alibi. Hic milites alternis verſibus, modo Valerium Conſulem ovantem ſibique inviſum increpabant; modo Mænium tribunum plebis, gratum in vulgus, laudibus celebrabant, plaudente, & militum cantus æmulante plebe ſpectatrice.

1. *Tunc primùm plebeiis Quæſtoribus creatis.*] Hactenus ſoli Tribuni plebis & Ædiles ex plebe; nunc etiam ad Quæſturam, qui primus honorum gradus, admiſſi plebeji, uſurpato jure, quod & antèà utrique ordini patebat.

2. *Tribunos plebis creatos, multarum.*] Ita Rhenanus, non ſine veterum & ſcriptorum & editorum auctoritate. Sigonius pronunciat tollendam vocem *Hi*, quæ in quibuſdam libris deſideratur; aut orationem inconſequentem futuram. Quod quidem nemo non videt; niſi pro participio *oſtentantes*, ſcribas *oſtenturus*. Sed planè ſatius eſt, deleto eo vocabulo, Sigonii & Gronovii lectioni inhærere: quamvis ſic longior paulò periodus fiat.

3. *Quæſturamque eam.*] Sigonio melior viſa antiqua lectio *Quæſturam namque non honoris*, Rectius ex Gronovii ſententia: *Quæſturamque eam non honoris*. Mihi non magis neceſſarium videtur pronomen *eam*, quàm particula *namque*. Neque enim plura quæſturæ qua de agitur, genera erant, ut una præ alia æſtimanda veniret. In eo nemo non opinor, Gronovio adhærebit,

Urb. cond. an. 345. Coss. Cn. Cornel. & L. Fur. æſtimabant: ſed patefactus ad conſulatum ac triumphos locus hominibus videbatur. 4 Patres contrà, non pro communicatis, ſed pro amiſſis honoribus fremere: *negare, ſi ea ita ſint, liberos tollendos eſſe: qui pulſi majorum loco, cernenteſque alios in poſſeſſione dignitatis ſuæ, Salii, Flamineſque, nuſquam aliò quam ad ſacrificandum pro populo, ſine imperiis ac poteſtatibus relinquantur.* Irritatis utriuſque partis animis, quum & ſpiritus plebes ſumpſiſſet, & tres ad popularem cauſam celeberrimi nominis haberet duces; Patres omnia quæſtoriis comitiis, ubi utrumque plebi liceret, ſimilia fore cernentes, tendere ad conſulum comitia, quæ nondum promiſcua eſſent. Icilii contrà tribunos militum dicere, & tandem aliquando impartiendos plebi honores.

LV. Sed [a] nulla erat conſularis actio, quam impediendo, id quod petebant exprimerent: quum mira opportunitate Volſcos & Æquos prædatum extra fines exiſſe in agrum Latinum Hernicumque affertur, ad quod bellum ubi ex ſenatuſconſulto conſules delectum habere occipiunt; obſtare tunc enixe tribuni, ſibi plebique eam fortunam oblatam memorantes. Tres erant, & omnes acerrimi viri, generoſique etiam ut inter plebejos, [a] duo ſinguli ſingulos ſibi conſules aſſervandos aſſiduâ operâ deſumunt. [b] uni concionibus data nunc detinenda, nunc concienda plebs. Nec delectum conſules, nec comitia quæ petebant, tribuni expediebant. inclinante deinde fortuna ad cauſam plebis, nuncii veniunt, [2] arcem Carventanam, dilapſis ad prædam militibus qui in præſidio erant, Æquos interfectis paucis cuſtodibus arcis invaſiſſe. alios recurrentes in arcem, alios palantes in agris cæſos. Ea adverſa civitati res, vires tribuniciæ actioni adjecit. nequicquam enim tentati, ut tum denique deſiſterent impediendo bello, poſtquam non ceſſere [c] nec publicæ tempeſtati.

INTERPRETATIO.

a *Duo* ex tribus Iciliis, *Conſules comitatu aſſiduo* quaſi *cuſtodiendos*, ac velut in vinculis *habendos ſuſceperunt*.

b Tertio horum Iciliorum *commiſſa eſt cura plebis per conciones modò detinenda, modò concitanda:*

c *Invictos ſe præbuere adverſus periculum publicum* ex bello, *atque adverſus odium in ſe concitatum* ex impedito delectu.

NOTÆ.

quod *ſine* mavult, quàm *ſinem*: ut ſit, *Quæſturamque non honoris ipſius ſine æſtimabant*, id eſt, non ex auctoritate ſive ex modo, & menſura ſola illius muneris, quod exiguis finibus concludebatur: ſed ex conſequentibus æſtimabant; quod per hanc minorem dignitatem plebeiis mandatum, via ad ſummos honores impoſterum aperta videretur.

4. *Patres contra.*] *Senatores non tam* de hac dignitate plebi communicata *dolebant, quàm de* majoribus dignitatibus hoc exemplo ſibi ereptis, aut eripiendis.

1. *Nulla erat Conſularis actio, quam impediendo.*] Nomine *Conſularis actionis* intelligitur actus publicus Conſulis: delectus putà, bellum, & ſimilia quæ Conſules abſque plebis auxilio perficere nequibant. Ut infra *actio Tribunicia*, dicitur actus Tribunorum plebis.

2. *Arcem Carventanam.*] Vide ſuprà cap. 53.

nec ſuæ invidiæ; pervincunt, ut ſenatuſconſultum fiat *de tribunis militum creandis: certo tamen pacto, ne cujus ratio haberetur qui eo anno tribunus plebis eſſet? 3 neve quis reficeretur in annum tribunus plebis*: haud dubie Icilios denotante ſenatu, quos mercedem ſeditioſi tribunatus petere conſulatum inſimulabant. Tum delectus haberi, bellumque omnium ordinum conſenſu apparari cœptum. Conſules ambo profecti ſint ad arcem Carventanam, an alter ad comitia habenda ſubſtiterit, incertum diverſi auctores faciunt: illa pro certo habenda, in quibus non diſſentiunt, ab arce Carventana quum diu nequiequam oppugnata eſſet, receſſum: 4 Verruginem in Volſcis eodem exercitu receptam; populationeſque & prædas & in Æquis & in Volſco agro ingentes factas. Urb. cond. an. 345. Coſſ. Cn. Cornel. & L. Fur. II.

LVI. Romæ ſicut plebis victoria fuit in eo, 2 ut quæ mallent, comitia haberent: ita eventu comitiorum Patres vicere. namque tribuni militum conſulari poteſtate contra ſpem omnium tres patricii creati ſunt, C. Julius Julus, P. Cornelius Coſſus, C. Servilius Ahala. Artem adhibitam ferunt à patriciis (cujus eos Icilii tum quoque inſimulabant) 1 quod turbam indignorum candidatorum intermiſcendo dignis, tædio ſordium in quibuſdam inſignium, populum à plebeiis averſiſſent. Volſcos deinde & Æquos b ſeu Carventana arx retenta, in ſpem, ſeu Verrugine amiſſum præſidium, ad iram compuliſſet, fama affertur ſumma vi ad bellum coortos; 2 caput rerum Antiates eſſe, eorum le- Urb. cond. an. 346. Tribb. mill. C. Jul. &c.

INTERPRETATIO.

2 *Ut Comitia* Tribunorum militarium, *quæ volebat plebs, potiùs haberentur*; *quàm* conſularia, *quæ ſenatui magis placebant*.

NOTÆ.

3. *Neve quis reficeretur in annum Tribunus*.] Veteres quidam apud Sigonium libri *in annum ſequentem*, ſed nihil opus addi *ſequentem*: ut exemplis Gronovius probat. Quoties enim prorogatum in annum imperium dicitur, non intelligitur alius quam ſequens.

4. *Verrugines in Volſcis*.] Vide lib. hujus cap. 8. ubi hoc oppidum, à Romanis munitum memoratur. Quando amiſſum ſit, ut hoc anno recipiendum fuerit, non apparet. Quod autem deminus proſpero C. Sempronii Atratini ad Verruginem prælio narrat Valer. Max. lib. 3. cap. 2. referendum eſt ad an. u. 1. 331. & à noſtro deſcribitur ſuprà cap. 37. & 38.

1. *Quod turbam indignorum candidatorum intermiſcendo dignis*.] Itane candidati, præſertim plebeji, pendebant à Patriciis, ut iis inconſultis nemo honores peteret? Nam ſi proprio quiſque arbitrio petitionem profiteri potuit: non apparet quæ fraus à patriciis potuerit adhiberi. Sed meminiſſe oportet, quamvis omnibus liceret magiſtratum ambire, & populo in veſte candida ſupplicare; ne tamen indignis, aut contra leges mandarentur honores, neceſſe fuiſſe ut ante comitiorum diem candidati ſua nomina ederent apud eum magiſtratum qui comitia erat habiturus: ſicque candidatorum cauſas à magiſtratibus & ſenatu conſiderari ſolitas: quorum judicio aliorum nomina recipiebantur, aliorum rejiciebantur; adeo ut ſi qui eorum conſilio decretove publico excluſi eſſent, eorum nulla ratio haberetur; eoſque populus, vel ſi maximè vellet, creare nequiret.

2. *Caput rerum Antiates eſſe*.] Intelligit Antiates præcipuos belli auctores at-

Urb. cond. an. 346. Tribb. mill. C. Jul. &c.

gatos utriusque gentis populos circumisse, castigantes ignaviam, *Quod, abditi intra muros, populabundos in agris vagari Romanos priore anno, & opprimi Verruginis praesidium passi essent. jam non exercitus modo armatos, sed colonias etiam in suos fines mitti: nec ipsos modo* c *Romanos sua divisa habere, sed Ferentinum etiam de se captum Hernicis donasse.* Ad haec quum inflammarentur animi, d ut ad quosque ventum erat, numerus juniorum conscribebatur. Ita omnium populorum juventus Antium contracta, ibi castris positis hostem operiebantur. Quae ubi tumultu majore etiam quam res erat, nunciantur Romam, senatus extemplo (quod in rebus trepidis ultimum consilium erat) dictatorem dici jussit. quam rem aegrè passos, Julium Corneliumque ferunt: magnoque certamine animorum rem actam: quum primores Patrum nequicquam conquesti, *non esse in auctoritate senatus tribunos militum; postremò etiam tribunos plebis appellarent,* 3 *& à consulibus quoque ab ea potestate vim super tali re inhibitam* referrent; tribuni plebis laeti discordia Patrum, *nihil esse in his auxilii* dicerent, 4 *qui non civium, non denique hominum numero essent. si quando promiscui honores, communicata respubl. esset; tum se animadversuros, ne quâ superbiâ magistratuum irrita senatusconsulta essent. Interim patricii soluti legum magistratuumque verecundia, per se quoque tribuniciam potestatem agerent.*

LVII. Haec contentio minimè idoneo tempore, 1 quum tantum belli in manibus esset, occupaverat cogitationes hominum: donec ubi diu alternis Julius Corneliusque, quum ad id bellum ipsi sa-

INTERPRETATIO.

b *Cum impulsi essent, sive in spem* rei benè gerendae *ob retentam* in possessione *sua Carventanam arcem*; sive *in iram ob praesidium apud Verruginem amissum.*

c *Romanos divisas* inter se *possidere res Volscorum & Aequorum.*

d *Postquam Legati ad unamquamque Civitatem venerant*, statim in ea *juvenes* in militiam *certo numero conscribebantur.*

NOTAE.

que incentores. *Caput* enim per metaphoram dicitur, id unde quaeque res oritur, atque incipit; aut quo maximè quidque nititur. Sic apud Tacitum *non omittere caput rerum*, pro non discedere ab urbe unde in omnia regimen.

3. *Et Coss. quoque.*] Ita abbreviatè Vvormacienſis codex apud Rhenanum, qui legi posse putat *& Consulum*: Glareanus & vulgati *& Consulis*: meliùs *Consulibus* in dandi casu, ut Gronov. *Vult* enim Livius eis aliquando vim adhibitam fuisse à Tribunis plebis in causa non absimili. Sic quippe *inhibendi* verbum à Livio plerunque accipi, jam sæpiùs observavimus. Caeterum T. Quintium Pennum Consulem anni 314. seu 313. hoc loco innuit. Is etenim Dictatorem ex Senatusconsulto dicere coactus fuerat à Tribunis plebis. Suprà cap. 26.

4. *Qui non civium.*] Ironia est Tribunorum plebis, non quod ipsi de se sentirent proferentium; sed quod Senatus de illis, quoties habenda essent consularia comitia, sentire videretur, exprobrantium; eaque de causa nihil à se auxilii patribus expectandum.

1. *Cum tantùm belli in manibus esset.*] In manibus esse dicitur quod tractatur, quod agendum instat, nec moram patitur.

tis

tis idonei duces essent, non esse æquum, mandatum sibi à populo, eripi honorem, differuere; tum Ahala Servilius tribunus militum, *Tacuisse se tamdiu*, ait, *non quia incertus sententiæ fuerit: (quem enim bonum civem secernere sua à publicis consilia?) sed quia maluerit collegas sua sponte cedere auctoritati senatus, quàm tribuniciam potestatem adversus se implorari paterentur. Tum quoque si res sineret, libenter se daturum tempus iis fuisse* [a] *ad receptam nimis pertinacis sententiæ. sed quam belli necessitates non expectent humana consilia, potiorem sibi collegarum gratiâ rempubl. fore. & si maneat in sententia senatus,* [2] *dictatorem nocte proxima dicturum:* [3] *ac si quis intercedat senatusconsulto, auctoritate se fore contentum.* Quo facto, quum haud immeritam laudem gratiamque apud omnes tulisset, dictatore P. Cornelio dicto, ipse ab eo [4] magister equitum creatus, exemplo fuit collegas eumque intuentibus, [b] QUAM GRATIA atque honos opportuniora interdum non cupientibus essent. Bellum haud memorabile fuit. uno atque eo facili prælio cæsi ad Antium hostes. victor exer- Urb. cond. an. 346. Tribb. mill. C. Jul. &c.

INTERPRETATIO.

a Ut *recederent à sententia nimis pertinaci*, ac reciperent se ad meliorem.

b *Quantò faciliùs aliquando non cupientibus se offerrent favor publicus ac dignitates*, quam ambientibus.

NOTÆ.

2. *Dictatorem nocte proxima dicturum.*] Nocte, ut in re urgente: quod & anteà factum anno 296. à C. Nautio Consule, cum L. Quintius Cincinnatus Dictator dictus est. Dionys. Halicarn. l. 10.

3. *At si quis intercedat Senatusconsulto, auctoritate se fore contentum.*] Vulgò legebatur: *Si quis intercedat, Senatusconsulti auctoritate, &c.* Meliùs Sigonius: *Si quis intercedat Senatusconsulto, auctoritate se fore contentum.* Aliud enim est *Senatusconsultum*, aliud *auctoritas* Senatus. Ad *consultum* requirebatur Senatorum legitimè convocatorum consensus; ita ut nemo intercederet. Quod si aut non legitimo edicto (ab eo fortè magistratu qui ejus rei potestatem non haberet), aut loco minùs legitimo, aut non idoneo die Senatus esset convocatus, sive intercessisset aliquis Trib. plebis: fictum illud Senatus perscribebatur quidem ut Senatûs ea de re voluntas & judicium extaret; non tamen dicebatur Senatusconsultum, nec perfectum ratumque omninò habebatur decretum; sed *auctoritatis* nomine vocabatur quæ ad populi comitia referri poterat, ab eo confirmanda. Quod ex Dione Cassio lib. 55. ex Cœlii apud Ciceronem, ipsiusque Ciceronis ad Lentulum epist. lib. 1. probat Sigon. Unde patet discrimen Dictatoris ex Senatusconsulto facti, & ejus qui ex auctoritate Senatus creabatur. Nunc autem auctoritas sufficere videbatur, quando Tribunis plebis rem probantibus, intelligi poterat per eos plebs universa Senatui assentiri. Quare illud *si quis intercedat*, ad collegas, sive alios ordinis Senatorii potiùs, quam ad Tribunos plebis referendum arbitror.

4. *Magister Equitum creatus exemplo fuit collegas eumque intuentibus.*] Ita legendum ex Mss. censet Gronov. Non enim, inquit, exemplo fuit Collegis haud dubiè malignis, sed illis qui utrosque compararent & ex utrorumque facto documentum caperent. Posset tamen quis defendere Servilium Ahalam Collegis exemplo & documento fuisse, C. Julio præsertim, ne impostorum contra Senatus auctoritatem pertinaciùs contenderet; utque honorem expectaret potiùs quam nimis ambitiosè expeteret.

Urb. cond. an. 346. Dictat. P. Cornel.

citus depopulatus Volſcum agrum. 1 caſtellum ad lacum Fucinum vi expugnatum: atque in eo tria millia hominum capta, cæteris Volſcis intra mœnia compulſis, nec defendentibus agros. Dictator bello ita geſto, ut tantùm non defuiſſe fortunæ videretur, 6 felicitate quam gloria major in urbem rediit, magiſtratuque ſe abdicavit. Tribuni militum, mentione nulla comitiorum conſularium habita, (credo ob iram dictatoris creati), tribunorum militum comitia edirerunt. Tum verò gravior cura Patribus inceſſit: quippe quum prodi cauſam ab ſuis cernerent. Itaque ſicut priore anno, per indigniſſimos ex plebeiis candidatos, omnium etiam dignorum tædium fecerant; ſic tum primoribus Patrum ſplendore gratiaque ad petendum præparatis, omnia loca obtinuere: ne cui plebejo aditus eſſet. Quatuor creati ſunt, omnes jam functi eo honore, L. Furius Medullinus, C. Valerius Potitus, Numerius Fabius Vibulanus, C. Servilius Ahala. hic refectus continuato honore, quum ob alias virtutes, tum ob recentem favorem unica moderatione partum.

Urb. cond. an. 347. Tribb. mill.

LVIII. Eo anno, quia tempus inducarum cum Vejenti populo exierat, per legatos fecialeſque res repeti cœptæ, a quibus venientibus ad finem, legatio Vejentium obviam fuit. Petiêre, ne prius quàm ipſi ſenatum Romanum adiſſent, Vejos iretur. ab ſenatu impetratum, quia diſcordia inteſtina laborarent Vejentes, ne res ab iis repeterentur. tantum abfuit b ut ex incommodo alieno ſua occaſio peteretur. Et in Volſcis accepta clades, c amiſſo Verrugine præſidio. ubi tantum in tem-

INTERPRETATIO.

a *Legatis* Romanorum, *ad fines* Vejentium *appropinquantibus, obviam fuere Legati Vejentium.*

b *Ut Romani occaſionem* rei bene gerendæ *caperent ex aliorum incommodo*, Diſcordiâ nempe Vejentium.

c *Amiſſis* militibus *qui apud Verrugi-nem* oppidum in præſidio erant.

NOTÆ.

5. *Caſtellum ad lacum Fucinum.*] In Marſis eſt *Fucinus* lacus, auctore Plin. Eum imperuixtus permeat amnis è Pelignis montibus ortus, quem Pitonium dictum oſtendit Cluver. Hodieque is lacus ibidem priſtinum ſervat nomen, dicitur enim *Lago Fucino*: etſi plurimùm ab oppido juxta ſito cognominatur *Lago di Celano*. Quod ad hunc noſtri locum attinet, negotium faceſſere poteſt, quod ut Glarean. advertit, in Volſcis Fucinum ponere videtur, cum reliqui Marſis adſcribant. Sed Fucinum ille Volſcis apertè non tribuit. Potuere enim Caſtelli ejus incolæ, Marſi Volſcis confines, Romano exercitui vicina depopulanti occaſionem aliquam præbere armis in eos vertendi. Præterea cum ea ſit Fucini lacus natura, ut interdum uſque ad montana impleatur, & aliquando ad quinque paſſuum millia exundet; facile potuit Caſtellum in extremis Volſcorum finibus ſitum dici ad lacum. Atque hæc natura ad hoc uſque ævum lacui manſit, qui ſuis ripis quando non exundat, triginta paſſuum millia colligit. Ab his autem verſus meridiem ripis vix quinque milliaribus diſtant extrema Volſcorum quà Orientalem eorum regionem Liris ingreditur.

6. *Felicitate quàm gloria majore.*] Sic malim cum Sigon. quàm, ut vulgò, *Felicitate quàm gloria major.*

pore fuit momenti, ut quum, precantibus opem militibus qui ibi à Volſcis obſidebantur, ſuccurri, ſi maturatum eſſet, potuiſſet; ad id venerit exercitus ſubſidio miſſus, ut ab recenti cæde palati ad prædandum hoſtes, opprimerentur. Tarditatis cauſa in ſenatu magis fuit quam in tribunis, [1] ** qui, [d] quia ſumma vi reſtare nunciabantur, [e] parum cogitaverunt NULLA VIRTUTE ſuperari [2] humanarum virium modum. Fortiſſimi milites non tamen [3] nec vivi, nec poſtmortem inulti fuêre. Inſequenti anno, P. & Cn. Cornelius Coſſis, Numerio Fabio Ambuſto, L. Valerio Potito, tribunis militum conſulari poteſtate, Vejens bellum motum ob ſuperbum reſponſum Vejentis ſenatus, qui legatis repetentibus res, *ni faceſſerent propere urbe finibuſque*, [4] *daturos quod Lars Tolumnius dediſſet*, reſponderi juſſit. Id Patres ægre paſſi, decrevêre *ut tribuni militum de bello indicendo Vejentibus primo quoque die ad populum ferrent*. Quod ubi primò promulgatum eſt, fremere juventus, *Nondum debellatum cum Volſcis eſſe: modò* [5] *duo præſidia occidione occiſa, & cum periculo retineri. Nullum annum eſſe, quo non acie dimicetur: &* [f] *tanquam pœniteat laboris, novum bellum cum finitimo populo & potentiſſimo parari, qui omnem Etruriam ſit concitaturus*. Hæc ſua ſponte agitata, inſuper tribuni plebis accendunt. *Maximum bellum patribus cum plebe eſſe* dictitant: *eam de induſtria vexandam militia, trucidandamque hoſtibus objici: eam procul urbe haberi atque ablegari, ne domi per otium memor libertatis, coloniarumque, aut agri publici, aut ſuffragii libere ferendi conſilia agitet*: prenſantesque veteranos, ſtipendia cujuſque, & vulnera ac cicatrices numerabant: *quid jam integri eſſe in corpore loci ad nova vulnera accipienda, quid ſupereſſe ſanguinis qui dari pro republica poſſet?* rogitantes. Hæc quum in ſermonibus, concionibuſque interdum agitantes, avertiſſent plebem ab ſuſci-

Urb. cond. an. 348. Tribb. mill. P. Cornel. &c.

INTERPRETATIO.

d *Quoniam nuncii affirmabant* milites Verrugine *obſeſſos, fortiſſimè reſiſtere*.

e *Non ſatis animadverterunt* Senatores, *certam eſſe virium humanarum menſuram, ultra quam nulla virtus eniti poſſit*.

f *Quaſi non ſatis laborum eſſe videatur*.

NOTÆ.

1. *Qui, quia ſumma, &c.*] Relativum *qui* pertinere non poteſt niſi ad tribunos militum: at quod ſequitur verbum *cogitaverunt* reſpicit Senatum, ſeu patres, non tribunos, qui ab hac culpa excuſantur. Libens itaque ſecundum Gronovium deleverim illud *qui*; ſine illo quippe conſtat oratio, nec habet quicquam ambigui.

2. *Humanarum virium modum*.] Legit Tanaq. Faber *nimiarum virium modum*. Sed quod nimium eſt modum non habet.

3. *Nec vivi, nec poſt mortem inulti fuere*.] Vivi enim mortem ipſi ſuam ulciſci anteverterant, multis inter pugnandum cæſis hoſtibus: deinde ipſorum necem adhuc vindicavit, cum palantes Volſcos oppreſſit Romanus exercitus.

4. *Daturos quod Lars Tolumnius dediſſet*.] Id eſt, mortem, qualem legatis populi Romani Fidenates intulerant juſſu Lartis Tolumnii. Ut ſuprà cap. 17.

5. *Duo præſidia occidione occiſa*.] Opinor apud arcem Carventanam ab Æquis, & apud Verruginem bis à Volſcis. Vide hujus lib. cap. 55. & 58.

Urb. cond. an. 343. piendo bello, 6 profertur tempus ferendæ legis: g quam, si subjecta invidiæ esset, antiquari apparebat.

Tribb. mill. P. Cornel. &c. LIX. Interim tribunos militum in Volscum agrum ducere exercitum placuit. Cn. Cornelius unus Romæ relictus. Tres Tribuni, postquam nullo loco castra Volscorum esse, nec commissurus se prælio apparuit, tripartito ad devastandos fines discessere. Valerius Antium petit, Cornelius Ecetras. quacumque incessêre, latè populati sunt tecta agrosque, ut distinerent Volscos. Fabius, quod maxime petebatur, ad 1 Anxur oppugnandum, sine ulla populatione, accessit. Anxur fuit quæ nunc Tarracinæ sunt: urbs prona in paludes. ab ea parte Fabius oppugnationem ostendit. Circummissæ quatuor cohortes cum C. Servilio Ahala, quum imminentem urbi collem cepissent; ex loco altiore, quà nullum erat præsidium, ingenti clamore ac tumultu mœnia invasere. ad quem tumultum obstupefacti, qui adversus Fabium urbem infimam tuebantur, locum dedere scalas admovendi, plenaque hostium cuncta erant, & ββ in muris diu cædes pariter fugientium ac resistentium, armatorum atque inermium fuit. Cogebantur itaque victi, quia cedentibus spei nihil erat, pugnam inire: quum a pronunciatum repente, *ne quis præter armatos violaretur*, reliquam omnem multitudinem voluntariam exuit armis: quorum 2 ad duo millia & quingenti vivi capiuntur. à cætera præda Fabius militem abstinuit, donec collegæ venirent: *ab illis quoque exercitibus captum Anxur* dictitans *esse, qui cæteros Volscos à præsidio ejus loci avertissent*. Qui ubi venerunt, oppidum vetere fortuna opulen-

INTERPRETATIO.

g *Quam* legem de bello Vejentibus inferendo, *abrogatum iri constabat, si suffragiis* plebis, tum offensæ, atque *invidiæ* commotæ, *suppositæ fuissent*.

a *Cum esset* palàm *edictum* à Romano duce *ne ullus offenderetur præter eos qui in armis essent: ea vox effecit ut reliqua multitudo arma ultrò abjeceret*.

NOTÆ.

6. *Profertur tempus ferendæ legis*.] Dubitat Glarean. de qua lege loquatur, an de Agraria, an de Consule ex plebe creando. Melius Sigon. legem intelligit de bello Vejentibus indicendo: quam sententiam sibi Gronov. vindicat. Et verò paulò antè decreverant patres *ut Tribuni militum de bello indicendo Vejentibus primo quoque die ad populum ferrent*. At placatâ deinde plebe, ac stipendiis de publico constitutis, dicitur cap. seq. *Lex perlata de indicendo Vejentibus bello*.

1. *Anxur fuit quæ nunc Tarracina sunt*.] *Anxur* non ex Græca origine deducto nomine ut vult Servius, quòd ibi Jupiter puer, & ἄνευ ξυρῶν, id est, *sine novacula*, coleretur: sed Volscorum lingua sic vocabatur ex Plin. lib. 3. c. 5. posteà Romanis *Tarracina*, vel numero singulari *Tarracina*, quod nomen etiamnum retinet, ultra Circejum promontorium, ad Usentis ferè fl. ostium, in præcipiti montis candidi scopulo: unde Græcam ipsi natam appellationem Strabo ait, ut primùm τραχεῖα nominaretur, id est aspera.

2. *Ad duo millia & quingenti*.] Qui legendum putant, *ad duo millia & quingentos*, vivi *capiuntur*, Grammaticæ regulis inhærent. Sed nihil vetat quo minùs *quingenti* ad nomen sequens *vivi* referatur: quasi dicas *ad duo millia*, & præterea *quingenti*.

tum, tres exercitus diripuere: 3 eaque primum benignitas imperatorum, plebem Patribus conciliavit. Additum deinde omnium 4 maximè tempestivo principum in multitudinem munere, ut ante mentionem ullam plebis tribunorumve, decerneret senatus, *ut* 5 *stipendium miles de publico acciperet*, quum ante id tempus de suo quisque functus eo munere esset. Urb. cond. an. 348. Tribb. mill. P. Cornel. &c.

LX. Nihil acceptum unquam à plebe tanto gaudio traditur. Concursum itaque ad curiam esse, prensatasque exeuntium manus, *& Patres verò appellatos: effectum esse patentibus, ut nemo pro tam munifica patria, donec quicquam virium supereſset, corpori aut sanguini parceret.* 1 Quum commoditas juvaret, 2 rem fami-

NOTÆ.

3. *Eaque primum benignitas imperatorum.*] Præda nempe Oppidi capti, militibus, qui ferè plebeji, concessa à Tribunis militum, qui patricii; quod jamdiu minus usitatum.

4. *Maximè tempestivo principum in multitudinem munere.*] Loquitur de stipendio tunc primum militibus erogato, cum anteà suis quisque sumptibus militaret. Fuit hoc principum civitatis munus in multitudinem haud mediocre. Licet enim ex ærario præstaretur: tamen & Senatus illud ultrò decrevit; & quibus maximus erat census, ii plurimum conferebant in ærarium, principes nimirum Senatus: quod in fine hujus capitis describitur. Fuit præterea maximè tempestivum, utpote instante gravissimo in Vejentes bello, quod juventus plebeja incendentibus tribunis præfractè detrectabat, uti suprà cap. prox. dictum. Nec verò prima hæc patrum in plebem liberalitas extitit: quandoquidem sæpiùs & levata illorum beneficio annona, & divisi sæpiùs agri, nec rarò concessa ex hostibus præda. Quare non immeritò Gronovius à Sigonio, meliorum Codicum & editionum auctoritate discedit, legentis *maximè tempestivè, principium in multitudinem munerum*.

5. *Stipendium miles de publico acciperet.*] Militis nomine *pedites* intelliguntur. Qui plus trecentis annis sine stipendio militaverant, nunc Anxure capto stipendium de publico acceperunt; Equites non statim eodem tempore, sed bello Vejente post tertium abhinc annum lib. 5. cap. 7. Cæterùm diurnum peditis stipendium tempore Punici belli 2. obolos duos Polybius statuit, id est, drachmæ tertiam partem, id est asses qui nunc ad semiunciam redacti, tres: Centurioni duplex, equiti triplex stipendium assignatum. Postea pediti decem asses ab Augusto dati, non plenus denarius, qui sexdecim assibus æstimatus. Qua ratione sex asses nostrates non excesserit sub Augusto diurnum stipendium. Sed præter pecuniam admensa progressu temporis annona, addita & aliquandiu veitis: quibus nonnunquam præda captarum urbium, sæpe etiam post victoriam donativa accedebant. Hoc autem tempore quo primùm Romani milites stipendium acceperunt, cum æs grave, sive asses librales in usu essent, longè uberiori mercede merebant: nisi quod postea parem usum præstitere asses leviores.

1. *Quum commoditas juvaret.*] Pro desperato jamdudum est hic locus. Certè mirum in modum vexatus à Criticis, Lipsiò, Fabro, aliis. Plana tamen erit sententia, si particulam *quum* opponas particulæ *tum*: ut sit *quum commoditas* stipendii plebejos *juvabat* seu *juvaret*, (perinde enim est) *tum* illud etiam juvabat, *quod ultrò esset oblatum*: ut vidit, & latè probat Gron. Sic enim cuivis apparebit duas à Livio afferri causas, cur id beneficii tanto gaudio plebeji excepissent: alterum quod eos ipsa *rei commoditas juvaret*, ac delectaret accipientes, in eo posita quod res familiaris saltem interquiesceret eo tempore, &c. Altera quod non petentibus oblatum esset commodum illud.

2. *Rem familiarem saltem acquiescere.*] Id cogitabat plebs, quandiu militaret sumptibus publicis, interim rei cujus-

Urb. cond. an. 348. Tribb. mill. P. Cornel. &c.

liarem saltem acquiescere eo tempore, quo corpus addictum atque operatum reipubl. esset; tum quod ultro sibi oblatum esset, non à tribunis plebis umquam agitatum, non suis sermonibus efflagitatum: id efficiebat multiplex gaudium, cumulatioremque gratiam rei. Tribuni plebis communis ordinum lætitiæ concordiæque soli expertes, 3 negare, *Tam id lætum Patribus universis, nec prosperum fore quam ipsi crederent. consilium specie prima melius fuisse quam usu appariturum. Unde enim eam pecuniam confici posse, nisi tributo populo indicto? ex alieno igitur aliis largitos. neque id, etiam si cæteri ferant, passuros eos, quibus jam emerita stipendia essent, meliore conditione alios militare quam ipsi militassent. & eosdem in sua stipendia impensas feciſse, & in alio-rum facere.* His vocibus moverunt partem plebis. postremo indicto jam tributo, edixerunt etiam tribuni, *auxilio se futuros, si quis in militare stipendium tributum non contulisset.* Patres bene cœptam rem perseveranter tueri: conferre ipsi primi: & 4 quia nondum argentum signatum erat, 5 æs grave plaustris quidam ad ærarium convehentes, speciosam etiam collationem faciebant. Quum senatus summa fide ex censu contulisset, primores plebis, nobilium amici, ex composito conferre incipiunt. quos quum & à Patribus collaudari, & à militari ætate tamquam bonos cives conspici vulgus hominum vidit, repentè spreto tribunicio auxilio, certamen conferendi est ortum. & lege perlata de indicendo Vejentibus bello, exercitum magna ex parte voluntarium novi tribuni militum consulari potestate Vejos duxere.

LXI. 1 Fuere autem tribuni 2 T. Quintius Capitolinus, P. Quin-

NOTÆ.

que familiari parci. Est enim hic *acquiescere* idem quod *quiescere*; & figuratè, tranquillè se habere, laxamenti quid accipere, non fatigari.

3. *Negare, tam id lætum patribus nec prosperum fore.*] Nonne melius, *aut prosperum fore?* Cur enim negandi particula *nec* adjungitur nomini *prosperum*, cum similis particula *non* addita nequaquam fuerit priori nomini *lætum?* Inclusa nempe fuerat negatio præcedenti verbo *negare*. Est enim *dicere non tam id lætum*, &c.

4. *Quia nondum argentum signatum erat.*] Signari enim argentum cœpit an. U. C. 585. Q. Fabio Consule, quinque annis ante primum bellum Punicum teste Plinio lib. 33. cap. 3.

5. *Æs grave plaustris quidam ad ærarium.*] Ab hoc ære gravi milites æra mereri dicebantur, atque inde natum ærarii quoque vocabulum. Æs autem grave, licèt pro rudi atque informi sæpe accipiatur, sumitur tamen etiam pro signato, ut hic. Nam ære signato utebantur Romani à Servii Tulli regis 6. temporibus. Sed quia, ubi paulò major summa solvenda erat, non numerabantur, sed appendebantur ærei nummi, ideirco *as grave* appellabatur: auctore Marcello Donato.

1. *Fuere autem Tribuni.*] Adjectum hunc centonem suspicatur non improbabiliter Gronovius: Livium autem dedisse uno tenore, *novi Tribuni militum consulari potestate Vejos duxere, T. Quintius Capitolinus*, &c.

2. *T. Quintius Capitolinus*, &c.] Tribunos militum sex, hic annus 349. habuit, quo numero creari cautum fuerat cum primùm de Tribunis militum Consulari potestate actum fuerat, auctore Dionysio lib. 11.

tius Cincinnatus, C. Julius Julus iterum, A. Manlius, L. Furius Medullinus iterum, Manius Æmilius Mamercinus. Ab his primum circumſeſſi Veii ſunt, ſub cujus initium obſidionis, quum Etruſcorum concilium 3 ad fanum Voltumnæ frequenter habitum eſſet, parum conſtitit, bellone publico gentis univerſæ tuendi Vejentes eſſent. Ea oppugnatio ſegnior inſequenti anno fuit, parte tribunorum exercituſque ad Volſcum avocata bellum. Tribunos militum conſulari poteſtate is annus habuit C. Valerium Potitum tertium, Manium Sergium Fidenatem, P. Cornelium Maluginenſem, Cn. Cornelium Coſſum, Cæſonem Fabium Ambuſtum, Sp. Nautium Rutilum iterum. Cum Volſcis 4 inter Ferentinum atque Ecetram ſignis collatis dimicatum. Romanis ſecunda fortuna pugnæ fuit. 5 Artena inde Volſcorum oppidum ab tribunis obſideri cœpta: inde inter eruptionem tentatam compulſo in urbem hoſte, occaſio data eſt Romanis irrumpendi, præterque aream cætera capta. in aream munitam natura globus armatorum conceſſit. Infra aream cæſi captique multi mortales. arx deinde obſidebatur: nec aut vi capi poterat, quia pro ſpatio loci ſatis præſidii habebat; aut ſpem dabat deditionis, omni publico frumento priuſquam urbs caperetur, in aream convecto. tædioque receſſum inde foret, ni ſervus arcem Romanis prodidiſſet. ab eo milites per locum arduum accepti, cepere. à quibus quum cuſtodes trucidarentur, cætera multitudo repentino pavore oppreſſa in deditionem venit. Diruta & arce & urbe Artena, reductæ legiones ex Volſcis; omniſque vis Romana Vejos converſa eſt. Proditori, præter libertatem, duarum familiarum bona in præmium data. *Servius Romanus* vocitatus. Sunt, qui Artenam Vejentium, non Volſcorum fuiſſe credant. Præbet errorem, quod ejuſdem nominis urbs inter Cære atque Vejos fuit: ſed eam reges Romani delevere, Cæretumque non Vejentium fuerat. Altera hæc nomine eodem in Volſco agro fuit, cujus excidium eſt dictum.

Urb. cond. an. 350. Tribb. mill. C. Valer. III &c.

NOTÆ.

3. *Ad fanum Voltumnæ.*] De hoc loco vide notata ad cap. 23. & 25.

4. *Inter Ferentinum atque Ecetram,*] De his oppidis ſuprà.

5. *Artena Volſcorum oppidum.*] Certum huic oppido ſitum aſſignare ſe non poſſe fatetur Cluverius. Circa Norbam fuiſſe ſuadet proximi prælii locus. Differt à priſco Cæritum in Tuſcia oppido *Artena*, ut noſter in fine capitis tradit, itemque ab Artena ſive Ortona Latinorum, de qua aliàs.

FINIS LIBRI QUARTI.

T. LIVII LIBER V.

EPITOME EJUSDEM LIBRI.

IN obſidione Vejorum hibernacula militibus facta ſunt. ea res quum eſset nova, indignationem tribunorum plebis movit querentium non dari plebi nec per hiemem militiæ requiem. Equites tum primum equis ſuis merere cœperunt. Quum inundatio ex lacu Albano facta eſset, vates qui eam rem interpretaretur, de hoſtibus captus eſt. Furius Camillus dictator decem annos obſeſsos Vejos cepit: ſimulacrum Junonis Romam tranſtulit: decimam partem prædæ Delphos Apollini miſit. Idem tribunus militum, quum Faliſcos obſideret, proditos hoſtium filios parentibus remiſit: ſtatimque deditione facta, Faliſcorum victoriam juſtitiâ conſecutus eſt. Quum alter ex cenſoribus, C. Julius deceſſiſset, in locum ejus M. Cornelius ſuffectus eſt. nec id poſtea factum eſt: quoniam eo luſtro à Gallis Roma capta eſt. Furius Camillus, quum ei dies à L. Apulejo tribuno plebis dictæ eſset, in exilium abiit. Quum Senones Galli Cluſium obſiderent, & legati à Senatu miſſi ad componendam inter eos & Cluſinos pacem, pugnantes contra Gallos in acie Cluſinorum ſtetiſsent; hoc facto eorum concitati Senones urbem infeſto exercitu petierunt, fuſiſque ad Alliam flumen Romanis, cepere urbem præter Capitolium, in quod ſe juventus contulerat: majores natu cum inſignibus honorum, quos quiſque geſserat, in veſtibulis ædium ſedentes occiderunt. & quum per averſam partem Capitolii jam in ſummum evaſiſſent, proditi clangore anſerum, M. Manlii præcipue opera dejecti ſunt. * coactis deinde propter famen Romanis deſcendere, ut mille pondo auri darent, & hoc pretio finem obſidionis emerent; Furius Camillus dictator abſens creatus, inter pendendum aurum cum exercitu venit: & Gallos poſt ſextum menſem urbe expulit, ceciditque. Ædes Ajo Loquatio facta, quo loco ante urbem captam vox audita erat, adventare Gallos. Dictum eſt ad Vejos migrandum eſse, propter incenſam & dirutam urbem. quod conſilium Camillo auctore diſcuſsum eſt. Movit populum vocis quoque omen ex centurione auditæ, qui, quum in forum veniſset, manipularibus ſuis dixerat, Sta miles, hoc optime manebimus.

NOTÆ.

* *Coactis deinde propter famem Romanis deſcendere, ut.*] Supple eò *deſcendere*, aut huc *deſcendere, ut mille pondo* auri darent: Gallicè, *contraints d'en venir là*: aut *reduits à ce point*. Dicuntur *aliquò deſcendere*, qui neceſſitate adducti gravem aliquam conditionem ſubeunt: quod Gronovius exemplis probat, parum opinor neceſſariis.

PACE

I. PACE alibi parta, Romani Vejique in armis erant, tanta ira odioque, ut victis finem adeſſe appareret. Comitia utriuſque populi longe diverſâ ratione facta ſunt. Romani auxêre tribunorum militum, conſulari poteſtate numerum. [1] octo, quot nunquam antea, creati, Manius Æmilius Mamercinus iterum, L. Valerius Potitus tertium, Ap. Claudius Craſſus, M. Quintilius Varus, L. Julius Julus, M. Poſtumius, M. Furius Camillus, M. Poſtumius Albinus. Vejentes contrà tædio annuæ ambitionis, quæ interdum diſcordiarum cauſa erat, regem creare. Offendit ea res populorum Etruriæ animos, non majore odio regni quam ipſius regis. gravis jam is antea genti fuerat opibus ſuperbiaque, quia ſolennia ludorum, quos intermitti nefas eſt, violenter diremiſſet: quum ob iram repulſæ, quod ſuffragio duodecim populorum alius ſacerdos ei prælatus eſſet, « artifices, quorum magna pars ipſius ſervi erant, ex medio ludicro repente abducit. Gens itaque ante omnes alias eo magis dedita religionibus, quod excelleret arte colendi eas; auxilium Vejentibus negandum, donec ſub rege eſſent, decrevit. cujus decreti ſupreſſa fama Vejis propter metum regis; qui à quo tale quid dictum referretur, [2] pro ſeditionis cum principe, non vani ſermonis auctorem habebat. Romanis etſi quietæ res ex Etruria nunciabantur: tamen, quia [3] omnibus conciliis eam rem agitari afferebatur, ita muniebant, ut [4] ancipitia munimenta eſſent. alia in urbem & contra oppidanorum eruptiones verſa: aliis frons in Etruriam ſpectans auxiliis, ſi qua forte inde venirent, obſtruebatur.

Urb. cond. an. 351. Tribb. mill. M. Æmilio &c.

NOTÆ.

1. *Octo, quot nunquam antea.*] Id nec legi de horum magiſtratuum numero dictæ conſentaneum (ſex enim ut eſſent, cautum ab initio fuerat): nec verum hoc anno videtur. Siquidem Sigonius, tam in ſcholiis Livianis, quàm in Commentario in Faſtos, ac poſt eum Pighius poſtremos duos *M. Furium* Camillum, *M. Poſtumium* Albinum, non Tribunos militum Conſulari poteſtate, ſed Cenſores fuiſſe oſtendunt ex Faſtis Capitolinis. Accedit Plutarchi auctoritas ſcribentis Dictatorem Camillum, priùs Cenſuram geſſiſſe, quàm militum Tribunatum. Alia quoque ex diverſo Camilli tribunatuum numero argumenta ſuggerit Sigon.

2. *Pro ſeditionis cum principe, non vani ſermonis auctorem.*] Scribi jubet Gronovius *auctore*, quaſi pendeat à propoſitione *pro*. Si quis tamen *auctorem* retinere maluerit, nihil erit quod ſive in ſententia, ſive in conſtructione arguas. Idque inverſo parumper verborum ordine facilè apparebit, ſi legerimus, *eum non vani ſermonis auctorem* (id eſt, eum, licèt non eſſet auctor vani ſermonis, tamen) *pro ſeditionis principe habebat*.

3. *Omnibus conciliis eam rem agitari afferebatur.*] Conventus ſignificat omnium Etruriæ populorum.

4. *Ut ancipitia munimenta eſſent.*] Hodierna militia hanc obſidentium ancipitem, duplici vallo, hinc adverſus obſeſſos, inde adverſus auxilia obſeſſis ventura, ſeſe muniendi rationem, vocat *circonvallation & contrevallation*. Duplici ejuſmodi muro Plataeas Boeotiæ civitatem ante annos fermè 25. Lacædemonii circumſederant, cum hæc in Italia agerentur.

Urb. cond. an. 351. Tribb. mill. M. Quintil. &c.

II. Quum ſpes major imperatoribus Romanis in obſidione quàm in oppugnatione eſſet, 1 hibernacula etiam, res nova militi Romano, ædificari cœpta: conſiliumque erat hiemando continuare bellum. quod poſtquam tribunis plebis, jamdiu nullam novandi res cauſam invenientibus, Romam eſt allatum, in concionem proſiliunt, ſolicitant plebis animos. *Hoc illud eſse* dictitantes, *quod æra militibus ſint conſtituta. nec ſe fefelliſſe,* 2 *id donum inimicorum veneno illitum fore. 3 Vaniſſe libertatem plebis: remotam in perpetuum & ablegatam ab urbe & ab republ. juventutem, jam ne hiemi quidem aut temperi anni cedere, ac domos & res invaſere ſuas. Quam putarent continuatæ militiæ cauſam eſſe? nullam profecto aliam inventuros, quam ne quid per frequentiam juvenum eorum, in quibus vires omnes plebis eſſent, agi de commodis eorum poſſet. Vexari præterea & ſubigi multo acrius, quam Veientes: quippe illos hiemem ſub tectis ſuis agere, egregiis muris ſituque naturali urbem tutantes: militem Romanum in opere ac labore, nivibus pruiniſque obrutum, 4 ſub pellibus durare; ne hiemis quidem ſpatio, quæ omnium bellorum terra marique ſit quies, arma deponentem. Hoc neque reges, neque ante tribuniciam poteſtatem creatam ſuperbos illos conſules, neque triſte dictatoris imperium, neque importunos decemviros injunxiſſe ſervitutis, ut perennem militiam facerent,* 2 *quod tribuni militum in plebe Romana regnum exercerent. Quidnam illi conſules dictatoreſve facturi eſſent, qui proconſularem imaginem tam ſævam ac trucem fecerint? ſed id accidere haud immerito. non fuiſſe ne in otio quidem tribunis militum locum ulli plebejo. Antea trina loca cum contentione ſumma patricios explere ſolitos: nunc jam 5 octojuges ad imperia obtinenda ire: &*

INTERPRETATIO.

a *Quum regni ſpecies in Romanam plebem exercerent Tribuni militum. Quid iidem facturi, ſi Conſules, aut Dictatores facti fuerint; cum tam durum dirumque eſſecerint proconſulare* ſuum *imperium, quod imago* tantùm eſt Conſularis.

NOTÆ.

1. *Hibernacula etiam res nova.*] Aliud *Hibernacula*, aliud *Hiberna*, ut oſtendit Livii locus lib. 37. *aut ſub pellibus habendos milites, aut ſi concedere in hiberna vellet, differendum in æſtatem bellum. Hibernacula* erant tecta Caſtrenſia, ſive tabernacula ex aſſeribus compacta, & ſic à vulgaribus æſtivis tentoriis diverſa. *Hiberna* autem, quæ & *præſidia*, ſunt in oppidis plerunque vel pagis, in quibus milites extra caſtra & citra expeditionum neceſſitatem hiemare ſolent. In Hibernis eſſe dicimus vulgò *eſtre en Garniſon*; *eſtre en quartier d'hyver*: in hibernaculis, aut ſub pellibus, *camper ſous des tentes*.

2. *Id donum inimicorum veneno illitum fore.*] Alludit ad funeſtas veſtes à Neſſo Centauro Dejaniræ Herculis uxori, aut à Medea Glaucæ Creontis filiæ, futuræ Jaſonis conjugi, datas muneris loco, in Herculis Glaucæque exitium: unde vetus proverbium, *hoſtium munera nec munera*.

3. *Vaniſſe libertatem plebis.*] Stipendio ſcilicet dato emptam, accepto venditam.

4. *Sub pellibus durare.*] Id eſt, permanere ſub tentoriis, quæ ut plurimùm ex pellibus ſive coriis apud veteres.

5. *Octojuges.*] Octonario numero, non quaſi jugo pariter ſubjecti; ſed quaſi conjunctim plebem ſub jugum mittentes.

Urb. cond. an. 351. Tribb. mill. M. Quintil. &c.

6 *ne in turba quidem hærere plebejum quemquam: qui, ſi nihil aliud, admoneat collegas; liberos, & cives eorum, non ſervos militare, quos hieme ſaltem in domos ac tecta reduci oporteat: & aliquo tempore anni parentes liberoſque ac conjuges inviſere, & uſurpare libertatem, & creare magiſtratus.* Hæc, taliaque vociferantes, adverſarium haud imparem nacti ſunt Ap. Claudium, relictum à collegis ad tribunicias ſeditiones comprimendas; virum imbutum jam ab juventa certaminibus plebejis: quem auctorem aliquot annis ante fuiſſe memoratum eſt, per collegarum interceſſionem tribuniciæ poteſtatis diſſolvendæ.

III. Is tum jam, non promptus ingenio tantum, ſed uſu etiam exercitatus, talem orationem habuit: *Si unquam dubitatum eſt, Quirites, utrum tribuni plebis, veſtra an ſua cauſa ſeditionum ſemper auctores fuerint, id ego hoc anno deſiſſe dubitari certum habeo. & quam lætor tandem longi erroris vobis finem factum eſſe: tum quod ſecundis potiſſimum veſtris rebus hic error eſt ſublatus, & vobis, & propter vos reipublicæ gratulor.* 1 *An eſt quiſquam qui dubitet, nullis injuriis veſtris, ſi quæ forte aliquando fuerunt, unquam æque quam munere Patrum in plebem, quum æra militantibus conſtituta ſunt, tribunos plebis offenſos ac concitatos eſſe? quid illos aliud aut tum timuiſſe creditis, aut hodie turbare velle, niſi concordiam ordinum, quam diſſolvendæ maxime tribunicæ poteſtatis rentur eſſe? Sic, hercule, tamquam artifices improbi, opus quærunt. qui & ſemper ægri aliquid eſſe in republ. volunt, ut ſit ad cujus curationem à vobis adhibeantur.* 2 *Utrùm enim defenditis, an impugnatis plebem? utrùm militantium adverſarii eſtis, an cauſam agitis? Niſi forte hoc dicitis? Quicquid patres faciunt, diſplicet; ſive illud pro plebe, ſive contra plebem eſt. Et quemadmodum ſervis ſuis vetant domini quicquam rei cum alienis hominibus eſſe, pariterque in iis beneficio, ac malefício abſtineri æquum cenſent: ſic vos interdicitis Patribus commercio plebis; ne nos comitate ac munificentia noſtra provocemus plebem, nec plebs nobis dicto audiens atque obediens ſit. Quanto tandem, ſi quicquam in vobis, non dico civilis, ſed humani eſſet, favere vos magis, & quantum in vobis eſſet, indulgere potius comitati Patrum atque obſequio plebis oportuit?* 3 *quæ ſi perpetua concor-*

NOTÆ.

6. *Ne in turba quidem hærere plebejum quemquam.*] Hoc loco *hærere*, eſt alteri adhæreſcere, locum tenere inter alios. Sic Marius apud Valer. Max. *Pretura candidatus ſupremo loco hæſit.* Sic in Terentii Eunucho: *Perfice hoc precibus, pretio, ut hæream in parte aliqua tandem apud Thaïdem.*

1. *An eſt quiſquam qui dubitet nullis injuriis veſtris.*] Legendum omninò *nullis injuriis veſtris* pronunciat Tanaq. Faber. Et ſanè plerumque *dubitandi* verbum vim habet negantis. Verum hoc loco demptâ negatione non poteſt idoneus ex mente auctoris confici ſenſus. Quid enim eſt, *Quis dubitet Tribunos ullis injuriis veſtris unquam æquè offenſos quàm hoc munere patrum?* Legendum neceſſariò eſt, *quis dubitet*, ſive quis neſcit, *nullis unquam*, aut, quod eodem redit, nunquam ullis *injuriis veſtris æquè offenſos*, &c.

2. *Utrum enim defenditis.*] Orationis converſio à plebe ad Tribunos.

3. *Quæ ſi concordia.*] Concordiam non nominaverat quidem Appius: ſed ſuſi-

Urb. cond. an. 351. Tribb. mill. M. Æmil. &c.

dia ſit, quis non ſpondere auſit maximum hoc imperium inter finitimos brevi futurum eſſe? Atque ego, quàm hoc conſilium collegarum meorum, quo abducere infecta re à Veiis exercitum noluerunt, non utile ſolum, ſed etiam neceſſarium fuerit, poſtea cdiſſeram: nunc de ipſa conditione militantium dicere libet. Quam orationem, non apud vos ſolum, ſed etiam in caſtris ſi habeatur ipſo exercitu diſceptante, æquam arbitror videri poſſe, in qua ſi mihi ipſi nihil quod dicerem, in mentem venire poſſet, adverſariorum certe orationibus contentus eſſem.

IV. Negabant nuper danda eſſe æra militibus, quia nunquam data eſſent. quonam modo igitur nunc indignari poſſunt, quibus aliquid novi adjectum commodi ſit, eis laborem etiam novum [1] *pro portione injungi? Nuſquam* [2] *nec opera ſine emolumento, nec emolumentum ferme* [a] *ſine impenſa opera eſt.* LABOR VOLUPTASQUE *diſſimillima naturâ, ſocietate quadam inter ſe naturali ſunt juncta. Moleſte ante ferebat miles, ſe ſuo ſumptu operam reip. præbere: gaudebat idem partem anni ſe agrum ſuum colere, quærere unde domi militiæque ſe ac ſuos tueri poſſet. Gaudet nunc fructui ſibi rempublicam eſſe, & lætus ſtipendium accipit. æquo igitur animo patiatur ſe ab domo, ab re familiari, cui gravis impensâ non eſt, paulo diutius abeſſe. An* [b] *ſi ad calculos cum reſpubl. vocet, non merito dicat; annua æra habes, annuam operam ede? An tu æquum cenſes militia ſemeſtri ſolidum teſtipendium accipere? Invitus in hac parte orationis, Quirites, moror: ſic enim agere debent qui mercenario milite utuntur. at nos tamquam cum civibus agere volumus: agique tamquam cum patria nobiſcum, æquum cenſemus. Aut non ſuſcipi bellum oportuit, aut geri pro dignitate populi Romani, & perfici quamprimùm oportet. Perficietur autem, ſi urgemus obſeſſos: ſi non ante abſcedimus, quam ſpei noſtræ finem captis Veiis impoſuerimus. Si, hercule, nulla alia cauſa, ipſa indignitas perſeverantiam imponere debuit.* 3 *Decem quondam annos urbs oppugnata eſt ob unam mulierem ab univerſa Græcia: quam procul ab domo? quot terras, quot maria diſtans? Nos intra viceſimum lapidem, in conſpectu prope urbis noſtræ, annuam oppugnationem perferre piget, ſcilicet quia levis cauſa belli eſt, nec ſatis quicquam juſti doloris eſt, quod nos ad*

INTERPRETATIO.

a *Niſi opera præſtetur* aliqua, & quaſi dependatur.

b *Si reſpublica illum provocet ad* ineundas *rationes*.

NOTÆ.

eit, memoratis, hinc comitate patrum, inde obſequio plebis indicatam: ut relativum *qua*, ſi non verbis, menti ſaltem dicentis reſpondeat.

1. *Pro portione injungi.*] Id eſt, imperari, comparatâ parte laboris cum parte ſtipendii ac mercedis, & utriuſque habitâ ratione, *en ordonnant le travail à proportion de la paye*.

2. *Nec opera ſine emolumento.*] Compenſanda ſunt invicem hæc duo: quod ſignificat proverbialis hæc ſententia, *hoſtimentum eſt opera pro pecunia*: antiqui enim dicebant *hoſtire* pro æquare, reddere, compenſare.

3. *Decem quondam annos urbs oppugnata eſt.*] Troja nimirùm: cujus tamen obſidio vix ultra biennium revera tenuit. Sed vicina regio pluribus annis priùs ſubigenda fuit.

perſeverandum ſtimulet. 4 *Septies rebellarunt, in pace nunquam fidi fuerunt. agros noſtros millies depopulati ſunt. Fidenates deficere à nobis coëgerunt: colonos noſtros ibi interfecerunt: auctores fuere contra jus gentium cædis impiæ legatorum noſtrorum: Etruriam omnem adverſus nos concitare voluerunt, hodieque id moliuntur: res repetentes legatos noſtros haud procul abfuit quin violarent.* Urb. cond. an. 351. Tribb. mill. M. Æmil. &c.

V. *Cum his molliter & per dilationes bellum geri oportet? Si nos tam juſtum odium nihil movet, ne illa quidem, oro vos, movent? Operibus ingentibus ſepta urbs eſt, quibus intra muros coërcetur hoſtis. agrum non coluit, & culta evaſtata ſunt bello. Si reducimus exercitum, quis eſt qui dubitet illos, non à cupiditate ſolum ulciſcendi, ſed etiam neceſſitate impoſita ex alieno prædandi, quum ſua amiſerint, agrum noſtrum invaſuros? non differimus igitur bellum iſto conſilio, ſed intra fines noſtros accipimus. Quid? illud quod proprie ad milites pertinet, quibus boni tribuni plebis quum ſtipendium extorquere voluerint, nunc conſultum repente volunt, quale eſt? Vallum foſſamque, ingentis utramque rem operis, per tantum ſpatii duxerunt:* 1 *caſtella primo pauca, poſtea, exercitu aucto, creberrima fecerunt: munitiones non in urbem modo, ſed in Etruriam etiam ſpectantes, ſi qua inde auxilia veniant, oppoſuere.* 2 *Quid turres,* 3 *quid vineas* 4 *teſtudineſque, & alium oppugnandarum urbium apparatum, loquar? quum tantum laboris exhauſtum ſit, & ad finem jam operis tandem perventum: relinquendane hæc cenſetis, ut ad æſtatem rur-*

NOTÆ.

4. *Septies rebellarunt.*] Intellige Vejentes ſæpius bellum intuliſſe Romanis, ex quo, clade acceptâ, pacem petierant à Romulo; qui, agri parte mulctatis, inducias in centum annos dederat, lib. 1. cap. 15. Cæterùm nondum redacti fuerant in ditionem Romanam, ut propriè rebellaſſe dici poſſent.

1. *Caſtella primò pauca*, &c.] Hic Caſtella ſunt munimenta ſubitarii operis, quæ ad caſtra adverſus hoſtiles incurſus tuenda inſtituuntur, vulgò *des Forts*.

2. *Quid Turres.*] Ligneæ Turres erant, quæ rotis quatuor aut pluribus agebantur, iiſque latentibus & internis: quales inventæ in Sicilia Dionyſii Senioris tempore ab Herone. Hæ ut propugnaculis hoſtium altiores eſſent, decem aut pluribus tabulatis conſtabant: atque in his tormenta, ſcalæ, pontes, aliaque invadendarum urbium inſtrumenta admovebantur muris, & ex hujuſmodi machinis oppugnatores primùm miſſilibus deturbabant obſeſſos, ac deinde æquo cum illis pede congrediebantur.

3. *Quid Vineas.*] Militaris Vinea dicitur à ſimilitudine veræ vineæ, quæ apud Italos jugata, & in tectum allevata. Machinæ erant è lignis levioribus, altæ pedibus octo, latæ ſeptem, longæ ſexdecim: tecto tabulatis cratibuſque contexto, lateribus vimine ſeptis, & extrinſecus recenti corio opertis. Earum nunc uſum præſtant quas Porticus appellamus, *les Galeries*.

4. *Teſtudineſque.*] Non de ea Teſtitudine accipiendus hic eſt Appius, quâ milites armati ſcutis ſuper capita denſatis, aliiſque ſuper alios ſcandentibus, æquabantur propugnatoribus, de qua lib. 44. dicendum erit. Sed de Teſtudinibus ligneis, quarum inventorem Plinius Artemonem Clazomenium facit; quæque fodiendi aut foſſas congerendi, æquandorumque locorum; aut etiam ſuſpendendi ac promovendi ad murum arietis causâ comparatæ, rotis ſubditis agebantur, non ſecus ac vineæ; at tecto & fronte minùs planis, ut miſſa è muro tela non rectà, ſed obliquè incidentia, laberentur; & ſic milites qui ſub his machinis erant, tuti à periculo eſſent.

Urb. cond. an. 351. Tribb.mill. M. Æmil. &c.

ſus novus de integro his inſtituendis exſudetur labor? Quanto eſt minus opera tueri facta, & inſtare, & perſeverare, defungique cura? Brevis enim profecto res eſt, ſi uno tenore peragitur, nec ipſi per intermiſſiones has intervallaque, lentiorem ſpem noſtram facimus. loquor de opere, & de temporis jactura. Quid? periculi, quod differendo bello adimus, num obliviſci nos hæc tam crebra Etruriæ concilia de mittendis Vejos auxiliis patiuntur? Ut nunc res ſe habet, irati ſunt, oderunt, negant miſſuros: quantum in illis eſt, capere Vejos licet. quis eſt, qui ſpondeat, eundem, ſi differtur bellum, animum poſtea fore? quam, ſi laxamentum dederis, major frequentiorque legatio itura ſit, quam, id quod nunc offendit Etruſcos, rex creatus Vejis, ſpatio mutari interpoſito poſſit, vel conſenſu civitatis, ut eo reconcilient Etruriæ animos, vel ipſius voluntate regis, qui obſtare regnum ſuum ſaluti civium nolit. Videte quæ res, 5 quam inutiles, 2 ſequantur, illam viam conſilii; jactura operum tanto labore factorum: vaſtatio imminens finium noſtrorum: 6 Etruſcum bellum pro Vejente concitatum. Hæc ſunt, tribuni, conſilia veſtra, non, hercule, diſſimilia, ac ſi quis ægro qui curari ſe fortiter paſſus, extemplo convaleſcere poſſit, cibi gratiâ præſentis aut potionis, longinquum & forſitan inſanabilem morbum efficiat.

VI. *Si medius fidius ad hoc bellum nihil pertineret, ad diſciplinam certe militiæ plurimum intererat, inſueſcere militem noſtrum, non ſolùm parta victoria frui; ſed, ſi res etiam lentior ſit, pati tædium, & quamvis ſeræ ſpei exitum exſpectare; & ſi, non ſit æſtate perfectum bellum, hieme operiri. 1 nec, ſicut æſtivas aves, ſtatim autumno tecta ac receſſum circumſpicere. Obſecro vos, venandi ſtudium ac voluptas homines per nives ac pruinas in montes ſilvaſque rapit: belli neceſſitatibus eam patientiam non adhibebimus, quam vel luſus ac voluptas elicere ſolet? Adeone effœminata corpora militum noſtrorum eſſe putamus, adeo molles animos, ut hiemem unam durare in caſtris, abeſſe ab domo non poſſint? ut tanquam navale bellum, tempeſtatibus captandis & obſervando tempore anni, gerant; non æſtus, non frigora pati poſſint? Erubeſcant profecto, ſi quis eis hæc objiciat: contendantque, & animis, & corporibus ſuis virilem patientiam ineſſe, & ſe juxta hieme atque æſtate bella gerere poſſe: nec ſe patrocinium mollitiæ inertiæque mandaſſe tribunis. & meminiſſe, 2 hanc ipſam poteſtatem non in*

INTERPRETATIO.

2 *Sequantur ex hac conſilii ratione*, differendi ſcilicet belli relictis hibernaculis.

NOTÆ.

5. *Quàm inutiles*:] Inutile dicitur quod non ſolùm uſui non eſt, ſed etiam nocet, ut apud Cicer. 1. de Invent. *Is inutilis ſive pernicioſus patriæ Civis alitur*.

6. *Etruſcum bellum pro Vejente*.] Id eſt, bellum cum univerſa Etruſcorum gente, loco belli cum uno Vejentium populo. Nam Vejentes erant è duodecim Tuſciæ populis unus.

1. *Nec ſicut æſtivas aves*.] Æſtivæ aves ſunt quas æſtate tantùm videmus, quod hieme vel lateant, vel autumno avolent in plagas longinquas.

2. *Hanc ipſam poteſtatem, non in umbra*.] Poteſtas Tribunicia, non in urbe, ſed caſtris in monte ſacro poſitis, & ab armatis impetrata & conſtituta, ſuprà lib. 2. cap. 32. & 33.

umbra nec in tectis majores ſuos creaſſe. Hæc virtute militum veſtrorum, hæc Romano nomine ſunt digna: non Vejos tantùm, nec hoc bellum intueri, quod inſtat: ſed famam & ad alia bella & ad cæteros populos in poſterum quærere. An mediocre diſcrimen opinionis ſecuturum ex hac re putatis? utrùm tandem finitimi populum Romanum eum eſſe putent, cujus ſi qua urbs primum illum breviſſimi temporis ſuſtinuerit impetum, nihil deinde timeat? an hic ſit terror nominis noſtri, ut exercitum Romanum non tædium longinquæ oppugnationis, non vis hiemis ab urbe circumſeſſa ſemel amovere poſſit, 3 nec finem ullum alium belli quam victoriam noverit, nec impetu potius bella quam perſeverantiâ gerat? Quæ in omni quidem genere militiæ, maxime tamen in obſidendis urbibus neceſſaria eſt: quarum pleraſque munitionibus, ac naturali ſitu inexpugnabiles, fame, ſitique tempus ipſum vincit atque expugnat: ſicut Vejos expugnabit; niſi auxilio hoſtibus tribuni plebis fuerint, & Romæ invenerint præſidia Vejentes, quæ nequicquam in Etruria quærunt. An eſt quicquam quod Vejentibus optatum æque contingere poſſit, quam ut ſeditionibus primum urbs Romana, deinde velut ex contagione caſtra impleantur? At, hercule, apud hoſtes tanta modeſtia eſt, ut non obſidionis tædio, non denique regni, quicquam apud eos novatum ſit: non negata auxilia ab Etruſcis irritaverunt animos. 4 morietur enim exemplo quicunque erit ſeditionis auctor: nec cuiquam dicere ea licebit, quæ apud vos impune dicuntur. 5 Fuſtuarium meretur, qui ſigna relinquit, aut præſidio decedit. Auctores ſigna relinquendi, & deſerendi caſtra, non uni aut alteri ſed univerſis exercitibus, palam in concione audiuntur, adeo quicquid tribunus plebis loquitur, etſi prodendæ patriæ, diſſolvendæque reipublicæ eſt, aſſuetis æqui audire: & dulcedine poteſtatis ejus capti, quælibet ſub ea ſcelera latere ſinitis. Reliquum eſt, ut qui hæc vociferantur, eadem in caſtris & apud milites agant: & exercitus corrumpant, ducibuſque parere non patiantur, quoniam ea demum Romæ libertas eſt, non ſenatus, non magiſtratus, non leges, non mores majorum, non inſtituta Patrum, non diſciplinam vereri militiæ.

Urb. cond. an. 351. Tribb. mill. M. Æmil. &c.

VII. Par jam etiam in concionibus erat Appius tribunis plebis, quum ſubito, unde minime quis crederet, accepta calamitas apud Vejos, & ſuperiorem Appium in cauſa, & concordiam ordinum majorem ardoremque ad obſidendos pertinacius Vejos fecit. Nam quum agger promotus ad

NOTÆ.

3. *Nec finem ullum.*] Mutato caſu ſubintelligendus eſt ex ſuperiori membro, *exercitus*, vel *populus Romanus*. Abſque hoc Zeugmate, non conſtat ſenſus.

4. *Morietur enim extemplo.*] Hoc vult Appius, plerosque omnes Vejentes bene animatos ad defenſionem, adeò ut ſi qui fortè obſidionis tædio de ſeditione cogitarent, cum reliquos longè majori numero ad bellum ardentes viderent, metu pœnæ ſilere cogantur.

5. *Fuſtuarium meretur.*] *Fuſtuarium* eſt cum quis fuſtibus percutitur ad necem: nec de eo accipiendum, qui fuſtium verberibus caſtigatur, qui & aliquando fuſtibus dicitur cædi. Tribuni militum fuſtibus; Conſules aliique magiſtratus, quibus lictores apparebant, ſecuri aut gladio in milites graviùs delinquentes animadvertebant.

Urb. cond. an. 351. Tribb. mill. M. Æmil. &c.

urbem, vineæque tantum non jam injunctæ mœnibus essent (dum opera interdiu fiunt intentiùs, quam nocte custodiuntur); patefactâ repente portâ, ingens multitudo, facibus maximè armata, ignes conjecit. horæque momento 1 simul aggerem ac vineas, tam longi temporis opus, incendium hausit: multique ibi mortales nequicquam opem ferentes, ferro ignique absumpti sunt. Quod ubi Romam est nunciatum, mœstitiam omnibus, senatui curam metumque injecit, ne tum verò sustineri nec in urbe seditio, nec in castris posset: & tribuni plebis velut ab se victæ reip. insultarent. quum repentè, 2 quibus census equester erat, 3 equi publici non erant assignati, consilio prius inter sese habito, senatum adeunt; factaque dicendi potestate, *equis se suis stipendia facturos* promittunt. Quibus quum amplissimis verbis gratiæ ab senatu actæ essent, famaque ea forum atque urbem pervasisset; subito ad curiam concursus fit plebis. 4 *Pedestris ordinis, se* ajunt *nunc esse, operamque reipublicæ extra ordinem pollicèri; seu Veios, seu quo alio ducere velint. si Veios ducti sint, negant se inde prius quam capta urbe hostium, redituros esse.* Tum verò jam superfundenti se lætitiæ vix temperatum est, non enim sicut equites, dato magistratibus negotio, laudari jussi; neque aut in curiam vocati, quibus responsum daretur, aut limine curiæ continebatur senatus: sed pro se quisque ex superiore loco ad multi-

NOTÆ

1. *Simul aggerem ac vineas.*] Agger est munitio, sive moles constructa ex lignis, saxis, terraque aggesta ad explendum, & extollendum. Cancellatis præcipuè tignis constabat: unde incendi non ita difficilè potuit. Agger autem altus, & par fermè obsessi oppidi muris ad quos admovebatur, & in eo ferè turres ligneæ ipsis muris celsiores, ex quibus in propugnatores tela è proximo jacerentur.

2. *Quibus census equester.*] Quæ census equestris summa hoc tempore fuerit, dubitari potest. Centum millibus æris majorem fuisse ex eo conjicio quòd ex Liv. l. 1. c. 43. ea minima esset pecunia primæ classis, in qua equitum Centuriæ octodecim, octuaginta peditum censebantur. Postea initio belli civilis Sestertiûm quadringentis millibus definitum constat equestrem censum fuisse, quod & sub Augusto servatum. Iisque tantùm quibus is census esset, ad spectandos ludos theatrales, in quatuordecim primis ordinibus post orchestram (ubi Senatorum locus) sedendi jus lege Roscii datum, aut restitutum. Is census duplicata fermè Budæi computatione, duo ac triginta millia librarum nostratium excederet: longe major futura, si ad centum millia æris gravis exigeretur, qui minor census erat primæ classis, ex qua equites, ut dixi. Superaret sanè ipso æris pondere ac pretio, 65. librarum Francicarum millia.

3. *Equi publici non erant assignati.*] Non quicunque equis militabant, equestris erant ordinis: sed ii duntaxat quibus à Censore assignatus erat publicus equus: ut alibi observatum.

4. *Pedestris ordinis se ajunt nunc esse.*] Tres legimus Civium Romanorum ordines, Senatorium, equestrem, plebejum. Unde igitur hic novus ordo *pedester*? Plebejos intelligit minùs locupletes, classisque inferioris, qui cum essent ordinis plebeji, cui pedestris militia incumbebat, professi ultro sunt se constanter militaturos quocunque ducerentur: æmulatione scilicet locupletiorum qui paulò antè gratuitam in equestri militia operam obtulerant.

tudi-

tudinem in comitio ſtantem, voce manibuſque ſignificare publicam lætitiam. *Beatam urbem Romanam & invictam, & æternam illâ concordiâ* dicere: laudare equites, laudare plebem: diem ipſum laudibus ferre: victam eſſe fateri comitatem benignitatemque ſenatus. Certatim Patribus plebique manare gaudio lacrymæ; donec revocatis in curiam Patribus, ſenatusconſultum factum eſt, *Ut tribuni militares concione advocata, peditibus equitibuſque gratias agerent: memorem pietatis eorum erga patriam dicerent ſenatum fore. placere autem omnibus his voluntariam extra ordinem profeſſis militiam æra procedere.* & 5 equiti certus numerus æris eſt aſſignatus. 6 Tum primum equis merere equites cœperunt. Voluntarius ductus exercitus Vejos, non amiſſa modo reſtituit opera, ſed nova etiam inſtituit. ab urbe commeatus intentiore quam antea ſubvehi cura, ne quid tam bene merito exercitui ad uſum deeſſet. Urb. cond. an. 351. Tribb. mill. M. Æmil. &c.

VIII. Inſequens annus tribunos militum conſulari poteſtate habuit, C. Servilium Ahalam tertium, Q. Sorvilium, L. Virginium, Q. Sulpicium, A. Manlium iterum, Manium Sergium iterum. his tribunis, dum curâ omnium in Vejens bellum intenta eſt, neglectum Anxuri præſidium [1] vacationibus militum, & Volſcos mercatores vulgo receptando, [2] proditis repentè portarum cuſtodibus, oppreſſum eſt. minus militum periit, quia præter ægros, lixarum in modum omnes per agros vicinaſque urbes negotiabantur. Nec Vejis melius

NOTÆ.

5. *Equiti certus numerus aris.*] Cujuſmodi fuerit ſub hæc tempora diurnum peditis ſtipendium dixi lib. 4. cap. 59. Equiti triplex aſſignatum, id eſt, drachma quæ denario ferè reſpondet, id eſt, decem aſſibus Romanis.

6. *Tum primùm equis merere.*] Non ait tunc equis militare cœpiſſe. Quomodò enim aliter quàm equis militaverint equites? Sed dicit *equis merere*, id eſt, ſtipendium accipere militiæ causâ, quod nullum anteà equitibus, non magis quàm peditibus numeratum. Equum illi quidem liberalitate reipublicæ habebant atque alebant: ſed eo gratis militabant. Stipendium nunc equiti, ut pediti aſſignatum. Nec tamen malè Florus in epitome: *Equites tum primùm equis ſuis merere cœperunt.* Etenim verum eſt eos qui haberent equos, accepto ſtipendio militaſſe; quod in aliis quoque obtinuiſſe videtur qui equo publico militare cœperant. Neque his repugnat, quod lib. 1. cap. 43. dicitur à Servio Tullio equitibus data ex publico pecunia, & attributæ viduæ quæ bina millia æris penderent. Eteaim bina illa millia æris non ſtipendium equiti erat, ſed ad ſumptum alendi equi ſubminiſtrabantur, ut dena millia ad equum emendum aſſignata erant. Hæc ſeparat Valer. Max. lib. 5. cap. 6. profit ex veteri Cod. legit Gronov. lib. 3. de pecun. vet. cap. 2. *in caſtris non eques impendium, non centurio ſtipendium dari ſibi deſideravit.* Igitur à Servio eſt *impendium*: hoc bello Vejenti *ſtipendium* acceſſit.

1. *Vacationibus militum.*] Vacationes munerum ſunt immunitates, & à muniis militaribus ceſſationes, quas pecuniâ ducibus datâ redimi vetus eſt militiæ flagitium. Aliàs legebatur *vagationibus* ſenſu cum ſequentibus congruente.

2. *Proditis repente portarum cuſtodibus.*] Non capit Gronovius hos cuſtodes repentè proditos, videturque malle *oppreſſis repentè portarum cuſtodibus proditum eſt.* Sed cum præſidii nomine intelligantur præſidiarii, non video cur præſidio magis conveniat proditum eſſe, quàm *oppreſſum*.

Urb. cond an. 352. Tribb. mill. C. Servil. III. &c.

gesta res, quod tum caput omnium curarum publicarum erat. nam & duces Romani plus inter se irarum, quam adversus hostes animi habuerunt: & auctum est bellum adventu repentino 3 Capenatium atque Faliscorum. Hi duo Etruriæ populi, quia proximi regione erant; devictis Vejis, bello quoque Romano se proximos fore credentes; Faliſci propria etiam causa infesti, quod Fidenati bello se jam antea immiscuerant, per legatos ultro citroque missos jurejurando inter se obligati, cum exercitibus nec opinato ad Vejos accessere. Forte 4 ea regione, qua Manius Sergius tribunus militum præerat, castra adorti sunt: ingentemque terrorem intulêre, quia Etruriam omnem excitam sedibus magna mole adesse Romani crediderant. eadem opinio Vejentes in urbe concitavit. ita ancipiti prælio castra oppugnabantur, concursantesque, quum huc atque illuc signa transferrent, nec Vejentem satis cohibere intra munitiones, nec suis munimentis arcere jam vim, ac tueri se ab exteriore poterant hoste: una spes erat, si ex majoribus castris subveniretur, ut diversæ legiones, aliæ adversus Capenatem ac Faliscum, aliæ contra eruptionem oppidanorum pugnarent. Sed castris præerat Virginius, privatim Sergio invisus infestusque. is quum 5 pleraque castella oppugnata, superatas munitiones, utrinque invehi hostem nunciaretur, in armis milites tenuit: *si opus foret auxilio, collegam* dictitans *ad se missurum*. Hujus arrogantiam pertinacia alterius æquabat; qui ne quam opem ab inimico videretur petisse, vinci ab hoste quam vincere per civem maluit. Diu in medio cæsi milites; postremo, desertis munitionibus perpauci in majora castra, pars maxima atque ipse Sergius Romam pertenderunt. ubi quum omnem culpam in collegam inclinaret; acciri Virginium ex castris, interea præesse legatos placuit. Acta deinde in senatu res est, certatumque inter collegas maledictis. a pauci reipublicæ, huic atque illi, ut quos-

INTERPRETATIO.

a *Reipublica pauci* studebant; plerique omnes *huic vel illi aderant, prout unumquemque privatim obstrictum tenebant amor favorque.*

NOTÆ.

3. *Capenatium atque Faliscorum.*] Capenates ad ortum, Faliſci Septentrionem versus, Vejentibus contermini fuere. Horum urbs Falerii, de qua suprà: illorum *Capena*: utraque ad ripam Tiberis dextram in Etruriæ Sabinorumque confinio. Ortelio & plerisque aliis *Capena* veterum, est oppidum quod vulgò *Canapina* in monte Cimino, non procul Viterbio: quod Cluverio non placet, existimanti Capenam veterum ibi fuisse ubi hodiè oppidulum *Civitella*, sub monte Soracte & oppido Fiano. Holstenius cum Ligorio, probabiliùs, ni fallor, *Morlupo* nunc dici putat in eod. tractu.

4. *Eâ regione, quâ Manius Sergius Tribunus militum erat.*] Regio hic pro castrorum parte. *Par le Quartier du Tribun Sergius.*

5. *Pleraque castella oppugnata.*] Propugnacula minorum castrorum intelligit, quibus Sergius præerat.

que ſtudium privatim aut gratia occupaverunt, adſunt. Urb. cond. an. 352. Tribb. mill. C. Servil. III.

IX. Primores Patrum, ſive culpa, ſive infelicitate imperatorum eam ignominioſa clades accepta eſſet, cenſuere *Non expectandum juſtum tempus comitiorum; ex templo novos tribunos militum creandos eſſe, qui Calendis Octob. magiſtratum occiperent.* [1] In quam ſententiam quum pedibus iretur, cæteri tribuni militum nihil contradicere. at eminvero Sergius Virginiuſque, [2] propter quos pœnitere magiſtratuum ejus anni ſenatum apparebat; primo deprecari ignominiam, deinde intercedere ſenatuſconſulto: *negare, ſe ante Idus Decembres, ſolennem ineundis magiſtratibus diem, honore abituros eſſe.* Inter hæc tribuni plebis, quum in concordia hominum ſecundiſque rebus civitatis inviti ſilentium tenuiſſent, feroces repentè, minari tribunis militum, niſi in auctoritate ſenatus eſſent, ſe in vincula eos duci juſſuros eſſe. Tum C. Servilius Ahala tribunus militum: *Quod ad vos attinet, tribuni plebis, minaſque veſtras, nec ego libenter experirer* [2] *quàm non plus in his juris, quàm in vobis animi eſſet. Sed nefas eſt tendere adverſus auctoritatem ſenatus. proinde & vos definite inter noſtra certamina locum injuriæ quærere: & collegæ aut facient quod cenſet ſenatus, aut, ſi pertinacius tendent, dictatorem extemplo dicam, qui eos abire magiſtratu cogat.* Quum omnium aſſenſu comprobata oratio eſſet, gauderentque Patres [3] ſine tribuniciæ poteſtatis terriculis inventam eſſe aliam vim majorem ad coërcendos magiſtratus; [4] victi conſenſu omnium comitia tribunorum militum habuere, qui Calendis Octob. magiſtratum occiperent: ſeque eam ante diem magiſtratu abdicavêre.

INTERPRETATIO.

a *Conſtabat magiſtratus ejus anni Senatui diſplicere.*

NOTÆ.

1. *In quam ſententiam cum pedibus iretur.*] Tritum pedibus in ſententiam iri, cum Senatusconſultum conſenſu fiebat per diſceſſionem, non exquiſitis ſingulorum ſententiis; ſed magiſtratu, qui ad Senatum retulerat dicente, qui hoc cenſetis, illuc tranſite; qui alia omnia, in hanc partem.

2. *Quàm non plus in his juris, quàm in vobis animi eſſet.*] Glareanus ſe horum verborum ſenſum non ſatis percipere fatetur. Nec mirum, quandoquidem pronomen *his* ad Tribunos militum, Sergium, & Virginium, refert, qui magiſtratum deponere recuſabant: tum potiùs ad *minas* referendum ſit Gronovii judicio, meoque; ut enim oſtendat Servilius Tribunus militum, ſe minas Tribunorum plebis flocci facere, *vellem*, inquit, experimentum facere veſtræ noſtræque poteſtatis, ac virium, ut appareret vobis non magis jus eſſe ejuſmodi minas intentandi, quàm audaciam, ad exequendum quæ minari audetis. Quidam libri habent *quàm in nobis animi*, Gronov. teſte: idque paulò fortè meliùs: ut ſit ſenſus, experimento comprobarem, nec ullo jure niti minas veſtras de nobis eripiendo ante diem magiſtratu quem populus Romanus nobis mandavit; & nos ſatis habere animi ad eum retinendum.

3. *Sine Tribunicia poteſtatis terriculis.*] *Terricula* pro terriculamentis, minùs uſitatum.

4. *Victi conſenſu omnium.*] Sergius & Virginius Tribuni militum.

Urb. cond. an. 353. Tribb. mill. L. Valer. IV. &c.

X L. Valerio Potito quartùm, [1] M. Furio Camillo, Manio Æmilio Mamercino tertiùm, Cn. Cornelio Coſſo iterum, Cæſone Fabio Ambuſto, L. Julio Julo, tribunis militum conſulari poteſtate, multa domi militiæque geſta. nam & bellum multiplex fuit eodem tempore, & [2] ad Vejos, & ad Capenam, & ad Falerios, & in Volſcis, ut Anxur ab hoſtibus recuperaretur. & Romæ [3] ſimul delectu, ſimul tributo conferendo, laboratum eſt: & [4] de tribunis plebis cooptandis contentio fuit: & haud parvum motum duo judicia eorum, qui paulo antè conſulari poteſtate fuerant, excivere. Omnium primum tribunis militum fuit, delectum haberi; [5] nec juniores modo conſcripti, ſed ſeniores etiam coacti nomina dare, ut urbis cuſtodiam agerent. Quantum autem augebatur militum numerus, tanto majore pecunia in ſtipendium opus erat: eaque tributo conferebatur, invitis conferentibus qui domi remanebant, quia tuentibus urbem opera quoque militari laborandum ſerviendumque reipublicæ erat. Hæc per ſe gravia, indigniora ut viderentur, tribuni plebis ſeditioſis concionibus faciebant, ideo æra militibus conſtituta eſſe arguendo, ut plebis partem militia, partem tributo conficerent. [6] *Unum bellum annum jam tertium trahi, & conſulto male geri, ut diutius gerant. in quatuor deinde bella uno delectu exercitus ſcriptos, & [7] pueros quoque ac ſe-*

NOTÆ.

1. *M. Furio Camillo.*] In quibuſdam Codicibus additur *iterum*: idque perperam. Hunc enim primum eſſe Tribunatum Camilli, qui poſteà Dictator, ex Sigonio annotatum eſt initio hujus libri.

2. *Ad Vejos, &c.*] De his ſuprà. Veii, nunc *l'Iſola*: Capena *Morlupo*; Falerii *Falari*; cuncta in Patrimonio S. Petri: Anxur *Terracina* in Campania Romana.

3. *Simul delectu, ſimul tributo conferendo, laboratum eſt.*] Sigonius legi vult *ſimul de delectu*. Et verò de aliqua re laborare, ab auctoribus ut ſurpatur, pro eo quod eſt ſollicitum eſſe, *eſtre en peine de quelque choſe*. Sed, *Laborare aliqua re*, eſt vexari, affligi, incommodum ex ea pati: quod propriè de morbis dictum, per metaphoram ad alia transfertur. Atque hic ſenſus fortè hoc loco elegantior.

4. *De Tribunis plebis cooptandis.*] Vide paulò poſt.

5 *Nec juniores modò.*] Initium militiæ apud Romanos plena fermè puberas, annus XVII. completus; finis pedeſtris quidem militiæ, annus quadrageſimus ſeptimus, poſt ſtipendia vicena ex inſtituto Servii Tullii. Ad hanc uſque ætatem juniores habebantur; poſt eam in Seniorum numero: auctor Tubero apud Agell. lib. 10. cap. 28. Quod ſi quis caſu aliquo intra eam ætatem ſtipendia non impleſſet, tamen anno quinquageſimo vacationem habebat à militia. Equitem decennium abſolvebat.

6. *Unum bellum, annum jam tertium trahi.*] Glareanus emendat *annum jam quintum*: quia quinto anno antè, Veii obſideri cœpti, anno ſcil. 348. qui ipſi eſt 350. duobus Corneliis Coſſis Tribunis mill. ut lib. 4. c. 58. Sed Sigonius advertit Tribunos plebis, quorum hæc oratio eſt, rationem habere ejus duntaxat temporis, quo primùm obſidionis illius causâ hiemare in caſtris Romani cœperant: atque ab eo anno trahi bellum queruntur.

7. *Pueros quoque ac ſenes extractos.*] Eductos vult ex urna, in quam nomina conjiciebantur. Sorte enim ad delectum tribus citabantur, & tribules. Cæterùm nec impuberes, nec ſeniores nomina dare cogebantur; niſi in dubiis reip. re-

nes extractos. Jam non æſtatis nec hiemis diſcrimen eſſe, ne ulla quies Urb. Cond.
unquam miſeræ plebi ſit: quæ 8 *nunc etiam vectigalis ad ultimum facta ſit,* an. 353.
ut quum confecta labore, vulneribus, poſtremo ætate corpora retulerint, in- Tribb.mill.
cultaque omnia a *diutino dominorum deſiderio domi invenerint, tributum ex* L.Valer.IV.
affecta re familiari pendant: æraque militaria, velut fœnore accepta mul-
tiplicia reipubl. reddant. Inter delectum tributumque & occupatos animos majorum rerum curis, comitiis tribunorum plebis 9 numerus expleri nequivit. Pugnatum inde, in loca vacua ut patricii cooptarentur. poſtquam obtineri non poterat, tamen 10 labefactandæ legis Treboniæ cauſa effectum eſt, ut cooptarentur tribuni plebis C. Lacerius & M. Acutius, haud dubiè patriciorum opibus.

XI. Fors ita tulit ut eo anno Trib. pleb. C. Trebonius eſſet, qui nomini ac familiæ debitum præſtare videretur Treboniæ legis patrocinium: a is, *quod petiſſent Patres quidam,* 1 *primo incepto repulſi, tamen tribunos militum evpugnaſſe* vociferans, 2 *legem Treboniam ſublatam, & cooptatos tribunos plebis non ſuffragiis populi, ſed imperio patriciorum: & eo devolvi rem, ut aut patricii, aut patriciorum aſſeclæ habendi tribuni plebis ſint. Eripi ſacratas leges, extorqueri tribuniciam poteſtatem. id fraude patriciorum, ſcelere ac proditione collegarum factum* arguere. Quum b arderent invidiâ, non Patres modo, ſed etiam tribuni plebis, coo-

INTERPRETATIO.

a *Ob longiorem abſentiam dominorum.*
a *Is exclamant Tribunos militum obtinuiſſe* per aſſeclas ſuos, *id quod nonnulli* è *Senatoribus*, pro ſe fruſtrà *petierant*, (Tribunatum ſcilicet plebis.)
b *Cum incurriſſent in odium.*

NOTÆ.

bus, & cogente neceſſitate. Quin nec inter milites admittebantur ſervi, libertini, capite cenſi, quive artem ludicram fecerant ideoque infames habebantur.

8. *Nunc etiam vectigalis ad ultimum facta ſit.*] Vectigal à vehendo, ſive à vectura dictum, propriè reditum publicum ſignificat, qui ex mercibus exportandis aut importandis percipitur, portorium putà, decimas fructuum, &c. Latinis tamen ſumitur pro quovis reditu, etiam privato. Vectigalis ager, populus, provincia dicitur, pendendo vectigali obnoxia, cujuſcunque generis vectigal ſit, ſive tributum, ſive ſtipendium. Hæc enim vocabula promiſcuè ſumi, apparet ex hoc ipſo cap.

9. *Numerus expleri nequivit.*] Pro decem Tribunis plebis, qui ſolennis numerus erat, non niſi octo majoris Tribunum numeri ſuffragia tulerant. Ideoque duo adhuc erant loca vacua, quæ collegarum cooptatione repleri poterant, inſpectâ rei origine. Vide lib. 3. cap. 64.

10. *Labefactandæ legis Treboniæ cauſâ.*] Plures fuere Treboniæ leges. Hic ea ſignificatur quam L. Trebonius, Aſper cognomine, Trib. plebis anno 306. tulerat, quâ cavebatur ut magiſtratus qui præeſſet comitiis Tribunorum creandorum, uſque eò rogaret, dum decem Tribunos plebis faceret. Sicque Tribunorum cooptatio adempta fuerat collegio, atque in populum tranſlata. Vide lib. 3. cap. 65.

1. *Primo incepto repulſi.*] Nimirum ab eo quod voluerant in loca vacua Tribunorum plebis cooptari.

2. *Legem Treboniam, &c.*] Pendet oratio a *vociferans*, uſque ad *arguere*: *eſt* autem *vociferans arguebat*: ut notat rectè Sigon.

Fab. cond. an. 353. Tribb. mill. L. Valer. IV.

ptati pariter, & qui cooptaverant; tum 3 ex collegio tres, P. Curatius, M. Metilius, & M. Minucius: c trepidi rerum ſuarum, in Sergium Virginiumque prioris anni tribunos militares incurrunt: in eos ab ſe iram plebis invidiamque die dicta avertunt. *Quibus delectus, quibus tributum, quibus diutina militia, longinquitaſque belli ſit gravis, qui clade accepta ad Veios doleant, qui amiſſis liberis, fratribus, propinquis, affinibus, lugubres domos habeant; iis publici privatique doloris exequendi, jus poteſtatemque ex duobus noxiis capitibus datam, ab ſe memorant. Omnium namque malorum in Sergio Virginioque cauſas eſſe: nec id accuſatorem magis arguere, quam fateri reos: qui noxii ambo, alter in alterum cauſam conferant, fugam Sergii Virginius, Sergius proditionem increpans Virginii. Quorum adeo incredibilem amentiam fuiſſe, ut multo veriſimilius ſit compacto eam rem & communi fraude patriciorum actam. Ab his & prius datum locum Veientibus ad incendenda opera, belli trahendi causâ: & nunc proditum exercitum; tradita Faliſcis Romana caſtra. Omnia fieri, ut conſeneſcat ad Veios juventus: nec de agris, nec de aliis commodis plebis ferre ad populum tribuni, d frequentiaque urbanâ celebrare actiones & reſiſtere conſpirationi patriciorum poſſint. Præjudicium jam de reis & ab ſenatu, & à populo Romano, & ab ipſorum collegis factum eſſe. nam & 4 ſenatuſconſulto eos ab republ. remotos eſſe, & recuſantes abdicare ſe magiſtratu, dictatoris metu ab collegis coërcitos eſſe: & populum Romanum tribunos creaſſe, qui non Idibus Decembribus die ſolenni, ſed extemplò Calend. Octob. magiſtratum occiperent: quia ſtare diutius reſpubl. his manentibus in magiſtratu non poſſet. Et tamen eos tot judiciis confoſsos prædamnatoſque e venire ad populi judicium: & exiſtimare deſunctos ſe eſſe; ſatiſque pœnarum dediſſe, quod 5 duobus menſibus citius privati facti ſint. Neque intelligere, nocendi ſibi diutius tum poteſtatem ereptam eſſe, non pœnam irrogatam; quippe & collegis abrogatum imperium, qui certè nihil deliquiſſent. Illos repeterent animos Quirites, quos recenti clade accepta habuiſſent, quam fugâ trepidum, plenum vulnerum, ac pavore incidentem portis exercitum viderint; non fortunam, aut quem-*

INTERPRETATIO.

c *De propriis rebus ſolliciti.*

d *Et frequentes reddere actiones abundante Roma multitudine.*

e *Offerri judicandos à populo: & credere ſe jam liberatos eſſe* periculo.

NOTÆ.

3. *Ex collegio tres.*] Collegium plerunque dicitur de cœtu, ſive ſodalitate Tribunorum plebis. Tres igitur ex decem Tribunis.

4. *Senatuſconſulto eos ab republ. remotos.*] Ab repub. removere, eſt magiſtratu, ſeu publico munere privare. Sic enim ſubmovetur quis à reip. adminiſtratione, ut probat Gronov. exemplis ex Cæſ. & Vell. adductis. Vide ſup. cap. 9.

5. *Duobus menſibus citiùs.*] Elevat aliquantum Curatius pœnam illius ignominiæ, ut minùs idoneam oſtendat vindicandæ Sergii & Virginii culpæ. A Kalendis enim Octobribus ad Idus Decembres ſuprà duos menſes, eſt adhuc dimidius.

Urb. cond. an. 353. Tribb. mill. M. Æmil. &c.

quam Deorum, ſed hos duces accuſantes. Pro certo ſe habere, neminem in concione ſtare, qui illo die non caput, domum, fortunaſque L. Virginii ac M. Sergii ſit execratus, deteſtatuſque. Minimè convenire, quibus iratos quiſque Deos precatus ſit, [6] iniis ſua poteſtate, quam liceat & oporteat, non uti. Numquam Deos ipſos admovere nocentibus manus. ſatis eſſe, ſi occaſione ulciſcendi læſos arment.

XII. His orationibus incitata plebs [1] denis millibus æris gravis reos condemnat; nequicquam Sergio Martem communem bellique fortunam accuſante: Virginio deprecante; *Ne infelicior domi, quam militiæ eſſet*. In hos verſa ira populi, cooptationis tribunorum fraudiſque contra legem Treboniam factæ, memoriam obſcuram fecit. Victores tribuni ut præſentem mercedem judicii plebes haberet, legem agrariam promulgant, tributumque conferri prohibent: quum tot exercitibus ſtipendio opus eſſet, [2] reſque militiæ ita proſperè gererentur, ut nullo bello veniretur 3. ad exitum ſpei. namque Vejis caſtra, quæ amiſſa erant, recuperata caſtellis præſidiiſque firmantur. Præerant tribuni militum M. Æmilius, & Cæſo Fabius. A M. Furio in Faliſcis, & Cn. Cornelio in Caponate agro hoſtes nulli extra mœnia inventi: prædæ actæ incendiiſque villarum, ac frugum vaſtati fines; oppida nec oppugnata, nec obſeſſa ſunt. At in Volſcis depopulato agro Anxur nequicquam oppugnatum, loco alto ſitum, & [a] poſtquam vis irrita erat, vallo foſſaque obſideri cœptum. Valerio Potito Volſci provincia evenerat. Hoc ſtatu militarium rerum, ſeditio inteſtina majore mole coorta, quam bella tractabantur. & quum tributum conferri per tribunos non poſſet, nec ſtipendium imperatoribus mitteretur æraque militaria flagitaret miles; haud procul erat, quin caſtra quoque urbanæ ſeditionis contagione turbarentur. Inter has iras plebis in Patres, quum tribuni plebis nunc illud tempus eſſe dicerent ſtabiliendæ libertatis, & [4] ab Sergiis Virginiiſque ad plebejos viros fortes, ac ſtrenuos transferendi ſummi honoris: non tamen ultra proceſſum eſt, quam ut unus ex plebe, uſurpandi juris cauſa, P. Licinius Calvus tribunus militum conſulari po-

INTERPRETATIO.

a *Cum oppugnatio irrita fuiſſet.*

NOTÆ.

6. *In iis ſuâ poteſtate.*] Ita melius quàm, quod ſuggeſſit Sigonius *ſumma poteſtate*.

1. *Denis millibus æris gravis.*] Efficit hæc ſumma noſtræ monetæ circiter 6750. lib.

2. *Reſque militiæ ita proſpere gererentur.*] Sic Gronov. ſcribit: & tritum eſt *domi militiaque*. Vulgò *militiâ* in auferendi caſu, ut *belle*, ſive *in bello*.

3. *Ad exitum ſpei.*] Ita ſcribendum, non *ad exitum rei*, ut Rhenan. legit, moleſtâ vocabuli ejuſdem iteratione. Eſt enim paulò antè *reſque militiæ*. Alterum illud vindicat apud Gronov. Livius ipſe ſuprà: *quamvis ſera ſpei exitum expectare*.

4. *Ab Sergiis, Virginiiſque.*] Ab inutilibus Patriciis, quales L. Virginius, & M. Sergius Tribuni militum. cap. ſuper.

Urb. Cond. an. 354. Tribb. mill. P. Licin. &c.

testate crearetur: 5 cæteri patricii creati P. Mænius, L. Titinius, P. Mælius, L. Furius Medullinus, L. Publilius Volscus. Ita plebs mirabatur se tantam rem obtinuisse, non is modo qui creatus erat, vir nullis antè honoribus usus, 6 vetus tantum senator, & ætate jam gravis. Nec satis constat, cur primus ac potissimus ad novum delibandum honorem sit habitus. 7 Alii Cn. Cornelii fratris, qui tribunus militum priore anno fuerat, triplexque stipendium equitibus dederat, gratiâ extractum ad tantum honorem credunt. alii orationem ipsum tempestivam de concordia ordinum, Patribus plebique gratam, habuisse. Hac victoria comitiorum exultantes tribuni plebis, quod maxime rempubl. impediebat, de tributo remiserunt. collatum obedienter missumque ad exercitum est.

Urb. cond. an. 354. Tribb. mill. P. Licin.

XIII. Anxur in Volscis brevi receptum est, neglectis die festo custodiis urbis. Insignis annus hieme gelida ac nivosa fuit: adeo ut viæ clausæ, Tiberis innavigabilis fuerit. 8 Annona ex antè convecta copia nihil mutavit. Et quia P. Licinius, ut cœperat haud tumultuosè magistratum majore gaudio plebis, quam indignatione Patrum, ita etiam gessit; b dulcedo invasit proximis comitiis tribunorum militum, plebejos creandi. Unus M. Veturius ex patriciis candidatis c locum tenuit. plebejos alios tribunos militum consulari potestate omnes ferè centuriæ dixere, 1 M. Pomponium, C. Duilium, Voleronem Publilium, Cn. Genucium, L.

INTERPRETATIO.

a *Auctum non est annona pretium, ob copiam* frumenti *anteà advectam.*

b *Sequentibus comitiis quibus tribuni militum creandi fuerunt*, populum *cæpit libido eos de plebe creandi.*

c Servavit *dignitatem* illam.

NOTÆ.

5. *Cæteri Patricii.*] Plebejos tamen omnes hos esse, præter Furium, ex plebejis eorum magistratibus, Sigonius observat.

6. *Vetus tantùm Senator.*] Nusquam meminit Livius quo tempore Senatores ex plebe fieri cœperint. At Dionysius l. 7. an. U. C. 263. primùm ex plebe factos scribit, quemadmodum notat Glar.

7. *Alii Cn. Cornelii fratris.*] Glarean. Licinii fratrem Cornelium intelligit, quod uterque eadem matre natus esset, nupta primùm plebejo Licinii patri, deinde Patricio patri Cornelii. Sigon. probabilius fratres eos fuisse putat, non quod ambo nati essent ex eadem matre, diversi ordinis patribus: neque enim censet potuisse L. Licinium, qui jam extremâ senectute esset, ex eadem matre nasci post communicata ordinum connubia, cum hoc ante annos duntaxat XIV. concessum esset. Verùm existimat eos germanos fratres fuisse, iisdem parentibus ortos, sed Cnejum in Corneliam gentem fuisse adoptatum: unde modò Cornelius Cossus, modò Licinius Cossus dictus est: nam Licinium Cossum appellatum colligitur ex Plutarcho in Camillo, ubi tres Legati Delphos missi memorantur, Licinius Cossus, Valerius Potitus, & Fabius Ambustus, iidem ferè qui Collegæ etiam in Tribunatu mill. fuisse à Livio traduntur.

1. *M. Pomponium, &c.*] Horum nomina tum apud Diodorum, tum in omnibus vetustis Livii libris inveniuntur;

Atilium.

Atilium. Triſtem hiemem, ſive ex intemperie cœli, raptim mutatione in contrarium facta, ſive alia qua de cauſa, gravis peſtilenſque omnibus animalibus æſtas excepit. cujus inſanabili pernicie 2 quando nec cauſa, nec finis inveniebatur; 3 libri Sibyllini ex ſenatuſconſulto aditi ſunt. 4 Duumviri ſacris faciundis, 5 lectiſternio tunc primum in urbe Romana facto, per dies octo Apollinem, Latonamque & Dianam, Herculem, Mercurium atque Neptunum, 6 tribus, 7 quam ampliſſimè tum apparari poterat, ſtratis lectis placavêre. Privatim quoque 8 id ſacrum celebratum eſt. tota urbe patentibus januis, promiſcuoque uſu rerum omnium in propatulo poſito, notos ignotoſque paſſim advenas in hoſpitium ductos ferunt; & cum inimicis quoque benignè ac comiter ſermones habitos, jurgiis ac litibus temperatum. Vinctis quoque dempta in eos dies vincula: religioni deinde fuiſſe, 9 quibus eam opem Dii tuliſſent, vinciri.

Urb. cond. an. 355. Tribb. mill. M. Vetur. &c.

NOTÆ.

licèt in vulgatis legantur, pro M. Pomponio, L. *Titinius*, pro C. Duilio, P. *Menenius Racilius* omiſſo Volerone Publilio; de quo tamen extat fragmenti Capitolini teſtimonium. Unde non immeritò vitiatũ locum arguit Sigon. qui & *Atilios* unicos ſcribi oportere notat ex veteribus libris, ſcriptoribus Græcis, lapidibus Capitolinis, atque etymologia: ab Ati quippe Atilii orti ſunt; illi verò ab Atis: unde Virgilius.

Alter Atis, genus unde Atii duxere Latini.

2. *Quando nec cauſa, nec finis inveniebatur.*] Vocem *cauſa* ex ſuperiore linea huc delatam vult Tan. Faber, legendumque *nec curatio, nec finis*, vel *nec remedium, nec finis*. Et ſane cum auctor cauſam peſtilentiæ indicaverit ſubitam aëris mutationem; ſecum haud dubiè pugnaret, ſi diceret ejus cauſam inveniri non potuiſſe. Sed curatio ſive remedium morbi non multùm à fine differt. Fortaſſe cauſam moralem intelligit, factum ſcilicet, quo provocata Deûm ira: quæ quidem à cauſa naturali differt.

3. *Libri Sibyllini.*] De his vide quæ nos lib. 4. cap. 25. diximus.

4. *Duumviri ſacris faciundis.*] De his quoque, quorum progreſſu temporis numerus auctus manente officio, anteà dictum.

5. *Lectiſternio tunc primùm facto.*] Extraordinarius apud Romanos fuit Diis ſupplicandi ritus: cum lectis in Dei alicujus templo ſtratis, convivium, tanquàm Diis accubituris, apparabatur. Sic autem appoſitis epulis, Sacerdotes ipſi, ſeu Duumviri: ac poſteà triumviri, vel ſeptemviri epulones Deorum loco veſcebantur.

6. *Tribus ... ſtratis lectis.*] Ex quo inter cœnandum diſcumbendi mos inolevit apud Romanos; in cœnaculo circa menſam tres ut plurimum lecti collocabantur. Ex quo Triclinii nomen, vel Biclinii (quod & ſigna poſteà dictum) ubi duo tantùm lecti erant. Eſt enim Græcè κλίνη, quod Latinè *Lectus*. Unum autem lectum terni, aut quaterni occupabant. Hic itaque in primum lectum quaſi invitari potuere Apollo ac Diana cum Latona matre; Hercules & Mercurius Jove & ipſi nati, in ſecundum; Neptunus ejuſdem frater, in tertium.

7. *Quàm ampliſſimè apparari poterat.*] Inſternebantur lecti aulæis, purpurâ, aut aliâ ſtragulâ veſte.

8. *Id ſacrum celebratum eſt.*] Quemadmodum munera ſponſalitia, & nuptiarum nomine celebritas nuptiarum ſive convivium nuptiale ſignificatur: ita per *ſacrum* hic intelligit Livius feſtum convivium ſacrorum cauſa celebratum.

9. *Quibus eam opem Dii tuliſſent.*] Id eſt, qui in honorem Deorum, ac velut Diis opem ferentibus, ſoluti vinculis fuerant.

Urb. cond. an. 355. Tribb. mill. M. Vetur.

Interim ad Vejos terror multiplex fuit; tribus in unum bellis collatis: namque 10 eodem quo antea modo, circa munimenta, quum repente Capenates Faliſcique ſubſidio veniſſent, adverſus tres exercitus ancipiti prælio pugnatum eſt. Ante omnia adjuvit memoria damnationis 11 Sergii & Virginii. itaque 12 majoribus caſtris, unde antea ceſſatum fuerat, brevi ſpatio circumductæ copiæ, Capenates in vallum Romanum verſos ab tergo aggrediuntur. Inde pugna cœpta & Faliſcis intulit terrorem, trepidanteſque eruptio ex caſtris opportunè facta avertit. repulſos deinde inſecuti victores, ingentem ediderunt cædem. Nec ita multo poſt jam palantes, veluti forte oblati, populatores Capenatis agri, reliquias pugnæ abſumpſere: d & Vejentium refugientes in urbem, multi antè portas cæſi, dum præ metu, ne ſimul Romanus irrumperet, objectis foribus extremos ſuorum excluſere. Hæc eo anno acta.

Urb. cond. an. 356. Tribb. mill. L. Valer. v.

XIV. Et jam comitia tribunorum militum aderant, quorum prope major Patribus quam belli cura erat: quippe non communicatum modo cum plebe, ſed prope amiſſum cernentibus ſummum imperium. Itaque clariſſimis viris ex compoſito præparatis ad petendum, a quos prætereundi verecundiam crederent fore; nihilominus ipſi, perinde ac ſi omnes candidati eſſent, cuncta experientes, non homines modo, ſed 1 Deos etiam excipiebant; in religionem vertentes comitia biennio habita: *priore anno intolerandam hiemem, 2 prodigiiſque divinis ſimilem coortam: proximo non prodigia, ſed jam eventus, peſtilentiam agris urbique illatam, haud dubia irâ Deûm. quos peſtis ejus arcendæ cauſa placandos eſſe, 3 in libris Fatalibus inventum ſit. 4 Comitiis, auſpicato quæ fierent, indi-*

INTERPRETATIO.

d *Et multi Vejentium cum in urbem ſuam refugerent, caſi ſunt ante portas, dum* qui primi ingreſſi erant, foribus *oppoſitis ultimos excluſerunt cum metuerent ne unà* cum ſuis *Romani irrumperent.*

a *Quos ſine pudore prætermitti non poſſe exiſtimabant.*

NOTÆ.

10. *Eodem quo antea modo.*] Qui narratur ſuprà cap. 8.

11. *Sergii & Virginii.*] De quibus cap. 9. 11. 12.

12. *Majoribus caſtris.*] Malim è *majoribus caſtris*, ut non ea Capenates adorti eſſent, ſed minora. Sic enim hæc oppugnatio cum ſuperiore magis conveniet, quâ in minoribus caſtris obſeſſus Sergius, ſubſidium à majoribus expectabat: & contrà ſuperiori defenſioni hæc rectè opponetur ſi è majoribus caſtris nunc ſubmiſſum dicatur ſubſidium, è quibus nullum tunc Sergio latum. Alioqui fatendum erit minùs rectè hujus temporis, cum illo inſtituti comparationem.

1. *Deos etiam excipiebant.*] Hoc loco excipere eſt quaſi arripere, & ad ſuas partes trahere. Non abſimili ſenſu dixit Cic. de Orat. *Ex alterius oratione excipere aliud atque ille vult.*

2. *Prodigiiſque divinis ſimilem.*] Num potiùs *fertilem?* Aut, ſi mavis, *terribilem.*

3. *In libris fatalibus.*] Sibyllinis, quibus urbis fata contineri credebantur, aut prænunciari.

4. *Comitiis, auſpicato quæ fierent.*] In comitiis etiam *tributis*, id quidem obti-

gnum Diis visum honores vulgari, discriminaque gentium confundi. Præterquam majestate petentium, religione etiam attoniti homines, patricios omnes, partem magnam honoratissimum quemque, tribunos militum consularii potestate creavere, L. Valerium Potitum quintùm, M. Valerium Maximum, 5 M. Furium Camillum iterum, L. Furium Medullinum tertiùm, Q. Servilium Fidenatem iterum, Q. Sulpicium Camerinum iterum. His tribunis ad Vejos nihil admodum memorabile actum est. tota vis populationibus fuit. Duo summi imperatores, Potitus à Faleriis, Camillus à Capena prædas ingentes egêre: nulla incolumi relicta re, cui ferro aut igni noceri posset. Urb. cond. an. 356. Tribb. mill. L. Valer. v. &c.

XV. Prodigia interim multa nunciari; quorum pleraque, & quia singuli auctores erant, parum credita spretaque: & quia [a] hostibus Etruscis, [1] per quos ea procurarent, [2] aruspices non erant. in unum omnium curæ versæ sunt, quod [3] lacus in Albano nemore sine ullis [4] cœlestibus aquis, causave qua alia quæ rem miraculo eximeret, in altitudinem insolitam crevit. Quidnam eo Dii portenderent prodigio, missi scisciatum oratores ad Delphicum oraculum: sed propior interpres fatis oblatus senior quidam Vejens, qui inter cavillantes in stationibus ac custodiis milites Romanos Etruscosque, vaticinantis in modum cecinit, *Priusquam ex lacu Albano aqua emissa foret,*

INTERPRETATIO.

a *Cum* tunc *Etrusci essent hostes* Romanorum.

NOTÆ.

nebat ut haberi non possent, quo die servatum esset de cœlo: sed præter hæc, in comitiis centuriatis, quibus majores magistratus creabantur, in curiatis etiam, adhibebantur auspicia propriè dicta, id est, avium inspectio. Quare cum auspicia, more majorum, essent penes solos patricios, ut antè dictum, lib. 4. cap. 6. & adhuc lib. 6. cap. 41. dicetur: non sine colore aliquo fremebant patricii summos honores in plebem vulgari, & cum ea communicari.

5. *M. Furium Camillum iterum.*] Vulgati habent Camillum tertiùm: sed contra veterum fidem, & Plutarchi quoque qui hoc anno quo lacus Albanus inundavit eum secundâ vice Tribunum fuisse testatur.

1. *Per quos ea procurarent.*] Prodigia procurare dicebantur, qui ea certo sacrificiorum genere expiabant. Quid autem monstrum & prodigium unumquodque portenderet, interpretari; quæ sacra in eam rem, cui Deo, quibusve victimis fieri oporteret, cognoscere non quorumvis erat: sed eorum, qui eam artem callerent. In ea excellere credebantur Etrusci: ideoque Senatus decreto liberi principum patriciorum selecti, certo numero, Etruriæ populis in disciplinam tradebantur.

2. *Aruspices non erant.*] Propriè Aruspices iidem sunt cum extispicibus, qui hostiæ immolatæ inspectis exstis futura prædicunt: licet generalius accipiatur aruspex pro quovis ariolo.

3. *Lacus in Albano nemore.*] Qui Albanus olim lacus dicebatur ab Alba Longa ad ejus ripam posita, hodie vocatur, *Lago di Castel Gandolfo*, ab ejus nominis arce vicina, in quam divertere soliti Pontifices maximi.

4. *Cœlestibus aquis.*] Describit hoc prodigium Valer. Max. lib. 1. cap. 6. *Neque cœlestibus imbribus auctus, neque inundatione ullius amnis adjutus, solitum stagni modum excessit.*

Urb. cond. an. 356. Tribb. mill. L. Valer. v. &c,

numquam potiturum Veiis Romanum. Quod primo velut temerè jactum ſperni, agitari deinde ſermonibus cœptum eſt; donec unus ex ſtatione Romana percunctatus proximum oppidanorum (jam per longinquitatem belli commercio ſermonum facto) quiſnam is eſſet, qui per ambages [b] de lacu Albano jaceret; poſtquam audivit aruſpicem eſſe, vir haud intacti religione animi, cauſatus, de privati portenti procuratione, ſ ſi operæ illi eſſet, conſulere velle, ad colloquium vatem elicuit. Quumque progreſſi ambo à ſuis longius eſſent inermes, ſine ullo metu; prævalens juvenis Romanus ſenem infirmum in conſpectu omnium raptum, nequicquam tumultuantibus Etruſcis, ad ſuos tranſtulit. qui quum perductus ad imperatorem, inde Romam ad ſenatum miſſus eſſet, ſciſcitantibus quidnam id eſſet, quod de lacu Albano docuiſſet; reſpondit, *Profecto iratos Deos Veienti populo illo fuiſſe die, quo ſibi eam mentem objeciſſent, ut excidium patriæ fatale proderet. Itaque quo tum cecinerit divino ſpiritu inſtinctus, ea ſe nec, ut indicta ſint, revocare poſſe; & tacendo forſitan quæ Dii immortales vulgari velint, haud minus quam celanda effando* [c] *nefas contrahi: Sic igitur libris fatalibus, ſic diſciplina Etruſca traditum eſſe, ut quando aqua Albana abundaſſet, tum, ſi eam Romanus ritè emiſiſſet, victoriam de Veientibus dari. antequam id fiat, Deos mœnia Veientium deſerturos non eſſe.* [d] Exſequebatur inde quæ ſolennis derivatio eſſet. Sed auctorem levem, nec ſatis fidum ſuper tanta re Patres rati, decrevere legatos [6] ſorteſque [7] oraculi Pythici exſpectandas.

Urb. cond. an. 357. Tribb. mill. L. Jul. &c.

XVI. Priuſquam à Delphis oratores redirent, Albanive prodigii piacula invenirentur, novi tribuni militum conſulari poteſtate, L. Julius Julus, L. Furius Medullinus quartùm, L. Sergius Fidenas, A. Poſtumius Regillenſis, P. Cornelius Maluginenſis, A. Manlius, magiſtratum inierunt. Eo anno Tarquinienſes, novi hoſtes exorti, quia multis ſimul bellis, Volſcorum ad Anxur, ubi præſidium obſidebatur; Æquorum ad La-

INTERPRETATIO.

b *Verba faceret de Albano lacu.*

c *Committi crimen.*

d *Poſt hæc proſequebatur quomodò ritè facienda eſſet emiſſio aquæ* ex lacu.

NOTÆ.

5. *Si operæ illi eſſet.*] Liviana phraſis, pro ſi illi vacaret, ſi operam ille ſuam in id vellet impendere. *S'il avoit loiſir de s'employer à cela.*

6. *Sorteſque oraculi.*] Sumitur ſæpenumero *ſortes* & *ſortium* vocabulum pro Oraculo ſorte edito: ut apud Virg. *Italiam Lycia juſſere capeſſere ſortes.* Ut enim obſervat Cic. 1. de Divinat, Oracula duplicis fuere generis: alia inſtinctu divino afflatuque fundebantur. alia æquatis ſortibus ducebantur; cum ſcilicet *ſortes* certis obſcuris ſententiis notatæ, quarum quædam felicitatem, quædam calamitatem denunciabant, pari numero in ſitulam, vel urnam conjectæ, conſulentibus reddebantur.

7. *Oraculi Pythici.*] Apollinis Delphici qui Pythius dictus, ſive ab interempto Pythone ſerpente, de quo Ovid. 1. Metam. ſive à verbo πυνθάνομαι, quod eſt conſulere & interrogare. Hinc ejus Sacerdos apud Delphos (quæ urbs Phocidis in Græcia) Pythia: ludi in ejus honorem celebrati Pythici.

vicos, qui Romanam ibi coloniam oppugnabant: ad hoc Vejenti quoque & Faliſco, & Capenati bello occupatos videbant Romanos; nec intra muros quietiora negotia eſſe certaminibus Patrum ac plebis; inter hæc locum injuriæ rati eſſe; prædatum in agrum Romanum cohortes expeditas mittunt. aut enim paſſuros inultam eam injuriam Romanos, ne novo bello ſe onerarent: aut exiguo, eoque parum valido exercitu, perſecuturos. a Romanis indignitas major quam cura populationis Tarquinienſium fuit. eo nec magno conatu ſuſcepta, nec in longum dilata res eſt. A. Poſtumius, & L. Julius non juſto delectu (etenim ab tribunis plebis impediebantur), ſed prope voluntariorum, quos adhortando incitaverant, coacta manu per agrum Cæretem obliquis tramitibus egreſſi, redeuntes à populationibus graveſque prædâ Tarquinienſes oppreſſere. multos mortales obtruncant, omnes exuunt impedimentis: & receptis agrorum ſuorum ſpoliis, Romam revertuntur. Biduum ad recognoſcendas res datum dominis: tertio incognita (erant autem ea pleraque hoſtium ipſorum) ſub haſta veniêre; quodque inde redactum, militibus eſt diviſum. Cæterâ bella, maximeque Vejens, incerti exitûs erant. Jamque Romani, deſperata ope humana, fata & Deos ſpectabant, quum legati ab Delphis venerunt, ſortem oraculi afferentes, congruentem reſponſo captivi vatis. *Romane, aquam Albanam cave lacu contineri, cave in mare* 1 *manare ſuo flumine ſinas.* b *emiſſam per agros rigabis, diſſipatamque rivis, extingues. Tum tu inſiſte audax hoſtium muris; memor quam per tot annos obſides urbem, ex ea tibi his, quæ nunc panduntur, fatis victoriam datam. Bello perfecto, donum amplum victor ad mea templa portato: ſacraque patria, quorum omiſſa cura eſt, inſtaurata, ut aſſolet, facito.* Urb. cond. an. 357. Tribb. mill. L. Jul. &c.

XVII. Ingens inde haberi captivus vates cœptus, eumque adhibere tribuni militum Cornelius Poſtumiuſque ad prodigii Albani procurationem ac Deos rite placandos cœpere. Inventumque tandem eſt, ubi neglectas cærimonias, intermiſſumve ſolenne Dii arguerent, nihil profecto aliud eſſe, quam magiſtratus vitio creatos, 1 Latinas, ſacrumque in Urb. cond. an. 357. Interregn.

INTERPRETATIO.

a *Major indignatio.*

b *Emiſſam* è lacu, *ſparges* hinc inde *per agros, & in rivos diſtrahendo exhauries.*

NOTÆ.

1. *Manare ſuo flumine.*] Flumen hic non fluvium ſive amnem ſignificat, qualis nullus eſt per quem aqua Albani lacus in mare decurrat: ſed accipitur pro fluxu nativo aquarum per declivia; jubenturque Romani operam dare ne ab exundanti lacu, aqua impetu ſuo ad mare uſque pertingat.

1. *Latinas, ſacrumque.*] Tarquinius Superbus auctore Dionyſio lib. 4. ut ſempiternum maneret inter Romanos & Latinos fœdus, inſtituerat ſacrum ſolenne *Latiar*, in monte Albano (qui medius ferè inter Latii populos Albanis etiam ortos locus), celebrandum Jovi Latiari, quo populi omnes Latini ac vicini numero 47. in ſocietatem recepti, quotannis convenirent, & ſimul epu-

Urb. cond. an. 357. Interregn.

Albano monte non rite concepiſſe. Unàm expiationem eorum eſſe, ut tribuni militum abdicarent ſe magiſtratu: auſpicia de integro repeterentur, & interregnum iniretur. Ea ita facta ſunt ex ſenatuſconſulto. Interreges tres deinceps fuere, L. Valerius, Q. Servilius Fidenas, M. Furius Camillus. Numquam deſitum interim turbari, comitia interpellantibus tribunis plebis, donec conveniſſet prius, *ut major pars tribunorum militum ex plebe crearetur*. Quæ dum aguntur, concilia Etruriæ ad fanum Voltumnæ habita. poſtulantibuſque Capenatibus ac Faliſcis, ut Vejos communi animo conſilioque omnes Etruriæ populi ex obſidione eriperent, reſponſum eſt: *antea ſe id Vejentibus negaſſe, quia unde conſilium non petiſſent ſuper tanta re, auxilium petere non deberent. nunc jam pro ſe* [2] *fortunam ſuam illis negare. maximè* [3] *in ea parte Etruriæ* [4] *gentem inuſitatam, novos accolas Gallos eſſe, cum quibus nec pax ſatis fida, nec bellum pro certo ſit: ſanguini tamen nominique & præſentibus periculis conſanguineorum id dari, ut ſi qui juventutis ſuæ* [5] *voluntate ad id bellum eant, non impediant*. Eum magnum adveniſſe hoſtium numerum, famæ Romæ erat. eoque miteſcere diſcordiæ inteſtinæ metu communi, ut fit, cæptæ.

XVIII. Haud invitis Patribus Licinium Calvum [1] prærogativa tribunum militum non petentem creant, moderationis expertæ in priore ma-

NOTÆ.

larentur. In eum uſum quantum quiſque populus alii agnorum, alii caſei, lactiſve, aut ciborum quantitatem conferret, conſtitutum erat, & quam quiſque acciperet portionem carnium viſcerumque ex Tauro victima omnium communi. Hac de cauſa indicebantur Feriæ à Conſulibus aliiſve ſupremis magiſtratibus qui his ſacris unà cum magiſtratibus Latinarum Civitatum operabantur, nec antè in provincias exire paludati conſueverant. Porro ſi quid in iis ſacris peccatum eſſet, quod aut non omnes Latini carnem accepiſſent, aut in cærimoniis aliquid eſſet omiſſum, Feriæ denuò inſtaurari oportebat. His unum diem dicaverat Tarquinius: alter additus eſt poſt fœdus cum Latinis à Sp. Caſſio Coſ. percuſſum paulò poſt reges exactos: tertius adjectus à Senatu an. u. 260. poſt plebem patribus reconciliatam, auctore Dionyſio extremo lib. 6. De quarto (qui poſt acceſſit) noſter lib. proximo.

2. *Fortunam ſuam.*] Se, reliquos nempe Etruſcos, ob ſtatum præſentem rerum ſuarum Vejentibus auxilia negare.

3. *In ea parte Etruriæ.*] In qua parte? Nam apud fanum Voltumnæ, non ex certa parte & Gallis vicina, ſed ex omni Etruria convenerant. Dele itaque illud *ea*. Neque verò in parte Etruriæ Galli erant, ſed partis accolæ, nempe Aretium verſus & Cluſium.

4. *Gentem inuſitatam.*] Meritò Glar. Livium ridet Tuſcos inducentem de Gallis tanquam de Indis loquentem: quos tamen à temporibus uſque Tarquinii Priſci, id eſt, ante duo ſæcula in Italiam tranſgreſſos, partemque eorum jamdiu in Umbria Etruriæ finitimi conſediſſe ipſemet fatetur, mox cap. 34. & 35.

5. *Voluntate ad id bellum eant.*] Sic Mſſ. apud Gronov. id eſt, ſponte: vulgò voluntarii, eod. ſenſu.

1. *Prærogativa tribunum militum creant.*] *Prærogativa Tribus* vocabantur, quæ *pra* ſive priùs cæteris rogabantur ſententiam, ſive quæ *prima ſuffragium ferebant ante jure vocatas*. Qua de re plus ſatis dixi ad lib. 1. cap. 43. pag. 102. & ſeqq. id tantum adjicio, legendum hic eſſe, vel *prærogativa creant*, ex Sigon. in ſcholiis ad hunc locum, (nam conjectis in urnam nominibus Centuriarum, duæ quarum nomina exiſſent, altera Junio-

Digitized by Google

giſtratu virum, cæterum jam tum exactæ ætatis: [2] omneſque deinceps ex collegio ejuſdem anni refici apparebat, L. Titinium, P. Mænium, P. Mælium. Cn. Genucium, L. Atilium; qui, priuſquam [3] renunciarentur, jure vocatis tribubus, permiſſu interregis, P. Licinius Calvus ita verba fecit: *Omen concordiæ, Quirites, rei maximè in hoc tempus utili, memoria noſtri magiſtratus vos bis comitiis petere in ſequentem annum video, ſi collegas eoſdem reficitis, etiam uſu meliores factos. Me jam non eundem, ſed umbram nomenque P. Licinii relictum videtis. vires corporis affectæ: ſenſus oculorum atque aurium hebetes, memoria labat, vigor animi obtuſus. En vobis*, inquit, *juvenem*, filium tenens, *effigiem atque imaginem ejus, quem vos antea tribunum militum ex plebe primum feciſtis. Hunc ego inſtitutum diſciplina mea, vicarium pro me Reipubl. do dicoque. Voſque quæſo, Quirites, delatum mihi ultro honorem huic petenti, meiſque pro eo adjectis precibus mandetis.* Datum id petenti patri, filiuſque ejus P. Licinius tribunus militum conſulari poteſtate, cum iis quos ſupra ſcripſimus, declaratus. Titinius Genuciuſque tribuni militum, profecti adverſus Faliſcos Capenateſque, dum bellum majore animo gerunt, quam conſilio, præcipitavere in inſidias. Genucius morte honeſta temeritatem luens, ante ſigna inter primores cecidit. Titinius in editum tumulum ex multa trepidatione militibus collectis, aciem reſtituit: nec ſe tamen æquo loco hoſti commiſit. Plus ignominiæ erat quam cladis acceptum; quæ prope in cladem ingentem vertit; tantum inde terroris non Romæ modo, quo multiplex fama pervenerat; ſed in caſtris quoque fuit ad Vejos. Ægrè ibi miles retentus à fuga eſt,

Urb. cond. an. 357. Interregn.

NOTÆ.

rum, altera Seniorum, in ſuffragia ante alias mittebantur): vel certè, ut idem Sigon. cenſet lib. 3. de Jure Antiq. Provinciar. cap. 3. reſcribendum eſſe *prærogativa creat*. Niſi malimus *prærogativâ* dici abſolutè in auferendi caſu, ut ſit *per prærogativam* Centuriam Romani *creant*.

2. *Omneſque deinceps ex Collegio ejuſdem anni*.] Adde *aut ſequentis*. Ut patet ex cap. 12. & 13. ſuprà.

3. *Renunciarentur, jure vocatis Tribubus*.] *Renunciare* eſt edere nomina candidatorum, quod magiſtratus comitia habentis proprium, non ſuffragatorum, ut ex Cic. Gronovius probat. Unde nec legendum, nec intelligendum eſt renunciandos fuiſſe hos candidatos *à Jure vocatis Tribubus*, quod Sigonius putavit. Sed vel illud *jure vocatis* in dandi caſu ſumendum, ut referatur ad id quod ſequitur, *Licinius Calvus verba fecit*: quanquam Livii ſermo non tantùm ad jure vocatas, ſed etiam ad prærogativas dixisi debuit; quas ſanè ad ſuffragia revocari oportuit, ut ſecundum Licinii patris petitionem filius ejus Tribunus militum ritè crearetur: vel potiùs *jure vocatis Tribubus* abſolutè dicitur in ablativo, hoc nempe ſenſu; ut renunciarentur ii de quibus agitur, ſi Tribus jure vocatæ eſſent, ſive poſtquam tribus reliquæ jure eſſent vocatæ, ſuffragiumque tuliſſent. Sed Tribus prærogativæ uſum hoc tempore fuiſſe receptum, eſt quod ambigatur: & poſtquam, completo, ut putat Gruchius, triginta quinque Tribuum numero, id eſt circa annum 300. ſervari cœpit ut ex Tribubus ſorte ducerentur una Prærogativa, non plures, quod ſciam, fuere prærogativæ. Videri itaque poteſt Livius res hujus temporis juxta ſequentium ſeculorum morem commemoraſſe.

Urb. cond. an. 357. Tribb. mill. P. Licin. &c.

quum pervasisset castra rumor, ducibus exercituque cæso victorem Capenatem ac Faliscum, Etruriæque omnem juventutem haud procul inde abesse. His tumultuosiora Romæ, jam castra ad Vejos oppugnari, jam partem hostium tendere ad urbem agmine infesto, crediderant: concursumque in muros est, & matronarum, quas ex domo conciverat publicus pavor, obsecrationes in templis factæ: precibusque ab Diis petitum, ut exitium ab urbis tectis, templisque, ac Romanis mœnibus arcerent; Vejosque eum averterent terrorem, si sacra renovata rite, si procurata prodigia essent.

Urb. cond. an. 357. Dictat. M. Fur. Cam.

XIX. Jam Ludi Latinæque instauratæ erant: jam ex lacu Albano aqua emissa in agros, [1] Vejosque fata appetebant. Igitur fatalis dux ad excidium illius urbis, servandæque patriæ, M. Furius Camillus dictator dictus, magistrum equitum P. Cornelium Scipionem dixit. Omnia repentè mutaverat imperator mutatus. alia spes, alius animus hominum, fortuna quoque alia urbis videri. Omnium primum in eos qui à Veiis in illo pavore fugerant, more militari animadvertit, effecitque ne hostis maximè timendus militi esset. deinde indicto delectu in diem certam, ipse interim Vejos ad confirmandos militum animos intercurrit: inde Romam ad scribendum novum exercitum redit; nullo detrectante militiam. Peregrina etiam juventus Latini Hernicique, operam suam pollicentes, ad id bellum venere: quibus quum gratias in senatu egisset dictator, satis jam omnibus ad id bellum paratis, ludos magnos ex senatusconsulto vovit Veiis captis se facturum: ædemque [2] Matutæ matris resectam dedicaturum, jam antè ab rege Servio Tullio dedicatam. Profectus cum exercitu ab urbe, expectatione hominum majore quam spe, in agro primum [3] Nepesino cum Falisciis & Capenatibus signa confert. Omnia ibi summa ratione consilioque acta, fortuna etiam, ut fit, secuta est. non prælio tantum fudit hostes: sed castris quoque exuit, ingenti-

NOTÆ.

1. *Vejosque fata appetebant*.] Vulgatum *appetere* pro instare, imminere: & *fata* pro fatali exitio. Fuit itaque qui legeret *Vejorum*. Gronovius scribit *Veiisque*, adducto Plauti loco in Aulul. act. 1. sc. 1. *propinqua partitudo cui appetit*. Sed diversus apparet sensus: aliudque *partum mulieri appetere*, aliud *urbi appetere fatum*. Et quidni figuratè *fato* actio appetendi velut personæ tribuatur? Certè *parietes appetere videri* Cic. 2. Philipp. dixit. Dicuntur & inanimata *flagitare*, *deposcere*. Sic apud eund. *Ut illa flamma divinitus extitisse videatur, non qua deleret Jovis Opt. Max. templum, sed qua praclarius magnificentiusque deposceret*.

2. *Matutæ matris*.] Ino Cadmi filia, Athamantis uxor, mater Melicertæ, cum hoc filio suo in Deam marinam versa, Græcis *Leucothea*, Latinis *Matuta* dicta est, quod matutino tempori præsit, sumitur enim pro *Aurora*. Vide fabulam apud Ovid. 3. Metam. & Fast. lib. 6. Colebatur à matronis quæ non suos, sed sororum liberos ei commendare solitæ, apud Plut. in quæstionib. Romanis, n. 17. Duæ tresve in urbe ipsi dicatæ fuerunt ædes. Hæc videtur fuisse in 8. Regione quæ est fori Romani.

3. *Nepesino*.] Oppidi in Tusc. cui nomen *Nepet*, vel *Nepete*, hodie *Nepi*.

que

que prædæ eſt potitus: cujus pars maxima ad quæſtorem redacta eſt: haud ita multum militi datum. Inde ad Vejos exercitus ductus, denſioraque caſtella facta: & à procurſationibus, quæ multæ temerè inter murum ac vallum fiebant, edicto, *ne quis injuſſu pugnaret*, ad opus milites traducti. Operum fuit omnium longè maximum ac laboriosiſſimum, cuniculus in arcem hoſtium agi cœptus. [a] quod ne intermitteretur opus, neu ſub terra continuus labor eoſdem conficeret, in partes ſex munitorum numerum diviſit: [4] ſenæ horæ in orbem operi attributæ ſunt: nocte ac die numquam ante omiſſum, quam in arcem viam facerent. Urb. cond. an. 357. Dictat. M. Fur. Cam.

XX. Dictator quum jam in manibus videret victoriam eſſe, [1] urbem opulentiſſimam capi, tantumque prædæ fore quantum non omnibus in unum collatis antè bellis fuiſſet, ne quam inde aut militum iram ex malignitate prædæ partitæ, aut invidiam apud Patres ex prodiga largitione caperet, literas ad ſenatum miſit. *Deûm immortalium benignitate, ſuis conſiliis, & patientia militum, Vejos jam fore in poteſtate populi Romani. quid de præda faciendum cenſerent?* Duæ ſenatum diſtinebant ſententiæ: ſenis P. Licinii, quem primum dixiſſe, [2] à filio interrogatum, ferunt, *edici palam placere populo, ut qui particeps eſſe prædæ vellet, in caſtra Vejos iret?* altera Ap. Claudii, qui *largitionem novam, prodigam, inæqualem, inconſultam* arguens, [3] *ſi ſemel nefas ducerent captam ex hoſtibus in ærario exhauſto bellis pecuniam eſse*, auctor erat *ſtipendii ex ea pecunia militi numerandi, ut eo minus tributi plebs conferret. Ejus enim doni ſocietatem ſenſuras æqualiter omnium domos non avidas in direptiones manus otioſorum urbanorum præreptaras fortium bellatorum præmia eſse. quum ita ferme evenit, ut ſegnior ſit prædator,* [b] [4] *ut quiſque laboris periculique præcipuam petere partem ſoleat.* Licinius contrà, *ſuſpectam & inviſam ſemper eam pecuniam fore* ajebat: *cauſaſque criminum ad plebem ſe-*

INTERPRETATIO.

a *Quod opus ne interrumperetur.*
b *Ut quò quiſque ardentius laboris diſcriminiſque partem expetere ſolitus ſit, eo negligentior ſit in præda rapienda.*

NOTÆ.

4. *Senæ horæ in orbem operi attributæ ſunt.*] Non propriè operi attributæ ſunt horæ, quandoquidem continenter opus fiebat. Sed ſextæ cuique munitorum parti aſſignatæ ſunt ſex per ſingulos dies horæ, quibus per vices incumberent operi.

1. *Urbem opulentiſſimam capi.*] Tempore præſenti utitur, pro futuro, ſed inſtante. Nondum enim capiebantur Veii, ſed certo cognoſcebatur futurum ut mox caperentur.

2. *A filio interrogatum.*] Habebatur enim Senatus abſente Dictatore à Tribunis militum, in quibus Junior P. Licinius qui primum obtinebat locum, hunc honorem patri exhibuit, ut eum ante cæteros ſententiam rogaret.

3. *Si ſemel nefas ducerent.*] Semel pro *planè, omninò*. Cic. ad Attic. lib. 14. ep. 11. *Antonius ſemel inducit animum ſibi licere quod vellet.* Vult itaque Appius ſi abſolute nollent Senatores pecuniam captam in ærarium redigi; atque ab ea re velut à flagitio quodam abhorrerent, &c.

4. *Ut quiſque.*] *Ut*, id eſt, *prout*.

Urb. Cond. an. 357. Dictat. M. Fur. Cam.

ditionemque inde, ac legum novarum præbituram. Satius igitur esse reconciliari eo dono plebis animos: exhaustis, atque exinanitis tributo tot annorum, succurri: & sentire prædæ fructum ex eo bello, in quo prope consenuerint. gratius id fore, lætiusque, quod quisque sua manu ex hoste captum domum retulerit, b quam si multiplex alterius arbitrio accipiat. Ipsum dictatorem fugere invidiam ex eo criminaque. eò delegasse ad senatum. Senatum quoque debere rejectam rem ab se permittere plebi, ac pati habere quod cuique fors belli dederit. Hæc tutior visa sententia est, quæ popularem senatum faceret. Edictum itaque est, *ad prædam Vejentem, quibus videretur, in castra ad dictatorem proficiscerentur.* Ingens profecta multitudo replevit castra.

XXI. Tum dictator auspicato egressus, quum edixisset ut arma milites caperent, 1 *Tuo ductu*, inquit, 2 *Pythice Apollo, tuoque numine instinctus pergo ad delendam urbem Vejos: tibique hinc decimam partem prædæ voveo. Te simul, 3 Juno Regina, a quæ nunc Vejos colis, precor, ut nos victores in nostram tuamque mox futuram urbem sequare: ubi te, dignum amplitudine tua, templum accipiat.* Hæc precatus, b superante multitudine, ab omnibus locis urbem aggreditur, c quò minor ab cuniculo ingruentis periculi sensus esset. Vejentes ignari, se jam 4 ab suis vatibus, jam 5 ab externis oraculis proditos, jam 6 in partem prædæ suæ vocatos Deos, alios votis ex urbe sua evocatos hostium templa, novasque sedes spectare, seque ultimum illum diem agere; nihil minus timentes, quam subrutis cuniculo mœnibus arcem jam plenam hostium esse, in muros pro se quisque armati discurrunt: mirantes quidnam id esset quod, quum tot per dies nemo se ab stationibus Romanis movisset, tum velut repentino icti furore improvidi currerent ad muros. Inseritur huic loco fabula:

INTERPRETATIO.

b *Quàm si id multiplicatum accipiat alieno judicio.*

a *Quæ Vejos* tanquam urbem tibi speciatim devotam, *incolis.*

b *Cum hominum copia redundaret.*

c *Ut minor esset* Vejentibus *notitia periculi imminentis ex subterranea fossa.*

NOTÆ.

1. *Tuo ductu.*] Verba sunt Camilli evocantis Deos tutelares Vejorum, eosque ad migrandum Romam invitantis, templumque & honores voventis, atque urbem expugnandam, cum propugnatoribus devoventis, qui mos solennis Romanorum in expugnandis urbibus. Formulam verbatim refert Macrob. 3. Saturn. cap. 9.

2. *Pythice Apollo.*] Phœbus sive Apollo sub Pythici titulo Delphis colebatur, ut paulo ante dictum.

3. *Juno Regina.*] Hoc in primis cognomine Junonem Romani coluerunt, quod Jovis Deorum atque hominum regis soror & conjux esset. Licet autem id cognomen videatur Vejorum præsidi Deæ inditum: attamen Romanis quoque ante hæc tempora cognitum fuerat. Nam Junonem Reginam cum Jove & Minerva in Capitolio invocatam jam vidimus lib. 3. cap. 17.

4. *Ab suis vatibus.*] A sene illo Vejente, qui de aqua è lacu Albano emittenda vaticinatus fuerat; supra cap. 15.

5. *Ab externis oraculis.*] Apollinis Delphici, qui simile responsum ediderat, cap. 16. in fine.

immolante rege Vejentium, vocem aruſpicis dicentis, qui ejus 6 hoſtiæ exta profecuiſſet, ei victoriam dari, exauditam in cuniculo, moviſſe Romanos milites, ut adaperto cuniculo exta raperent, & ad dictatorem ferrent. Sed in rebus tam antiquis, ſi, quæ ſimilia veri ſunt, pro veris accipiantur, ſatis habeam. Hæc ad oſtentationem ſcenæ gaudentis miraculis aptiora, quam ad fidem, neque affirmare, neque refellere operæ pretium eſt. Cuniculus delectis militibus eo tempore plenus, in æde Junonis, quæ in Vejentana arce erat, armatos repentè edidit & pars averſos in muris invadunt hoſtes: pars clauſtra portarum revellunt: pars quum ex tectis ſaxa tegulæque à mulieribus ac ſervitiis jacerentur, inferunt ignes. Clamor omnia variis terrentium ac paventium vocibus, mixto mulierum ac puerorum ploratu, complet. Momento temporis dejectis ex muro undique armatis, patefactiſque portis, quum alii agmine irruerent; alii deſertos ſcanderent muros, urbs hoſtibus impletur, omnibus locis pugnatur. Deinde, multa jam edita cæde, 7 ſeneſcit pugna, & dictator præcones edicere jubet, ut ab inermi abſtineatur. 8 is finis ſanguinis fuit. Dedi inde inermes cœpti: & ad prædam miles permiſſu dictatoris diſcurrit. quæ quum ante oculos ejus aliquantum ſpe atque opinione major, majoriſque pretii rerum ferretur, dicitur manus ad cœlum tollens precatus eſſe, *ut ſi cui Deorum hominumque nimia ſua fortuna populique Romani videretur; ut eam invidiam leniret ſuo private incommodo, 9 quàm minimo publico populi Romani, liceret*. Convertentem ſe inter hanc venerationem traditur memoriæ prolapſum cecidiſſe: idque omen pertinuiſſe poſtea eventu rem conjectantibus viſum ad damnationem ipſius Camilli; captæ deinde urbis Romanæ, quod poſt paucos accidit annos, cladem. Atque ille dies cæde hoſtium ac direptione 10 urbis opulentiſſimæ eſt conſumptus.

Urb. Cond. an. 357. Dictat. M. Fur. Cam.

NOTÆ.

6. *Hoſtiæ exta profecuiſſet*.] Proſeco proprium ſacrificiorum, in quibus cocta viſcera ſecabant: & profecta exta apud Nonium quæ aris dantur ex fibris pecudum diſſecta. Unde profecta, & proſiciæ ſubſtantivè.

7. *Seneſcit pugna*.] Seneſcere pro languere & remitti: quomodo *laudem* oratorum ſeneſcere dixit Cic.

8. *Is finis ſanguinis*.] Fundendi ſcilicet.

9. *Quàm minimo publico*.] Duplex poteſt eſſe hujus loci ſenſus: alter ut optet Camillus ſibi liceat invidiam ex hac felicitate imminentem, avertere privato incommodo ſuo; aut ſi publico luendum incommodo ſit, certè id quam minimo fiat. Alter, ut velit defungi populum Romanum offenſi ſortè numinis invidiâ, ſuo privato incommodo qualicunque, potiùs, quàm publico vel minimo. Par votum memoratur L. Æmilii Pauli à Vellejo Paterc. lib. 2. Cippi ab Ovid. lib. 15. Metamorph. atque aliorum.

10. *Urbis opulentiſſimæ*.] Dionyſius Halicarn. lib. 2. Vejos magnitudine exæquabat Athenis, quarum ambitus milſia ferè paſſuum tria & viginti colligebat. Nec eſt opinor, quod cum Glareano miremur hanc Vejorum cum Athenis comparationem; aut cur Cluverium ſecuti, Athenarum loco legamus *Fidenas* quæ tamen magna illis temporibus erat & populoſa. Etenim Dionyſ. idem lib. 4. & lib. 9. Romæ ambi-

Urb. cond. an. 357. Dictat. M. Fur. Cam.

XXII. Postero die libera corpora dictator sub corona vendidit. ea sola pecunia in publicum redigitur, haud sine ira plebis: & quod retulere secum prædæ, nec duci, qui ad senatum, malignitatis auctores quærendo, [a] rem arbitrii sui rejecisset; nec senatui, sed Liciniæ familiæ, ex qua filius ad senatum retulisset, patet tam popularis sententiæ auctor fuisset, acceptum referebant. Quum jam humanæ opes egestæ à Veiis essent, amoliri tum Deûm dona ipsosque Deos, sed colentium magis quam rapientium modo, cœpere. namque delecti ex omni exercitu juvenes, purè lotis corporibus, candida veste, quibus deportanda Romam Regina Juno assignata erat, venerabundi templum injere, primo religiose admoventes manus: quod [b] id signum more Etrusco nisi certæ gentis sacerdos attrectare non esset solitus. deinde quum quidam, seu spiritu divino tactus, seu juvenili joco, γ *Visne Romam ire Juno?* dixisset, annuisse cæteri Deam conclamaverunt: inde fabulæ adjectum est, vocem quoque dicentis, *Velle*, auditam. motam certè sede sua parvi momenti adminiculis, sequentis modo accepimus levem ac facilem translatu fuisse: integramque in Aventinum æternam sedem suam, quò vota Romani dictatoris vocaverant, perlatam; ubi templum ei postea idem, qui voverat, Camillus dedicavit. Hic Vejorum occasus fuit, urbis opulentissimæ Etrusci nominis; magnitudinem suam vel ultima clade indicantis: quod decem æstates hiemesque continuas circumsessa, quum plus aliquanto cladium intulisset quam accepisset, postremò jam, fato tum denique urgente, operibus tamen, non vi, expugnata est.

XXIII. Romam ut nunciatum est Vejos captos, quamquam & prodigia procurata fuerant, & vatum responsa, & Pythicæ sortes notæ, & quantum humanis adjuvari consiliis poterat res, ducem M. Furium maximum imperatorum omnium legerant; tamen quia tot annis variè ibi bellatum erat, multæque clades acceptæ; velut ex insperato immensum gaudium fuit. & priusquam senatus decerneret, plena omnia templa

INTERPRETATIO.

a Divisionem prædæ, *quæ ex ipsius, tanquam summi ducis, arbitrio pendebat ad Senatum retulerat, ut* ibi aliquos *invenirent, qui maligna in plebem sententia auctores essent.*

b *Effigiem illam, non nisi sacerdos ex certa familia attingere soleret.*

NOTÆ.

tum regnante jam Servio Tullio cum Athenis comparat: hoc autem libro cap. 24. noster quoque Vejos *urbem* ait *urbi Romæ vel situ, vel magnificentia publicorum privatorumque tectorum ac locorum* antepositam. Tam ampla urbs bellis civilibus exhausta, paulatim defecit: adeò ut Flori tempore vix ejus vestigia exstarent. Notatur tamen in tabula Itineraria inter Nepe & Romam (à quæ duodecim milliaribus, sive centum ferè stadiis distabat). Circa oppidum *Scrofano* Cluverius locat. Alii circa *Formello*. Sed validis argumentis Holstenius demonstrat fuisse in colle præruptо, qui adjacet Farnesiorum prædio cui nomen Insulæ, *l' Isola*; ubi diversorium vul. *l'Osteria del Fosso*, vel, *l'Osteria del Starno*.

Romanarum matrum grates diis agentium erant. Senatus 1 in quatriduum, quot dierum nullo antè bello, ſupplicationes decernit. Adventus quoque dictatoris omnibus ordinibus obviam effuſis celebrior, quam illius unquam antea fuit: triumphuſque omnem conſuetum honorandi illius diei modum aliquantum exceſſit. Maximè conſpectus ipſe eſt, 2 curru equis albis juncto urbem invectus: parumque 3 id non civile modò, ſed humanum etiam viſum. 3 Jovis Soliſque equis æquiparari dictatorem a in religionem etiam trahebant: triumphuſque ob eam unam maximè rem clarior quam gratior fuit. 4 Tum Junoni reginæ templum in Aventino locavit, 5 dedicavitque Matutæ matri. atque his divinis humaniſque rebus geſtis, dictatura ſe abdicavit. Agi deinde de Apollinis dono cœptum: *cui ſe decimam voviſſe prædæ* quum diceret Camillus, pontifices 6 *ſolvendum religione populum* cenſerent; haud facilè inibatur ratio jubendi referre prædam populum, ut ex ea pars debita in ſacrum ſecerneretur. tandem eò quod leviſſimum videbatur, decurſum eſt, ut *qui ſe domumque religione exſolvere vellet, quum ſibimetipſe prædam æſtimaſſet ſuam, decimæ pretium partis in publicum deferret; ut ex eo donum auratum, dignum amplitudine templi, ac numine Dei ex dignitate populi Romani fieret*. Ea quoque collatio plebis ani-

Urb. Cond. an. 357. Dictat. M. Fur. Cam.

INTERPRETATIO.

a *Vertebant etiam in religioſum timorem*, atque omen.

NOTÆ.

1. *In quatriduum*.] Re proſperè geſtâ, agendarum Diis gratiarum causâ decernebantur ad eorum templa ſupplicationes, initio in unum aut alterum diem, poſteà in multò plures: Pompejo poſt bellum Mithridaticum in duodecim, Cæſari bello Gallico ſemel aut iterum in quindecim. Tandem eò res proceſſit ut Panſæ ac Cæſari Octaviano poſt Mutinenſe bellum decreti fuerint quinquaginta dies.

2. *Curru equis albis juncto*.] Currum triumphantium (qui celſus ac rotundæ turris inſtar ex Zonara) ab equis quatuor trahi novum non erat. Sed albæ quadrigæ Deorum regi ſacræ habebantur, & Soli lucis patri: quapropter equorum candorem in Camillo populus improbabat, ut Plut. eſt auctor. Illud quoque Camillo adſcribit Plin. 33.7. ut minio faciem triumphans illeverit, quo vividior appareret: quod & alii ſequuti.

3. *Parum non civile modò ſed humanum*.] Id videbatur non ſolum excedere modum Civis cum Civibus comparati, ſed hominis relati ad Deos.

4. *Junoni Reginæ*.] Hujus Junonis Reginæ Veiis Romam tranſlatæ templum collocatum, exſtructumque in Aventino à Victore memoratur in regione urbis quæ fuit ſub Auguſto XIII.

5. *Dedicavitque Matutæ matri*.] An igitur ead. Juno & mater Matuta? Sanè apud Victorem legitur Ædes *Junonis Matutæ*, in foro olitorio regione XI. quæ fuit Circi Maximi. Verùm Sigonius contendit nunquam Matutæ vocabulum Junoni attributum, ſcribendumque eo loco *Junonis ſoſpitæ*. Et ex iis quæ c. 19. habentur, ſi comparentur cum hoc loco, apparebit præter Junonis Reginæ templum à Camillo ædificatum, ædem quoque matris Matutæ à Servio rege olim dedicatam, & vetuſtate collapſam à Camillo nunc inſtauratam fuiſſe.

6. *Solvendum Religione*.] Cum voti reus eſſet, debere liberari obligatione erga Deum, impleto ſcilicet voto.

mos à Camillo alienavit. Inter hæc pacificatum legati à Volſcis & Æquis venerunt: impetrataque pax, magis ut feſſa tam diutino bello acquieſceret civitas, quàm quod digni peterent.

Urb. cond. an. 358. Tribb. mill. P. Cornel. &c.

XXIV. Veiis captis, ſex tribunos militum conſulari poteſtate inſequens annus habuit. duos P P. Cornelios, Coſſum & Scipionem, M. Valerium Maximum iterum, Cæſonem Fabium Ambuſtum tertiùm, L. Furium Medullinum quintùm, Q. Servilium tertiùm. Corneliis Faliſcum bellum, Valerio ac Servilio Capenas ſorte evenit. ab iis non urbes vi aut operibus tentatæ, ſed ager eſt depopulatus, prædæque rerum agreſtium actæ. a nulla felix arbor, nihil frugiferum in agro relictum. Ea clades Capenatem populum ſubegit. pax perentibus data. In Faliſcis bellum reſtabat. Romæ interim multiplex ſeditio erat, cujus leniendæ cauſa coloniam in Volſcos, quo tria millia civium Romanorum ſcriberentur, deducendam cenſuerant: triumvirique ad id creati, terna jugera & 1 ſeptunces viritim diviſerant. Ea largitio ſperni cœpta; 2. quia ſpei majoris avertendæ ſolatium objectum cenſebant. Cur enim relegari plebem in Volſcos, quum pulcherrima urbs Veii agerque Vejentanus in conſpectu ſit, uberior ampliorque Romano agro? Urbem quoque urbi Romæ, vel ſitu, vel magnificentia publicorum privatorumque tectorum ac locorum, præponebant. quin 3 illa quoque actio movebatur, quæ, poſt captam utique Romam à Gallis, celebratior fuit, tranſmigrandi Vejos. Cæterum, partim plebi, partim ſenatui deſtinabant habitandos Vejos; duaſque urbes 4 communis reipublicæ incoli à Ro-

INTERPRETATIO.

a *Nulla arbor fœcunda.*

NOTÆ.

1. *Septunces viritim.*] Uncia eſt duodecima pars libræ ſive aſſis, ſumiturque pro duodecima cujuſque rei parte. Septunx igitur continet ſeptem partes totius in duodecim partes æquales diviſi. Hic ergo data ſunt unicuique tria Jugera cum dimidio, & inſuper duodecima Jugeri pars.

2. *Quia ſpei majoris.*] Cum ſperaret plebs ampliſſima præmia, & præſertim aſſignari ſibi agrum Vejentem & proximum, & opimum; ſpernere cœpit diſtributionem hanc longinquiorum in Volſcis agrorum, quam ſibi proponi intelligebat ad avertendos à ſperato majori præmio animos, & quaſi in ſolatium deluſæ ſpei ſuæ.

3. *Illa quoque actio movebatur.*] Mavult Tan. Faber. *illa quoque mentio movebatur*: ut alibi *agitata eſt mentio*, & *movit mentionem*. Sed apud Livium ſæpe *actionis* vocabulum de iis dicitur, quæ magiſtratus moliebantur, & de quibus ad populum aut ſenatum agebant, ut lib. 4. cap. 48. in fine, de Tribunis plebis, *actionem depoſuere* & cap. 35. *& adverſa civitati res vires tribunicia actioni dedit*. Itemque hoc lib. cap. 11. *Frequentiaque urbanæ celebrare actiones*.

4. *Communis reip.*] Id eſt, unius & ejuſdem reipublicæ, quæ pari jure communis eſſet tum Romæ, tum apud Vejos degentibus, ita ut utrique unam civitatem conſtituerent. Id ſanè vult auctor, atque idcirco Gronovius ſic legendum cenſuit; cum vulgò legatur *communes reipub.* Quam tamen ſcripturam retineri nihil vetat. Reddit quippe eandem ſententiam, ut nempe ambæ Civitates cenſerentur communes uni reipublicæ.

mano populo posse. Adversus quæ quum optimates b ita tenderent, *ut morituros se citius* dicerent *in conspectu populi Romani, quam quicquam earum rerum rogaretur. quippe nunc in una urbe tantum dissensionum esse, quid in duabus fore? Victamne ut quisquam victrici patriæ præferret, sineretque majorem fortunam captis esse Veiis, quam incolumibus fuerit? Postremò se relinqui à civibus in patria posse? ut relinquant* 5 *patriam atque cives, nullam vim unquam subacturam: & T. Sicinium* (is enim ex tribunis plebis rogationis ejus lator erat) 6 *conditorem Vejos sequantur, relicto Deo Romulo, Dei filio, parente & auctore urbis Romæ.* Urb. cond. an. 359. Tribb. mill. M. Fur. Cam. III. &c.

XXV. Hæc quum fœdis certaminibus agerentur, (nam partem tribunorum plebis Patres in suam sententiam traxerant) nulla res alia manibus temperare plebem cogebat, quàm quòd ubi rixæ committendæ causa clamor ortus esset, principes senatus primi turbæ offerentes se, *peti, feriri, atque occidi* jubebant. ab horum ætatibus dignitatibusque & honoribus violandis dum abstinebatur, & ad reliquos similes conatus verecundia iræ obstabat. Camillus identidem omnibus locis concionabatur, *Haud mirum id quidem esse,* 1 *fuisse civitatem, quæ damnata voti* 2 *omnium rerum, priorem curam, quam religione se exsolvendi, habeat. Nihil de collatione dicere, stipis verius, quam decimæ: quando ea se quisque privatim obligaverit, liberatus sit populus. Enimvero illud se tacere suam conscientiam non pati, quod ex ea tantùm præda, quæ* 3 *rerum moventium sit, decima designetur: urbis atque agri capti, quæ & ipsa voto contineatur, mentionem nullam fieri.* Quum ea disceptatio anceps senatui visa, delegata ad pontifices esset, 4 adhibito Camillo, visum collegio, *quod, ejus ante*

INTERPRETATIO.

b *Sic contra niterentur.*

NOTÆ.

5. *Ut relinquant patriam atque cives.*] Hæc non placent Fabro, qui subtilius hic philosophatur, vultque deleri nomen *Cives*: & reponi *ut relinquant patriam ipsi*. Quasi non satis appareat optimates de seipsis loqui: aut quasi per *Cives* intelligi nequeat pars Civium quæ Romæ relinquenda esset.

6. *Conditorem Vejos sequantur.*] Verba sunt Senatorum indignantium, contestantiumque se nunquam secuturos Tribunum plebis auctorem Romanæ reip. Vejos transferendæ: quem per contemptum vocant *conditorem*, quasi alterius Romuli futurum loco.

1. *Damnata voti:*] *Voti damnatus* est voti compos, qui scil. quod adjuncto voto petierat, obtinuit: unde obnoxius est implendo promisso. Nec ab eo multùm differt *voti reus* qui, voto sub conditione susceptus, se numini obligavit: non enim verè reus est voti, nisi vota Deus audierit.

2. *Omnium rerum, &c.*] Ajebat Camillus, cum Civitas, impetratis omnibus quæcunque à Diis adjuncto voto petierat, nihil prius curare debuisset, quam ut sese ejus voti religione liberaret; nunc mirum non esse si in pœnam spretæ religionis, furor in eam esset immissus.

3. *Rerum moventium.*] Dixit Res moventes, pro mobilibus, quarum duo genera: aliæ propriè mobiles, quæ asportantur; aliæ se moventes, hoc est animalia.

4. *Adhibito Camillo.*] Is enim vovebat, & quid sibi mentis fuisset in vo-

Urb. cond. an. 359. Tribb. mill. M. Fur. Cam. III. &c.

conceptum votum, Vejentium fuisset, & post votum in potestatem Romani venisset, ejus partem decimam Apollini sacram esse. Ita in æstimationem urbs agerque venit: [5] pecunia ex ærario prompta, & [6] tribunis militum consularibus ut aurum ex ea coëmerent, negotium datum. cujus quum copia non esset, matronæ cœtibus ad eam rem consultandam habitis, & communi decreto [7] pollicitæ tribunis militum, aurum & omnia ornamenta sua, in ærarium detulerunt. Grata ea res, ut quæ maximè senatui unquam fuit: honoremque ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, & ut [8] pilento ad sacra ludosque, [9] carpentis festo profestoque uterentur. Pondere ab singulis auri accepto, æstimatoque ut pecuniæ solverentur, crateram auream fieri placuit; quæ donum Apollini Delphos portaretur. Simul ab religione animos remiserunt, integrant seditionem tribuni plebis: incitatur multitudo in omnes principes; ante alios in Camillum. Eum prædam Vejentanam [10] publicando sacrandoque ad nihilum redegisse; [11] absentes ferociter increpant: præsentium, quum se ultro iratis offerrent, verecundiam habent. *Simul* extrahi rem eo anno viderunt; tribunos plebis [12] latores legis in annum eosdem re-

NOTÆ.

vendo perspectum habebat: vota autem secundum voventium mentem præstanda sunt: unde meritò cum collegio pontificum adhibetur ei rei disceptandæ Camillus.

5. *Pecunia ex ærario prompta.*] Deprompti nempe ex thesauro publico ærei & si qui alii nummi ad comparandum aurum infectum factumve, ex quo donum Apollini conflaretur.

6. *Tribunis militum consularibus.*] Consulares propriè dicebantur qui Consules fuerant. Sed hic *Consulares* dici videntur Tribuni, qui Consulari potestate rempub. administrabant. Alioqui ex Tribunis militaribus hujus anni unum invenio, L. Furium Medullinum, qui revera Consulatum gessisset.

7. *Pollicitæ Tribunis.*] Polliceri est nltro alteri non stipulanti aut petenti promittere. Pollicitatio autem licèt inter privatos actionem non pariat, si tamen reip. ob honorem aliamve causam fiat, vim habet obligandi.

8. *Pilento ad sacra, ludosque.*] Isidorus orig. lib. 20. cap. 12. *Pilentum* describit contextum quatuor rotarum vehiculum. Sic fortè dictum quasi bene *pilatum*, sive compactum ἐκ τοῦ πιλεῖν. Addit Isid. antea Pilenta fuisse Veteri coloris, non ut suo tempore russati; iisque nisi castas matronas uti non potuisse, *Mollia Pilenta* vocat Virgil. id est Pensilia, interprete Servio. Hispanorum inventum fuisse dicitur, ut Gallorum *Peteritum*, non multum ab eo diversum. *C'estoient des especes de Caroſſes.*

9. *Carpentis festo profestoque.*] Carpentum vehiculi genus. Videtur Isid. ex eo dictum velle quod sit quasi carrum pomposticum. Fuit tamen promiscui ferè usûs, & minoris lautitiæ, ut ex hoc loco possumus conjicere. Huic respondere creditur, quod vulgò nobis *Coche.*

10. *Publicando sacrandoque.*] In ærarium illata fuerat pecunia ex pretio captivorum redacta cap. 22. Consecrata decima rerum tam immobilium quàm mobilium, hoc ipso cap.

11. *Absentes ferociter increpant.*] In Camillum, & alios principes absentes invehebantur plebeii, eosdem occurrentes sibi iratis reverebantur, ac tacebant.

12. *Latores legis.*] T. Sicinium qui jam ad populum egerat de transferenda Vejos parte Senatus & plebis, in fine cap. 24. & collegas ei adhærentes: qui nondum ea de re legem tulerant, sed laturi sperabantur.

ficiunt,

ficiunt, & Patres hoc idem de interceſſoribus legis anniſi. ita tribuni plebis magna ex parte iidem refecti. Urb. cond an. 359. Tribb. mill. L. Fur. Med. VI. M. Fur. Cam. IV. &c.

XXVI. Comitiis tribunorum militum Patres ſumma ope evicerunt, ut M. Furius Camillus crearetur. propter bella ſimulabant parari ducem, ſed [1] largitioni tribuniciæ adverſarius quærebatur. Cum Camillo creati tribuni militum conſulari poteſtate, L. Furius Medullinus ſextùm, C. Æmilius, L. Valerius Poplicola, Sp. Poſtumius, P. Cornelius iterum. Principio anni tribuni plebis nihil moverunt: donec M. Furius Camillus in Faliſcos, cui id bellum mandatum erat, proficiſceretur. differendo deinde elanguit res: & Camillo, quem adverſarium maximè metuerant, gloria in Faliſcis crevit. Nam quum primò mœnibus ſe hoſtes tenerent, tutiſſimum id rati; populatione agrorum atque incendio villarum coëgit eos egredi urbe: ſed timor longius progredi prohibuit. Mille ferè paſſuum ab oppido caſtra locant; nulla re alia fidentes ea ſatis tuta eſſe; quam difficultate aditus, aſperis confragoſiſque, circa, & partim arctis, partim arduis viis. Cæterum Camillus captivum indicem ex agris ſecutus ducem, caſtris multa nocte motis, prima luce aliquanto ſuperioribus locis ſe oſtendit. [2] Trifariam Romani muniebant. alius exercitus prælio intentus ſtabat. Ibi impedire opus conatos hoſtes fundit, fugatque: tantumque inde pavoris Faliſcis injectum eſt, ut effuſa fuga [a] caſtra ſua, quæ propiora erant, prælati, urbem peterent. Multi cæſi vulneratique, priuſquam paventes portis inciderent. caſtra capta, præda ad quæſtores redacta, cum magna militum ira: ſed ſeveritate imperii victi, eandem virtutem & oderant, & mirabantur. Obſidio inde urbis, & munitiones, & interdum per occaſionem impetus oppidanorum in Romanas ſtationes, prœliaque parva fieri: & teri tempus, neutrò inclinatâ ſpe; quum frumentum, copiæque aliæ ex antè convecto largiùs obſeſſis quam obſidentibus ſuppeterent. Videbaturque æque diuturnus futurus labor, ac Vejis fuiſſet, [3] niſi fortuna

INTERPRETATIO.

a *Progreſſi ultra propria caſtra.*

NOTÆ.

1. *Largitioni tribunicia.*] Promotæ nimirum à Tribunis pl. Aliàs *rogationi tribunicia:* quod & Glareano probatur. Corrigit, ex veteribus codicibus, Gronovius. Quantum ad ſententiam parum intereſt. *Rogatio* quippe hoc loco legem Agrariam ſignificat: *Largitio* diviſionem agrorum ex ejuſmodi lege, ut lib. 2. cap. 41. *Largitione Conſulem periculoſas libertati opes ſtruere*, de Caſſio qui primus agrariam legem promulgavit: & ibidem, *Conſul alter largitioni reſiſtebat.*

2. *Trifariam Romani muniebant.*] Ita copias diviſerat Camil. ut pars operibus faciendis incumberet, ac munitiones tribus locis adverſus hoſtes inſtrueret; pars reliqua ſtaret in armis, ad eorum inſultus repellendos.

3. *Niſi fortuna & cognitæ rebus bellicis virtutis ſpecimen.*] At hic Camillus non virtutis militaris, ſed fidei juſtitiæque ſpecimen edidit. Itaque ad Livii ſententiam verba ſic aptanda putabat Gronov. *niſi fortuna Romani imperatoris ſimul, & cognita re non bellica virtutis ſpecimen,*

imperatori Romano, ſimul & cognitæ rebus bellicis virtutis ſpecimen, & maturam victoriam dediſſet.

Urb. cond. an. 359. Tribb. mill. M. Fur. Cam. IV. &c.

XXVII. Mos erat Faliſcis, eodem magiſtro liberorum & comite uti: ſimul plures pueri, quod hodie quoque in Græcia manet, unius curæ demandabantur, principum liberos, ſicut ferè fit, qui ſcientia videbatur præcellere, erudiebat. Is quum in pace inſtituiſſet pueros ante urbem luſus, exercendique causâ producere, nihil eo more per belli tempus intermiſſo, tum modò brevioribus, modò longioribus ſpatiis trahendo eos à porta luſu, ſermonibuſque variatis longiùs ſolito; [a] ubi res dedit, progreſſus, [b] inter ſtationes eos hoſtium caſtraque inde Romana in prætorium ad Camillum perduxit: ibi ſcelesto facinori ſceleſtiorem ſermonem addidit: [1] *Falerios ſe in manus Romanis tradidiſſe: quando eos pueros, quorum parentes capita ibi rerum ſint, in poteſtatem dederit.* Quæ ubi Camillus audivit, *Non ad ſimilem*, inquit, *tui nec populum, nec imperatorem ſceleſtus ipſe cum ſceleſto munere veniſti.* [2] *Nobis cum Faliſcis, quæ pacto ſit humano, ſocietas non eſt. quam ingeneravit natura, utriſque eſt, eritque.* 3 SUNT, ET BELLI, SICUT *pacis jura: juſteque ea, non minus quam fortiter didicimus gerere. Arma habemus, non adverſum eam ætatem, cui etiam captis urbibus parcitur: ſed adverſus armatos & ipſos, qui nec læſi, nec laceſſiti à nobis, caſtra Romana ad Veios oppugnarunt. Eos tu, quantum in te fuit, novo ſcelere vicisti: ego Romanis artibus,*

INTERPRETATIO.

a *Cum permiſit occaſio.*
b *Per* medias *ſtationes & caſtra.*

NOTÆ.

ei maturum victoria, dediſſet. Ego verba retineri poſſe cenſeo, ut intelligantur duo fuiſſe quæ celerem Camillo victoriam præſtiterint: & fortuna, quæ ſcilicet occaſionem præbuit oſtendendæ fidei & humanitatis anteà incognitæ; & ſimul ſpecimen paulò antè ab eo editum ſatis cognitæ virtutis bellicæ.

1. *Falerios.*] Nomen eſt urbis Faliſcorum, quam Dionyſius antiquiſſimis temporibus à Siculis, deinde à Pelaſgis habitatam ſcribit; alii ab Haleſo Agamemnonis filio ſive à Phalerio Argivo conditam memorant. Sita initio fuit arduo loco ad Tiberis ripam, Etruſcam ſcilicet, ubi nunc *Civitá Caſtellana* poſt à Romanis deſtructa, teſte Zonara circa annum U. C. 512. aliaque condita urbs in planicie ad ſeſquimilliare, cujus ruinæ *Falari* adhuc vocantur, conſentientibus Cluverio & Holſtenio: quamquam Maſſa Falerium ſitum trahit ad *Galeſo* patriam ſuam. Videtur Stephanus duo diverſa oppida *Falerium* & *Faliſcum* intelleXiſſe, in quo peccavit etiam Solinus: cum *Faliſci* nomen Populi fuerit, *Falerii* verò urbis.

2. *Nobis cum Faliſcis.*] Diſtingait duo genera ſocietatum: ſpecialem quæ ſingulari fœdere inter populos initur jure gentium, & communem quæ ſine fœdere ſolâ naturâ duce inter omnes homines conſtituta eſt: *homines enim hominum causâ generati ſunt, ut ipſi inter ſe alii alios prodeſſe poſſint*, ut Cic. ait 1. de Offic.

3. *Sunt & belli ſicut pacis jura.*] Belli & fœderum jura moderabantur Feciales apud Romanos. Vide lib. 1. cap. 32. nec priſcis Romanis illud probabatur, dolus an virtus quis in hoſte requirat, Idem exemplum ſequutus in Pyrrho C. Fabricius.

virtute, opere, armis, ſicut Vejos, vincam. Denudatum deinde eum, 4 manibus poſt tergum illigatis, reducendum Falerios pueris tradidit : virgaſque eis, quibus proditorem agerent in urbem verberantes, dedit. Ad quod ſpectaculum concurſu populi primum facto, deinde à magiſtratibus de re nova vocato ſenatu ; tanta mutatio animis eſt injecta, ut qui modo efferati odio iraque, 5 Vejentium exitum penè, quam Capenatium pacem mallent, apud eos pacem univerſa poſceret civitas. Fides Romana, juſtitia imperatoris, in foro & curia celebrantur : conſenſuque omnium legati ad Camillum in caſtra, atque inde permiſſu Camilli Romam ad ſenatum, qui dederent Falerios, proficiſcuntur. Introducti ad ſenatum ita locuti traduntur: *Patres conſcripti, victoriâ, 6 cui nec Deus, nec homo quiſquam invideat, victi à vobis & imperatore veſtro, dedimus nos vobis : rati, quo nihil victori pulchrius eſt, melius nos ſub imperio veſtro, quam legibus noſtris victuros. Eventu hujus belli duo ſalutaria exempla prodita humano generi ſunt. Vos fidem in bello, quam præſentem victoriam malu ſtis : nos fide provocati, victoriam ultro detulimus. Sub ditione veſtra ſumus. Mittite, qui arma, qui obſides, qui urbem patentibus portis accipiant. Nec vos fidei noſtræ, nec nos imperii veſtri pœnitebit*. Camillo, & ab hoſtibus, & à civibus gratiæ actæ. Faliſcis in ſtipendium militum ejus anni, ut populus Romanus tributo vacaret, pecunia imperata.

Urb. cond. an. 359. Tribb. mill. M. Fur. Cam. IV.

XXVIII. Pace data, exercitus Romam reductus. Camillus meliore multo laude, quam quum triumphantem albi per urbem vexerant equi, inſignis juſtitia fideque, hoſtibus victis quum in urbem rediiſet, 1 tacite ejus verecundiam non tulit ſenatus, quin ſine mora, 2 voti liberaretur : crateramque auream donum Apollini Delphos

NOTÆ.

4. *Manibus poſt tergum illigatis.*] Præclarum hoc Camilii factum memorat Valer. Max. lib. 6. cap. 5. in eo, ut videtur deceptus quod Camillo Conſuli id tribuat, quem Plutarchus Conſulem nunquam fuiſſe obſervat. An autem *manibus illigatis*, an *alligatis* legamus, nihil intereſt.

5. *Vejentium exitum.*] Gall. *La meſme fin qu'avoient eu les Veyens.* Vejentium quidem exitus urbis & civium exitium fuit, non ideo tamen cum Sigonio legendum *exitium*. Cic. Philip. 2. *Te miror, Antonii, quorum facta imitere, eorum exitus non perhorreſcere.*

6. *Cui nec Deus, nec homo quiſquam invideat.*] Nova loquendi forma, hypallagen redolens. Non enim victoriæ, ſed victoribus invideri ſolet. Rectum erat, victoriam, quam vobis nec Deus &c. invideat.

1. *Tacitè ejus verecundiam non tulit Senatus.*] Legit Gronov. *tacisi*, id eſt, *tacentis*, quaſi ſolus Camilli aſpectus exprobraret moram in perſolvendo Apollini voto. Poſſet & ſine correctione intelligi, Senatores per ſilentium non tuliſſe, ſilentio non tranſmiſiſſe pudorem ex Camilli aſpectu conceptum ; ſed de voto exſolvendo altro egiſſe, ac per legatos craterem aureum mitti decreviſſe.

2. *Voti liberaretur.*] Liberandi verbum conſtrui ſolet cum ablativo adjuncta præpoſitione, vel abſque ea etiam, cum ſigni ſit abſolvere. Nonnunquam tamen cum genitivo jungitur, ut lib. 1. *liberare ejus culpa regem*. Poſſis & ſubintelligere *voti religione liberaretur*.

Urb. cond. an. 359. Tribb. mill. M. Fur. Cam. IV. &c.

legati qui ferrent, L. Valerius, L. Sergius, A. Manlius missi longâ una nave, haud procul freto Siculo à piratis Liparensium excepti 3 devehuntur Liparas. Mos erat civitatis, velut publico latrocinio partam prædam dividere. fortè eo anno in summo magistratu erat Timasitheus quidam, Romanis vir similior quam suis. qui legatorum nomen donumque, & Deum, cui mitteretur, [a] & doni causam veritus ipse, multitudinem quoque, [4] quæ semper ferme regenti est similis, religionis justæ implevit: adductosque in publicum hospitium legatos, cum præsidio etiam navium Delphos prosecutus, Romam inde sospites restituit. Hospitium cum eo senatusconsulto est factum: donaque publicè data. Eodem anno in Æquis variè bellatum. adeò ut in incerto fuerit, & apud ipsos exercitus & Romæ, vicissent victine essent. Imperatores Romani fuere ex tribuni militum C. Æmilius, Spurius Postumius. Primò rem communiter gessêrunt: fusis inde acie hostibus, Æmilium præsidio Verruginem obtinere placuit, Postumium fines vastare. Ibi cum incomposito agmine, negligentius ab re gesta, euntem adorti Æqui, terrore injecto, in proximos compulere tumulos: pavorque inde Verruginem etiam ad præsidium alterum est perlatus. Postumius suis in tutum receptis, quum concione advocata terrorem increparet, ac fugam; fusos esse ab ignavissimo & fugacissimo hoste; conclamat universus exercitus, *merito se ea audire, & fateri admissum flagitium: sed eosdem correcturos esse, neque diuturnum id gaudium hostibus fore. Poscentes ut confestim inde ad castra hostium duceret* (in conspectu erant posita in plano) *nihil pœnæ recusabant, ni ea ante noctem expugnassent.* Collaudatos, *corpora curare paratosque esse quartâ vigilia* jubet; [b] & hostes, nocturnam fugam ex tumulo Romanorum ut ab ea via, quæ ferebat Verruginem, excluderent, fuere obvii: prœliumque ante lucem (sed luna pernox erat) commissum est: & [5] haud incertius diurno prœlium fuit. Sed clamor Verruginem perlatus, quum castra Romana crederent oppugnari, tantum injecit pavoris, ut nequicquam reti-

INTERPRETATIO.

a *Et ipse, ob causam muneris reverentiâ commotus.*

b *Atque hostes obvii fuere, ut fugam nocturnam è loco eminentiore, ubi Romani confederant, arcerent ab ea via quæ ducebat Verruginem.*

NOTÆ.

3. *Devehuntur ad Liparas.*] Ad præcipuam nempe urbem *Liparæ*, quæ insula est maris Ausonii ad latus Boreale Siciliæ Occidentalis, ducentis stadiis à freto Siculo, ab ora verò Siciliæ proxima millibus pass. 30. vulgò *Lipari*, primaria septem insularum, quæ de ipsius nomine Liparææ, & quod magna ex parte ignem eructent, Vulcaniæ; itemque Æoliæ dictæ ab Æolo tertio, ibi olim regnante. Hunc ventorum regem Poetæ finxerunt, quoniam hic maris tractus ventis maximè obnoxius.

4. *Quæ semper fermè regenti est similis.*] At paulo antè suis similem Timasitheum esse negaverat. Habitâ scilicet ratione morum quos suopte genio sequebantur, ita fuerat locutus.

5. *Haud incertius.*] Dictum pro non minus incerto prælii eventu.

nente atque obſecrante Æmilio, Tuſculum palati fugerent. Inde fama Romam perlata eſt, Poſtumium exercitumque occiſum. Qui, ubi prima lux metum inſidiarum effuſe ſequentibus ſuſtulit, quum perequitaſſet aciem promiſſa repetens, tantum injecit ardoris, ut non ultra ſuſtinuerint impetum Æqui. cædes inde fugientium, qualis ubi irâ magis quam virtute res geritur, ad perniciem hoſtium facta eſt; triſtemque ab Tuſculo nuncium, nequicquam exterrita civitate, literæ à Poſtumio [6] laureatæ ſequuntur: *victoriam populi Romani eſſe; Æquorum exercitum deletum.* Urb. cond. an. 359. Tribb. mill. M. Fur. Cam. IV. &c.

XXIX. Tribunorum plebis actiones quia nondum invenerant finem, & plebs continuare latoribus legis tribunatum, & Patres reficere interceſſores legis anniſi ſunt. ſed plus ſuis comitiis plebs valuit. quem dolorem ulti Patres ſunt, ſenatuſconſulto facto, ut conſules, invifus plebi magiſtratus, crearentur. Annum poſt quintum decimum creati conſules L. Lucretius Flavus, Servius Sulpicius Camerinus. Principio hujus anni ferociter, quia nemo ex collegio interceſſurus erat, coortis ad perferendam legem tribunis plebis, nec ſegnius ob id ipſum conſulibus reſiſtentibus, omnique civitate in unam eam curam converſa, [1] Vitelliam coloniam Romanam in ſuo agro Æqui expugnant. colonorum pars maxima incolumis, quia nocte prodicione oppidum captum, liberam per averſa urbis fugam dederat, Romam perfugêre. L. Lucretio conſuli ea provincia evênit. is cum exercitu profectus, acie hoſtes vicit: victorque Romam ad majus aliquanto certamen rediit. Dies dicta erat tribunis plebis biennii ſuperioris A. Virginio, & Q. Pomponio: quos defendi Patrum conſenſu, [2] ad fidem ſenatus pertinebat. neque enim eos aut vitæ ullo crimine alio, aut geſti magiſtratus quiſquam arguebat; præter quam quod gratificantes Patribus rogationi tribuniciæ interceſſiſſent. Vicit tamen gratiam ſenatus plebis ira: & peſſimo exemplo, innoxii denis millibus gravis æris condemnati ſunt. id ægrè paſſi Patres. Camillus palam ſceleris plebem arguere: *quæ jam in ſuos verſa, non intelligeret ſe pravo judicio de tribunis interceſſionem ſuſtuliſſe. interceſſione ſublata, tribuniciam poteſtatem evertiſſe. Nam quod illi ſperarent effrænatam licentiam ejus magiſtratus Patres laturos, falli eos. Si tribu-* Urb. cond. an. 360. Coſſ. L. Lucret. Ser. Sulpic.

NOTÆ.

6. *Laureatæ ſequuntur.*] Moris erat ut Conſules aliique Duces, adeptâ victoria, de re à ſe benè geſta laureatas literas ad Senatum mitterent, id eſt lauro involutas in ſignum victoriæ utque victoribus uterentur laureatis, qui ſcilicet laureis coronati, laureatos quoque faſces præferrent.

1. *Vitelliam Coloniam.*] Quo tempore deducta fuerit hæc Romanorum Colonia in Æquorum regionem parum conſtat. Suſpicatur Onuphrius circa an. U. C. 295. præſidii causâ deductam, cum primùm de hoc populo triumphatum. De hoc oppido dictum lib. 2. cap. 39. num. 13. videtur fuiſſe ad dextram viæ Labicanæ, haud procul à *Rocca Priora*, fortè circa *S. Silveſtro*.

2. *Ad fidem Senatûs pertinebat.*] Fides hic ſumi poteſt vel pro fide interpoſita ſeu promiſſo à Senatu dato, vel pro auctoritate ipſius, cui fidem illi Tribuni plebis habuerint.

Urb. cond. an. 360. Coll. L. Lucret. Ser. Sulpic.

bunitia vis tribunicio auxilio repelli nequeat. 3 *aliud telum Patres inventuros esse.* Consulesque increpabat, *quod fide publica decipi tribunos eos taciti tulissent, qui senatus auctoritatem secuti essent.*

XXX. Hæc propalam concionabundus in dies magis augebat iras hominum. Senatum vero incitare adversus legem haud desistebat: *ne aliter descenderent in forum, quam dies ferendæ legis venisset, quam ut qui meminissent sibi pro aris, focisque & Deûm templis, ac solo in quo nati essent, dimicandum fore. Nam quod ad se privatim attineat; si suæ gloriæ sibi inter dimicationem patriæ meminisse sit fas, sibi amplum quoque esse, urbem ab se captam frequentari, quotidie se frui monimento gloriæ suæ, & ante oculos habere urbem latam in triumpho suo, insistere omnes vestigiis laudum suarum. sed nefas ducere desertam ac relictam ab Diis immortalibus incoli urbem; & in captivo solo habitare populum Romanum, & victrice patria victam mutari.* His adhortationibus principis concitati Patres senes juvenesque, quum ferretur lex, agmine facto in forum venerunt: dissipatique per tribus, suos quisque tribules prensantes, orare cum lacrymis cœpere. *Ne eam patriam, pro qua fortissimè felicissimeque ipsi ac patres eorum dimicassent, deserent:* Capitolium, ædem Vestæ, cætera circa templa Deorum ostentantes. *Ne exulem, extorrem populum Romanum ab solo patrio, ac diis penatibus, in hostium urbem agerent: eoque adducerent, ut melius fuerit non capi Vejos, ne Roma desereretur.* Quia non vi agebant, sed precibus, & inter preces multa Deorum mentio erat, [a] religiosum parti maximæ fuit. & [b] legem una plures tribus antiquarunt, quam jusserunt. Adeoque ea victoria læta patribus fuit, ut postero die referentibus consulibus senatusconsultum fieret, ut agri Vejentani septena jugera plebi dividerentur: nec patribus familiæ tantum, sed ut omnium in domo liberorum capitum ratio haberetur: [1] vellentque in eam spem liberos tollere.

XXXI. Eo munere delinita plebe, nihil certatum est, quo minus consularia comitia haberentur. creati consules L. Valerius Potitus, M. Manlius, cui Capitolino postea etiam fuit cognomen. Hi consules magnos [2] ludos fecere, quos M. Furius dictator voverat Vejenti bello. Eo-

INTERPRETATIO.

a *Plerique religioni duxerunt* eam rem.
b *Numerus tribuum legem improbantium, unius tribus suffragiis superavit* numerum *probantium* eamd. legem.

NOTÆ.

3. *Aliud telum.*] Aliam nempè rationem, & viam conficiendi negotii: Dictaturam haud dubiè Camillus innuit.

1. *Vellentque in eam spem.*] Repetendum *ut*, sed alio sensu: ut scilicet sic invitarentur, Cives tenujores ad liberos educandos, spe commodioris fortunæ.

2. *Magnos Ludos.*] Hi Ludi magni dicti, apud Romanos duorum generum fuerunt. Alii stati, qui & Romani, dicti in honorem trium magnorum Deorum, Jovis, Junonis, & Minervæ: alii votivi extra ordinem in honorem Jovis Deorum principis. Ut ex Liv. colligere est lib. 36. cap. 2.

dem anno ædes Junonis Reginæ ab eodem dictatore eodemque bello vota dedicatur: celebratamque dedicationem ingenti matronarum ſtudio tradunt. Bellum haud memorabile in Algido cum Æquis geſtum eſt; fuſis hoſtibus prius pene quam manus conſererent: Valerio, quod perſeverantior cædendis in fuga fuit, triumphus; Manlio, ut ovans ingrederetur urbem, decretum eſt. Eodem anno novum bellum 3 cum Volſinienſibus exortum: quo propter famem, peſtilentiamque in agro Romano, ex ſiccitate caloribuſque nimiis ortam, exercitus duci nequivit. ob quæ Volſinienſes 4 Salpinatibus adjunctis, ſuperbiæ elati ultro agros Romanos incurſavere. Bellum inde duobus populis indictum. C. Julius cenſor deceſſit: in ejus locum M. Cornelius ſuffectus. 5 quæ res poſtea religioni fuit: quia eo luſtro Roma eſt capta. Nec deinde unquam in demortui locum cenſor ſufficitur: conſulibuſque morbo implicitis placuit 6 per interregnum renovari auſpicia. Itaque quum ex ſenatuſconſulto conſules magiſtratu ſe abdicaſſent, interrex creatur M. Furius Camillus, qui P. Cornelium Scipionem, is deinde L. Valerium Poritum interregem prodidit; 7 ab eo creati ſex tribuni militum conſulari poteſtate. Ut etiam ſi cui eorum incommoda valetudo fuiſſet, copia magiſtratuum reipubl. eſſet. Urb. Cond. an. 361. Coſſ. L. Valer. M. Manl.

XXXII. 1 Calendis Quintilibus magiſtratum occepere L. Lucretius, Servius Sulpicius, M. Æmilius, L. Furius Medullinus ſeptimùm, Agrippa Furius, C. Æmilius iterum. Ex his L. Lucretio & C. Æmilio Volſinienſes provincia evenit: Salpinates Agrippæ Furio, & Servio Sulpicio. Prius cum Volſinienſibus pugnatum eſt: bellum numero hoſtium ingens, certamine haud ſane aſperum fuit. Fuſa concurſu primo acies in fugam, millia octo armatorum ab equitibus intercluſa, poſitis armis, in deditionem venerunt. Ejus belli fama effecit, ne ſe pugnæ committerent Salpinates. mœnibus armati ſe tutabantur. Romani præ- Urb. cond. an. 362. Tribb. mill. L. Lucret, &c.

NOTÆ.

3. *Cum Volſinienſibus.*] Volſinienſes, quorum urbs *Volſinii* (patria poſteà Æl. Sejani) vulgò hodiè *Bolſena*, ad cognominem lacum in Patrimonio S. Petri: è duodecim principibus Etruriæ populis fuere, apud quos inventæ molæ veſatiles ex Plin. l. 36. cap. 18.

4. *Salpinatibus adjunctis.*] Quo ſitu fuerit *Salpinum*, ſive *Salpis*, Cluverio ipſi non liquet. In Etruria haud dubiè, & ſatis opulentum fuiſſe, ex hac cum Volſinienſibus inita adverſus Romanos belli ſocietate: ultra Volſinios ſitum, inde facilè conjicias, quod Romani Volſinienſes priùs adorti ſunt cap. 32. Veriſimilis conjectura eò ducit ut circa Volſinienſium & Cluſinorum confinia collocandi videantur, fortè verſus *Acqua pendente*.

5. *Quæ res poſteà religioni fuit.*] Abſtinuerunt poſteà Romani, religione quadam, à ſufficiendo Cenſore in locum demortui nondum impleto tempore: quod tamen in reliquis ferè magiſtratibus ſoléne.

6. *Per interregnum renovari auſpicia.*] Creari interreges, ut per eorum aliquem auſpicata haberentur comitia creandis ſupremis magiſtratibus.

7. *Ab eo creati ſex Tribuni militum.*] Imo à populo, ſed comitiis per L. Valerium habitis.

1. *Calendis Quintilibus.*] Ante præſtitutum tempus, quia Conſulibus morbo implicitis, reſp. magiſtratu ſummo deſtituebatur.

Urb. Cond. an. 362. Tribb. mill. L. Lucret. &c.

das paſſim & ex Salpinati agro, & ex Volſinienſi, nullo etiam vim arcente, egerunt, donec Volſinienſibus feſſis bello, ea conditione ut res populo Romano redderent, ſtipendiumque ejus anni exercitui præſtarent, in viginti annos induciæ datæ. Eodem anno M. 2 Cædicius de plebe nunciavit tribunis, *Se in nova via*, 3 ubi nunc ſacellum eſt, *ſupra ædem Veſtæ, vocem noctis ſilentio audiſſe clariorem humana, quæ magiſtratibus dici juberet, Gallos adventare*. Id, ut fit, propter auctoris humilitatem ſpretum: & 4 quòd longinqua, eoque ignotior, gens erat. Neque deorum modò monita ingruente fato ſpreta: ſed humanam quoque opem, quæ una erat, M. Furium ab urbe 5 amovere. qui die dicta ab 6 L. Apulejo tribuno plebis propter prædam Vejentanam, filio quoque adoleſcente per idem tempus orbatus, quum accitis domum 7 tribulibus & clientibus, quæ magna pars plebis erat 8 percunctatus animos eorum, reſponſum tuliſſet 9 *ſe collaturos quanti damnatus eſſet: abſolvere eum non poſſe*, 10 in exilium abiit: precatus ab Diis immortalibus; *Si innoxio ſibi ea injuria fieret, primo quoque tempore* 11 *deſiderium ſui civitati ingratæ facerent*. abſens 12 quindecim millibus gravis æris damnatur.

XXXIII. Expulſo cive, quo manente, ſi quicquam humanorum certi eſt, capi Roma non potuerat; adventante fatali urbi clade, legari ab Cluſinis veniunt, auxilium adverſus Gallos petentes. Eam gentem traditur famâ, dulcedine frugum, 1 maximeque

NOTÆ.

2. *Cædicius de plebe*.] Videndus Plut. de Fortuna Romanorum.

3. *Ubi nunc ſacellum eſt*.] Ajo Locutio dictatum; quaſi Deo cujus voce prænunciatus Gallorum adventus.

4. *Quod longinqua, eoque ignotior*.] Galli antequam Alpes transgreſſi eſſent, longius ſane Româ diſtabant. At hoc tempore ad Apenninum quâ parte Æſin fl. emittit, pervenerant, & minùs quatridui ab urbe itinere Umbriam incolebant.

5. *Amovere*.] Romani.

6. *L. Apulejo Tr. pl.*] Diverſus hic ab Apulejo Saturnino qui legem tulit de agrorum diviſione.

7. *Tribulibus & clientibus, quæ*,] Sunt *Tribules* homines ejuſdem tribus. Gron. mavult *accitis domum Tribulibus, clientibuſque (magna pars plebis erat) percontatus*.

8. *Percunctatus animos eorum*.] Novè dictum, *percunctari* pro tentare & explorare ſenſus illorum: cum *percunctari*, ſeu percontari aliquem, vel ex aliquo, ſit priùs interrogare, ſciſcitari, exquirere.

9. *Se collaturos*.] Effugere ſe non poſſe quin damnarent: ſed pro amicitia ſua & ſtudio in illum, exſoluturos collatâ ſtipe tantam pecuniam quantâ damnaretur.

10. *In exilium*.] Ardeam conceſſit. Plut.

11. *Deſiderium ſui*.] Achillæum votum Suidas vocat.

12. *Quindecim millibus gravis æris*.] Computatis in ſingulas æris libras aſſibus noſtratibus 13. cum dimio ferè fient 10125. lib. monetæ Francicæ.

1. *Maximeque vini*.] Hujuſmodi ex cauſa Italiam à Tranſalpinis Gallis ac præſertim Helvetiis appetitam narrat etiam Plin. lib. 12. cap. 1. ſed antiquiorem alium pro Arunte Cluſino ejus inceptiauctorem ſubjicit. *Produnt*, inquit, *Alpibus coërcitas, & tum inſuperabili munimento, Gallias, hanc primùm habuiſſe cauſam ſuperfundendi ſe Italiæ, quod Elico ex Elvetiis civis earum, favini*

vini novâ cum voluptate captam, [2] Alpes transiisse, agrosque [3] ab Etruscis ante cultos possediisse: & invexiisse in Galliam vinum illiciendæ gentis causa [4] Aruntem Clusinum, [a] ira corruptæ uxoris ab Lucumone, cui tutor is fuerat ipse, præpotente juvene, & à quo [5] experi pœnæ, nisi externa vis quæsita esset, nequirent. hunc transeuntibus Alpes ducem, auctoremque Clusium oppugnandi fuisse. Equidem haud abnuerim, Clusium Gallos ab Arunte, seu quo alio Clusino, adductos: sed eos [5] qui oppugnaverint Clusium, non fuisse qui primi Alpes transierint, satis constat. [6] ducentis quippe annis ante quam Clusium oppugnarent, urbemque Romam caperent, in Italiam Galli transcenderunt: [7] nec cum his primum Etruscorum, sed

Urb. cond. an. 362. Tribb. mill. L. Lucret. &c.

INTERPRETATIO.

[a] *Irâ* ex eo concepta *quòd Lucumo* Clusinus *uxorem ipsius* Aruntis, *quondam tutoris sui vitiasset, Juvenis tantâ potentiâ subnixus, ut supplicium de eo sumi non posset, præterquàm advocato extraneo auxilio.*

NOTÆ.

brilem ob artem Roma commoratus, ficum, siccam, & uvas, oleique & vini primitias remeans secum tulisset.

2. *Alpes transiisse.*] Gallorum linguâ alti montes *Alpes* vocantur, testibus Servio, & Isid. unde Pyrenæi quoque Alpium nomine dicti leguntur. Ideoque hallucinatus videtur Fest. Pompejus, qui Alpes à candore dictas tradit, quod perpetuis fere nivibus albescant: Sabini autem *Alpum* dixerint, quod posteà Latini album. Hi montes celsissimi variis distincti cognominibus Septentrionale Italiæ latus claudunt à Varo amne & Infero mari ad Arsiam & mare Superum, per millia passuum fermè 800. ut Cluver. docet lib. 1. Ital. antiquæ cap. 3. hæc salubberrima imperio juga, veluti naturæ providentiâ, Galliam, Germaniam, & Illyricum ab illa submovent, ut Plin. lib. 3. loquitur, eique muri aut valli vicem præstant. Hinc eleganter Cicero in Orat. de Provinc. Consularibus; *Alpibus Italiam munierat Natura, non sine aliquo divino numine. Nam si illo aditus Gallorum immanitati multitudinique patuisset; nunquam hæc urbs summo imperio domicilium ac sedem præbuisset.* Nobis hodie, *les Alpes*, generali nomine vocantur: Italis, *l'Alpe*: Germanis, *Alben*. Vide Cluver. lib. 1. Ital. antiq. cap. 30. & seq.

3. *Ab Etruscis ante cultos.*] Hoc ex sequentibus non de iis Etruscis capiendum qui inter Apenninum montem & mare Inferum siti; sed de priscis illis, qui ad mare Superum à Pado ad Apenninum incolebant: quorum urbes præcipuæ Felsina, post Bononia dicta, & Mantua. Hæc enim vetus eorum sedes ante quam à Gallis pellerentur; & pars ultra Apenninum in eam regionem quæ Tusciæ appellationem retinuit, pars trans Alpes in Rhetiam Rheto duce abirent.

4. *Aruntem Clusinum.*] Hanc famam mox refellit.

5. *Qui oppugnaverint Clusium.*] De Clusio Tusciæ civitate dictum lib. 2. cap. 9.

6. *Ducentis quippe annis.*] Circa urbis igitur annum 163. Tarquinii prisci 26. qui tertio anno Olympiadis 74. respondet: quo tempore cœpisse creditur ultimus Medorum rex Astyages, Solon Atheniensibus leges ferebat, Sedechias Davidici generis postremus Rex Judæorum, excisa cum Hierosolymis templo excæcatus & Babylonem captivus à Nabuchodonosore abductus est.

7. *Nec cum his primùm Etruscorum.*] Sensus est Gallos non cum his Etruscis primam pugnasse, qui inter Apenninum & mare Inferum; sed cum illis qui antea ab Apenino versùs mare Superum habitabant, Duas fuisse Italiæ regiones

Urb. cond. an. 362. Tribb. mill. L. Lucret. &c.

multo ante eum iis, qui [8] inter Apenninum Alpesque incolebant, ſæpe exercitus Gallici pugnavere. [9] Tuſcorum ante Romanum imperium late terra marique opes patuere. mari ſupero inferoque, quibus Italia inſulæ modo cingitur, quantum potuerint, nomina ſunt argumento, quod alterum Tuſcum communi vocabulo gentis, alterum Adriaticum mare, [10] ab Adria Tuſcorum colonia, vocavere Italicæ gentes. Græci eadem Tyrrhenum atque Adriaticum vocant. Ii in utrumque mare vergentes incoluere urbibus duodenis terras: [11] prius cis Apenninum ad inferum mare, poſteà trans Apenninum totidem, quot capita originis erant, coloniis miſſis. quæ [12] trans Padum omnia loca,

NOTÆ.

Etruſcis, ſive Tuſcis habitatas paulo ante monui. Antiquiores ad mare Hadriaticum colebant, poſteriores ex illis orti ad Tyrrhenum, medio inter utrumque tractum Apennino. *Illos* primùm ſuis locis Galli expulerant: hos nunc eorum poſteros aggrediebantur: aut unum è primariis eorum populis Cluſinos. Nam utrobique in populos duodecim diviſos Etruſcos fuiſſe conſtat, quorum ſinguli per Lucumones, & quaſi Dictatores ſuos regebantur. De veteribus intelligendus Virg. lib. 10. qui ut patriæ ſuæ gratificaretur, principem eorum urbem facit Mantuam, ſubditque

Gens illi triplex populi ſub gente quaterni.

Eorum qui poſt, Pelaſgis Tyrrheniſque permixti, ab Arno, ac deinde à Macra ad Tiberim agebant, populi duodecim fuere *Veientes* primùm, tum *Coritani*, ſive *Cortonenſes*; *Tarquinienſes*; *Caretani*; *Volſinii*; *Peruſini*; *Aretini*; *Faliſci*; *Volaterrani*; *Ruſellani*; *Vetulonienſes*, & *Cluſini*. De hac Plinius lib. 3. cap. 5. *Etruria eſt ab amne Macra: ipſa mutatis ſæpè nominibus Umbros inde exegere antiquitus Pelaſgi. Hos Lydi, à quorum rege Tyrrheno Tyrrheni; mox à ſacrificio ritu lingua Græcorum Tuſci ſunt cognominati*, ἀπὸ τῆ θύειν, ſcilicet, à ſacrificando.

8. *Inter Apenninum.*] *Apenninus* ſive plurali numero *Apennini montes*, tractus eſt montium, & Alpium ingens quaſi ramus perpetuis ac lunatis jugis, Italiam, quàm longa eſt, ab Alpibus maritimis ad Siculum fretum, & Brutiorum extremos fines dividens in duo veluti latera, quorum lævum ad mare Adriaticum vergit, dextrum ad mare Tyrrhenum.

9. *Tuſcorum ante Romanum imperium.*] Non mari modò celebratæ Tuſcorum vires, ſed terrâ quoque, & ſedes ultra Liris fl. protulerant. Eorumque fuit Vulturnus, quæ poſt Capua eſt dicta; ut vidimus l. 4. c. 37. Porro Etruſcos, ſive Tyrrhenos, non ex Lydia advenas, ut vulgò creditum, ſed Italiæ indigenas fuiſſe probat Halicarn. lib. 1.

10. *Ab Adria Tuſcorum colonia.*] Illuſtris olim & potens urbs trans omnia Padi oſtia fuit *Atria*, ſive *Hadria*. Hujus urbis reliquiæ adhuc ſuperſunt in Venetorum finibus, quæ cum epiſcopali dignitate, nominis etiamnum ſervat veſtigia; diciturque *Adria* vel *Adri*: ſicut, & in Piceni finibus alia civitas Hadria, Ducali titulo inſignis, quæ *Atri* nunc vocatur. Vide ſup. lib. 1. cap. 1.

11. *Priùs cis Apenninum.*] Aliter Dionyſius lib. 1. qui primos Etruſcos trans Apenninum ad oram maris Superi collocat: unde migraverunt in eam regionem quæ non Tuſcia eſt, quamque antè magna ex parte Umbri tenuerant.

12. *Trans Padum.*] Metrodorus Scepſius apud Plin. lib. 3. cap. 16. tradit *Padum* nomen accepiſſe quonium circa fontem arbor multa ſit picea, quæ *Pades* Gallice vocetur. Ligurum linguâ hic amnis *Bodincus* vocabatur, quod ſignificabat fundo carentem. Græcis dictus *Eridanus* ab Eridano Solis filio apud Iſidorum: Phaëtontem fabulæ vocant, & fulmine ictum in Padum narrant cecidiſſe. Heliades autem ejus ſorores, dum interitum fratris deflent, in arbores populos verſas, pro la-

Digitized by Google

13 excepto Venetorum angulo, qui ſinum circumcolunt maris, 14 uſque ad Alpes tenuere. 15 Alpinis quoque ea gentibus haud dubie origo eſt, 16 maxime Rhetis: quos loca ipſa efferarunt, ne quid ex anti quo, præter ſonum linguæ, nec eum incorruptum, retinerent. Urb. cond. an. 362. Tribb. mil. L. Lucret. &c.

5 XXXIV. De tranſitu in Italiam Gallorum hæc accepimus: Priſco Tarquinio Romæ regnante, 1 Celtarum, quæ pars Galliæ tertia eſt,

NOTÆ.

crymis electrum fundere, ajunt. Padum autem Eridani titulo à Græcis indigitatum crediderim de nomine amnis exigui non procul Athenis in Iliſſum defluentis. *Padus* porrò nunc Italis Galliſque *Po*, Germanis *Pavv*, non uno fonte oritur ex Veſulo monte, quæ pars eſt Alpium Cottiarum, (vulgò *Mont de Viſo*) in Vagiennorum finibus, ubi hodie Marchionatus Saluttiarum: perque duo milliaria ſeſe cuniculo condens, mox quaſi renaſcens, Taurinos inter & Vagiennos Ligures fluit, & Galliam Ciſalpinam, quæ ab eo Circumpadana, nunc Lombardia dicitur, in duas partes ſecans tandem in mare Hadriaticum ſeptem oſtiis ſe effundit, quæ *ſeptem maria* vocantur: quorum præcipua duo, *Volana* ad lævam nomen vetuſtum retinens; & *Paduſa* ad dextram, quod & oſtium Spineticum dixere: unde foſſa ab Auguſto Ravennam uſque ducta.

13. *Excepto Venetorum Angulo.*] De Venetis dictum lib. 1. cap. 1.

14. *Uſque ad Alpes.*] Ampliores veris indicat Etruſcorum veterum fines. Vix enim eſt ut ad Alpes uſque pertinuerint, cum hinc Ligures, inde Euganei viciniora Alpibus loca occuparent: niſi velit Euganeos Etruſcorum partem fuiſſe.

15. *Alpinis quoque.*] Imo pleræque Alpinarum Gentium Gallicæ originis fuere: nec ſolùm Maritimarum, Cottiarum, Grajarum ac Penninarum; ſed & magna ex parte Juliarum & Carnicarum Alpium incolæ. Nam Japydes ex Tauriſcorum genere, & Carni à Carnutibus orti, quorum regio adhuc Carniolæ nomen ex parte retinet.

16. *Maximè Rhetis.*] Fuerunt ſedes antiquæ *Rhetorum* ſeu *Rhætorum* inter Helvetios ob occaſu intercurrente Rheno; Vindelicos à Septentrione; Noricos, Carnos; atque ex parte Venetos ab Oriente, Euganeos à meridie. Ita ut eum tractum comprehenderent quem nunc occupant Tridentinus Epiſcopatus, Griſones, Svevi Meridionales, Tirolis Comitatus, & Epiſcopatus Brixianenſis. Caput Tridentum fuit, vulgò *Trento*. Adjecta eſt poſtea Vindelicia, quæ Rhetia ſecunda poſt diviſum imperium dicta, caput habuit Auguſtam Vindelicorum, nunc *Augsburg*, Sveviæ hodiernæ principem Civitatem.

1. *Celtarum, quæ pars tertia.*] Latè olim patuit *Celtarum* nomen, ut Europam univerſam Celticæ nomine ex veterum ſcriptorum, ac Strabonis præſertim auctoritate, comprehendere non ſit veritus Ortelius. Eâ certè appellatione nationes Occidentis plerasque, Britannos ſcilicet, Hiſpanos, Germanos, Illyrios, unà cum Gallis contineri Cluverius oſtendit in Germ. antiq. Propriè tamen *Celtæ*, Κελτοι Græcis dicti, qui Romanis Galli. Quin & Gallia noſtra Tranſalpina (illorum reſpectu), quà Cæcias flat, in Belgicæ nomen abiit, in Aquitaniæ quà ſpirat Africus: reliqua inter utramque media. Celticæ vocabulum diu retinuit: donec ea pars, quæ à Rhodani Septentrionali curſu, & Cemmenis montibus ad mare Mediterraneum meridiem verſus protenditur, & proprio nomine Braccata vocatur, Romanorum victoriis à corpore Celticæ avulſa, Provinciæ Narbonenſis cognomen accepit. Hac ſeclusâ, Galliam omnem (Comatam nempe), diviſum eſſe in partes tres *Cæſar* tradidit: quarum Celticam eam eſſe ait, quam *Galli* propriè dicti incolant. Ea inter Sequanam & Garumnam fluvios ſita. Auguſtus ſub Lugdunenſis denominatione decurtavit, detractis, atque Aquitaniæ contributis, populis quatuordecim, qui inter Ligerim & Garumnam.

Urb. cond. an. 362. Tribb. mill. L. Luret, &c.

2 penes Bituriges ſumma imperii fuit. ii regem 3 Celtico dabant. Ambigatus is fuit, virtute fortunaque, quum ſua, tum publica præpollens, a quod imperio ejus Gallia adeo frugum hominumque fertilis fuit, ut abundans multitudo vix regi videretur poſſe. Hic magno natu ipſe jam, exonerare prægravante turba regnum cupiens, 7 Belloveſum ac 4 Sigoveſum, ſororis filios, impigros juvenes, miſſurum ſe eſſe in quas Dii dediſſent auguriis ſedes, oſtendit. Quantum ipſi vellent numerum hominum, excirent, ne qua gens arcere advenientes poſſet. Tum Sigoveſo ſortibus dati 5 Hercinii ſaltus: Belloveſo haud paulo lætiorem in Italiam viam Dii dabant. 6 Is, quod eis ex po-

INTERPRETATIO.

a *Quod eo regnante.*

NOTÆ.

2. *Penes Bituriges.*] Duo in Celtica veteri fuere hujus nominis populi, *Bituriges Cubi*, quorum metropolis *Avaricum*; & *Bituriges Vibiſci*, quorum caput *Burdigala*. Illi hodiè *Berruyers*: hi *Bourdelois* vulgò vocitantur. De prioribus hic intelligendus videtur Livius.

3. *Celtico.*] Sic dicitur *Celticum*, ut hoſticum; ſubintelligitur utrobique ſolum: niſi malis hìc intelligere *nomen*, pro gente.

4. *Sigoveſum.*] Hunc in Germaniam ſequuti non ſolùm *Helvetii*, *Boii*, (à quibus Bojohæmum, & Bojoaria): ſed & *Turoni* quoque; & *Senonum* prætereà, & *Venetorum* pars, *Lemoviceſque*, à quibus Semnones, Venedi, Lemovii; quibus alii quoque ab aliis adduntur. *Tectoſages* imprimis qui bello æquè ac juſtitiâ clari Cæſare teſte. Hos in tractu Sveviæ, ubi nunc Teccenſis Ducatus, conſediſſe plerique volunt: tempore autem procedente in Illyricum atque Aſiam Colonias deduxiſſe. Templi certè Delphici manubias, Toloſam in antiquam patriam, aſportaſſe, ex Strabone, Pauſania, Juſtino, aliiſque ſcriptoribus conſtat: unde *aurum Toloſanum*. Qui verò eorum in Germania remanſerunt, eos poſt Cæſaris tempora in Chattorum nomen tranſiiſſe, conjicit haud improbabiliter vir eruditiſſ. mihique amiciſſimus Ægidius Lacarrius è Soc. Jeſu. Nec deſunt qui Reudingos Germaniæ qui & Rugii & feſto Ruteni, à Rutenis Galliæ; Varinos ſeu Varnos, ab Arvernis; Carinos ſeu Caritnos à Carnutibus; Longones ſive Longobardos à Lingonibus, Eudoſes ſive potiùs Eduoſes ab Eduis; Nuithones à cognomine Helveticorum populo, atque ab Helvetiorum gente Helvecones: quin & à Cavaris Caviones, Surdaones dirivent à Sardonibus, qui nunc nunc Ruſcinonenſes.

5. *Hercinii ſaltus.*] Sylva *Hercynia*, ſive *Orcynium* nemus, à Rheno in Sarmatiam olim ſexaginta dierum itinere in longitudinem patebat ex Mela, novem in latitudinem, auctore Cæſare. Paulatim pluribus locis exciſa, & pagis atque urbibus frequentata vetuſtum horrorem nitore mutavit. Quod ejus ſupereſt, per totam ferè Germaniam ſparſum, ut locis, ita appellationibus eſt diſtinctum. In Svevia, *Sylva Nigra*, Schvvartz-Vualdt, in Turingia *Turingica* Duringer-Vvaldt; quà Bohemiam in coronæ modum ambit, *Bohemica*, Bohmer-Vvalt: alibi aliis nominibus vocatur.

6. *It quod eis ex populis abundabat.*] Miſſis Sigonii, Gronovii, aliorumque variis lectionibus, vulgatæ congruum inesſe video ſenſum, quemadmodùm agnovit tandem Gronovius ut dicat Livius ex *illis populis*, qui mox enumerantur, quive Celtarum in regione erant, multitudinem quæ ſuperfluebat, evocatum à Belloveſo in Italiam. Eſt enim *abundare* idem quod redundare, & habere ultra id quod eſt neceſſarium.

pulis abundabat Bituriges, 7 Arvernos, 8 Senones, 9 Æduos, 10 Ambarros, 11 Carnutes, 12 Aulercos excivit. Profectus ingentibus peditum equitumque copiis, 13 in Tricaſtinos venit. Alpes inde oppoſitæ erant, quas inexſuperabiles viſas, haud equidem miror, nullâ dum viâ (14 quod quidem continens memoria ſit, 15 niſi de Hercule fabulis credere libet) ſuperatas. Ibi quum velut ſeptos montium altitudo teneret Gallos, circumſpectarentque quanam per juncta cœlo juga in alium orbem terrarum tranſirent, religio etiam tenuit: Urb. cond. an. 362. Tribb. mill. L. Lucret. &c.

NOTÆ.

7. *Arvernos.*] Hi regionem incolebant, quæ nunc *Auvergne*, ſeque fratres Romanorum, quaſi à Trojanis oriundos dicebant, auctore Lucano. Cæſaris tempore inter Celticæ gentes, de principatu cum Heduis certabant: pòſt ab Auguſto Aquitaniæ contributi. Caput urbium quondam *Gergobia*, (cujus veſtigia apud locum *Gergoye*) deinde *Arvernum*, cui nunc à Claromonte appellatio indita, vulgò *Clermont en Auvergne*.

8. *Senones.*] Conjicit Sigonius pro Senonibus, hic reponendos *Santones*: alioqui Senones & inter primos, & ultimi Alpes tranſcenderint: cum mox cap. proximè ſequenti ſubjiciat Livius, tum *Senones recentiſſimi advenarum*. Sed nihil obſtat quominus plures ejuſdem gentis Coloniæ diverſis præſertim temporibus deduci potuerint: & qui primi è Senonibus Italiam petierint, aliis permixti nomen mutaverint, quod Arvernis aliiſque ex horum priorum numero contigit. Santones autem ad Garumnæ oſtia ſiti, cum Celticæ, ad Cæſarem uſque, pars fuiſſent; deinde ex Auguſti inſtituto Aquitaniæ populis accenſeri cœperunt. Oppidum primarium Mediolanum, nunc *Saintes*, regio *Saintonge* dicitur.

9. *Æduos.*] *Æduï*, ſive *Hedui*, populi Celticæ, quæ poſteà Lugdunenſis, ſocii Romanorum, tempore Cæſaris Galliæ principatum obtinebant. Eorum ſedes à Burgundionibus occupatæ, Ducatus Burgundiæ nomen habent, *Duché de Bourgogne*: cujus tamen fines, Heduorum finibus ampliores. Princeps quondam civitas *Bibracte*, vulgò *Beuvray*; poſteà *Auguſtodunum*, nunc *Autun*.

10. *Ambarros.*] Pars ſeu pagus Heduorum fuere *Ambarri*. Alii Nivernenſem, Sanſo Cabilonenſem interpretatur Diœceſin, *Le Chalonois*.

11. *Carnutes.*] Celticæ, ac poſteà Lugdunenſis Senoniæ populi, apud quos præcipuæ Druydum Scholæ; ampliſſima regione complectebantur initio Carnotenſem & Aurelianenſem tractus, id eſt Belſiam latè ſumptam. Urbium olim caput *Autricum*, nunc vulgò *Chartres*.

12. *Aulercos.*] Tres ejus nominis fuere populi in Gallia Celtica, *Eburovices*, qui ſecundæ Lugdunenſi poſt adſcripti, *Cenomani* & Diablintes, qui tertiæ. Hic Aulercos Eburoviçes, (*Ceux d'Evreux*, en *Normandie*) intelligi inde conjicio, quod Cenomanorum ſpeciatim deinde mentio fit, & Diablintes minùs clari.

13. *In Tricaſtinos.*] Tricaſtini populi ſunt Provinciæ olim Narbonenſis, poſt Viennenſis, hodie Delphinatus, ad lævam Rhodani ripam, ſatis anguſtis finibus. Oppidum priſcis *Auguſta*, nunc *Saint Paul de Trois-Châteaux*.

14. *Quod quidem continens memoria ſit.*] Nihil opus Sigonii correctione: eſt enim illud, *quod quidem continens memoria ſit*, idem ac ſi diceret, *quod quidem* factum eſſe, *continuata* ad nos uſque *memoria ſit*: ſive *ſaltem quod teſtentur monumenta* antiquitatis, quæ ad noſtram ætatem deducta ſunt.

15. *Niſi de Hercule.*] Græcum Herculem ferunt, devicto in Hiſpania Geryone, in Italiam per eam Alpium partem tranſiiſſe, quæ ex eo Grajæ dictæ: nunc vocantur, *Le petit Saint Bernard*; inter Cottias, *Le Mont-Cenis*. & Penninas, *Le grand Saint Bernard*. Eo tractu fuit Ideonni poſteà regnum, hodiè ferè Tarantaſia, *La Tarentaiſe*.

Urb. cond. an. 362. Tribb. mill. L. Lucret. &c.

quod allatum eſt, advenas quærentes agrum, 16 ab Salyum gente oppugnari. 17 Maſſilienſes erant hi, navibus à Phocæa profecti. Id Galli 18 fortunæ ſuæ omen rati, adjuvere, ut quem primum in terram egreſſi occuparant locum 19 patentibus ſilvis communirent. ipſi 20 Taurino ſaltu 21 invias Alpes tranſcenderunt: fuſiſque acie Tuſcis, haud procul 22 Ticino flumine, quum in quo conſederant, 23 agrum Inſubrium appellari audiſſent, 24 cognomine Inſubribus pago

NOTÆ.

16. *Ab Salyum gente.*] Salyes, ſive Salyi, aut Salluvii populi fuere Galliæ Narbonenſis è Ligurum genere, inter Rhodanum & Alpes: in plura diſtincti nomina: propriè tamen dicti Salyi ea loca incolebant, ubi poſteà Aquæ-Sextiæ, & Diœceſis Aquenſis, *& Aix en Provence*.

17. *Maſſilienſes erant.*] Phocæenſes, non è Phocide Achajæ Provincia, ſed Phocæa Athenienſium colonia in Aſia minori, (quæ adhuc Italis, *Focchia Vecchia*) profecti. Hi ab Harpago Cyri, Perſarum regis præfecto obſeſſi, rebus omnibus ſuis in navem impoſitis, ac dira ſibi, ſi unquam redirent imprecati, (unde in Proverbium abiit Phocæenſium execratio, Φωκαΐδων ἀρά), ad Corſicam primùm Inſulam, ac deinde ad oram Gallicum appulere, ubi Maſſiliam condiderunt, circa Olympiadem 60. Videndi Herodotus præſertim & Juſtinus.

18. *Fortunæ ſuæ omen rati.*] Quòd hi Galli Belloveſo duce, novas ſibi relictâ patriâ, ſedes quærerent, non ſecus ac Græci illi Phocæenſes: ideò advenas hoſce tuendos cenſebant adversùs Gallos alios.

19. *Patentibus ſylvis communirent.*] Itane patentes ſylvæ ad muniendum aptæ? Non ſylvis ipſis, ſed congeſta è proximis ac latè patentibus ſylvis lignorum ſtrue ad muniendum locum Phocæenſes à Celtis adjuti.

20. *Taurino ſaltu.*] Taurini, quos Polybius *Tauriſcos* quoque appellat, ſub Alpibus Cottiis in limine Italiæ ad lævum Padi incolunt: Populi Gallici generis, aut, quod eodem recidit, Ligustici, atque ab Etruſcis diverſi. Nunc Pedemontani dicuntur, ſtrictè ſumpto nomine. Primarium oppidum, *Taurinæ* primùm, poſt *Auguſta Taurinorum*: hodiè *Turin*: Italicè, *Torino*.

21. *Invias Alpes tranſcenderunt.*] Ab Rhenano eſt. Vulgata enim lectio, *ipſi per Taurinos, ſaltuſque Julia Alpis*. Sed *Julia Alpes*, neque hac regione ſunt, ſed in Pannoniæ Italiæque confinio: necdum à Julio Cæſare nomen acceperant. Non tamen ſatis eſſe cauſæ videtur, cur aliud quàm *Julia* nomen mutetur, legendumque per *Taurinos ſaltuſque invia Alpis*, vel potius *Cottia Alpes, tranſcenderunt*. Nam quod poſteà Livius *eodem ſaltu* dixit in numero ſingulari, parùm ad rem facit: cum nihil tritum magis apud auctores quàm hæc numerorum commutatio.

22. *Ticino flumine.*] Ex altiſſimo Alpium jugo *Adula*, vulgò nunc *Mons Saint Godard*, inter Penninas & Rheticas Alpes interjecto, Ticinus fl. per lacum Verbanum, hodiè *Lac Majeur*, perque Inſubrum agrum, ad ejuſdem nominis oppidum, inde in Padum decurrit. Ticinus (ad quem tunc, ſi Livio fides, incolebant Tuſci) nobis eſt *Le Teſin*, Ticinum oppidum *Pavie*.

23. *Agrum Inſubrium.*] Trans Padum Inſubres habitarunt, Alpes verſus, ubi nunc fermè Tractus Mediolanenſis, *Il Milaneſe*, Diœceſis nempe Mediolanenſis cum Laudenſi & Papienſi: nam Comenſis cum Bergomenſi ad Orobios, Novaria, ad Lævos opinor propriè pertinebat: quos utroſque ſub nomine Inſubrum comprehendiſſe Ptol. videtur.

24. *Cognomine Inſubribus pago.*] Rhenanus ſubaudit *exiſtente*. Gronov. ſcribit *cognominem Inſubribus pago Heduorum*: ſenſu haud ſanè diverſo. An nominis veſtigia in oppido Burgundiæ *Semure*, quod nunc *Selligarde*, ad Ararim?

Heduorum: ibi, omen ſequentes loci, condidere urbem: 25 Mediolanum appellarunt. Urb. cond. an. 362.

XXXV. Alia ſubinde manus 1 Cenomanorum 2 Elitovio duce veſtigia priorum ſecuta, 3 eodem ſaltu, favente Belloveſo, quum tranſcendiſſet Alpes, ubi nunc 4 Brixia 5 ac Verona urbes ſunt, (6 locos tenuere Libui) conſidunt. Poſt hos 7 Salluvii, prope antiquam gentem 8 Lævos Ligures, 9 incolentes circa Ticinum amnem. Tribb. mill. L. Lucret. &c.

NOTÆ.

25. *Mediolanum appellarunt.*] Non videtur à vero abhorrere, quod Cluverius conjicit, Heduos & Aulercos Eburovices præcipuos in hac expeditione fuiſſe; ideoque ab Heduorum pago ſive regiuncula, & loci nomine ubi Tuſcos devicerant, Inſubrum nomen ſibi indidiſſe totam hanc gentem ex pluribus Gallorum populis conflatam; ab urbe autem Eburovicum primaria, Mediolano, cui & aliæ in Gallia Tranſalpina cognomines, inditum oppido communi operâ condito vocabulum. Fuit autem hoc Mediolanum, vicus primùm ex Strabone; deinde urbs præclara. Et ſane quamvis ſæpiùs captum, vix cuiquam hodie Italicarum urbium cedit, ſub Hiſpanorum ditione, vulgò *Milan*, Italicè *Milano*, Germanicè *Meylandt*,

1. *Cenomanorum.*] In Gallia Celtica. Urbs Vindinum, nunc *Le Mans*, regio *Le Maine*. In Ital. Territoria tenuere, quæ nunc *Veroneſe*, & *Breſciano*; *Cremoneſe*, & *Mantoano*.

2. *Elitovio duce.*] Non diſplicet Gliereani conjectura, Litavicum ducem conjicientis: quod apud Cæſarem nomen eſt Gallicum, ex quo natum *Ludovici* apud poſteros vocabulum credibile eſt.

3. *Eodem ſaltu.*] Inviæ Alpis, *Cottiæ* nimirum, quæ Taurinis imminet.

4. *Brixia.*] Caput gentis Cenomanorum, à quibus tunc condita, vicinum habet amnem Melam: à Catullo dicitur mater Cremonæ. Nunc Longobardiæ adſcripta in Venetorum eſt ditione, vulgò *Breſcia*, Gallicè, *Breſſe*.

5. *Ac Verona.*] Major quàm Brixia fuit, eſtque adhuc *Verona*, flumini Atheſi impoſita, quam ab Euganeis ſimul & Rhætis primùm conditam, Galli Brixiani occupaverunt, coloniaque auxerunt. Venetis & ipſa paret nomenque antiquum retinet. Germ. *Bern.*

6. *Locos tenuere Libui.*] Hi *Libui* Tuſcorum gentis fuerint oportet ex Liv. Niſi potiùs legendum *Libici*, ut eſt apud Ptol. aut *Lebecii*, ut vocat Polyb. Hos modò Gallici, modò Liguſtici generis faciunt antiqui Scriptores. Sed & Ligures à Gallis orti; & fortè Libici ante Gallorum hanc expeditionem, patentibus latè finibus hæc loca tenuerant à Taurinis ad Venetos; donec ab Inſubribus ac Cenomanis, Lævis, qui ulteriori regione pulſi, intra eas ſedes ſe continuerit, quæ ipſis poſt ab auctoribus aſſignantur, Vercellenſi nempe agro & Laumellino in confinio Pedemontii hodierni & Mediolanenſis Ducatus. Sic nihil erit reliqui, quod Tuſcis antiquis trans Padum adſcribi debuerit; ſibique ipſi, ut & Dionyſio contrarius invenietur Livius: niſi ſenſus ejus interpunctione mutetur, ut paulò poſt indicabo.

7. *Salluvii.*] Iidem cum Sallyis, ſive Salybus, de quibus cap. ſuperiori.

8. *Lævos Ligures.*] Horum meminit quoque lib. 33. Ubi à Liguribus ità diſtinguuntur, ut appareat inter utroſque interjectum fuiſſe Padum. His lucem aliquam afferre poterit Plinii locus lib. 3. c. 17. *Vercellæ Libiciorum, ex Salyis orta; & Novaria ex Vertacomacoris, Vocontiorum hodieque pago; non ut Cato exiſtimat, Ligurum: ex quibus Levi, & Marici condidere Ticinum non procul Pado*, Sed ultra flumen & ad lævam ejus. Cæterum Maricorum nomen non facilè alibi occurrit, confuſorum haud dubiè cum *Levis*. Horum ergo memoratum oppidum Ticinum, cui poſtea Papiæ nomen inditum: unde ager hodie, *il Paveſe*.

9. *Incolentes circa Ticinum amnem.*] Totus hic locus à Rhenano, Sigonio, Cluverio, Gronovio mirè vexatus: quorum varias à ſcriptis Codicibus abhorrentes lectiones rationeſque afferre longum, nec multùm utile fuerit. Omnia

Urb. cond. an. 362. Tribb. mill. L. Lucret, &c.

10 Penino deinde 11 Boii, 12 Lingonesque transgressi, quum jam inter Padum atque Alpes omnia tenerentur, Pado ratibus trajecto, 13 non Etruscos modo, sed etiam 14 Umbros agro pellunt: intra

NOTÆ.

ex fide manuscriptorum à Gronovio adductorum, solâ interpunctione mutatâ (quæ facillima & maximè probabilis corrigendi ratio est) proximè ad mentem Cluverii, redigi poterunt. Verùm ponendum primò, quod satis constat propositum esse auctori describere, qui Gallorum populi, quâ parte Alpium transgressi, quibus populis pulsis victisve, qua in Italiæ parte quisque consederint. Ponendum deinde post has invasiones, memorari adhuc à Geographis aliisque Scriptoribus Galliæ Cisalpinæ populos, quorum hic noster meminit; *Insubres*, *Cenomanos*, *Libices*, sive *Libuos*, *Lævos*, *Bojos*, *Lingones*, ac *Senones*: qui proinde non in pulsorum, sed in pellentium, aut certè cum pellentibus sociatorum numero habendi. His ità constitutis satis plana videbitur hoc loco auctoris sententia, sic legenti: *alia subinde manus Cenomanorum*, &c. *ab his nunc Brixia ac Verona urbes sunt*, (*loco tenuere Libui*) *consident: post hos Salluvii, prope* (vel, quod idem est, præter) *antiquam gentem Lævos Ligures, incolentes circa Ticinum amnem. Pennino deinde Boii*. &c. Hic duæ impressiones describuntur, secunda nimirum Cenomanorum, qui eadem parte, quâ priores Galli, per Alpes nempe Cottias ingressi, Tuscos ex aliis, quos adhuc tenebant, ultra Insubres, locis exturbaverint: & tertia, quâ Libici Salluviorum pars, sive ex Salyis orti, teste Plinio paulò antè laudato, juxta antiquos Ticini Padique incolas Lævos, ex Liguribus ortos, consederint. Libui, Salluvii dicuntur appositione, quemadmodùm Senones Galli. Alloqui Salyorum per se in hac regione nulla posterioribus temporibus mentio. Quarta sequitur expeditio, quâ Boli & Lingones per Alpes Penninas irrumpentes promulere fines suos ad Padi ostia, Ultra hos adhuc perrupere quinto loco Senones. Singulorum situm designat Polyb. lib. 2. Qui *Lævi* pro *Lævis* nominat. atque inter Padum & Apenninum, primos *Anares*, sive *Anamares*; quorum solus ille meminit. Ecs, sive iidem fuere cum Ambarris, sive ex quacumque tandem Galliarum regione profecti, circa Placentiam incoluisse conjicit Cluverius non improbabiliter.

10. *Penino deinde.*] Saltu vel jugo. *Alpes Penina*, sic ab Hannibalis Pæni transitu nuncupatæ plerisque creduntur. Apud Plin. Livius verò nomine Peninas dictas indicat lib. 21 à *Pennino* Deo (sive ille Pennus dicendus, ut vult Cluv.)

11. *Boii.*] *In Transalpina* Gallia inter Heduos atq; Arvernos, siti fuere *Boii*, ea regione, quæ hodiè *Bourbonnois*. Eorum pars in Germaniam transiit. His Italia magis placuit: ubi sedes in Etruscorum veteri solo fixere, occupata urbe *Felsina*, quam de suo nomine Bononiam vocarunt (vul. *Bologne la grasse*): & in ea regione consederunt, quæ post *Æmilia*, nunc *Lombardia di qua dal Po*. Complectens agros Parmensem, Regiensem, Mutinensem, cum Bononiensi.

12. *Lingonesque.*] Fuere Lingones Celticæ Galliæ populi, aliquando Belgis contributi: nunc in finibus Campaniæ & Burgundiæ. Horum oppidum quondam *Andematunnum*, vulgo nunc *Langres*. In Italiam transgressi quædam loca tenuisse aliquandiu videntur inter Bononiam & Ravennam, circa Butrium, in Umbrorum Tuscorumque veterum confinio, *Sur la Frontiere de la Lombardie & de la Romagne*. Sed aut à Senonibus aut à Boiis, majoribus ac vicinis populis obscurati, iisve immixti, vix ullam sui apud Scriptores alios memoriam reliquerunt.

13. *Non Etruscos modò.*] Ingentem his temporibus terrarum tractum Etrusci sive Tusci tenebant ab Alpibus ferè ad Superum Inferumque mare, ut Plutarchus scribit in Camillo. Eorum regionem ad utrumque Padi latus plures Gallici populi occupavere inter sinum Hadriaticum & Apenninum, quæ hodie ferè *Lombardia*: ipsi inter hunc montem & Tuscum ab eis dictum mare sedes retinuerunt, hoc est Tusciæ hodiernæ par-

Apen-

Apenninum tamen ſeſe tenuere. Tum Senones, recentiſſimi advenarum, [15] ab Utente flumine uſque [16] ad Æſim fines habuere. Hanc gentem Cluſium, Romamque inde veniſſe comperio. id parum certum eſt, ſolamne, an ab omnibus Ciſalpinorum Gallorum populis adjutam. Cluſini novo bello exterriti, quum multitudinem, quum formas hominum inuſitatas cernerent, & genus armorum; audirentque ſæpe ab iis cis Padum ultraque, legiones Etruſcorum fuſas: quamquam adverſus Romanos nullum eis jus ſocietatis amicitiæve erat, niſi quod Vejentes conſanguineos adverſus populum Romanum non defendiſſent, legatos Romam, qui auxilium ab ſenatu peterent, miſere. De auxilio nihil impetratum. legati tres [17] M. Fabii Ambuſti filii miſſi, qui ſenatus, populique Romani nomine agerent cum Gallis, *Ne à quibus nullam injuriam accepiſſent, ſocios populi Romani atque amicos oppugnarent. Romanis eos bello quoque, ſi res cogat, tuendos eſſe. ſed melius viſum bellum ipſum amoveri, ſi poſſet: & Gallos, novam gentem, pace potius cognoſci, quam armis.*

Urb. condit. an. 362. Tribb. milit. L. Lucret. &c.

XXXVI. Mitis legatio ni præferoces legatos, Galliſque magis quam Romanis ſimiles, habuiſſet: quibus, poſtquam mandata ediderunt in concilio Gallorum, datur reſponſum: *Etſi novum nomen audiant Romanorum, tamen credere viros fortes eſſe, quorum auxilium à Cluſinis, inre trepida ſit imploratum. & quoniam legatione adverſus ſe maluerint quam armis tueri ſocios, ne ſe quidem pacem quam illi afferant, aſpernari, ſi Gallis egentibus agro, quem latius poſſideant quam colant Cluſini, partem finium concedant. aliter pacem impetrari non poſſe. Et reſponſum coram Roma-*

NOTÆ.

tem, quæ ad Umbronem fluvium pertinet; eamque amplificarunt devictis Pelaſgis, qui Orientalia ejus tractus Umbris eripuerant. Qua de re Dionyſ.

14. *Umbros*.] Antiquiſſima Italiæ gens; & auctore Boccho apud Solinum ac Servium, Gallorum veterum propago, *Umbri*, prima in Etruria ſedes ad mare Inferum habuit inter Umbronem & Tiberim. Inde ultra Apenninum ad ſinum uſque Hadriaticum progreſſi, à dextro ferè Padi oſtio, aut certè à Ravenna ad Piceni uſque fines coluere. Verùm à Gallis, tum Boiis & Lingonibus ad extremos verſus Padum limites, tum præſertim Senonibus, excluſi ab ora Superi maris, (ubi nunc *Romandiola*, & *Ducatus Urbinas*), inter Apenninum, Tiberimque & Narem fluvios conſederunt, (quem tractum hodie vocant Ducatum Spoletanum): donec profligatis tandem Romanorum virtute Senonibus, aut ipſi priſtinas ſedes, aut regio ipſorum nomen recepit ad Superum mare.

15. *Ab Utente flumine*.] Sic legendum Sigonius docuit, non *Uſente*, qui hinc procul apud Tarracinam in mare Tyrrhenum influit; vulg. *Auſente*. At verò *Utis* prope Ravennam in Superum evolvitur, hodie *Montone* dictus.

16. *Ad Æſim*.] Hîc quoque ingens mendum irrepſerat; quod idem Sigon. advertit: legebatur enim ad *Atheſin*, qui nunc *Adige*, Veronam alluit. *Æſis* verò ultra Senam Gallicam, ſui nominis oppidum alluit, (nunc *Jeſi*), Senonesque aut Umbriam, à Piceno diſterminans, in Hadriaticum cadit. Vulg. *Fiumeſino*, quaſi, *Fiume Eſino*.

17. *M. Fabii Ambuſti*.] Hic M. Fabius Vibulanus, primus è Fabiis cognomen Ambuſti tuliſſe videtur; fueratque jam Conſul, ac Tribunus militum Conſulari poteſtate.

Urb. cond. an. 362. Tribb. mill. L. Lucret. &c.

nis, ſe accipere velle: & ſi negetur ager, coram iiſdem Romanis dimicaturos, ut nunciare domum poſſint, quantum Galli virtute cæteros mortales præſtarent. Quodnam id jus eſſet, agrum à poſſeſſoribus petere, aut minari arma? Romanis quærentibus, &, *quid in Etruria rei Gallis eſſet?* quum illi [1] *ſe in armis jus ferre, & omnia fortium virorum eſſe*, ferociter dicerent, accenſis utrimque animis ad arma diſcurritur, & prælium conſeritur. Ibi, jam urgentibus Romanam urbem fatis, legati [2] contra jus gentium arma capiunt. nec id clam eſſe potuit, quum ante ſigna Etruſcorum tres nobiliſſimi fortiſſimique Romanæ juventutis pugnarent: tantum eminebat [3] peregrina virtus. Quin etiam Q. Fabius evectus extra aciem equo, ducem Gallorum ferociter in ipſa ſigna Etruſcorum incurſantem, per latus transfixum haſta, occidit, ſpoliaque ejus legentem Galli agnovere, perque totam aciem, Romanum legatum eſſe, [a] ſignum datum eſt. Omiſſa inde in Cluſinos ira, receptui canunt, minantes Romanis. Erant, qui extemplo Romam eundum cenſerent. vicere ſeniores, ut legati prius mitterentur queſtum injurias, poſtulatumque, ut pro jure gentium violato Fabii dederentur. Legati Gallorum quum ea, ſicut erant mandata, expoſuiſſent, ſenatui nec factum placebat Fabiorum, & jus poſtulare barbari videbantur. ſed ne id, quod placebat, decerneret in tantæ nobilitatis viris, [b] ambitio obſtabat. Itaque ne penes ipſos culpa eſſet [4] cladis forte Gallico bello acceptæ, cognitionem de poſtulatis Gallorum ad populum rejiciunt. ubi tanto plus gratia atque opes valuere, ut quorum de pœna agebatur, tribuni militum conſulari poteſtate in inſequentem annum crearentur. Quo facto, haud ſecus quam dignum erat, infenſi Galli, bellum propalam minantes, ad ſuos redeunt. Tribuni militum cum tribus Fabiis creati Q. Sulpicius Longus, Q. Servilius quartùm, Ser. Cornelius Maluginenſis.

Urb. cond. an. 363. Tribb. mill. Q. Fab. &c.

XXXVII. Quum tanta moles mali inſtaret (adeo OCCÆCAT ANIMOS fortuna, ubi vim ſuam ingruentem refringi non vult) civitas, quæ adverſus Fidenatem & Vejentem hoſtem, alioſque finitimos populos

INTERPRETATIO.

[a] *Signo dato obſervatum.*

[b] *Impediebat gratia, & nimius in potentiores favor.*

NOTÆ.

1. *Se in armis jus ferre.*] Eadem militari, ſed à recto jure alienâ, voce uſus eſt Cæſar, diſſuadentibus amicis, bellum patrio illatum.

2. *Contra jus gentium.*] Neque enim jus gentium patitur, ut idem pacificatoris ſimul & bellatoris adversùs eoſdem perſonam gerat.

3. *Peregrina virtus.*] Fortitudo Romanorum aſſiduis bellis exercitatorum, inter Cluſinos præcellens.

4. *Cladis fortè Gallico bello acceptæ.*] Non concoquit Tan. Faber illud *acceptæ* de re futura, vultque legendum omnino *accipiendæ*: ſed adjectum *fortè* conditionem inducit, quaſi dicas, *ſi accepta eſſet.* Et futuræ cladis mentibus Senatorum quaſi præſens, aut etiam quaſi jam præterita obverſabatur.

ultima experiens auxilia, dictatorem multis tempeſtatibus dixiſſet; ea tunc inaudito hoſte, 1 ab Oceano terrarumque ultimis oris bellum cientе, nihil 2 extraordinarii imperii aut auxilii quæſivit. Tribuni, quorum temeritate bellum contractum erat, ſummæ rerum præerant: delectumque nihilo accuratiorem quam a ad media bella haberi ſolitus erat, (extenuantes etiam famam belli,) habebant. Interim Galli, poſtquam accepere ultro honorem habitum violatoribus juris humani, eluſamque ſuam legationem eſſe, flagrantes ira, 3 cujus impotens eſt gens, conteſtim ſignis convulſis, citato agmine iter ingrediuntur. Ad quorum prætereuntium raptim tumultum quum exterritæ urbes ad arma concurrerent, fugaque agreſtium fieret; Romam ſe ire magno clamore ſignificabant. quacumque ibant, equis viriſque longe ac late fuſo agmine b immenſum obtinentes loci. Sed antecedente fama, nunciiſque Cluſinorum deinceps, inde aliorum populorum, plurimum terroris Romam celeritas hoſtium tulit. quippe quibus, velut tumultuario exercitu raptim ducto, ægrè ad undecimum lapidem occurſum eſt, qua 4 flumen Allia Cruſtuminis montibus prærupto defluens alveo, haud multum infra viam Tiberino amni miſcetur. Jam omnia 5 contra circaque hoſtium plena erant, & 6 nata in vanos tumultus gens, truci cantu, clamo-

Urb. cond. an. 363. Tribb. mill. Q. Fab. &c.

INTERPRETATIO.

a *Ad bella mediocria.*
b *Veſtum ſpatium occupantes.*

NOTÆ.

1. *Ab Oceano.*] *Ità Flor. quondam ab ultimis terrarum oris & cingente omnia Oceano.* Amplificatio eſt: neque enim Senones in patria Oceano proximi: neque hi tunc ex longinquis trans Alpes terris veniebant, ſed ex Umbria, in quam jam ante migraverant.

2. *Extraordinarii imperii.*] Poteſtatis & imperii nomine intelligitur major magiſtratus, penes quem eſt merum imperium. Inter extraordinarios erat in primis Dictator, ad quem non niſi urgente periculo recurri ſolebat.

3 *Cujus impotens eſt gens.*] Ita Rhen. anteà *impatiens*, eodem ſenſu. Eſt enim *impotens ira*, qui facile iram refrænare ac comprimere non poteſt. Sed num in re ſimili moderatiores Romani?

4. *Flumen Allia.*] Cluv. poſt Blondum putat exiguum eſſe amnem, qui ſub Ereto ſive *Monte Rotundo* ad primum milliare occurrit, quinque milliaribus ſupra Cruſtumium, ſeu *Marcilianum* vetus, vocaturque vulgo *Rio di Moſſo*; Holſtenius Alliam eſſe putat rivulum, qui paulùm ultra Marcilianum, inter prædium Sanctæ Columbæ & Sancti Joannis præalto alveo defluit in Tiberim quinque aut ſex paſſuum millibus ſupra Fidenas, ſive *Caſtellum Jubilenum*. Utut ſit ignobilis alioqui amnis Romanorum clade nobilitatus eſt, atque ob infaustam hanc pugnam Alienſem dies XV. Kal. Sextiles (Julii 18.) alioqui deletis ad Cremeram Fabiis infelix, inter nefastos relatus eſt.

5. *Contrà circaque.*] Vult, opinor, Senones præ multitudine, totam regionem impleviſſe; ut non tantùm, quà ibant Romani, hoſtes haberent à fronte obvios: ſed etiam undique dextra lævaque circumfuſos.

6. *Nata in vanos tumultus gens.*] Eſt quod Titi noſtri miremur inconſtantiam ex vecordi in Gallicam gentē odio. Nunc ut Vanos arguit Gallos, quod clamorem militarem, ſeu barritum tollant; mox caprox. Romanos ſuos damnat quod clamorem ad pugnam immundam non ediderint.

ribuſque vãriis, horrendo cuncta compleverant ſono.

Urb. cond. an. 363. Tribb. mill. Q. Fab. &c.

XXXVIII. Ibi tribuni militum non loco caſtris ante capto, non præmunito vallo, quò receptus eſſet, non Deorum ſaltem, ſi non hominum memores; [a] nec auſpicato, nec litato, inſtruunt [1] aciem diductam in cornua, ne circumveniri multitudine hoſtium poſſent. nec tamen æquari frontes poterant, quum extenuando, infirmam & vix cohærentem mediam aciem haberent. Paulum erat ab dextera colliti loci, quem ſubſidiariis repleri placuit: eaque res ut initium pavoris ac fugæ, ſic una ſalus fugientibus fuit. Nam [2] Brennus regulus Gallorum, in paucitate hoſtium artem maxime timens, ratus ad id captum ſuperiorem locum, ut ubi Galli cum acie legionum rectâ fronte concurriſſent, ſubſidia [3] in averſos transverſoſque impetum darent: ad ſubſidiarios, ſigna convertit; ſi eos loco depuliſſet, haud dubius [b] facilem in æquo campi tantum ſuperanti multitudine victoriam fore. adeo non fortuna modo, ſed ratio etiam cum barbaris ſtabat. In altera acie nihil ſimile Romanis, non apud duces, non apud milites erat. pavor fugaque occupaverat animos, & [4] tanta hominum oblivio, ut multo major pars Vejos in hoſtium urbem, quum Tiberis areeret, quam recto itinere Romam ad conjuges ac liberos fugerent. Parumper ſubſidia-

INTERPRETATIO.

a *Cum nec captaſſent auſpicia, nec ſacrificio Deos placaſſent.*

b Sibi, *qui Romanos adeo multitudine vinceret, victoriam in loco plano proclivem futuram.*

NOTÆ.

1. *Aciem diductam in cornua.*] Quod Gronovius *deductam* legit, hoc eſt extenuatam, & parùm denſam, nihil eſt quod mutetur: cum non minùs *deducta* diſperſam ſignificet, ſenſu haud abſimili: ut probatur vel ex illo Cic. de Orat. *Cum autem diduxerat pugnum, & manum dilataverat.*

2. *Brennus Regulus Gallorum.*] Brenni plures fuere. Certè ab hoc diverſus fuit, utpote toto ſeculo junior, is qui Græciam vaſtavit, templumque Delphicum reverà ſpoliavit, quicquid Pauſanias, aliique negent: Galli autem illi priſci Duces magis quàm Reges habebant: & Reges vel ad tempus, vel certè non cum ſummo imperio erant, uti ex Cæſare diſcimus. Neque abſurdum, neque Tibi SERENISSIME PRINCEPS, injucundum omnino fore putavi, ſi hujus Brenni effigiem ex Iconum Promptuario, Gallicum in morem armatum, ornatamque; non quaſi certum antiquitatis monumentum, ſed ad Gallici decoris memoriam ſubjicerem.

3. *In averſos transverſoſque Gallos.*] Gall. *Qu'ils ne les priſſent par derriere, & en flanc.*

4. *Tanta hominum oblivio.*] Haud dubiè *omnium*, ex Gronovio: niſi malis *hominum* Romanorum oblivionem intelligi.

rios tutatus eſt locus. in reliqua acie, ſimul eſt clamor proximis ab latere, ultimis ab tergo auditus, ignotum hoſtem prius pene quam viderent, non modo non tentato certamine, ſed ne clamore quidem reddito integri intactique fugerunt. Nec ulla cædes pugnantium fuit. terga cæſa ſuomet ipſorum certamine in turba impedientium fugam. Circa ripam Tiberis, quo armis abjectis totum 5 ſiniſtrum cornu defugit, magna ſtrages facta eſt: multoſque imperitos nandi, aut invalidos, graves loricis aliiſque tegminibus hauſere gurgites. maxima tamen pars incolumis Vejos perfugit, unde non modo præſidii quicquam, ſed ne nuncius quidem cladis Romam eſt miſſus. Ab dextro cornu, quod procul à flumine, & magis ſub monte ſteterat; Romam omnes petiere, & ne clauſis quidem portis urbis in arcem confugerunt. Urb. cond. an. 363. Tribb. mill. Q. Fab. &c.

XXXIX. Gallos quoque velut obſtupefactos, miraculum victoriæ tam repentinæ tenuit. & ipſi pavore defixi primum ſteterunt, velut ignari quid accidiſſet. deinde inſidias vereri; poſtremo cæſorum ſpolia legere, [1] armorumque cumulos, ut mos eis eſt, coacervare. Tum demum poſtquam nihil uſquam hoſtile cernebatur, viam ingreſſi, haud multo ante Solis occaſum ad urbem Romam perveniunt. ubi quum prægreſſi equites, non portas clauſas, non ſtationem pro portis excubare, non armatos eſſe in muris, retuliſſent; aliud priori ſimile [a] miraculum eos ſuſtinuit: noctemque veriti, & ignotæ ſitum urbis, inter Romam atque Anienem conſedere; exploratoribus miſſis circa mœnia aliaſque portas, quænam hoſtibus in perdita re conſilia eſſent. Romani, quum pars major ex acie Vejos petiiſſet, nemo ſupereſſe quemquam præter eos qui Romam refugerant, crederet; [2] complorati omnes pariter vivi mortuique, totam prope urbem lamentis impleverunt. [b] Privatos deinde luctus ſtupefecit publicus pavor, poſtquam hoſtes adeſſe nunciatum eſt. mox ululatus cantuſque diſſonos, vagantibus circa mœnia turmatim barbaris, audiebant. Omne inde tempus ſuſpenſos ita tenuit animos uſque ad lucem al-

INTERPRETATIO.

a *Mira res alia illos continuit*, ne ultrà progrederentur.

b *Poſteà communis metus compreſſit; & quaſi hebetavit domeſticam ſingulorum mœſtitiam.*

NOTÆ.

5. *Siniſtrum cornu defugit.*] *Defugere* eſt vitare, recuſare; ut defugere auctoritatem, munus, &c. Unde non abs re placet Gronov. *diffugit* potiùs legi.

1. *Armorumque cumulos.*] Ad trophæa.

2. *Complorati omnes pariter.*] Hoc ſanè elegantius Gron. mihique viſum, quàm Sigonianum, *Complorantis omnibus vivis pariter mortuiſque*. Figuratè adſcribit auctor mortuis, & abſentibus, (qui Vejos aufugerant, & vivi licèt, pro mortuis habebantur) querelas luctuſque eorum qui in urbe remanſerant; quandoquidem illi in cauſa erant, cur hæc in urbe fierent: nec verò luctu complere locum ii tantùm dici poſſunt, qui lugent; ſed & qui lugentur, ſive quorum amiſſio mœrorem efficit.

Urb. cond. an. 363. Tribb. mill. Q. Fab. &c.

teram, 3 ut identidem jam in urbem futurus videretur impetus primo adventu, quo acceſſerant ad urbem. manſuros enim ad Alliam fuiſſe, niſi hoc conſilii foret. Deinde ſub occaſum Solis, quia haud multum diei ſupererat, c ante noctem rati ſe invaſuros; tum in noctem dilatum conſilium eſſe, quo plus pavoris inferrent. Poſtremo lux appropinquans exanimare: d timorique perpetuo ipſum malum continens fuit, quum ſigna infeſta portis ſunt illata. Nequaquam tamen ea nocte, neque inſequenti die 4 ſimilis illi, quæ ad Alliam tam pavide fugerat, civitas fuit. Nam quum defendi urbem poſſe, tam parvâ relictâ manu, ſpes nulla eſſet; placuit cum conjugibus ac liberis juventutem militarem, ſenatuſque robur, in arcem Capitoliumque conſcendere, armiſque & frumento collatis, 5 ex loco inde munito 6 Deos hominesque & Romanum nomen defendere, Flaminem, ſacerdoteſque Veſtales, ſacra publica à cæde, ab incendiis procul auferre: nec ante deſeri cultum eorum, quam non ſupereſſent qui colerent. Si arx, Capitoliumque ſedes Deorum, ſi Senatus caput publici conſilii, ſi militaris juventus ſuperfuerit imminenti ruinæ urbis, facilem jacturam eſſe ſeniorum, relictæ in urbe utique perituræ turbæ. & quo id æquiore animo de plebe multitudo ferret, ſenes triumphales conſulareſque *ſimul ſe cum illis* palàm dicere *obituros: nec his corporibus, quibus non arma ferre: non tueri patriam poſſent, oneraturos inopiam armatorum.*

XL. Hæc inter ſeniores morti deſtinatos jactata ſolatia. Verſæ inde adhortationes ad agmen juvenum: quos in Capitolium atque in arcem proſequebantur, *commendantes virtuti eorum juventaque* 1 *urbis per*

INTERPRETATIO.

c *Exiſtimantes fore ut Galli ipſos adorirentur.*

d *Et malum* ipſum irruptionis *metui non intermiſſo conjunctum fuit.*

NOTÆ.

3. *Ut identidem jam in urbem.*] Illud *identidem* refertur ad tria tempora, quibus Galli urbem invaſuri timebantur, & cauſas cur quovis horum temporum timerentur, primò cum ſtatim à prœlio ad urbem acceſſerunt. 2. Sub occaſum Solis. 3. Initio noctis, 4. Initio diei ſequentis, quo tempore urbem intrarunt.

4. *Simillis illi, quæ ad Alliam.*] Diſplicet Gronovio quod dicitur, *ad Alliam fugiſſe Civitas*: ſuſpicatur reponendum: *ſimilis illis qui ad Alliam tam pavide fugerant.* Non eſt tamen novum civitatem dici pro Civibus, Civiumque potiori parte.

5. *Ex loco inde munito.*] Nempe inde tanquam *ex loco munito.*

6. *Deos hominesque.*] Deorum eſt homines defendere, non contrà: ſed per Deos intelliguntur Templa Deorum Romæ tutelarium.

1. *Urbis per trecentos ſexaginta annos ..... victricis.*] Glar. exactam non eſſe hanc annorum computationem notat, ſed eam potiùs quæ in Camilli oratione ſub finem libri exhibetur: erat enim hic annus ab urbe condita 365. inquit. Sigon. fatetur urbem captam anno 365. à Livio dici: ſed non inſubtiliter ait annos hic à Livio non à prima urbis origine, quemadmodum in oratione Camilli, ſed à primo bello, quod an. 4. Romulus geſſit adverſus Sabinos teſte Dionyſio: quanquam lib. 7. ait *condita*

trecentos ſexaginta annos omnibus bellis victricis, quæcunque reliquæ eſſet, fortunam. digredientibus qui ſpem omnem atque opem ſecum ferebant, ab iis, qui captæ urbis non ſupereſſe ſtatuerant exitio; quam ipſa res ſpecieſque miſerabilis erat, tum muliebris fletus & concurſatio incerta, nunc hos nunc illos ſequentium, rogitantium que viros natoſque, *cui ſe fato darent*: nihil, quod humanis ſupereſſet malis, relinquebant. magna pars tamen earum in arcem ſuos proſecutæ ſunt, nec prohibente ullo, nec vocante: quia quod utile obſeſſis ad minuendam imbellem multitudinem, id parum humanum erat. Alia maxime plebis turba, quam nec capere tam exiguus collis, nec alere in tanta inopia frumenti poterat, ex urbe, effuſa velut agmine jam uno, petiit Janiculum: inde pars per agros dilapſi, pars urbes petunt finitimas; ſine ullo duce, aut conſenſu, ſuam quiſque ſpem, ſua conſilia, communibus deploratis, exſequentes. Flamen interim Quirinalis, virgineſque Veſtales, omiſſa rerum ſuarum cura, [2] quæ ſacrorum ſecum ferenda, quæ (quia vires ad omnia ferenda deerant) relinquenda eſſent, conſultantes, quiſve ea locus fideli aſſervaturus cuſtodia eſſet; optimum ducunt, condita in *doliolis ſacello proximo ædibus flaminis Quirinalis*, ubi nunc deſpecta religio eſt, defodere: cætera inter ſe onere partito ferunt, viâ quæ ſublicio ponte ducit ad Janiculum. In eo clivo eas quum L. Albinius de plebe Romana homo conſpexiſſet, plauſtro conjugem ac liberos vehens inter cæteram turbam, quæ inutilis bello urbe excedebat; ſalvo etiam tum diſcrimine divinarum humanarumque rerum, irreligioſum ratus ſacerdotes publicos ſacraque populi Romani [3] pedibus ire, ferrique, ſe ac ſuos in vehiculo conſpici; deſcendere uxorem ac pueros juſſit, virgines ſacraque in plauſtrum impoſuit: & [4] Cære, quo iter ſacerdotibus erat, pervexit. Urb. cond. an. 363. Tribb. mill. Q. Fab. &c.

XLI. Romæ interim, ſatis jam omnibus, ut in tali re, ad tuendam arcem compoſitis, turba ſeniorum domos regreſſa, adventum hoſtium obſtinato ad mortem animo expectabant. qui eorum [1] curules geſſerant magiſtratus, ut in fortunæ priſtinæ [2] honorumque aut virtutis inſigni-

NOTÆ.

urbis æqualem victoriam fuiſſe, ſed hoc rhetoricè. Præterea dici poteſt nihil eſſe uſitatius apud auctores, quàm ut rotundum numerum, qui vero proximus ſit, pro vero ſequantur. Sed annum urbis Captæ certò invenire Plutarchus diffiteſe eſſe teſtatur. Plinius quartum & ſexageſimum numerat ſupra trecenteſimum. Nos uno minùs cum Sigonio, ſummam Capitolinam ſequuto: quæ demptis primis urbis condendæ annis, quibus bellatum non eſt, reddet præciſè annos 360. à Livio notatos.

2. *Quæ.... ſacrorum.*] Sacra hic ſunt res Diis conſecratæ, ſimulacra inprimis Deorum, qui præcipuo in honore.

3. *Pedibus ire,*] Florus notat: *Virgines ex Sacerdotio Veſtæ, nudo pede fugientia ſacra comitatas;* reverentiæ ſcilicet causâ.

4. *Cære.*] Quæ aliàs Agylla urbs Etruriæ. Hinc factum ex Val. Max. l. 1. cap. 1. aliiſque, ut ſacra *Cærimonia* vocentur, *quia Cæretani ea, infracto reip. ſtatu* perinde ac incolumi *coluerant*.

1. *Curules.*] Majores magiſtratus Curru vehebantur, ſedentes in ſella eburnea.

2. *Honorumque aut virtutis inſignibus,*] Honorum, ut Conſulatus, Dictaturæ,

Urb. cond. an. 363. Tribb. mill. Q. Fab. &c.

bus morerentur, quæ augustissima vestis est, 3 ✕ thensas ducentibus, triumphantibusve, ea vestiti medio ædium eburneis sellis sedere. Sunt, qui, M. Fabio Pontifice maximo 4 præfante carmen, devovisse eos se pro patria, Quiritibusque Romanis, tradant. Galli, & quia interposita nocte à contentione pugnæ remiserant animos, & quod nec in acie ancipiti usquam certaverant prælio, nec tum impetu aut vi capiebant urbem, sine ira, sine ardore animorum ingressi postero die urbem, patente Collina porta in forum perveniunt; circumferentes oculos ad templa Deûm, arcemque solam belli speciem tenentem. Inde modico relicto præsidio (ne quis in dissipatos ex arce aut Capitolio impetus fieret) dilapsi ad prædam 5 vacuis occursu hominum viis, pars in proxima quæque tectorum agmine ruunt: pars, ultima, velut ea demum intacta & referta prædâ, petunt. inde rursus ipsa solitudine absterriti, ne qua fraus hostilis vagos exciperet, in forum ac propinqua foro loca conglobati redibant: ubi eos, plebis ædificiis obseratis, patentibus atriis principum, major prope cunctatio tenebat, aperta quam clausa invadendi. adeo haud secus quam venerabundi intuebantur 6 in ædium vestibulis sedentes viros, præter ornatum habitumque humano augustiorem; majestate etiam, quam vultus gravitasque oris præ se ferebat, simillimos Diis. Ad eos velut simulacra versi quum starent, M. Papirius unus ex his dicitur Gallo barbam suam, ut tum omnibus promissa erat, permulcenti, scipione eburneo in caput incusso iram movisse: atque ab eo initium cædis ortum, cæteros in sedibus suis trucidatos. Post principum cædem, nulli deinde mortalium parci, diripi tecta, exhaustis injici ignes.

XLII. Cæterum, 1 seu ∧ non omnibus delendæ urbis libido erat,

NOTÆ.

Censuræ: virtutis, ut triumphi, Consulares & qui alii in imperio fuerant, togis prætextis utebantur, Censorii, purpureis; Triumphales, auro intertextis.

3. *Thensas ducentibus*.] Ex Serv. in 1. Æn. *Thensa* sunt currus quibus simulacra Deorum portantur. Festus *Tensam* scribit, traditque esse vehiculum, quo exuviæ Deorum ludicris Circensibus in Circum ad pulvinar vehuntur: fuisseque ex ebore & argento. Alii à divinitate dici putant (ἀπὸ τοῦ Θεῖν): alii quod ante ipsas lora tenduntur, quæ gaudent manu tenere & tangere qui eas deducunt.

4. *Præfante carmen*.] Concepta & solennia verba intellige, ut lib. 3. cap. 64. Hic verba devotionis designantur, cujus formulam habes lib. 8. cap. 9. ut detestationis lib. 10. cap. 38. Octoginta fuisse, qui se ita devoverint, Zonaras notat.

5. *Vacuis occursu hominum viis*.] Legit Tan. Faber, *vacuis occursu hostium viis*, id est propter hostes occurrentes: at mihi *vacua occursu hominum via* recte dici videntur, quæ vacant ac destituuntur hominibus, seu in quibus nulli homines occurrunt. Sic vacuum igne, vacuum curis, periculo Cic. dixit.

6. *In ædium vestibulis*.] Paulò ante dixit *medio ædium*. In medio scilicet atrii, quod fere in aditu Ædium.

1. *Seu non omnibus delenda urbis*.] Pro *omnibus* scribit Gronov. *omnis*, ut dicatur non hanc fuisse Gallorum mentem ut totam urbem delerent, sed ut ex parte tantùm incenderent injiciendi terroris causâ. Retentâ tamen lectione vulgatâ.

endæ

seu ita placuerat principibus Gallorum, & ostentari quædam incendia; terroris causa, si compelli ad deditionem charitate sedium suarum obsessi possent, & non omnia concremari tecta, ut quodcunque superesset urbis, id pignus ad flectendos hostium animos haberent; nequaquam perinde atque in capta urbe prima die aut passim aut late vagatus est ignis. Romani ex arce plenam hostium urbem cernentes, vagosque per vias omnes cursus, quum alia atque alia parte nova aliqua clades oriretur, [2] non mentibus solum consipere, sed ne auribus quidem atque oculis [3] satis constare poterant. Quocunque clamor hostium, mulierum puerorumque ploratus, sonitus flammæ, & [4] fragor ruentium tectorum avertisset, paventes ad omnia, animos oraque & oculos flectebant; velut ad spectaculum à fortuna positi occidentis patriæ: nec ullius rerum suarum relicti, præterquam corporum, vindices. tanto ante alios miserandi magis, qui umquam obsessi sunt, quod intercluſi à patria obsidebantur; omnia sua cernentes in hostium potestate. Neo tranquillior nox diem tam fœde actum excepit: [5] lux deinde noctem inquietam insecuta est, nec ullum erat tempus, quod à novæ semper cladis alicujus spectaculo cessaret. Nihil tamen tot onerati atque obruti malis flexerunt animos: quin, etsi omnia flammis ac ruinis [6] æquata [7] vidissent, quamvis inopem parvumque, quem tenebant, collem, libertati relictum, virtute defenderent: & jam, quum eadem quotidie accidrent, velut assueti malis, abalienaverant ab

Urb. cond. an. 363. Tribb. mill. Q. Fab. &c.

NOTÆ.

sensus esse potest, vel omnium Gallorum quasi consensu tacito, vel Principum decreto, factum esse ut non tota urbs, licèt capta, incenderetur; sed pars ejus dumtaxat, ob causam quæ subjicitur.

2. *Non mentibus solùm consipere.*] Respuenda videtur Rhenani conjectura legentis, *concidere*, id est, *non mentibus solùm concidebant*. Qui malunt *consipere*, ii verbo parùm usitato, sed ad rem qua de agitur aptissimè inserendo, auctoritate Catonis apud A. Gell. lib. 7. c. 3. niti possunt. Cato enim initio orationis pro Rhodiensibus, *Vereri* se ostendit, *ne patres gaudio atque lætitiâ rerum gestarum prosperè de statu mentis suæ deturbati, non satis consiperent: neque ad rectè intelligendum consulendumque essent idonei.*

3. *Satis constare.*] Aliqua corporis aut animi parte constare, est ejus compotem esse, usumque ejus integrum habere, sive eâ, (ut in verbo *competere* Nonius explicat) constanter valere. Nam *competere* animo, auribus, lingua, eamdem vim habet, præsertim apud Sallust.

4. *Fragor .... avertisset.*] Gron. mavult *advertisset*. Sed quod ad unam partem advertit, ab alia avertit: quidni & ab his horrore aversi Romani?

5. *Lux deinde noctem inquietam.*] Alii *inquietem*, parvo discrimine. Gronovio haud placet illud epitheton, quia proximè dictum est, eodem sensu. *Nec tranquillior nox*; præsertim cum simile nihil adjungatur nomini *Lux*: conjicit, *Lux deinde noctem inquieta est insecuta.* Quod magis probaverim, quàm quod Tan. Faber legendum putat, *Nec lux deinde noctem*, scilicet *tranquillior insecuta est.*

6. *Æquata.*] Et solo, & inter *se æquata*; pari nempe omnium ædificiorum fœditate, sive diruta manibus, sive ignibus absumpta essent.

7. *Vidissent.*] Mallem, *videbant* cum Fabro.

Urb. cond. an. 363. Tribb.mill. Q. Fab.&c.

ſenſu rerum ſuarum animos; arma tantum ferrumque in dextris, velut ſolas reliquias ſpei ſuæ, intuentes.

XLIII. Galli quoque per aliquot dies in tecta modò urbis [1] nequicquam bello geſto, quum inter incendia ac ruinas captæ urbis nihil ſupereſſe præter armatos hoſtes viderent, nec quicquam tot cladibus territos, nec flexuros ad deditionem animos, ni vis adhiberetur; experiri ultima & impetum facere in arcem ſtatuunt. Prima luce ſigno dato, multitudo omnis in foro inſtruitur. inde clamore ſublato, ac [2] teſtudine facta, ſubeunt. adverſus quos Romani nihil temere nec trepide, ad omnes aditus ſtationibus firmatis, quà ſigna ferri videbant, eò robore virorum oppoſito ſcandere hoſtem ſinunt: quò ſucceſſerit magis in arduum, eò pelli poſſe per proclive facilius rati. Medio fere clivo reſtitere: atque inde ex loco ſuperiore, qui propè ſua ſponte in hoſtem inferebat, impetu facto, ſtrage ac ruina fudêre Gallos: ut nuſquam poſtea, nec pars, nec univerſi tentaverint tale pugnæ genus. Omiſſa itaque ſpe per vim atque arma ſubeundi, obſidionem parant, cujus, ad id tempus, immemores, & quod in urbe fuerat frumentum, incendiis urbis abſumpſerant; & ex agris [3] per ipſos dies [4] raptum omne Vejos erat. Igitur exercitu diviſo, partim per finitimos populos prædari placuit, partim obſideri arcem; ut obſidentibus frumentum populatores agrorum præberent. Proficiſcentes Gallos ab urbe ad Romanam experiendam virtutem, fortuna ipſa Ardeam, ubi Camillus exulabat, duxit. qui mœſtior ibi fortuna publica quam ſua, quum Diis hominibuſque accuſandis ſeneſceret, indignando mirandoque ubi illi viri eſſent, qui ſecum Vejos Falerioſque cepiſſent, qui alia bella fortius ſemper quam felicius geſſiſſent; repente audit Gallorum exercitum adventare, atque de eo pavidos Ardeates conſultare. nec ſecus quam divino ſpiritu tactus, quum ſe in mediam concionem intuliſſet, abſtinere ſuetus ante talibus conciliis.

XLIV. *Ardeates*, inquit, *veteres amici, [1] novi etiam cives mei, quando & veſtrum beneficium ita tulit, & fortuna hoc egit mea, nemo veſtrûm [2] conditionis meæ oblitum hùc proceſſiſſe putet: ſed res, ac pe-*

NOTÆ.

1. *Nequicquam bello geſto.*] Fruſtra ad ſummam rei: alioqui non omnino fruſtra, ut pote incenſis aut dirutis hoſtiù ſedibus.

2. *Teſtudine factâ.*] Militaris hujus *teſtudinis* uſum Gallis familiarem diſcimus ex Cæſare lib. 2.

3. *Per ipſos dies.*] *Ipſum* pro *eo ipſo* dici exemplis confirmare conatur hoc loco Gronov.

4. *Raptum omne Vejos.*] A Romanis nempe, qui ex Allienſi pugna eò confugerant.

1. *Novi etiam Cives mei.*] Qui capitalis criminis rei agebantur, ſi ob id ſolum verterent, non priùs cenſebantur civitatem amiſiſſe, quàm recepti eſſent in eam ad quam exulatum jerant: uti Cicero tradit. Camillus itaque renunciatâ patriâ, translatoque Ardeam domicilio, aſcitus fuerat in Civium numerum ab Ardeatibus.

2. *Conditionis meæ oblitum.*] Quòd reverà exul eſſet, atque à patria extorris. Et quamvis Ardeatinus Civis, non tamen origine, ſed Ardeatum beneficio, ac velut precario. Certè privatum ibi egiſſe teſtatur Plin.

riculum commune cogit, quod quisque posſit in re trepida præſidii, in medium conferre. Et quando ego vobis pro tantis veſtris in me meritis gratiam referam, ſi nunc ceſſavero? aut ubi uſus erit mei vobis, ſi in bello non fuerit? Hac arte in patria ſteti: & invictus bello, in pace ab ingratis civibus pulſus ſum. Vobis autem, Ardeates, fortuna oblata eſt, & pro tantis priſtinis populi Romani beneficiis, quanta ipſi meminiſtis (nec enim exprobranda apud memores ſunt) gratiæ referendæ; & huic urbi decus ingens belli ex hoſte communi pariendi. Quæ effuſo agmine adventat, gens eſt, cui natura corpora animoſque magna magis quam firma dederit. eo in certamen omne plus terroris quam virium ferunt. Argumento ſit clades Romana. patentem ceperе urbem; ex arce Capitolioque bis exigua reſiſtitur manu. Jam obſidionis tædio victi abſcedunt, vagique per agros palantur; cibo, vinoque raptim hauſto repleti. Ubi nox appetit, prope rivos aquarum, ſine munimento, ſine ſtationibus ac cuſtodiis, paſſim ferarum ritu ſternuntur: a nunc ab ſecundis rebus magis etiam ſolito incauti. Si vobis in animo eſt tueri mœnia veſtra, nec pati b hæc omnia Galliam fieri; prima vigilia capite arma frequentes. Me ſequimini ad eadem, non ad pugnam. niſi victos ſomno, velut pecudes trucidandos tradidero; non recuſo eundem Ardeæ rerum mearum exitum, quem Romæ habui.

Urb. cond. an. 363. Tribb. mill. Q. Fab. &c.

XLV. a Æquis iniquiſque perſuaſum erat tantum bello virum neminem uſquam ea tempeſtate eſſe. Concione dimiſſa, corpora curant, intenti quam mox ſignum daretur. quo dato, primæ noctis ſilentio ad portas cum Camillo præſto fuere. Egreſſi haud procul urbe, ſicuti prædictum erat, caſtra Gallorum intuta neglectaque ab omni parte nacti, clamore invadunt. Nuſquam prælium, omnibus locis cædes eſt: nuda corpora, & 1 ſoluta ſomno trucidantur. extremos tamen pavor cubilibus ſuis excitos, quæ aut unde vis eſſet, ignaros, in fugam, & quoſdam 2 in hoſtem ipſum improvidos tulit. magna pars in agrum Antiatem delati, incurſione ob oppidanis in palatos facta, circumveniuntur. Similis, in agro Vejenti 3 Tuſcorum facta ſtrages: qui urbis jam 4 prope quadrin-

INTERPRETATIO.

a *Nunc incautiores ſolito propter res proſperas.*

b *Totam hanc rem eam fieri Gallorum.*

a *Amicis & inimicis.*

NOTÆ.

1. *Soluta ſomno.*] Non à ſomno libera, ſed contrà ſomno languentia & reſoluta.

2. *In Hoſtem ipſum improvidos tulit.*] Omnia auget in pejus, quoties de Gallis agit. Plutarchus fuiſſe refert, qui arma caperent, ſed ſuperante hoſtium multitudine, inter pugnandum cæſos. Alios in fuga oppreſſos ab equitatu.

3. *Tuſcorum.*] Eorum, ut videtur, qui Vejis proximi, Faliſcorum putà, Tarquinienſium, Volſinienſium. An & Cluſinorum? Id certè ſuadet quod ſubjicitur, *à quibus bellum Gallicum in ſe avertiſſent.*

4. *Prope quadringenteſimum.*] Numerus rotundus in majus auctus, pro vero: ſed cum temperamento accipiendus deerant ad ſummam anni ſaltem 36.

Urb. cond. an. 363. Tribb. mill. Q. Fab. &c.

gentesimum annum vicinæ, oppressæ ab hoste inusitato inauditoque; adeo nihil miserti sunt, ut in agrum Romanum eo tempore incursiones facerent, plenique prædæ Vejos etiam præsidiumque, & spem ultimam Romani nominis in animo habuerint oppugnare. Viderant eos milites Romani vagantes per agros, & congregatos agmine prædam præ se agentes, & castra cernebant haud procul Vejis posita, inde primum miseratio sui, deinde indignitas, atque ex eâ ira animos cepit, *Etrusciſne etiam, à quibus bellum Gallicum in ſe avertiſſent, ludibrio eſſe cladeſ ſuas?* Vix temperavere animis, quin extemplo impetum facerent: compressique [5] à Cæditio Centurione, quem sibimetipsi præfecerant, [b] rem in noctem sustinuere. Tantum par Camillo defuit auctor, cetera eodem ordine eodemque fortunæ eventu gesta? quin etiam ducibus captivis, qui cædi nocturnæ superfuerant, ad aliam manum Tuscorum [6] ad Salinas profecti, nocte insequenti ex improviso majorem eadem edidere: duplicique victoria ovantes Vejos redeunt.

XLVI. Romæ interim plerumque obsidio segnis, & utrimque silentium esse; ad id tantum intentis Gallis, ne quis hostium evadere interstationes posset: quum repentè juvenis Romanus admiratione in se cives hostesque convertit. Sacrificium erat statum in Quirinali colle [1] genti Fabiæ. ad id faciendum C. Fabius Dorso, [2] Gabino cinctu,

INTERPRETATIO.

[b] *Distulerunt aggressionem usque ad noctem.*

NOTÆ.

5. *A Caditio Centurione.*] Idem, ut puto, M. Cæditius fuit, qui Tribunis, tanquam divino monitu, denunciaverat proximum Gallorum adventum. Cap. 32.

6. *Ad Salinas.*] Ostienses sunt Salinæ.

1. *Genti Fabiæ.*] Sacra apud Romanos alia publica erant, alia privata. Publica dicuntur à Festo, *quæ publico ſumptu pro populo fiunt; quæque pro montibus, pagis, Curiis, Sacellis.* At privata, *quæ pro ſingulis hominibus, familiis, gentibus ſiunt.* Nam & sua Curiæ cuiq; assignata numina erant jam à temporibus Romuli; & familiæ propria sacra, propriasque ferias habebant. Sed sacra non habebantur, quæcunque religionis causâ privatim constituta erant. nisi quæ ex instituto Pontificum statò die, ac certo loco facienda erant. Hæc autem gentilitia & domestica sacra ne interirent, ea familiis prodi ac significari oportebat; eorumque obligatio ad eos transibat, ad quos cujusque pecunia perveniret, id est ad successores & bonorum possessores, ut Cic. disputat lib. 2. de Legib.

2. *Gabino cinctu.*] Viris *cinctus*, Cingulum mulieribus attribuebatur, auctore Varr. Servius Gabinum cinctum hic explicat, sad Æneid. 7. 612. ut sit *Toga ſic in tergum rejecta, ut una ejus lacinia à tergo revocata hominem cingat.* Ab eo Persii non abhorret interpres. *Habitu Gabino*, inquit, *Dii Penates formabantur, involuti toga, ſupra humerum ſiniſtrum & ſub dextro.* Eo habitu Romani Magistratus & Sacerdotes utebantur, quoties belli causâ operabantur sacris, eodemque habitu milites pugnabant; ex Festo. Hujus moris originem Servius idem hanc fuisse ait, quod cum Gabii Campaniæ civitas, (non antiquæ illius, quæ Felix dicta, sed recentioris, quæ Latium complexa), sacris operaretur, bellum subito venit: tum Cives accincti togis suis, ab agris ad bella profecti sunt, & adepti victoriam.

3 ſacrâ manibus gerens, quum de Capitolio deſcendiſſet, per medias hoſtium ſtationes egreſſus, nihil ad vocem cujuſquam terroremve motus, in Quirinalem collem pervenit, ibique, omnibus ſolemniter peractis, eadem revertens ſimiliter conſtanti vultu graduque, ſatis ſperans propitios eſſe Deos, quorum cultum ne mortis quidem metu prohibitus deſeruiſſet, in Capitolium ad ſuos rediit: ſeu attonitis Gallis miraculo audaciæ, ſeu religione etiam motis, 4 cujus haudquaquam negligens eſt gens. Vejis interim, non animi tantum in dies, ſed etiem vires creſcebant: nec Romanis ſolùm eo convenientibus ex agris, qui 5 aut prælio adverſo aut clade captæ urbis palati fuerant, ſed etiam ex Latio voluntariis confluentibus, ut in parte prædæ eſſent. Maturum jam videbatur repeti patriam, eripique ex hoſtium manibus: ſed corpori valido caput deerat. 6 Locus ipſe admonebat Camilli, & magna pars militum erat, qui ductu auſpicioque ejus res proſpere geſſerant: & Cæditius *negare ſe commiſſurum, cur ſibi aut Deorum aut hominum quiſquam imperium finiret potius, quam ipſe memor ordinis ſui poſceret imperatorem.* Conſenſu omnium placuit, 7 ab Ardea Camillum acciri; 8 ſed antea conſulto Senatu, qui Romæ eſſet, adeo regebat omnia pudor, diſcriminaque rerum prope perditis rebus ſervabant. Ingenti periculo tranſeundum per hoſtium cuſtodias erat. ad eam rem Pontius Cominius, impiger juvenis, operam pollicitus, incubans cortici, ſecundo Tiberi ad urbem defertur. inde qua proximum fuit à ripa, per præruptum eoque neglectum hoſtium cuſtodiæ ſaxum, in Capitolium evadit: &, ad magiſtratus ductus, mandata exercitus edit. Accepto inde Senatus decreto, ut & 9 comitiis curiatis revocatus de exilio, juſſu populi 10 Camillus dictator extemplo diceretur, militeſque haberent

Urb. cond. an. 363. Tribb. mill. Q. Fab. &c.

NOTÆ.

3. *Sacra manibus gerens.*] Imò & humeris, teſte Plut. in Camillo poſt Val. Max. lib. 1. Sacra hic ſunt quæ ad ſacrificium neceſſaria.

4. *Cujus haudquaquam negligens eſt gens.*] Mirum hoc Gallis Livium non invidiſſe, licèt omnes omnium temporum auctores teſtentur.

5. *Aut prælio adverſo.*] Gronov. *à prælio adverſo.* Sed & ſine præpoſitione idem erit, ac *per adverſum prælium.*

6. *Locus ipſe admonebat Camilli.*] Ut pote Vejorum expugnatoris, & per quem nunc tuti ea in urbe agebant.

7. *Ab Ardea Camillum acciri.*] Neque enim Camillum, qui exul; ne ſe quidem Cives eſſe Romanos, cum patria in poteſtate Gallorum eſſet, cenſebant.

8. *Sed antea conſulto Senatu.*] Plutarchus evocatum ab his qui Vejos confugerant, Camillum tradit negaſſe quicquam negotii adminiſtraturum injuſſu eorum Senatorum, qui Capitolium retinerent: penes eos quippe eſſe rempublicam.

9. *Comitiis curiatis.*] His Comitiis dabatur Magiſtratibus militare imperium.

10. *Camillus Dictator.*] Abſens, nec Conſularis, quorum priùs nunquam anteà factum, poſterius contra leges: niſi quod ſalus populi ſuprema lex eſſe debet. Is viginti millium Romanorum exercitum contraxit præter ſocios, ex Zonara.

Urb. Cond. an. 363. Tribb. mil. Q. Fab. &c.

imperatorem quem vellent, eadem degressus, nuncius Vejos contendit: missique Ardeam legati ad Camillum, Vejos eum perduxere: seu, (quod magis credere libet, non prius profectum ab Ardea, quam comperit legem latam: quod nec injussu populi mutari finibus posset, nec nisi dictator dictus auspicia in exercitu habere;) lex curiata lata est, dictatorque absens dictus.

XLVII. Dum hæc Vejis agebantur, interim arx Romæ Capitoliumque in ingenti periculo fuit. namque Galli, seu vestigio notato humano, qua nuncius à Vejis pervenerat; seu sua sponte animadverso ad Carmentis saxum ascensu æquo; nocte sublustri, quum primo inermem, qui tentaret viam, præmisissent, tradentes inde arma, ubi quid iniqui esset, alterni innixi, sublevantesque invicem & trahentes alii alios, prout postularet locus; tanto silentio in summum evasere, ut non custodes solum fallerent: sed ne canes quidem, sollicitum animal ad nocturnos strepitus, excitarent. Anseres non fefellêre, quibus sacris Junoni, in summa inopia cibi, tamen abstinebatur. quæ res saluti fuit. Namque clangore eorum, alarumque crepitu excitus M. Manlius, qui triennio ante consul fuerat, vir bello egregius, armis arreptis simul ad arma cæteros ciens vadit. & dum cæteri trepidant, Gallum, qui jam in summo constiterat, umbone ictum deturbat. Cujus casus prolapsi quum proximos sterneret; trepidantes alios, armisque omissis, saxa, quibus adhærebant, manibus ample-

INTERPRETATIO.

a *Quà occurrebat locus aliquis minùs æquus*, nec satis planus, *alternatim & mutuò, modò alter ab altero sustentatus, modò illum erigens atque attollens.*

b *Cujus ruentis lapsu cum sequentes præcipitarentur.*

NOTÆ.

11. *Imperatorem quem vellent.*] Non quemcunque ipsi eligere vellent; Camillus enim Dictator creatus erat Comitiis habitis: sed Camillum, quem ipsi velle se ostenderant.

12. *Mutari finibus.*] Revocari ab exilio, & loci, ubi exulabat, limitibus. Et tamen sponte Ardeam profectus fuerat: & quindecim millibus æris, non exilio damnatus legitur. Sed nimirum satis erat Civitatem mutasse.

13. *Auspicia in exercitu habere.*] Ducitare exercitum sub auspiciis militaturum.

1. *In ingenti periculo fuit.*] Potest expungi præpositio ex fide optimorum Codicum, teste Gronov. variante sensu.

2. *Ad Carmentis saxum.*] Carmenta vel Carmentis mater fuit Evandri fatidica, alio nomine Themis. Ea in imo Saturnii montis, qui post Tarpejus & Capitolinus dictus, habitavit, ubi postea ipsius fanum, testibus Dionys. & Solino. *Carmentis saxum* imminens portæ Carmentali, eo loco fuisse Sigonius conjicit ex Plut.

3. *Sacris Junoni.*] In sacello seu delubro Junonis, quod erat in Capitolio, anseres sacri alebantur.

4. *Clangore eorum.*] Hac de causa non solùm anseribus è publico præbebatur cibus, verùm etiam aurea anserum simulacra colebant Romani, ex Plin. Et verò Plut. auctore in lib. de Fortuna Roman. Anser in splendida lectica & stragula veste certo die quotannis solenni pompâ gestari solitus erat. Contrà verò Canes supplicia annua pendebant inter ædem Juventutis & Summani, vivi in furca sambucea fixi.

xos, trucidat. jamque & alii congregati telis missilibusque saxis proturbare hostes, ruinaque tota prolapsa acies in præceps deferri. Sedato deinde tumultu, reliquum noctis (quantum in turbatis mentibus poterat, quum præteritum quoque periculum sollicitaret), quieti datum est. Urb. cond. an. 363. Tribb. mill. Q. Fab. &c.

5 Luce orta, vocatis [5] classico ad concilium militibus, ad tribunos quum & rectè & perperam facto pretium deberetur: Manlius primum ob virtutem laudatus [6] donatusque, non ab tribunis solum militum, sed consensu etiam militari; cui universi [7] selibras farris, & [8] quartarios vini, ad ædes ejus, quæ in arce erant, contulerunt. rem dictu parvam, cæterum inopia fecerat eam argumentum ingens charitatis; cum se quisque victu suo fraudans, detractum corpori atque usibus necessariis ad honorem unius viri conferret. Tum vigiles ejus loci, qua fefellerat ascendens hostis, citati: & quum in omnes more militari se animadversurum Q. Sulpicius tribunus militum pronunciasset; consentiente clamore militum in unum vigilem conjicientium culpam, deterritus, à cæteris abstinuit: reum haud dubium ejus noxæ approbantibus cunctis de saxo dejecit. Inde intentiores utrimque custodiæ esse: & apud Gallos, quia vulgatum erat inter Vejos Romanosque nuncios commeare: & apud Romanos ab nocturni periculi memoria.

XLVIII. Sed ante omnia obsidionis bellique mala, fames utrimque exercitum urgebat: Gallos pestilentia etiam, quum loco jacente [1] inter tumulos castra habentes, tum ab incendiis torrido & vaporis pleno, cineremque, non pulverem modo ferente quum, quid venti motum esset: quorum intolerantissima gens humorique ac frigori assueta; quum Urb. cond. an. 363. Dict. L. Fur. Cam.

NOTÆ.

5. *Classico*] *Classicum* est signum, quo milites tubâ buccinave aut cornu officii sui admonentur; vel à calando, id est, vocando, dictum; vel à classibus in quas digestus erat populus. Vetustius enim, inquit Festus, fuit multitudinem hominum, quàm navium, classem appellari: & ita Classicum, quo Classes convocantur.

6. *Donatusque*.] Præmiis militaribus, veluti corona, torque, hasta: idque à Tribunis militum.

7. *Selibras farris*.] Non *sex libras*, ut in quibusdam antiquis, sed *selibras*, nam Plutarchus id explicat per ἡμίλιτρον. Unusquisque igitur suum defraudans genium, dimidiam frumenti libram, M. Manlio contulit, id est, sex uncias.

8. *Quartarios vini*,] Quartarius est quarta pars Congii, ex Bud. vel potius sextarii, qui sexta pars Congii: unde quartarius esset Congii pars 24. Cum igitur Congius libras decem, sive uncias 120. capiat, apparet *quartarium* uncias quinque continere. Sed Plutarchus, quartarium interpretatur quartam partem Cotyles Græcorum, quæ & hemina: nonnisi unciis novem comparatur in libello de mensuris. Hac ratione Quartarius duas tantùm uncias haberet cum unciæ quadrante.

1. *Inter tumulos*.] Accipi posset de sepulcris mortuorum, tam Romanorum à Gallis interemptorum, quàm ipsorum Gallorum pestilentiâ absumptorum: nisi insepulta jacuisse cadavera, & noster innueret, & Plutarchus testaretur.

Urb. Cond. an. 363. Dictat. M. Fur. Cam.

æstu & angore vexati, vulgatis 2 velut in pecua morbis, morerentur; jam pigritia singulos sepeliendi, promiscue acervatos cumulos hominum urebant: 3 bustorumque inde Gallicorum nomine insignem locum fecere. Inducia deinde cum Romanis factæ, & colloquia permissu imperatorum habita, in quibus quum idemtidem Galli famem objicerent; eaque necessitate ad deditionem vocarent; dicitur avertendæ ejus opinionis causâ multis locis 4 panis de Capitolio jactatus esse in hostium stationes. Sed jam neque dissimulari, neque ferri ultra fames poterat: itaque dum dictator delectum per se Ardeæ habet, magistrum equitum L. Valerium à Vejis abducere exercitum jubet. parat instruitque quibus haud impar adoriatur hostes. interim Capitolinus exercitus stationibus vigiliisque fessus, superatis tamen humanis omnibus malis; quum famem unam natura vinci non sineret; diem de die prospectans ecquod auxilium ab dictatore appareret; postremo spe quoque jam, non solum cibo, deficiente, &, 5quum stationes procederent, prope obruentibus infirmum corpus armis: vel dedi, vel redimi se, quacumque pactione possent, jussit: jactantibus non obscure Gallis, *haud magna mercede se adduci posse, ut obsidionem relinquant*. Tum senatus habitus, tribunisque militum negotium datum, ut paciscerentur. Inde inter Q. Sulpicium tribunum militum, & Brennum regulum Gallorum colloquio transacta res est, & 6 mille pondo auri pretium populi gentibus mox imperaturi fa-

NOTÆ.

2. *Velut in pecua*.] Sic ex veteribus Codicibus Sigon. Nam *Pecua* & *Pecuda*, ita ut pecora veteres dixerunt, Nonio Marcello teste, cap. 2.

3. *Bustorumque inde Gallicorum*.] In 4. Urbis ab Augusto divisæ regione, cui nomen à Via Sacra, fuere hæc *Busta Gallica*, inter Vicum sceleratum, & locum ubi postea Vespasiani amphitheatrum.

4. *Panis de Capitolio*.] Inde *Jupiter pistor*, de quo Lactant. post Ovid. 6. Fast. Hoc inventum Manlio Florus adscribit: qui tamen privatus erat. Sed fortè Tribunis militum, qui in imperio, id stratagematis suggessit.

5. *Quum stationes procederent*.] A Rhenano erit hæc lectio ex Borbetomagensi. *Procedere* enim eleganter dicitur pro, continuari, ordine progredi. Ita Cic. ep. 25. lib. 11. *Non imitor* [illegible] *tuum. Altera jam pagella procedit*.

6. *Mille pondo auri*.] Sunt mille quingentæ auri selibræ, seu marcæ Gallicæ, octava forsan parte minùs. Auri autem maximè puri selibræ singulæ, ut plurimi æstimentur, non superant libras Francicas argenteas 424. & sic Libra Romana non plures erit quam 556. nostrarum ejusmodi librarum; quam si millies repetas, exibit summa 556000. libr. nostratium, quinquagies scilicet centena, quingenta & sexaginta millia. Sed videtur Varro hanc summam duplicasse apud Non. cap. 3. in voce *Torquem*: ait enim: *Auri pondo duo millia acceperunt ex ædibus sacris, & matronarum ornamentis: à quibus postea id aurum & torques aurea multa relata Romæ atque consecrata*. Solvi potest aliquatenus hic nodus ex Plin. lib. 33. cap. 1. *Cum à Gallis captâ urbe pax emeretur, non plus quam mille pondo effici potuere. Nec ignoro duo millia pondo auri periisse Pompeii tertio Consulatu, è Capitolini Jovis solio, à Camillo ibi recondita; & ideò à plerisque existimari duo millia pondo collata. Sed quod accessit Gallorum præda fuit, detractumque ab his in capta urbis delubris*.

ctum.

ctum. Rei fœdiſſimæ per ſe, adjecta indignitas eſt. 7 pondera ab Gallis allata iniqua: & tribuno recuſante, additus ab inſolente Gallo ponderi gladius; auditaque intoleranda Romanis vox, 8 *Væ victis* eſſe. Urb. cond. an. 363. Dictat. M. Fu. Cam. 11.

XLIX. Sed Diique & homines prohibuere redemptos vivere Romanos. nam forte quadam, prius quam infanda merces perficeretur, per altercationem nondum omni auro appenſo, dictator intervenit: auferrique aurum de medio, & Gallos ſubmoveri jubet. Quum illi renitentes, *pactos* dicerent *ſeſe*, negat *eam pactionem ratam eſſe, quæ poſtquam ipſe dictator creatus eſſet, injuſſu ſuo ab inferioris juris magiſtratu facta eſſet*: denunciatque Gallis, *ut ſe ad prælium expediant. Suos in acervum conjicere ſarcinas, & arma aptare, ferroque non auro recuperare patriam* jubet, *in conſpectu habentes fana Deûm, & conjuges, & liberos, & ſolum patriæ deforme belli malis, & omnia quæ defendi repetique & ulciſci fas ſit*. Inſtruit deinde aciem, ut loci natura patiebatur, in ſemirutæ ſolo urbis, & natura inæquali: & omnia quæ arte belli ſecunda ſuis eligi præpararive poterant, providit. Galli nova re trepidi arma capiunt, iraque magis quam conſilio in Romanos incurrunt. Jam verterat fortuna, jam Deorum opes humanaque conſilia rem Romanam adjuvabant: igitur primo concurſu haud majore momento fuſi Galli ſunt, quam ad Alliam vicerant. Juſtiore altero deinde prælio ad octavum lapidem 1 Gabina via, quo ſe ex fuga contulerant, ejuſdem ductu auſpicioque Camilli vincuntur. Ibi 2 cædes omnia obtinuit. caſtra capiuntur, & ne nuncius quidem cladis relictus. Dictator, 3 recuperata ex hoſtibus patria, triumphans in urbem redit: 4 interque jocos militares, quos

NOTÆ.

7. *Pondera iniqua.*] Sunt veris ſive minora, ſive (ut hic) majora, *de faux poids*.

8. *Væ victis.*] In proverbium abiit hæc ſuperba vox: qua teſtatur Feſtus remuneratum poſteà Brennum à Furio Camillo, cum circumventus inſidiis, quereretur contra fœdus fieri.

1. *Gabina via.*] Via hæc à porta Gabina ſive Gabiuſa (quæ nunc clauſa) Gabios perducebat ad XII. milliare. Media initio inter Tiburtinam, quæ à læva, & Prænestinam, quæ à dextra; ſed in hanc deducta.

2. *Cædes omnia obtinuit.*] Occidionem fuiſſe vult, non pugnam, quaſi internecione deleti ſint hoſtes. Sed tamen & Plut. ſummâ contentione dimicatum aſſeverat; & paulò poſt Gallos videbimus in agro Romano lib. 7. c. 9. & 26. atque alibi.

3. *Recuperatâ ex hoſtibus patriâ.*] Poſt ſex menſes ut habent Varro & Florus: Plut. & alii ſeptem numerant. A XVI. Kal. Sext. quò Romam Galli intraverunt, ad Idus Febr. quo pulſi victive ſunt à Camillo.

4. *Interque jocos militares.*] *Milites*, qui triumphantis currum ſequebantur, omnes laureati, inter carmina triumphalia, jocos etiam, atque adeo ſcommata in triumphantem miſcebant, quibus vitia ejus notarentur. Indicat noſter lib. 3. cap. 29. Vid. Suet. in Cæſ. Idque, opinor, ne tanto honore elatus nimiùm ſuperbiret. Eadem de causâ ſervus quoque eodem curru vectus, aureamque coronam ponè ſuſtinens, ſubmonebat, ut hominem ſe eſſe meminiſſet. Ac præterea currui appendebatur, teſte Zonara, tintinnabulum cum flagro, ſigna capitalis judicii, & ſervitutis in quæ incidere poſſet.

Urb. cond. an. 364. Dictat. M. Fur. Cam.

inconditos jaciunt, 5 *Romulus ac parens patriæ conditorque alter urbis*, haud vanis laudibus appellatur. Servatam deinde bello patriam, iterum in pace haud dubiè ſervavit, quum prohibuit migrari Vejos: & tribunis rem intentius agentibus poſt incenſam urbem, & per ſe inclinata magis plebe ad id conſilium. eaque cauſa fuit 6 non abdicandæ poſt triumphum dictaturæ, ſenatu obſecrante, *ne rempublicam in incerto relinqueret ſtatu*.

L. Omnium primum, ut erat diligentiſſimus religionum cultor, quæ ad Deos immortales pertinebant, retulit: & 1 Senatusconſultum facit; *Fana omnia*, 2 *quod ea hoſtes poſſediſſent, reſtituerentur*, 3 *terminarentur, expiarenturque: expiatioque eorum* 4 *in libris per duumviros quæreretur*. 5 *Cum Cæretibus publicè hoſpitium fieret, quòd ſacra populi Romani ac ſacerdotes recepiſſent, beneficioque ejus populi non intermiſſus bonos Deûm immortalium eſſet:* 6 *ludi Capitolini fierent, quod*

NOTÆ.

5. *Romulus*.] Hoc illi cognomen invidiam conflavit teſte Plutarcho.

6. *Non abdicandæ poſt triumphum Dictaturæ*.] Ut à cæteris factum, etiam aliquando intra 16. dies velut à L. Quintio Cincinnato lib. 3. cap. 29. At Camillus in annum contra legem prorogavit Dictatorium Imperium ex Plut. & Liv. lib. ſequ. cap. 1. Sed volente ac rogante Senatu:

1. *Senatuſconſultum facit*.] Magiſtratus Senatusconſultum facere dicitur, cum fieri curat, quemadmodùm obſervat Gronov. ut apud Cic. 9. ad Att. *Primas ejus actiones horreo. Volet enim Senatusconſultum facere*.

2. *Quod ea hoſtes poſſediſſent*.] Quid imposterùm incommodi ex hac ſeneſtri poſſeſſione, poſtquàm receſſerant hoſtes? Nonne omnia jam in priſtinum ſtatum, aut certè in ſuam cauſam redierant? Deſtructa quidem refici ac reſtaurari, profanata expiari oportebat, etiamſi poſſeſſa ab hoſtibus non fuiſſent: at eo ſolo quod fuiſſent in hoſtium poteſtate, parum videtur cauſæ fuiſſe cur reſtitui deberent aut expiari: niſi fortè Romani captarum à ſe urbium Deos evocare ſoliti, ut ſupra cap. 21. & mox cap. 52. Simile quid à Gallis tentatum ſuſpicati, eos aliquo Cæremoniarum genere retinendos cenſuere.

3. *Terminarentur*.] Omiſit Gruterus, ſive conſultò, ſive operarum errore: ante illum omnes habent: & rectè Gronovii judicio. Templa quippe non modò augurii auſpiciive causâ deſignata: ſed & quæ perpetuæ religionis gratiâ ædificabantur, conceptis verbis finiri ac terminari mos erat. Hinc & fines *Templares* apud Agrimenſores antiquos. Cum itaque incendiis omnia confuſa eſſent, inveſtigandi Templorum termini, aut certis ſaltem terminis ea reſtituenda fuere.

4. *In Libris per Duumviros*.] Sibyllini aliive fatidici *Libri* intelliguntur, quorum inſpectio in religionis rebus dubiis penes Duumviros ſacris faciundis erat. Initio enim duo tantùm ejus generis Sacerdotes à Tarquinio inſtituti. Poſtea numerus crevit. Vide l. 3. c. 10. & hujus lib. c. 13.

5. *Cum Cæretibus*.] De hoc Cæretanorum facto ſup. cap. 40. in f. Adde quod eſt apud Gell. lib. 1. cap. 13. *Primos municipes ſine ſuffragii jure eſſe factos, conceſſumque illis, ut Civitatis Romanæ honorem quidem caperent: ſed negotiis tamen atque muneribus vacarent: idque pro ſacris bello Gallico receptis, cuſtoditiſque:*

6. *Ludi Capitolini*.] Hos ludos Jovi Capitolino ſacros Cirrenſes fuiſſe colligas ex Liv. lib. 7. cap. 2. Fuere & antiquiores alii, Tarpeji & Capitolini dicti, ex inſtituto Romuli in honorem Jovis Feretrii, ut Piſo tradidit apud Tertullianum. Atque ad hos pertinet quod refert in quæſtionibus Romanis Plut. *Ludis Capitolinis* voce præconis, Sardianos venales proclamari ſolitos, & poſt aliquot

Jupiter optimus maximus ſuam ſedem atque arcem populi Romani in re trepida tutatus eſſet: 7 collegiumque ad eam rem M. Furius dictator conſtitueret, ex iis qui in Capitolio atque arce habitarent. Expiandæ etiam vocis nocturnæ, quæ nuncia cladis ante bellum Gallicum audita negle-
5 ctaque eſſet, mentio illata, juſſumque templum 8 in Nova via 9 Ajo Locutio fieri. Aurum quod Gallis ereptum erat, quodque ex aliis templis inter trepidationem 10 in Jovis Cellam collatum, quum in quæ referri oporteret, confuſa memoria eſſet, ſacrum omne judicatum, & 11 ſub Jovis Cella poni juſſum. Jam ante in eo religio civitatis apparue-
10 rat, quod quum in publico deeſſet aurum, ex quo ſumma pactæ mercedis Gallis conficeret, à matronis collatum acceperant, ut ſacro auro abſtineretur. Matronis gratiæ actæ, honoſque additus, *ut earum ſicut virorum, poſt mortem ſolennis laudatio eſſet.* Urb. cond. an. 364. Dictat. M. Fur. Cam.

LI. Iis peractis quæ ad Deos pertinebant, quæque per ſenatum agi
15 poterant, tum demum, agitantibus tribunis plebem aſſiduis concionibus, ut relictis ruinis in urbem paratam Vejos tranſmigrarent; in concionem, univerſo ſenatu proſequente, aſcendit, atque ita verba fecit: *Adeo mihi acerbæ ſunt, Quirites, contentiones cum tribunis plebis, ut nec triſtiſſimi exilii ſolatium aliud habuerim, quoad Ardeæ vixi, quam*
20 *quod procul ab his certaminibus eram: & ob eadem hæc, non, niſi me ſenatuſconſulto populique juſſu revocaretis, rediturus unquam fuerim. Nec nunc me, ut redirem, mea voluntas mutata, ſed veſtra fortuna perpulit. quippe ut in ſua ſede maneret patria, id agebatur, non ut ego utique in patria eſſem: & nunc quieſcerem & tacerem libenter, niſi hæc quoque pro*
25 *patria dimicatio eſſet, cui deeſſe quoad vita ſuppetat, aliis turpe, Camillo etiam nefas eſt. Quid enim repetiimus, quid obſeſſam ex hoſtium manibus eripuimus, ſi recuperatam ipſi deſerimus? & cum victoribus Gallis capta tota urbe, Capitolium tamen atque arcem Diique & homines Romani tenuerint, habitaverint; victoribus Romanis recuperata urbe, arx*
30 *quoque & Capitolium deſeritur: & plus vaſtitatis huic urbi ſecunda no-*

NOTÆ.

prætextatos ſenem quemdam produci, qui puerilem bullam collo appenſam gereret; quo quidem ritu in Vejentes à Lydis Sardibuſque ortos ludibrium continebatur, ut ipſe explicat, & Feſtus à Scaligero correctus. Ab utriſque his Ludis diverſi fuere Agones Capitolini à Domitiano inſtituti, in quibus omnis generis artifices certabant.

7. *Collegiumque ad eam rem.*] Plerique Collegia ſive Sodalium corpora à Numa, ad tollendas partium diſcordias inſtituta, artificum ferè fuerunt, Plut. auctore. In honorem Deorum duo præterea Collegia legimus; hoc Capitolinorum Ludorum Jovi curandorum, celebrandorumve causâ conditum, & Mercurialium, quod mercatorum proprium.

8. *In Nova via.*] Foro Romano juncta erat *via Nova* ex Palatii parte; & in Velabrum deſinebat.

9. *Ajo Locutio.*] Fuit Ædes *Aii Locutii* in regione 8. ex deſcriptione Auguſti, cui nomen à Foro Romano, ſupra Templum Veſtæ, nunc, ut volunt, *S. Maria Liberatrice.*

10. *In Jovis Cellam.*] In templo Jovis Capitolini erat Cella, quam ingredi prophanis nefas; in eo ſervabantur ſacri theſauri,

Urb. cond. an. 364. Dictat. M. Fur. Cam.

ſtra fortuna faciet, quam adverſa fecit. Equidem ſi nobis cum urbe ſimul poſitæ tradit æque per manus religiones nullæ eſſent, tamen tam evidens numen hac tempeſtate rebus affuit Romanis, ut omnem negligentiam divini cultus exemptam hominibus putem. Intuemini enim horum deinceps annorum vel ſecundas res vel adverſas, invenietis OMNIA *proſpere evenisſe ſequentibus Deos, adverſa ſpernentibus. Jam omnium primum Vejens bellum (per quot annos, quanto labore geſtum!) non ante cepit finem, quam monitu Deorum* [1] *aqua ex lacu Albano emiſſa eſt. Quid hæc tandem urbis noſtræ clades nova? num ante exorta eſt, quam ſpreta* [2] *vox cœlo emiſſa de adventu Gallorum; quàm gentium jus ab legatis noſtris violatum, quàm à nobis, quam vindicari deberet,* [3] *eadem negligentiâ Deorum prætermiſſum? Igitur* [4] *victi captique ac redempti tantum pœnarum Diis hominibuſque dedimus, ut terrarum orbi documento eſſemus. Adverſæ deinde res admonuerunt religionem. Confugimus in Capitolium ad Deos, ad ſedem Jovis optimi maximi: ſacra in ruina rerum noſtrarum alia* [5] *terræ celavimus, alia avecta in finitimas urbes amovimus ab hoſtium oculis. Deorum cultum, deſerti ab Diis hominibuſque tamen non intermiſimus. Reddidere igitur patriam, & victoriam, & antiquum belli decus amiſſum: & in hoſtes, qui cæci avaritia in pondere auri fœdus ac fidem fefellerunt, verterunt terrorem, fugamque & cædem.*

LII. *Hæc culti neglectique numinis tanta monimenta in rebus humanis cernentes, ecquid ſentitis Quirites, quantum vix dum ex naufragiis prioris culpæ cladiſque emergentes, paremus nefas? Urbem auſpicato inauguratoque conditam habemus: nullus locus in ea non religionum Deorumque eſt plenus: ſacrificiis ſolennibus non dies magis ſtati, quam loca ſunt, in quibus fiant. Hos omnes Deos, publicos privatoſque, Quirites, deſerturi eſtis?* [1] *Quam par veſtrum factum eſt, quod in obſidione nuper in egregio adoleſcente C. Fabio, non minore hoſtium admiratione quam veſtra, conſpectum eſt; quum inter Gallica tela digreſſus ex arce,* [a] *ſolenne Fabiæ gentis in*

INTERPRETATIO.

a *Anniverſarium familiæ ſuæ ſacrificium.*

NOTÆ.

1. *Aqua ex lacu Albano.*] Vide ſupra cap. 15. & ſeqq. & Plut. in Camillo.

2. *Vox Cœlo emiſſa.*] Mavult Gronov. *Cœlo miſſa*, tum quia proximè *emiſſa*: tum quia ſic, inquit, paſſim veteres: ſed vix tanti eſt.

3. *Eadem negligentia Deorum.*] Diis ſci licet æquè neglectis; jus enim belli ac fœderum penes Feciales Sacerdotes conſtitutum à Numa, pars divini juris.

4. *Victi, captique, ac redempti?*] Quando verò *redempti*? An cum mille pondo auri pacti ſunt Gallis abeuntibus daturos? At perſolutum non eſt illud aurum. An *redempti* armis? Sed hoc poſterius fuit iis quæ mox dicuntur. An *redempti* ab exitio per hæc mala? Quid ſi legamus *relicti*, à Diis nempe?

5. *Terra celavimus.*] Terentius dixit præter morem, *Si hoc celetur patri*. Sed *celare terra*, pro eo quod eſt terræ mandare, terrâ tegere, occultare, abſcondere, Patavinitas fortè quædam ſit. Malim, *terrâ*, cum Gronovio.

1. *Quàm par veſtrum factum eſt, quod.*] Vel interſere ei, ſeu *illi*, ante, *quod*; vel ſcribe, *veſtro*, monente Gron. ex lib. 28. *Quàm compar conſilium tuum parentis tui conſilio ſit, reputa.*

colle Quirinali obiit? An gentilitia ſacra ne in bello quidem intermitti, publica ſacra & Romanos Deos etiam in pace deſeri placet? & Pontifices Flamineſque negligentiores publicarum religionum eſſe, quam privatus inſolentis fuerit? Forſitan aliquis dicat, aut Vejis nos facturos, aut huc inde miſſuros ſacerdotes noſtros, qui faciant: quorum neutrum fieri ſalvis cæremoniis poteſt. & ne omnia generatim ſacra, omneſque percenſeam Deos, 2 *in Jovis epulo, num alibi, quam in Capitolio pulvinar ſuſcipi poteſt? Quid de æternis Veſtæ ignibus,* 3 *Signoque, quod imperii pignus cuſtodiâ ejus templi tenetur, loquar? quid de Ancilibus veſtris, Mars Gradive,* 4 *tuque Quirine pater? hæc omnia in profano deſeri placet ſacra,* b *æqualia urbi,* 5 *quædam vetuſtiora origine urbis? Et videte quid inter nos ac majores interſit. Illi ſacra quædam* 6 *in monte Albano* 7 *Lavinioque nobis facienda tradiderant. An ex hoſtium urbibus Romam ad nos transferri ſacra* 8 *religioſum fuit:* 9 *hinc ſine piaculo in hoſtium urbem Vejos tranferemus? Recordamini agitedum, quoties ſacra inſtaurentur, qua aliquid ex patrio ritu negligentia caſuve prætermiſſum eſt. Modo quæres, poſt prodigium Albani lacus, niſi inſtauratio ſacrorum auſpiciorumque renovatio, affectæ Veienti bello reipublicæ remedio fuit? At etiam, tamquam veterum religionum memores, & peregrinos Deos tranſtulimus Romam, & inſtituimus novos. Juno Regina tranſvecta à Vejis nuper in Aventino, quam inſigni ob excellens matronarum ſtudium, celebrique dedicata eſt die? Ajo Locutio templum propter cœleſtem vocem exauditam in Nova via juſſimus fieri: Capitolinos ludos ſolennibus aliis addidimus; collegiumque ad id novum, auctore ſenatu, condidimus. Quid horum*

Urb. cond. an. 364. Dictat. M. Fur. Cam.

INTERPRETATIO.

b *Æquè antiqua atque urbs.*

NOTÆ.

2. *In Jovis epulo.*] Cum placandi Jovis causâ convivium ei per Triumviros, vel poſtea per Septemviros Epulonum, in Capitolio exhibebatur; ſolebat ipſe in Lectulum, Juno & Minerva (quæ intra idem templum colebantur) in ſellas ad cœnam invitari: & ſacris ejuſmodi epulis adhibebantur pulvinaria, uti jam antè obſervatum.

3. *Signoque quod imperii pignus.*] Palladium innuit, quod à Veſtalibus ſervari quidam credebant, ab Ænea in Italiam delatum, inde Alba aut Lavinio translatum Romam.

4. *Tuque Quirine pater.*] Ancilia ferebant per urbem Salii Marti Gradivo ſacri lib. 1. c. 20. Sed quid hoc ad Romulum ſeu Quirinum, ut ad eum arma cœleſtia referantur, quorum uſus à Numa? Num quia Romulus bellicoſus, & Marte genitus?

5. *Quædam vetuſtiora.*] Veſtæ Sacerdotes & ſacra Albæ recepta ante Romam conditam: quin & ab Ænea, ut quidam volebant, in Latium invecta.

6. *In Monte Albano.*] Quo feriarum Latinarum causâ proficiſcebantur quotannis Romani Magiſtratus. Vid. ſup. c. 37.

7. *Lavinioque.*] Alii, *Lavinoque*, ſcilicet monte vel colle; alioqui dicendum eſſet *Laviniique*, id eſt, apud *Lavinium* oppidum. Colebantur antiquo ritu Dii Penates Æneæ, atque urbis Romæ, quos Aſcanius Albam traducere fruſtrà tentaverat.

8. *Religioſum fuit.*] Religioni conveniens: aliàs ſuperſtitioſum.

9. *Hinc ſine piaculo.*] Oratio hic hiare Gronovio videtur. Verùm ſi ab initio periodi huc transferatur interrogativa particula, *an*, & ſubintelligatur è proximo vox *ſacra*, aut ejus loco pronomen, nihil hiabit. *An hinc ea* (ſacra ſcilicet) *in hoſtium urbem Vejos transferemus?*

Urb. Cond. an. 364. Dictat. M. Fur. Cam.

opus fuit ſuſcipi, ſi una cum Gallis urbem Romanam relicturi fuimus? ſi non voluntate manſimus in Capitolio per tot menſes obſidionis? ſi ab hoſtibus metu retenti ſumus? De ſacris loquimur, & de templis; quid tandem de ſacerdotibus? Nonne in mentem venit, quantum piaculi committatur? Veſtalibus nempe una illa ſedes eſt, ex qua eas nihil unquam præterquam urbs capta movit. Flamini Diali noctem unam manere extra urbem nefas eſt. Hos Vejentes pro Romanis facturi eſtis ſacerdotes, & Veſtales tuæ te deſerent Veſta? & Flamen peregre habitando, in ſingulas noctes tantum ſibi reique publicæ piaculi contrahet? Quid alia, quæ auſpicato agimus omnia fere intra pomœrium, cui oblivioni, aut cui negligentiæ damus? [9] Comitia curiata, [10] quæ rem militarem continent, comitia centuriata, quibus conſules tribunoſque militares creatis, ubi auſpicato, [11] niſi ubi adſolent, fieri poſſent? Vejoſne hæc transferemus? an comitiorum cauſa populus tanto incommodo in deſertam hanc ab Diis hominibuſque urbem conveniet?

LIII. *Sed res ipſa cogit vaſtam incendiis ruiniſque relinquere urbem, & ad integra omnia Vejos migrare, nec hic ædificando inopem plebem vexare. Hanc autem jactari magis cauſam, quàm veram eſſe, ut ego non dicam, apparere vobis, Quirites, puto; qui meminiſtis ante Gallorum adventum, ſalvis tectis publicis privatiſque, ſtante incolumi urbe, hanc eandem rem actam eſſe, ut Vejos tranſmigraremus. Et videte, quantum inter meam ſententiam veſtramque interſit, tribuni. Vos etiamſi tunc faciendum non fuerit, nunc utique faciendum putatis: ego contra (nec id miratiſitis, prius quam, quale ſit, audieritis) etiamſi tunc migrandum fuiſſet incolumi tota urbe, nunc has ruinas relinquendas non cenſerem. Quippe tum cauſa nobis in urbem captam migrandi victoria eſſet, glorioſa nobis ac poſteris noſtris: nunc hæc migratio nobis miſera ac turpis, Gallis glorioſa eſt. non enim reliquiſſe victores, ſed amiſiſſe victi patriam videbimur. hoc ad Alliam fuga, hoc capta urbs, hoc circumſeſſum Capitolium neceſſitatis impoſuiſſe, ut deſereremus penates noſtros, exiliumque ac fugam nobis ex eo loco conſciſceremus, quem tueri non poſſemus. & Galli evertere poterunt Romam, quam Romani reſtituere non videbuntur potuiſſe? Quid reſtat, niſi ut [1] jam novis copiis veniant, (conſtat enim vix credibilem multitudinem eſſe) & habitare in capta ab ſe, deſerta à vobis, hac urbe velint, [2] ſinatis? Quid ſi non Galli hoc, ſed veteres hoſtes veſtri, Æqui Volſcive faciant, uti commigrent Romam? [a] Velitiſne illos Romanos, vos Vejentes eſſe? an malitis hanc ſolitudinem*

INTERPRETATIO.

a *An velitis, ut Æqui & Volſci*, urbe occupatâ, *Romanorum nomine dicantur, vos autem Vejentium? An potiùs eligetis ut locus hic deſertus vacet, & in veſtra ditione ſolitudo tantùm ſit, quàm ut, vel ab hoſtibus occupatus, urbis nomen retineat.*

NOTÆ.

10. *Quæ rem militarem continent.*] Quamvis Comitiis Centuriatis crearentur magiſtratus, Curiatis tamen committebatur militare imperium.

11. *Niſi ubi aſſolent.*] Curiata intra Pomœrium in Foro; Centuriata in Campo Martio.

1. *Jam novis copiis veniant.*] Galli nimirum: non ergo deleti omnes prœlio in via Gabina commiſſo.

2. *Sinatis.*] Vellem adjici *vos*, ut conſtet magis ſententia, *Galli .... velint*, & *vos ſinatis*.

veſtram, quam urbem hoſtium eſse? non equidem video quid magis nefas ſit. Hæc ſcelera, quia piget reædificare, hæc dedecora pati parati eſtis? Si tota urbe nullum melius ampliuſve tectum fieri poſſit, quam eaſa illa conditoris eſt noſtri, non in eaſis ritu paſtorum agreſtiumque habitare eſt ſatius inter ſacra penateſque veſtros, quam exulatum publice ire? Majores noſtri eonvenæ paſtoreſque, quum in his locis nihil præter ſilvas paludeſque eſſet, novam urbem tam brevi ædificaverunt: nos Capitolio, aree incolumi, ſtantibus templis Deorum, ædificare incenſam piget? & quod ſinguli facturi fuimus, ſi ædes noſtræ deflagraſſent, hoc in publico incendio univerſi recuſamus facere?

Urb. cond. an. 364. Dictat. M. Fur. Cam.

LIV. *Quid tandem, ſi fraude, ſi caſu Vejis incendium ortum ſit, ventoque (ut fieri poteſt) diffuſa flamma magnam partem urbis abſumat; Fidenas inde aut Gabios, aliamve quam urbem quæſituri ſumus, quo tranſmigremus? [a] Adeo nihil tenet ſolum patriæ? nec hæc terra quam matrem appellamus? ſed in ſuperficie tigniſque charitas nobis patriæ pendet? Equidem, fatebor vobis, etſi minus [1] injuriæ veſtræ quam meæ calamitatis meminiſſe juvat; quam abeſſem, quotieſcunque patria in mentem veniret, hæc omnia occurrebant, colles, campique, & Tiberis, & aſſueta oculis regio, & hoc cœlum, ſub quo natus educatuſque eſſem. quæ vos, Quirites, nunc moveant potius charitate ſua, ut maneatis in ſede veſtra; quam poſtea quam reliqueritis ea, macerent deſiderio. Non ſine cauſa Dii hominesque hunc urbi condendæ locum elegerunt; ſaluberrimos colles, flumen opportunum, quo ex mediterraneis locis fruges devehantur, quo maritimi commeatus aceipiantur: mare vicinum ad commoditates, nec expoſitum nimia propinquitate ad pericula claſſium externarum: regionum Italiæ medium, ad incrementum urbis natum unice locum. Argumento eſt ipſa magnitudo tam novæ urbis. trecenteſimus ſexageſimus quintus annus urbis, Quirites, agitur: inter tot veterrimos populos tamdiu bella geritis, quam interea, ne ſingulas loquar urbes, non conjuncti cum Æquis Volſci, tot tam valida oppida, non univerſa Etruria tantum terra marique pollens, atque [2] inter duo maria latitudinem obtinens Italiæ, bello vobis par eſt. Quod quum ita ſit, [3] quæ (malum) ratio eſt expertis alia experiri, quum jam, ut virtus ve-*

INTERPRETATIO.

[a] *Itane ſolum natale, & hæc tellus quam vocamus parentem noſtram, nos nullatenus tangit. Sed patriæ apud nos amor* quaſi *affixus hæret aræ ac trabibus*, quibus ædificia conſtant.

NOTÆ.

1. *Injuriæ veſtræ, quàm meæ calamitatis.*] Contendit Gronov. flagitare ſenſum, *etſi minùs tam injuriæ veſtræ quàm meæ calamitatis meminiſſe juvat*; quod hæc duo revera non differant, & utrumq; ex animo delere debuerit Camillus. At Camillus ipſe fatetur ſe neutrius oblivisci poſſe, ſed leviùs ferre, aut minùs meminiſſe velle alienæ injuriæ, quàm proprii exilii.

2. *Inter duo maria latitudinem obtinens Italia.*] Ita ſe res habuit, antequàm Etruſci ab Hadriatici maris ora pellerentur à Gallis. Poſt Tarquiniorum tempora Apennino terminabatur illorum ditio.

3. *Ratio eſt expertis alia experiri.*] Nullum hic, opinor, ulcus; nec in

Urb. cond. an. 364. Dictat. M. Fur. Cam.

ſtra tranſire alio poſſit, fortuna certè loci hujus transferri hinc non poſſit? Hic Capitolium eſt, ubi quondam 4 *capite humano invento reſponſum eſt, eo loco caput rerum ſummamque imperii fore. hic, quum augurato liberaretur Capitolium, Juventas Terminuſque, maximo gaudio patrum noſtrorum, moveri ſe non paſſi. hic* 5 *Veſtæ ignes, hic Ancilia cœlo demiſſa, hic omnes propitii manentibus vobis Dii.*

LV. Moviſſe eos Camillus tum alia oratione, tum ea quæ ad religiones pertinebat, maxime dicitur. ſed rem dubiam decrevit opportune vox emiſſa, quod quum ſenatus poſt paulò de his rebus in curia Hoſtilia haberetur, cohorteſque ex præſidiis revertentes, forte agmine forum tranſirent, centurio in comitio exclamavit: *Signifer, ſtatue ſignum: hic manebimus optime.* qua voce audita, & ſenatus, [1] *accipere ſe omen*, ex curia egreſſus, conclamavit, & plebes circumfuſa, approbavit. Antiquata deinde lege, promiſcue urbs ædificari cœpta. Tegula publice præbita eſt: ſaxi, materiæque cædendæ, unde quiſque vellet, jus factum, prædibus acceptis eo anno ædificia perfecturos. Feſtinatio curam exemit vicos dirigendi, dum omiſſo ſui alienique diſcrimine, in vacuo ædificant. Ea eſt cauſa, ut veteres cloacæ, primo per publicum ductæ, nunc privata paſſim ſubeant tecta: formaque urbis ſit occupatæ magis, quam diviſæ ſimilis.

NOTÆ:

ſententia multùm laborandum: Vult enim Dictator Romanis ſuadere, ut rebus lociſque expertis inhæreant, nec novas ſedes quærere, atque experiri velint, quas minùs utiles oſtendit. Igitur *expertis alia*, id eſt, diverſa ab iis, quæ tamdiu experti ſint, experienda non eſſe. Phraſis eſt Græca, *alius illi*, pro, *alius ab illo*.

4. *Capite humano*.] Capitolium à Capite Toli. V. lib. 1. cap. 55. Ubi de Juventæ quoque ac Termini contumacia.

5. *Veſtæ ignes*.] Æternus & inextinctus ignis cuſtodiri debebat, verberandis eo extincto Veſtalibus. Ab illis tamen novus quotannis excitabatur. Ovid. Faſt.

Adde quod arcana fieri novus ignis in æde,
Dicitur, & vires flamma recepta capit.

Ignem quemadmodum Romani, ita ſervabant & colebant Ægyptii, Perſæ, Athenienſes, aliique Græcorum.

1. *Accipere ſe omen*.] Eam vocem, *ſtatue ſignum*, &c. auditam à Lucretio, qui primus ſententiam rogabatur, in omen verſam narrat Plut.

FINIS LIBRI QUINTI.

JO:

JO. CLERICI IN T. LIVIUM. NOTÆ.

IN LIBRVM PRIMVM.

C. I. α *Quibus ab immenſo prope errore &c.*] *Immenſum* illum *errorem* non exprimit *Livius*, ſuperioribus verbis; quibus in Macedoniam, Siciliamque, ac tandem Laurentem agrum appuliſſe Trojanos dicit. Sed loca, in quibus Æneas urbes condere voluit, attigiſſe contentus, cetera prætermiſit, quæ vulgò ſat nota erant. Multas alias terras petierat Æneas, ut docebit *Dionyſius* Halicarn. Lib. 1. c. 47. & ſeqq. Hinc *Virgilius*, qui non omnia finxit, ſed in multis antiquam famam ſequutus eſt, paſſim *longos* Trojanorum *errores* memorat, quos ideò etiam *Livius immenſos* vocavit. Errores autem illi non à Sicilia demum cœperunt, ſed ab ipſo diſceſſu ex Troade; neque enim *immenſus error* fuit navigatio ex Sicilia in Africam, à Sicilia parum remotam, nec *Livius* fictum iter in Africam verum credebat. Itaque nihil hic mutandum, nec refingenda mens *Livii*.

II. β *Quia Deus auctor culpæ honeſtior erat.*] Hac de re copiosè actum eſt ad *Heſiodi* Theogoniam, u. 940. Cùm Veſtalis aut Amulium, aut Sacerdotem Martis, aut alium neſcio quem patrem puerorum prodere non auderet, dixit è Marte conceptos fuiſſe; quam fabulam ejus amici, ſimulatâ credulitate, ut propinquæ ſuæ ſaluti ac honori conſulerent, adiuverunt & propagarunt. Deinde indole bellicosâ utriuſque pueri, rebuſque geſtis Romuli, confirmata eſt. *Tam hoc*, ut cum noſtro loquar, Præf. *gentes humana paſſa ſunt* dici *æquo animo quàm Imperium* Populi Romani *patiebantur*. Vide cap. 15.

VI. γ *Urbis condendæ.*] Mirum eſt ingenioſiſſimum & eloquentiſſimum Hiſtoricum ſcribentem eò ævo, quo viri docti de ætate Urbis ſcripſerant, hic non indicaſſe Olympiadem, annumque Olympiadis, quibus conditam Romam putabat; aut certè annos ad ſua tempora ad Urbe Condita elapſos. Nunc *Livii* ſententia nobis eſt ex aliis locis, in quibus obiter ea de re loquitur, colligenda; quemadmodum fecit vir doctiſſimus *Henr. Dodvvellus*, Diſſ. x. de Antiquis Romanorum Cyclis, ubi oſtendit *Livium* ſequutum eſſe Æram Catonianam, quæ Varroniana duobus annis brevior eſt, cœpitque à Palilibus anno 1. Olympiadis VII. Eum in marginibus Livii ſequuti ſumus. Vide primi hujus libri c. 60.

VII. δ *Templa capiunt.*] Hoc eſt Palatinum & Aventinum montes, quaſi loca apta ad captanda auguria, deligunt. Adi *Feſtum* in *contemplari*, & *Varronem* lib. VI. de L. L. Vox eſt auguralis. Vide & c. 18. ubi inauguratio Numæ.

VIII. ε *Jura dedit.*] Qualia eſſent illa jura nemo non optaret à *Livio*, traditum, ut & artes quibus regnum adminiſtravit Romulus. Profectò *Dionyſius* Halicarnaſſeus ea de Romulo narrat, quæ oſtendunt non belli tantùm, ſed etiam pacis artibus ornatiſſimum fuiſſe, quæ apud eum legi

Urb. Cond. an. 363. Dictat. M. Fur. Cam.

æstu & ángore vexati, vulgatis 2 velut in pecua morbis, morerentur; jam pigritia singulos sepeliendi, promiscue acervatos cumulos hominum urebant: 3 bustorumque inde Gallicorum nomine insignem locum fecere. Induciæ deinde cum Romanis factæ, & colloquia permissu imperatorum habita, in quibus quum identidem Galli famem objicerent; eaque necessitate ad deditionem vocarent; dicitur avertendæ ejus opinionis causâ multis locis 4 panis de Capitolio jactatus esse in hostium stationes. Sed jam neque dissimulari, neque ferri ultra fames poterat: itaque dum dictator delectum per se Ardeæ habet, magistrum equitum L. Valerium à Vejis abducere exercitum jubet. parat instruitque quibus haud impar adoriatur hostes. interim Capitolinus exercitus stationibus vigiliisque fessus, superatis tamen humanis omnibus malis; quum famem unam natura vinci non sineret; diem de die prospectans ecquod auxilium ab dictatore appareret; postremo spe quoque jam, non solum cibo, deficiente, &, 5quum stationes procederent, prope obruentibus infirmum corpus armis; vel dedi, vel redimi se, quacumque pactione possent, jussit: jactantibus non obscure Gallis, *haud magna mercede se adduci posse, ut obsidionem relinquant*. Tum senatus habitus, tribunisque militum negotium datum, ut paciscerentur. Inde inter Q. Sulpicium tribunum militum, & Brennum regulum Gallorum colloquio transacta res est, & 6 mille pondo auri pretium populi gentibus mox imperaturi fa-

NOTÆ.

2. *Velut in pecua*.] Sic ex veteribus Codicibus Sigon. Nam *Pecua* & *Pecuda*, ita ut pecora veteres dixerunt, Nonio Marcello teste, cap. 2.

3. *Bustorumque inde Gallicorum*.] In 4. Urbis ab Augusto divisæ regione, cui nomen à Via Sacra, fuere hæc *Busta Gallica*, inter Vicum sceleratum, & locum ubi posteà Vespasiani amphitheatrum.

4. *Panis de Capitolio*.] Inde *Jupiter pistor*, de quo Lactant. post Ovid. 6. Fast. Hoc inventum Manlio Florus adscribit: qui tamen privatus erat. Sed fortè Tribunis militum, qui in imperio, id stratagematis suggessit.

5. *Quum stationes procederent*.] A Rhenano est hæc lectio ex Borbetomagensi. *Procedere* enim eleganter dicitur pro, continuari, ordine progredi. Ita Cic. ep. 25. lib. 11. *Non imitor* λακωνισμὸν *tuum. Altera jam pagella procedit*.

6. *Mille pondo auri*.] Sunt mille quingentæ auri selibræ, seu marcæ Gallicæ, octava forsan parte minùs. Auri autem maximè puri selibræ singulæ, ut plurimi æstimentur, non superant libras Francicas argenteas 424. & sic Libra Romana non plures erit quam 556. nostrarum ejusmodi librarum; quam si millies repetas, exibit summa 556000. libr. nostratium, quinquagies scilicet centena, quingenta & sexaginta millia. Sed videtur Varro hanc summam duplicasse apud Non. cap. 3. in voce *Torquem*: ait enim: *Auri pondo duo millia acceperunt ex ædibus sacris, & matronarum ornamentis: à quibus posteà id aurum & torques aurea multa relata Romã atque consecrata*. Solvi potest aliquatenus hic nodus ex Plin. lib. 33. cap. 1. *Cum à Gallis captâ urbe pax emeretur, non plus quàm mille pondo effici potuere. Nec ignoro duo millia pondo auri periisse Pompeii tertio Consulatu, è Capitolini Jovis solio, à Camillo ibi recondita; & ideò à plerisque existimari duo millia pondo collata. Sed quod accessit Gallorum præda fuit, detractumque ab his in capta urbis delubris.*

ctum.

ctum. Rei fœdiſſimæ per ſe, adjecta indignitas eſt. 7 pondera ab Gallis allata iniqua: & tribuno recuſante, additus ab inſolente Gallo ponderi gladius; auditaque intoleranda Romanis vox, 8 *Væ victis* eſſe. Urb. cond. an. 363. Dictat. M. Fu. Cam. 11.

XLIX. Sed Diique & homines prohibuere redemptos vivere Romanos. nam forte quadam, prius quam infanda merces perficeretur, per altercationem nondum omni auro appenſo, dictator intervenit: auferrique aurum de medio, & Gallos ſubmoveri jubet. Quum illi renitentes, *pactos* dicerent *ſeſe*, negat *eam pactionem ratam eſſe, quæ poſtquam ipſe dictator creatus eſſet, injuſſu ſuo ab inferioris juris magiſtratu facta eſſet*: denunciarque Gallis, *ut ſe ad prælium expediant. Suos in acervum conjicere ſarcinas, & arma aptare, ferroque non auro recuperare patriam* jubet, *in conſpectu habentes fana Deûm, & conjuges, & liberos, & ſolum patriæ deforme belli malis, & omnia quæ defendi repetique & ulciſci fas ſit.* Inſtruit deinde aciem, ut loci natura patiebatur, in ſemirutæ ſolo urbis, & natura inæquali: & omnia quæ arte belli ſecunda ſuis eligi præpararive poterant, providit. Galli nova re trepidi arma capiunt, iraque magis quam conſilio in Romanos incurrunt. Jam verterat fortuna, jam Deorum opes humanaque conſilia rem Romanam adjuvabant. igitur primo concurſu haud majore momento fuſi Galli ſunt, quam ad Alliam vicerant. Juſtiore altero deinde prælio ad octavum lapidem 1 Gabina via, quo ſe ex fuga contulerant, ejuſdem ductu auſpicioque Camilli vincuntur. Ibi 2 cædes omnia obtinuit. caſtra capiuntur, & nuncius quidem cladis relictus. Dictator, 3 recuperata ex hoſtibus patria, triumphans in urbem redit: 4 interque jocos militares, quos

NOTÆ.

7. *Pondera iniqua.*] Sunt veris ſive minora, ſive (ut hic) majora, *de faux poids*.

8. *Væ victis.*] In proverbium abiit hæc ſuperba vox: qua teſtatur Feſtus remuneratum poſteà Brennum à Furio Camillo, cum circumventus inſidiis, quereretur contra fœdus fieri.

1. *Gabina via.*] Via hæc à porta Gabina ſive Gabiuſa (quæ nunc clauſa) Gabios perducebat ad XII. milliare. Media initio inter Tiburtinam, quæ à læva, & Prænestinam, quæ à dextra; ſed in hanc deducta.

2. *Cædes omnia obtinuit.*] Occidionem fuiſſe vult, non pugnam, quaſi internecione deleti ſint hoſtes. Sed tamen & Plut. ſummâ contentione dimicatum aſſeverat; & paulò poſt Gallos videbimus in agro Romano lib. 7. c. 9. & 26. atque alibi.

3. *Recuperatâ ex hoſtibus patriâ.*] Poſt ſex menſes ut habent Varro & Florus: Plut. & alii ſeptem numerant. A XVI. Kal. Sext. quò Romam Galli intraverunt, ad Idus Febr. quo pulſi victive ſunt à Camillo.

4. *Interque jocos militares.*] *Milites*, qui triumphantis currum ſequebantur, omnes laureati, inter carmina triumphalia, jocos etiam, atque adeo ſcommata in triumphantem miſcebant, quibus vitia ejus notarentur. Indicat noſter lib. 3. cap. 29. Vid. Suet. in Cæſ. Idque, opinor, ne tanto honore elatus nimium ſuperbiret. Eadem de causâ ſervus quoque eodem curru vectus, aureamque coronam ponè ſuſtinens, ſubmonebat, ut hominem ſe eſſe meminiſſet. Ac præterea currui appendebatur, teſte Zonara, tintinnabulum cum flagro, ſigna capitalis judicii, & ſervitutis in quæ incidere poſſet.

Urb. cond. an. 364. Dictat. M. Fur. Cam.

inconditos jaciunt, 5 *Romulus ac parens patriæ conditorque alter urbis*, haud vanis laudibus appellatur. Servatam deinde bello patriam, iterum in pace haud dubiè ſervavit, quum prohibuit migrari Vejos: & tribunis rem intentius agentibus poſt incenſam urbem, & per ſe inclinata magis plebe ad id conſilium. eaque cauſa fuit 6 *non abdicandæ poſt triumphum dictaturæ*, ſenatu obſecrante, *ne rempublicam in incerto relinqueret ſtatu*.

L. Omnium primum, ut erat diligentiſſimus religionum cultor, quæ ad Deos immortales pertinebant, retulit: & 1 Senatusconſultum facit; *Fana omnia*, 2 *quod ea hoſtes poſſediſſent*, *reſtituerentur*, 3 *terminarentur*, *expiarenturque*: *expiatioque eorum* 4 *in libris per duumviros quæreretur*. 5 *Cum Cæretibus publicè hoſpitium fieret*, *quòd ſacra populi Romani ac ſacerdotes recepiſſent*, *beneficioque ejus populi non intermiſſus honos Deûm immortalium eſſet*: 6 *ludi Capitolini fierent*, *quod*

NOTÆ.

5. *Romulus*.] Hoc illi cognomen invidiam conflavit teſte Plutarcho.

6. *Non abdicanda poſt triumphum Dictatura*.] Ut à cæteris factum, etiam aliquando intra 16. dies velut à L. Quintio Cincinnato lib. 3. cap. 29. At Camillus in annum contra legem prorogavit Dictatorium Imperium ex Plut. & Liv. lib. ſequ. cap. 1. Sed volente ac rogante Senatu:

1. *Senatuſconſultum facit*.] Magiſtratus Senatusconſultum facere dicitur, cum fieri curat, quemadmodùm obſervat Gronov. ut apud Cic. 9. ad Att. *Primas ejus actiones horreo. Volet enim Senatusconſultum facere*.

2. *Quod ea hoſtes poſſediſſent*.] Quid impoſterùm incommodi ex hac ſemeſtri poſſeſſione, poſtquàm receſſerant hoſtes? Nonne omnia jam in priſtinum ſtatum, aut certè in ſuam cauſam redierant? Deſtructa quidem refici ac reſtaurari, profanata expiari oportebat, etiamſi poſſeſſa ab hoſtibus non fuiſſent: at eo ſolo quod fuiſſent in hoſtium poteſtate, parum videtur cauſæ fuiſſe cur reſtitui deberent aut expiari: niſi fortè Romani captarum à ſe urbium Deos evocare ſoliti, ut ſupra cap. 21. & mox cap. 52. Simile quid à Gallis tentatum ſuſpicati, eos aliquo Cæremoniarum genere retinendos cenſuere.

3. *Terminarentur*.] Omiſit Gruterus, ſive conſultò, ſive operarum errore: ante illum omnes habent: & rectè Gronovii judicio. Templa quippe non modò augurii auſpiciive causâ deſignata: ſed & quæ perpetuæ religionis gratiâ ædificabantur, conceptis verbis finiri ac terminari mos erat. Hinc & fines *Templares* apud Agrimenſores antiquos. Cum itaque incendiis omnia confuſa eſſent, inveſtigandi Templorum termini, aut certis ſaltem terminis ea reſtituenda fuere.

4. *In Libris per Duumviros*.] Sibyllini aliive fatidici *Libri* intelliguntur, quorum inſpectio in religionis rebus dubiis penes Duumviros ſacris faciundis erat. Initio enim duo tantùm ejus generis Sacerdotes à Tarquinio inſtituti. Poſtea numerus crevit. Vide l. 3. c. 10. & hujus lib. c. 13.

5. *Cum Cæretibus*.] De hoc Cæretanorum facto ſup. cap. 40. in f. Adde quod eſt apud Gell. lib. 1. cap. 13. *Primos municipes ſine ſuffragii jure eſſe factos, conceſſumque illis, ut Civitatis Romanæ honorem quidem caperent: ſed negotiis tamen atque muneribus vacarent: idque pro ſacris bello Gallico receptis, cuſtoditiſque*:

6. *Ludi Capitolini*.] Hos ludos Jovi Capitolino ſacros Circenſes fuiſſe colligas ex Liv. lib. 7. cap. 2. Fuere & antiquiores alii, Tarpeji & Capitolini dicti, ex inſtituto Romuli in honorem Jovis Feretrii, ut Piſo tradidit apud Tertullianum. Atque ad hos pertinet quod refert in quæſtionibus Romanis Plut. *Ludos Capitolinos* voce præconis, Sardianos venales proclamari ſolitos, & poſt aliquot

Jupiter optimus maximus ſuam ſedem atque arcem populi Romani in re trepida tutatus eſſet: 7 collegiumque ad eam rem M. Furius dictator conſtitueret, ex iis qui in Capitolio atque arce habitarent. Expiandæ etiam vocis nocturnæ, quæ nuncia cladis ante bellum Gallicum audita neglectaque eſſet, mentio illata, juſſumque templum [8] in Nova via [9] Ajo Locutio fieri. Aurum quod Gallis ereptum erat, quodque ex aliis templis inter trepidationem [10] in Jovis Cellam collatum, quum in quæ referri oporteret, confuſa memoria eſſet, ſacrum omne judicatum, & [11] ſub Jovis Cella poni juſſum. Jam ante in eo religio civitatis apparuerat, quod quum in publico deeſſet aurum, ex quo ſumma pactæ mercedis Gallis conficeret, à matronis collatum acceperant, ut ſacro auro abſtineretur. Matronis gratiæ actæ, honoſque additus, *ut earum ſicut virorum, poſt mortem ſolennis laudatio eſſet.* Urb. cond. an. 364. Dictat. M. Fur. Cam.

LI. Iis peractis quæ ad Deos pertinebant, quæque per ſenatum agi poterant, tum demum, agitantibus tribunis plebem aſſiduis concionibus, ut relictis ruinis in urbem paratam Vejos tranſmigrarent; in concionem, univerſo ſenatu proſequente, aſcendit, atque ita verba fecit: *Adeo mihi acerbæ ſunt, Quirites, contentiones cum tribunis plebis, ut nec triſtiſſimi exilii ſolatium aliud habuerim, quoad Ardeæ vixi, quam quod procul ab his certaminibus eram: & ob eadem hæc, non, niſi me ſenatuſconſulto populique juſſu revocaretis, rediturus unquam fuerim. Nec nunc me, ut redirem, mea voluntas mutata, ſed veſtra fortuna perpulit. quippe ut in ſua ſede maneret patria, id agebatur, non ut ego utique in patria eſſem: & nunc quieſcerem & tacerem libenter, niſi hæc quoque pro patria dimicatio eſſet, cui deeſſe quoad vita ſuppetat, aliis turpe, Camillo etiam nefas eſt. Quid enim repetiimus, quid obſeſſam ex hoſtium manibus eripuimus, ſi recuperatam ipſi deſerimus? & cum victoribus Gallis capta tota urbe, Capitolium tamen atque arcem Diique & homines Romani tenuerint, habitaverint; victoribus Romanis recuperata urbe, arx quoque & Capitolium deſeritur: & plus vaſtitatis huic urbi ſecunda no-*

NOTÆ.

prætextatos ſenem quemdam produci, qui puerilem bullam collo appenſam gereret; quo quidem ritu in Vejentes à Lydis Sardibuſque ortos ludibrium continebatur, ut ipſe explicat, & Feſtus à Scaligero correctus. Ab utriſque his Ludis diverſi fuere Agones Capitolini à Domitiano inſtituti, in quibus omnis generis artifices certabant.

7. *Collegiumque ad eam rem.*] Plerique Collegia ſive Sodalium corpora à Numa, ad tollendas partium diſcordias inſtituta, artificum ferè fuerunt, Plut. auctore. In honorem Deorum duo præterea Collegia legimus; hoc Capitolinorum Ludorum Jovi curandorum, celebrandorumve causâ conditum, & Mercurialium, quod mercatorum proprium.

8. *In Nova via.*] Foro Romano juncta erat *via Nova* ex Palatii parte; & in Velabrum deſinebat.

9. *Ajo Locutio.*] Fuit Ædes *Aii Locutii* in regione 8. ex deſcriptione Auguſti, cui nomen à Foro Romano, ſupra Templum Veſtæ, nunc, ut volunt, *S. Maria Liberatrice.*

10. *In Jovis Cellam.*] In templo Jovis Capitolini erat Cella, quam ingredi prophanis nefas; in eo ſervabantur ſacri theſauri.

Urb. cond. an. 364. Dictat. M. Fur. Cam.

ſtra fortuna faciet, quam adverſa fecit. Equidem ſi nobis cum urbe ſimul poſitæ traditæque per manus religiones nullæ eſſent, tamen tam evidens numen hac tempeſtate rebus affuit Romanis, ut omnem negligentiam divini cultus exemptam hominibus putem. Intuemini enim horum deinceps annorum vel ſecundas res vel adverſas, invenietis OMNIA *proſpere evenisſe ſequentibus Deos, adverſa ſpernentibus. Jam omnium primum Veiens bellum (per quot annos, quanto labore geſtum!) non ante cepit finem, quam munitu Deorum* [1] *aqua ex lacu Albano emiſſa eſt. Quid hæc tandem urbis noſtræ clades nova? num ante exorta eſt, quam ſpreta* [2] *vox cælo emiſſa de adventu Gallorum; quàm gentium jus ab legatis noſtris violatum, quàm à nobis, quam vindicari deberet,* 3 *eadem negligentiâ Deorum prætermiſſum? Igitur* 4 *victi captique ac redempti tantum pœnarum Diis hominibuſque dedimus, ut terrarum orbi documento eſſemus. Adverſæ deinde res admonuerunt religionem. Confugimus in Capitolium ad Deos, ad ſedem Jovis optimi maximi: ſaera in ruina rerum noſtrarum alia* 5 *terræ celavimus, alia avecta in finitimas urbes amovimus ab hoſtium oculis. Deorum cultum, deſerti ab Diis hominibuſque tamen non intermiſimus. Reddidere igitur patriam, & victoriam, & antiquam belli decus amiſſum: & in hoſtes, qui cæci avaritia in pondere auri fœdus ac fidem fefellerunt, verterunt terrorem, fugamque & cædem.*

LII. *Hæc culti neglectique numinis tanta monimenta in rebus humanis cernentes, ecquid ſentitis Quirites, quantum vix dum ex naufragiis prioris culpæ cladiſque emergentes, paremus nefas? Urbem auſpicato inauguratoque conditam habemus: nullus locus in ea non religionum Deorumque eſt plenus: ſacrificiis ſolennibus non dies magis ſtati, quam loca ſunt, in quibus fiant. Hos omnes Deos, publicos privatoſque, Quirites, deſerturi eſtis?*

1 *Quam par veſtrum factum eſt, quod in obſidione nuper in egregio adoleſcente C. Fabio, non minore hoſtium admiratione quam veſtra, conſpectum eſt; quum inter Gallica tela digreſſus ex arce,* [2] *ſolenne Fabiæ gentis in*

INTERPRETATIO.

a *Anniverſarium familiæ ſuæ ſacrificium.*

NOTÆ.

1. *Aqua ex lacu Albano.*] Vide ſupra cap. 15. & ſeqq. & Plut. in Camillo.

2. *Vox Cœlo emiſſa.*] Mavult Gronov. *Cœlo miſſa*, tum quia proximè *emiſſæ*: tum quia ſic, inquit, paſſim veteres: ſed vix tanti eſt.

3. *Eadem negligentia Deorum.*] Diis ſcilicet æquè neglectis; jus enim belli ac fœderum penes Feciales Sacerdotes conſtitutum à Numa, pars divini juris.

4. *Victi, captique, ac redempti?*] Quando verò *redempti?* An cum mille pondo auri pacti ſunt Gallis abeuntibus daturos? At perſolutum non eſt illud aurum. An *redempti* armis? Sed hoc poſterius fuit iis quæ mox dicuntur. An *redempti* ab exitio per hæc mala? Quid ſi legamus *relicti*, à Diis nempe?

5. *Terra celavimus.*] Terentius dixit præter morem, *Si hoc celetur patri.* Sed *celare terra*, pro eo quod eſt terræ mandare, terrâ tegere, occultare, abſcondere, Patavinitas fortè quædam ſit. Malim, *terrâ*, cum Gronovio.

1. *Quàm par veſtrum factum eſt, quod.*] Vel interſere ei, ſeu *illi*, ante, *quod*; vel ſcribe, *veſtro*, monente Gron. ex lib. 28. *Quàm compar conſilium tuum parentis tui conſilio ſit, reputa.*

colle Quirinali obiit? An gentilitia ſacra ne in bello quidem intermitti, publica ſacra & Romanos Deos etiam in pace deſeri placet? & Pontifices Flamineſque negligentiores publicarum religionum eſſe, quam privatus inſolenni gentis fuerit? Forſitan aliquis dicat, aut Vejis nos facturos, aut huc inde miſſuros ſacerdotes noſtros, qui faciant: quorum neutrum fieri ſalvis cæremoniis poteſt. & ne omnia generatim ſacra, omneſque percenſeam Deos, [2] *in Jovis epulo, num alibi, quam in Capitolio pulvinar ſuſcipi poteſt? Quid de æternis Veſtæ ignibus,* [3] *Signoque, quod imperii pignus cuſtodiâ ejus templi tenetur, loquar? quid de Ancilibus veſtris, Mars Gradive,* [4] *tuque Quirine pater? hæc omnia in profano deſeri placet ſacra,* [b] *æqualia urbi,* [5] *quædam vetuſtiora origine urbis? Et videte quid inter nos ac majores interſit. Illi ſacra quædam* [6] *in monte Albano* [7] *Lavinioque nobis facienda tradiderant. An ex hoſtium urbibus Romam ad nos transferri ſacra* [8] *religioſum fuit:* [9] *hinc ſine piaculo in hoſtium urbem Vejos tranferemus? Recordamini agitedum, quoties ſacra inſtaurentur, quia aliquid ex patrio ritu negligentia caſuve prætermiſſum eſt. Modo quæres, poſt prodigium Albani lacus, niſi inſtauratio ſacrorum auſpiciorumque renovatio, affectæ Vejenti bello reipublicæ remedio fuit? At etiam, tamquam veterum religionum memores, & peregrinos Deos tranſtulimus Romam, & inſtituimus novos. Juno Regina tranſvecta à Vejis nuper in Aventino, quam inſigni ob excellens matronarum ſtudium, celebrique dedicata eſt die? Ajo Locutio templum propter cæleſtem vocem exauditam in Nova via juſſimus fieri: Capitolinos ludos ſolennibus aliis addidimus; collegiumque ad id novum, auctore ſenatu, condidimus. Quid horum*

Urb. cond. an. 364. Dictat. M. Fur. Cam.

INTERPRETATIO.

b *Æquè antiqua atque urbs.*

NOTÆ.

2. *In Jovis epulo.*] Cum placandi Jovis causâ convivium ei per Triumviros, vel poſtea per Septemviros Epulonum, in Capitolio exhibebatur; ſolebat ipſe in Lectulum, Juno & Minerva (quæ intra idem templum colebantur) in ſellas ad cœnam invitari: & ſacris ejuſmodi epulis adhibebantur pulvinaria, uti jam antè obſervatum.

3. *Signoque quod imperii pignus.*] Palladium innuit, quod à Veſtalibus ſervari quidam credebant, ab Ænea in Italiam delatum, inde Alba aut Lavinio translatum Romam.

4. *Tuque Quirine pater.*] Ancilia ferebant per urbem Salii Marti Gradivo ſacri lib. 1. c. 20. Sed quid hoc ad Romulum ſeu Quirinum, ut ad eum arma cœleſtia referantur, quorum uſus à Numa? Num quia Romulus bellicoſus, & Marte genitus?

5. *Quædam vetuſtiora.*] Veſtæ Sacerdotes & ſacra Albæ recepta ante Romam conditam: quin & ab Ænea, ut quidam volebant, in Latium invecta.

6. *In Monte Albano.*] Quo feriarum Latinarum causâ proficiſcebantur quotannis Romani Magiſtratus. Vid. ſup. c. 37.

7. *Lavinioque.*] Alii, *Lavinoque*, ſcilicet monte vel colle; alioqui dicendum eſſet *Lavinisque*, id eſt, apud *Lavinium* oppidum. Colebantur antiquo ritu Dii Penates Æneæ, atque urbis Romæ, quos Aſcanius Albam traducere fruſtrà tentaverat.

8. *Religioſum fuit.*] Religioni conveniens: aliàs ſuperſtitioſum.

9. *Hinc ſine piaculo.*] Oratio hic hiare Gronovio videtur. Verùm ſi ab initio periodi huc transferatur interrogativa particula, *an*, & ſubintelligatur è proximo vox *ſacra*, aut ejus loco pronomen, nihil hiabit. *An hinc ea* (ſacra ſcilicet) *in hoſtium urbem Vejos transferemus?*

Urb. Cond. an. 364. Dictat. M. Fur. Cam.

opus fuit ſuſcipi, ſi una cum Gallis urbem Romanam relicturi fuimus? ſi non voluntate manſimus in Capitolio per tot menſes obſidionis? ſi ab hoſtibus metu retenti ſumus? De ſacris loquimur, & de templis; quid tandem de ſacerdotibus? Nonne in mentem venit, quantum piaculi committatur? Veſtalibus nempe una illa ſedes eſt, ex qua eas nihil tanquam præterquam urbs capta movit. Flamini Diali noctem unam manere extra urbem nefas eſt. Hos Vejentes pro Romanis facturi eſtis ſacerdotes, & Veſtales tuæ te deſerent Veſta? & Flamen peregre habitando, in ſingulas noctes tantum ſibi reique publicæ piaculi contrahet? Quid alia, quæ auſpicato agimus omnia fere intra pomœrium, cui oblivioni, aut cui negligentiæ damus? [9] Comitia curiata, [10] quæ rem militarem continent, comitia centuriata, quibus conſules tribunoſque militares creatis, ubi auſpicato, [11] niſi ubi aſſolent, fieri poſſent? Vejoſne hæc transferemus? an comitiorum cauſa populus tanto incommodo in deſertam hanc ab Diis hominibuſque urbem conveniet?

LIII. *Sed res ipſa cogit vaſtam incendiis ruiniſque relinquere urbem, & ad integra omnia Vejos migrare, nec hic ædificando inopem plebem vexare. Hanc autem jactari magis cauſam, quàm veram eſſe, ut ego non dicam, apparere vobis, Quirites, puto; qui meminiſtis ante Gallorum adventum, ſalvis tectis publicis privatiſque, ſtante incolumi urbe, hanc eandem rem actam eſſe, ut Vejos tranſmigraremus. Et videte, quantum inter meam ſententiam veſtramque interſit, tribuni. Vos etiamſi tunc faciendum non fuerit, nunc utique faciendum putatis: ego contra (nec id miratiſitis, prius quam, quale ſit, audieritis) etiamſi tunc migrandum fuiſſet incolumi tota urbe, nunc has ruinas relinquendas non cenſerem. Quippe tum cauſa nobis in urbem captam migrandi victoria eſſet, glorioſa nobis ac poſteris noſtris: nunc hæc migratio nobis miſera ac turpis, Gallis glorioſa eſt. non enim reliquiſſe victores, ſed amiſiſſe victi patriam videbimur. hoc ad Alliam fuga, hoc capta urbs, hoc circumſeſſum Capitolium neceſſitatis impoſuiſſe, ut deſereremus penates noſtros, exiliumque ac fugam nobis ex eo loco conſciſceremus, quem tueri non poſſemus. & Galli evertere poterunt Romam, quam Romani reſtituere non videbuntur potuiſſe? Quid reſtat, niſi ut? [1] jam novis copiis veniant, (conſtat enim vix credibilem multitudinem eſſe) & habitare in capta ab ſe, deſerta à vobis, hac urbe velint, [2] ſinatis? Quid ſi non Galli hoc, ſed veteres hoſtes veſtri, Æqui Volſcive faciant, uti commigrent Romam? [a] Velitiſne illos Romanos, vos Vejentes eſſe? an malitis hanc ſolitudinem*

INTERPRETATIO.

a *An velitis, ut Æqui & Volſci*, urbe occupatâ, *Romanorum nomine dicantur, vos autem Vejentium? An potiùs eligetis ut locus hic deſertus vacet, & in veſtra ditione ſolitudo tantùm ſit, quàm ut, vel ab hoſtibus occupatus, urbis nomen retineat.*

NOTÆ.

10. *Quæ rem militarem continent.*] Quamvis Comitiis Centuriatis crearentur magiſtratus, Curiatis tamen committebatur militare imperium.

11. *Niſi ubi aſſolent.*] Curiata intra Pomœrium in Foro; Centuriata in Campo Martio.

1. *Jam novis copiis veniant.*] Galli nimirum: non ergo deleti omnes prœlio in via Gabina commiſſo.

2. *Sinatis.*] Vellem adjici *vos*, ut conſtet magis ſententia, *Galli .... velint, & vos ſinatis.*

veſtram, quam urbem hoſtium eſſe? non equidem video quid magis nefas ſit. Hæc ſcelera, quia piget reædificare, hæc dedecora pati parati eſtis? Si tota urbe nullum melius ampliuſve tectum fieri poſſit, quam caſa illa conditoris eſt noſtri, non in caſis ritu paſtorum agreſtiumque habitare eſt ſatius inter ſacra penatesque veſtros, quam exulatum publice ire? Majores noſtri convenæ paſtoresque, quum in his locis nihil præter ſilvas paludesque eſſet, novam urbem tam brevi ædificaverunt: nos Capitolio, arce incoluni, ſtantibus templis Deorum, ædificare incenſam piget? & quod ſinguli facturi ſumus, ſi ædes noſtræ deflagraſſent, hoc in publico incendio univerſi recuſamus facere?

Urb. cond. an. 364. Dictat. M. Fur. Cam.

LIV. *Quid tandem, ſi fraude, ſi caſu Veiis incendium ortum ſit, ventoque (ut fieri poteſt) diffuſa flamma magnam partem urbis abſumat; Fidenas inde aut Gabios, aliamve quam urbem quæſituri ſumus, quo tranſmigremus? [2] Adeo nihil tenet ſolum patriæ? nec hæc terra quam matrem appellamus? ſed in ſuperficie tigniſque charitas nobis patriæ pendet? Equidem, fatebor vobis, etſi minus [1] injuriæ veſtræ quam meæ calamitatis meminiſſe juvat; quum abeſſem, quotieſcunque patria in mentem veniret, hæc omnia occurrebant, colles, campique, & Tiberis, & aſſueta oculis regio, & hoc cælum, ſub quo natus educatuſque eſſem. quæ vos, Quirites, nunc moveant potius charitate ſua, ut mancatis in ſede veſtra; quam poſtea quam reliqueritis ea, macerent deſiderio. Non ſine cauſa Dii bom neſque hunc urbi condendæ locum elegerunt; ſaluberrimos colles, fluvium opportunum, quo ex mediterraneis locis fruges deveharntur, quo maritimi commeatus accipiantur: mare vicinum ad commoditates, nec expoſitum nimis propinquitate ad pericula claſſium externarum: regionum Italiæ medium, ad incrementum urbis natum unice locum. Argumento eſt ipſa magnitudo tam novæ urbis. trecenteſimus ſexageſimus quintus annus urbis, Quirites, agitur: inter tot veterrimos populos tamdiu bella geritis, quum interea, ne ſingulas loquar urbes, non conjuncti cum Æquis Volſci, tot tam valida oppida, non univerſa Etruria tantum terra marique pollens, atque [2] inter duo maria latitudinem obtinens Italiæ, bello vobis par eſt. Quod quum ita ſit, [3] quæ (malum) ratio eſt expertis alia experiri, quam jam, ut virtus ve-*

INTERPRETATIO.

[2] *Itane ſolum natale, & hæc tellus quam vocamus parentem noſtram, nos nullatenus tangit. Sed patria apud nos amor* quaſi *affixus hæret æreæ ac trabibus*, quibus ædificia conſtant.

NOTÆ.

1. *Injuria veſtra, quàm mea calamitatis.*] Contendit Gronov. flagitare ſenſum, *etſi minùs tam injuria veſtra quàm mea calamitatis meminiſſe juvat*; quod hæc duo revera non differant, & utrumq; ex animo delere debuerit Camillus. At Camillus ipſe fatetur ſe neutrius oblivifci poſſe, ſed leviùs ferre, aut minùs meminiſſe velle alienæ injuriæ, quàm proprii exilii.

2. *Inter duo maria latitudinem obtinens Italiæ.*] Ita ſe res habuit, antequàm Etruſci ab Hadriatici maris ora pellerentur à Gallis. Poſt Tarquiniorum tempora Apennino terminabatur illorum ditio.

3. *Ratio eſt expertis alia experiri.*] Nullum hic, opinor, ulcus; nec in

JO. CLERICI IN T. LIVIUM. NOTÆ.

IN LIBRVM PRIMVM.

C. I. α *Quibus ab immenſo prope errore &c.*] *Immenſum* illum *errorem* non exprimit *Livius*, ſuperioribus verbis; quibus in Macedoniam, Siciliamque, ac tandem Laurentem agrum appuliſſe Trojanos dicit. Sed loca, in quibus Æneas urbes condere voluit, attigiſſe contentus, cetera prætermiſit, quæ vulgò ſat nota erant. Multas alias terras petierat Æneas, ut docebit *Dionyſius* Halicarn. Lib. 1. c. 47. & ſeqq. Hinc *Virgilius*, qui non omnia finxit, ſed in multis antiquam famam ſequutus eſt, paſſim *longos* Trojanorum *errores* memorat, quos ideò etiam *Livius immenſos* vocavit. Errores autem illi non à Sicilia demum cœperunt, ſed ab ipſo diſceſſu ex Troade; neque enim *immenſus error* fuit navigatio ex Sicilia in Africam, à Sicilia parum remotam, nec *Livius* fictum iter in Africam verum credebat. Itaque nihil hic mutandum, nec refingenda mens *Livii*.

II. β *Quia Deus auctor culpa honeſtior erat.*] Hac de re copiosè actum eſt ad *Heſiodi* Theogoniam, u. 940. Cùm Veſtalis aut Amulium, aut Sacerdotem Martis, aut alium neſcio quem patrem puerorum prodere non auderet, dixit è Marte conceptos fuiſſe; quam fabulam ejus amici, ſimulatâ credulitate, ut propinquæ ſuæ ſaluti ac honori conſulerent, adiuverunt & propagarunt. Deinde indole bellicosâ utriuſque pueri, rebuſque geſtis Romuli, confirmata eſt. *Tam hoc*; ut cum noſtro loquar, Præf. *gentes humana paſſa ſunt* dici *æquo animo quàm Imperium* Populi Romani *patiebantur*. Vide cap. 15.

VI. γ *Urbis condendæ.*] Mirum eſt ingenioſiſſimum & eloquentiſſimum Hiſtoricum ſcribentem eò ævo, quo viri docti de ætate Urbis ſcripſerant, hic non indicaſſe Olympiadem, annumque Olympiadis, quibus conditam Romam putabat; aut certè annos ad ſua tempora ad Urbe Condita elapſos. Nunc *Livii* ſententia nobis eſt ex aliis locis, in quibus obiter ea de re loquitur, colligenda; quemadmodum fecit vir doctiſſimus *Henr. Dodwellus*, Diſſ. x. de Antiquis Romanorum Cyclis, ubi oſtendit *Livium* ſequutum eſſe Æram Catonianam, quæ Varronianâ duobus annis brevior eſt, cœpitque à Palilibus anno 1. Olympiadis VII. Eum in marginibus Livii ſequuti ſumus. Vide primi hujus libri c. 60.

VII. δ *Templa capiunt.*] Hoc eſt Palatinum & Aventinum montes, quaſi loca apta ad captanda auguria, deligunt. Adi *Feſtum* in *contemplari*, & *Varronem* lib. VI. de L. L. Vox eſt auguralis. Vide & c. 18. ubi inauguratio Numæ.

VIII. ε *Jura dedit.*] Qualia eſſent illa jura nemo non optaret à *Livio*, traditum, ut & artes quibus regnum adminiſtravit Romulus. Profectò *Dionyſius* Halicarnaſſeus ea de Romulo narrat, quæ oſtendunt non belli tantùm, ſed etiam pacis artibus ornatiſſimum fuiſſe, quæ apud eum legi

poterunt. *Livius* videtur rerum bellicarum narratione magis delectatus, ideoque alias ferè prætermisisse. Multæ in his erant plebi Romanæ sat notæ, & pleræque aridum argumentum eloquentiam libenter ostentanti suppeditabant. At Græci aliter senserunt, quòd ignota suis scriberent, & ubique in Historia non usque adeò eloquentiæ laudem caprarent: estque cur iis propterea gratias habeamus, multa enim, absque iis fuisset, ignoraremus.

VIII. ζ *Natam è terra sibi prolem.*] Non sunt mentiti conditores urbium, qui hac in re neminem æqualium potuissent fallere, & qui de posteris decipiendis minimè, ut puto, cogitabant. Sed posteri, mutatis linguis, antiqui sermonis parum periti, Majorum suorum verba, & ore traditas historias perperam interpretati sunt. Prisca ætas *populum terra* vocaverat incolas cujusvis tractûs, quos posteritas putavit absurdè è terra natos, fabulamque ex re verissima finxit. Vide *Platonem* l. 3. de rep. sub finem. Quod autem dixi de sermone priscorum mortalium, id nititur linguæ Hebraïcæ usu, ac proinde etiam Phœniciæ; quæ eadem fuit, & quam coloniis suis per omnia pænè interni maris littora latè sparserant Phœnices, ut in *Chanaane* ostendit Vir summus *Sam. Bochartus*.

XIII. η *Cum populum in curias triginta divideret.*] De ambiguitate vocis *Curia*, vide *G. J. Vossium* in Etymologico. Hoc loco significat decimam partem Tribûs. Nam Romulus diviso Populo Romano in partes tres, quas à numero *Tribus* dixit, singulas Tribus iterum divisit in partes denas; quibus singulis Curiis sacra sua partitus est, attributis Diis & Heroïbus quos colerent, lociſque in quibus cultus ille celebraretur, & sumtibus unde victimas, aliaque necessaria emerent. Idem vir doctissimus observat Curiis omnibus nomina non esse facta à Sabinis quod ostenderunt *Dionysius* & *Plutarchus*; sed nec de omnibus omnino curiis adfirmat hoc *Livius*, qui, ut verum dixisse videatur, satis est aliquot Curiarum nomina è matronarum illarum nominibus desumta. Cetèrùm vide *Festum* & *Vossium* ad vocem *Curia*.

XV. θ *In quadraginta deinde annos.*] Intelligendum Numæ regnum, quod 42. annorum fuisse fertur. Vide c. 21.

XVI. ι *Mirum, quantum illi viro nuncianti hac fidei fuerit.*] Ita rectè *J. F. Gronovius* conjecit, cùm antea legeretur fides; quod cur non eliminarit è *Livio*, non intelligo, cùm solœca fit oratio, *quantum fides fuerit*. Sic *Juvenalis* sat. 3. 143.

Quantùm quisque sua nummorum servat in arca,
Tantùm *habet & fidei.*

XVII. κ *Prævalerant.*] Suspicor legendum prævaluerant, hoc est, plus valuerant quàm totius ordinis auctoritas. Multoties usus est *Livius*, voce *prævalidus*, quamquam verba *prævaleo* & *prævalesco* frequentiori in usu fuisse sequentibus ætatibus, quàm Livianâ non ignoro. Optimo tamen ævo ignota non fuisse ostendit *J. G. Vossius* l. 7. de Vitiis sermonis. Fuit & cùm suspicarer *pervaluerant*, hoc est, satis validæ erant, aut vires necessarias adquisiverant, sed exempla vocis ceteroquin analogicæ desunt.

VII. λ *Usurpatur idem jus, vi ademtâ.*] Hoc est, idem quod attinet ad formam & rationem externam agendi sit, quamvis nunc senatui sit *vis ademta*; cùm nihil ab eo fiat, nisi nutu Principis. Vis pro auctoritate sumitur, ut infra c. 43. *Viritim suffragium eadem vi — datum, est — vis omnis penès primores civitatis esset.* Si tempore *Livii auctor esse* Senatus noluisset, in Legibus, Magistratibusque rogandis, prout volebat Augustus, perinde fuisset; auctoritas enim Senatûs dicis causâ tantùm adhibebatur nec vim ullam habebat, dissentiente Augusto. Vide *Svetonium* in Augusto c. 40. & ad eum *Is. Casaubonum*.

XIX. μ *Simulat sibi cum Dea Ægeria.*] Vide & infra c. 21. Si hoc ipse factavit Numa, non superstitiosum,

Digitized by Google

ſed impoſtorem eum fuiſſe judicemus oportebit. Confirmari hoc videtur eo quod dicitur de libris ejus l. 40. 29. Si quos fructus ex ſuperſtitione præſentes collegit, Reipublicæ poſtea vehementer nocuit. Prava hæc fuit ſapientia commentitiis ſuperſtitionibus animos plebis illaqueare, potiùs quàm rectis inſtitutis ad melius de Deo ſentiendum adducere. Sed fortè Numa ipſe meliora non norat; facilius enim illis temporibus fuit dicere *quid non ſit Deus, quàm quid ſit*. Vide *Cic.* de Natura deor. l. 1. c. 21.

XIX. *ρ Solſtitiali circumagitur orbe.*] Hoc eſt, à ſolſtitio hiberno ad alterum ſolſtitium hibernum porrigitur. Hic eſt *orbis ſolſtitialis*, ſeu vices ſolſtitiorum in orbem redeuntium. Quod non notarem, niſi viderem à magnis Criticis minus intellectam hanc rem fuiſſe. De ceteris conſulendi Chronologi, & præſertim *Henr. Dodvvellus* diſſ. 10. de Cyclis.

XIX. *ſ Quia aliquando nihil cum populo agi utile futurum erat.*] Pertinet hoc potiſſimùm ad libertatis tempora, quibus, ob ſeditioſorum magiſtratuum molimina, utile erat dies quoſdam eſſe, quibus cum populo agere non liceret; ut bonis civibus tempus ad impediendum violentorum conſiliorum exitum ſuppereret, quod dies nefaſti ſuppeditabant. Sed neſcio an, tempore Regum, ejuſmodi re ulla opus eſſet.

XXI. *τ Romulus ſeptem & triginta.*] Mirum eſt tam alieno loco hoc dici, ſuo verò omiſſum; quod commodiſſimè, narratâ Romuli conſecratione, memorari potuit, & niſi fallor, debuit.

XXII. *υ Imperitabat tum C. Cluilius Albæ.*] Mirum eſt Albanum regnum, poſt Numitoris à nepotibus reſtituti mortem, ad Romulum devolutum non eſſe, cùm ejus familiæ hereditario jure antea fuiſſet. Si cauſam ejus rei norant Hiſtorici, digna erat, quæ paucis diceretur. Sed rei tam antiquæ memoriam jam olim intercidiſſe putarim.

XXIII. *φ Ab Albanorum ſtirpe Regum &c.*] *Livius oriundos Romanos* ab Albanis Regibus dicit, eadem figurâ, quâ c. 16. eosdem *progeniem* Romuli vocat.

XXVI. *χ Horatio perduellionem judicent.*] Hoc eſt, qui judicent, in cauſa Horatii, an ſit inſtar *perduellis*, ſeu hoſtis habendus, ac proinde occidendus. *Perduellionis* crimen tunc dicebatur quodvis flagitium cui pœna capitis, quaſi facto cuipiam hoſtili impoſita erat. Poſtea *perduellio* dictum eſt crimen majeſtatis. Gloſſæ Veteres: *Perduelliones, οἱ κατὰ τῦ δίκυ τῶν ῥωμαίων βαλευόμενοι ἢ κατὰ βασιλέως*. Vide & *G. I. Voſſium* in Etymol. ad vocem *bellum*.

XXIX. *ψ Albam.*] Mendum hîc erat in Gronovianis Editionibus, quæ habebant *Albani*. Datâ operâ hoc à *I. F. Gronovio* mutatum exiſtimabam, cùm in erratorum indice non exſtaret. Sed res ipſa & aliæ Editiones incuriâ tantum mendum hoc ejus Editiones inſediſſe oſtendunt; quam ſanè doctiſſimo viro exprobrare nolim, quis enim in talibus non peccat? Humanitatem omnem exuerunt, qui ejuſmodi peccata viris doctis exprobrant.

XXIX. *ω Unàque hora quadringentorum annorum &c.*] Parva fuit urbs, ſi unâ horâ dirui potuit; ſed eſt hyperbole in hiſce omnibus. Contrà *quadringentos* annos dixit, pro *quingentis* ut liquet ex Chronologia Dionyſiana, quam vide.

XXX. *α Valuit — pacta cum Romulo inducarum fides.*] Atqui ſub hoc ipſo Tullo fractam memorat *Livius* c. 27. & ſeq. Aut ergo memoria hîc eum fefellit, ut putabat *Henr. Glareanus*: aut renovatas eaſdem inducias, poſt bellum, intelligit. Eædem autem habentur, quia à Romulo cœperant.

XXXI. *β Lapidibus pluiſſe.*] Aut poſteri majorem & duriorem ſolito grandinem malè lapidem interpretati ſunt, cùm legerent *faxeam grandinem* cecidiſſe, ut in ſcriptore de Bello Africano c. 47. aut fraude jacti fundi ex occulto lapides, inſtar grandinis cadere viſi. Pecuarii & ſacerdotes fraudium

ejuſmodi auctores fuiſſe videntur; quia illi pecudes ſuas facilius vendebant, hi carnibus earum epulabantur. Ubi multorum quidpiam verum videri intereſt, numquam deſunt qui verum adfirment, aliiſque perſuadeant.

XXXI. ψ *Commentarios Numæ.*] Idem fuiſſe non videntur ac libri cum Numa ſepulti. De quibus l. 40. cùm Tullus ſuperſtitioſos neſcio quos ritus in commentariis Numæ invenerit, libri vero ſepulti ad Religionum diſſolutionem facere viderentur. Vide & c. 32.

XXXII. ω *Quarum rerum &c.* ad *cenſes.*] Eſt hæc formula elliptica, quam ita ſupplendam putarim: *Quarum rerum, litium, cauſarum LEGES condixit pater patratus populi Romani Quiritium patri patrato peiſcorum Latinorum, hominibuſque priſcis Latinis; quas res dari, fieri, ſolvi oportuit, ET quas res nec dederunt, nec fecerunt, nec ſolverunt; De JIS dic quid cenſes.* De condictione legum fœderis facta à patre patrato Vide c. 24.

XXXIII. αα *Aventinum.*] Intelige, *jugum*, nec miraberis cum *Glareano*, cur *Livius*, genere neutro Aventinum dicat.

XXXIV. ββ *Aquila ſuſpenſis demiſſa leniter alis.*] Videor mihi hic Poëtæ cujuſpiam verba olfacere, qualia eſſent in deſcriptione hujus hiſtoriæ:

Jovis ales
Calo ſuſpenſis demiſſa eſt leniter alis.
Aufert illa apicem volitans, apteque reponit;
Tum ſublimis abit &c.

& res & verba Poëtam magis decebant, quàm Hiſtoricum.

XXXVI. γγ *Haud eumdanter diſcidiſſe eotem ferunt.*] Recte addit *ferunt*. Alioqui Ciceroniana illa ei objiceremus de Divin. l. 2. c. 38. *Contemne eotem Attii Navii; nihil debet eſſe in philoſophia* (tu dic in Hiſtoria) *commentitiis fabulis loci.* Sed cùm antiquiſſimorum temporum Hiſtoriæ multas haberent fabulas, non potuerunt à recentioribus omnes prætermitti. Satis eſt ſi modò ex antiqua fama ſe eas narrare Hiſtoricus teſtetur, non quòd credat veras, ſed ut oſtendat, quæ fuerit ſuperiorum ætatum aut credulitas, aut in mentiendo ſecuritas. Statuam Accio poſitam non negarim, ſed ab æqualibus in memoriam miraculi ſibi comperti non credo. Poſtea à credulis, aut fraudolentis hominibus factum hoc fuerit.

XXXIX. δδ *Prodigium viſu eventuque mirabile fuit.*] Hoc ſeriò narrare videtur *Livius*, quod æque veriſimile eſt, ac ſimilis narratio de Aſcanio, quam habet Virg. Æneid. 2. 680. & ſeqq. At cautiùs paullò loquitur l. 25. c. 39. ubi iterum ſimilia de L. Martio. *Apud omnes*, inquit, *magnum nomen Martii ducis eſt, & vera gloria ejus etiam miracula addunt, flammam ei concionanti fuſam à capite ſine ipſius ſenſu.*

XLII. εε *Jam enim inducia exierant.*] Si intelligantur induciæ in centum annos iis à Romulo datæ ut ſuprà c. 15. jam dudum erant elapſæ; datæ enim erant non ſeriùs anno U.C. 37. qui ultimus fuit Romuli, & jam annus agebatur ab U. C. minimùm 176. qui primus ſervii Tullii fuit. Sed forte productæ fuerant induciæ, cum fractæ fuerant ſub Tullo. c. 27. & iterum inſtauratæ.

XLIII. ζζ *Centum millium aris.*] Prima claſſis *centum millium aris* dicitur *Dionyſio centum minarum*, quod conficit Hollandicæ monetæ, neglectis fractionibus, ſummam 3000. florenorum. Secunda claſſis fuit *ſeptuaginta quinque millium* æris, aut *ſeptuaginta quinque minarum*, hoc eſt florenorum 2250. Tertia claſſis fuit *quinquaginta millium aris, ſeu quinquaginta minarum*; hoc eſt florenorum 1500. Quarta claſſis fuit *viginti quinque millium aris*, ſeu *viginti quinque minarum*, hoc eſt, florenorum 750 Quinta, ex *Dionyſii* calculo, *minarum duodecim & dimidia*, hoc eſt, florenorum 375. ex *Livii* verò ſententia *undecim millium aris*; ſeu undecim minarum, hoc eſt, 330. florenorum. Hæ fuerunt facultates, prout erant illa tempora, qui-

bus rarior fuit pecunia, civium Romanorum in quinque claſſes diſtributorum. Intelligenda autem eſt ſors uniuſcuiuſque claſſis, non fructus annuus bonorum, ne quis voce *cenſus* fallatur. Hæc ex calculo Gronoviano, à quo quamvis *D. Gaſſendi*, & *J. Gravii* calculi nonnihil recedant, nemo tamen ita diſſidet, ut ex eius abaco centum millia æris conficiant Gallicæ Monetæ hodiernæ libras Turonenſes 65625, ut habet vir doctus, qui in Gallia edidit *Livium* in uſum *Delphini* hoc eſt, pluſquam 54000. florenorum Hollandicorum, quæ ſumma tanta eſt, ut fortè nemo tunc civis Romanus eam habuerit. *Gaſſendus* cenſet centum millia æris confeciſſe Gallicæ Monetæ libras 3722. *If. Barrovius*, in abaco ad calculum Gravianum confecto, 322. libras Anglicanas.

XLIII. ν *Scutum pro clypeo.*] *Clypeus* fuit rotundâ formâ, ſcutum oblongâ ſive ovatum eſſet ſive imbricarum. Qua de re vide *Juſt. Lipſium* de Militia Rom. l. 3. d. e.

XLIII. ο *Dena millia æris.*] Hoc eſt, monetæ Hollandicæ trecentos florenos, unde colligere licet raros tum fuiſſe in Italia equos.

XLIII. π *Bina millia.*] Ejuſdem monetæ ſexagenos florenos. Hos videntur ſolviſſe viduæ Equitum Romanorum.

XLIV. ρρ *De incenſis.*] De non cenſis, qui & militiâ & omnibus honoribus erant excluſi, quippe numero civium non habiti. Miror *Livium* antea non dixiſſe quænam lex illa eſſet; eſt enim rectæ narrationis regula nihil in ſequentibus dicere quod non ex antecedentibus intelligi queat, aut certè quod non exponatur, ubi primùm occaſio poſtulat.

XLIV. σσ *Suove taurilibus.*] Mactatis tauro, ariete & hirco, ut docet *Dionyſius* l. 4. c. 22. Pro hirco, alii verrem dicunt, quod verius videtur. Vide *Juſt. Lipſium* ad *Tacitum.* Hiſt. l. 4. c. 53.

XLV. τ *Cujus Civitatis.*] multò maluiſſem à *Livio* bonas leges Servii Tullii copioſiùs expoſitas quàm inania prodigia & vaticinia narrata fuiſſe. Verùm eò *Livii* ferebatur animus, eius modi ſuperſtitionibus captus.

XLVI. υ *Pluribus tamen auctoribus filium ediderim.*] Non fuit pluribus auctoribus fides habenda, dicentibus quod vix fieri potuit, ut egregiè oſtendit *Dionyſius* Halicarn. l. 5. c. 6. & 7.

XLVI. φ *Junguntur nuptiis.*] Intelligendi *L. Tarquinius & Tullia Major*, quorum nomina prætermiſit *Livius*; quia ex antecedentibus & re ipsâ facilè poterant ſuppleri; neque enim mortui connubio junguntur: Quisquis leget attentiùs *Livium*, multa exempla ejuſmodi ambiguitatis in eo inveniet.

XLVII. χ *Se eſſe Priſci Tarquinii filium &c.*) Quantùm abſim ab eorum inſania, qui Veteres Scriptores ſpernunt, omniaque æqualibus ſuis, ſuæque experientiæ tribuunt, ſatis ex editis à me opuſculis conſtat. Sed à directis orationibus abſtinuiſſe Hiſtoricos mallem, cùm aliis derationibus, tum quia ex ingenio fictis ratiocinationibus, eos, de quibus agunt, inducunt utentes, aliquando contra hiſtoriæ fidem. Sic hoc in loco Tullia L. Tarquinio obiicit quòd parum memor eſſet *ſe eſſe Priſci Tarquinii filium*, cùm nepotem dicere debuiſſet. Ignoſco errori Hiſtorici, ſed errorem ſuum cum iis, qui errare non potuerunt, communicanti vix audaciam condono. Meritò *Dionyſius Fabio Pictori*, quem ſequutus eſt hîc *Livius*, exprobrat *laboris impatientiam in quærenda hiſtoriæ veritate*, ἐν τῇ ἱστορίᾳ τὸ περὶ τὴν ἐξέτασιν τῆς ἀληθείας ἀτυλαίτωρον.

XLVII. ψ *Minorum gentium.*] Hoc eſt, familiarum quas Tarquinius Priſcus in Senatum allegerat; quæ cum hoc beneficio Tarquiniis devinctæ eſſent, faciliùs juvenis regii blanditiis, promiſſiſque capi poterant, ſpe præſertim amplificandæ dignitatis, augendarumque fortunarum.

Vide *Ciceronem* Ep. Famil. l. 9. Ep. 21. & Infr.

LI. ρρ *Diverticuli.*] Idem eſt ac *diverſorium*. *Dionyſius* καταλυσιν in hac hiſtoria habet. Alioquin, ut notum, *diverticulum* eſt ſemita, quâ à via publica divertimus.

LI. σσ *Caput aquæ Ferentinæ.*] Rem paullò aliter deſcribit *Dionyſius* l. 4. c. 48. ubi habet: εἰς βάραθρόν τινα καταβαλλοντες καὶ ἐπικαύψαντες ἔτι ζῶντα εἰς τὴν γῆν διαφθείρουσι τιμωρίαν, *in barathrum quoddam deiiciunt & defoſſum adhuc vivum in terram occidunt.*

LII. ττ *Ex binis ſingulos faceret, binoſque ex ſingulis.*] Cùm manipuli eſſent centum virorum, è manipulo Romano quinquaginta viros ſumſit, totidemque è Latino & ſic *è binis ſingulos fecit*. Rurſus è quinquaginta Latinis, totidemque Romanis alterum manipulum conflavit, ac proindè *binos è ſingulis*, ſeu milites ſingulorum manipulorum in binos diviſit. De manipulo vide *Lipſium* de Militia Rom. l. 2. Dial. 3. qui inſtitutum hoc Tarquinii poſtea non obtinuiſſe oſtendit.

LIII. υυ *Quadringenta talenta.*] Hoc eſt ex auro, argentoque captivo redegit ſummam florenorum Hollandicorum 720000.

LIV. φφ *Dii dediſſent.*] Cùm peſſimis artibus eam poteſtatem Gabiis eſſet conſequutus, mirum eſt hominem *Diis* eam acceptam referre; niſi *diis* tribuat, quod non impediviſſent, quomodo maxima quæque ſcelera eis poterant tribui; aut niſi Deos ſe haud multò meliores eſſe putarent, quod ex mythica Theologia intelligere licet.

LV. χχ *Exaugurare.*] Nimirum, non ſine augurio capta illa loca fuerant, ut in iis Templa ædificarentur. *Exaugurabantur*, ſimili ritu, dum aves conſulebantur, ut ex iis intelligere liceret, utrum Diis, quibus aræ Templorum conſecratæ erant, volentibus, alii Deo eas conſecrare liceret. Si addicerent aves, hoc eſt, ſi faverent, ex augurali diſciplina, alii Deo conſecrabantur; ſin minùs, intactæ relinquebantur, ne ira Deorum, ſedes ſuas relinquere nolentium, moveretur. Rem ita ſe habuiſſe ex hoc loco adtentè lecto, quivis deprehendet.

LVI. ψψ *Reſponſa ſortium.*] *Sortibus* jactis, quibus certa quædam ſignificatio tribuebatur, multa reſponſa à Sacerdotibus edebantur, ideò & *ſortes* quodvis oraculum ſignificavit, etiam ubi voce reddebatur, ut *Delphis*. Vide paullò inferiùs. Sic apud *Ovidium* Metam. l. 368. *auxilium per ſacras quærere ſortes*, eſt ſciſcitari oraculum Themidis voce reſponſuræ; quæ poſtea [v. 381.] *ſortem dedit*, cùm clarâ voce reſpondit: *diſcedite Templo* &c. De ſortibus verò adi *Ant. van Dale* diſſ. 1. de Oraculis. c. 14.

LVI. ωω *Quod ea communis mater &c.*] E Deucalionis fabula repetita hæc fictio videtur. Vide *Ovidii* Metam. l. 1. 393.

LIX. ααα *Tribunum Celerum.*] Non poterat Comitia vocare, niſi qui Magiſtratum gereret. *Celeres* autem erant à Romulo inſtituti trecenti ad *cuſtodiam corporis*, ut docet *Livius* ſuprà c. 15. Hinc liquet, præſidium hoc ſub ſequentibus Regibus etiam fuiſſe. Sic quoque *Dionyſius* Κελερίων ἄρχοντα Brutum vocat, non Καλλιφίον, quæ vox nihili malè fuerat *ſacerdotum* verſa, ut rectè ab erudito viro *Joan. Hudſono* obſervatum. Vide Dionyſ. l. 4. c. 71.

LX. βββ *Exactique inde liberi Regis.*] Mirum eſt *Livium* non dixiſſe Tarquinium ipſum, urbe excluſum, in caſtra redire conatum, excluſum quoque iis fuiſſe; tum etiam Romanos, fœdere cum Ardeatibus facto, obſidionem ſolviſſe. Sed multas alias circumſtantias ab eo omiſſas ex *Dionyſio* liquet, quem adi.

LX. γγγ *Duo Conſules.*] Ab hoc anno, in ſumma pagina [*ſua ſcilicet Livii editionis*] annos Æræ Catonianæ, auctore eruditiſſimo viro *H. Dodwello*, adſcripſimus. Hic annus fuit Periodi Julianæ 4207. Olymp. 67. 1. 2. Ante Chriſtum 507. Æræ Catonianæ 245. Varronianæ 247.

LX. δδδ *Præfecto Urbis.*] Interrege à Bruto prodito, ſi Dionyſio credimus, l. 4. c. 14.

IN LIBRUM SECUNDUM.

C. V. α *Miſerebat non pœna magis homines, quàm ſceleris.*] Miſeros eos cenſebant non tantùm quòd in prima adoleſcentia nobiles juvenes capite pœnas dabant; ſed quòd tam turpe facinus admiſiſſent, eo patre nati atque in iis circunſtantiis, quæ à *Livio* memorantur. Alioqui non video quid ſit, *miſeret me ſceleris*, vix enim puto poſſe dici *Scelus tuum facit me miſerum*. Vide Sanctii Minervam l. 4. c. 3.

V. β *Eminente animo patrio.*] *Si animus patrius* ſit animus in patriam bene adfectus ſignificatur conſtantia *Bruti*; ſi verò *animus paternus*, miſericordia erga filios, quæ ſeſe prodebat.

VII. γ *Ubi nunc Vicapota.*] Subaudiendum Ædes, aut Templum; nam ut vidit *J. Lipſius* Epiſtol. quæſt. lib. 2. Epiſt. 2. eſt *Victoria* ſic à priſcis Romanis dicta, à *vincendo*, *potiendo*. Ei adſentitur *Ger Jo. Voſſius* in Etym. ad vocem *Vica*.

VIII. δ *Sacrando cum bonis &c.*] Qui *ſacri* erant plebiſcito, eos impune occidere licebat, ut docent *Feſtus*, in *ſacer mons*, & *Macrobius* Saturn. l. 3. c. 7. *Bona* verò ſic *ſacra* perdebantur; ut liquet exemplo ſegetis Tarquinii ſupra c. 5. Vide & Intt. ad ſeptimam Tabularum XII.

IX. ε *Quia impenſo &c.*] Sic *J. Fr Gronovius* conjiciebat: *ſalis quoque vendendi arbitrium, quia impenſo pretio venibat, in publicum omne ſumtum ademtum privatis.* Ademta facultas privatis vendendi ſalis, quia nimio pretio venibat. Alioquin intelligi queat: *in publicum omni ſumtu* (conficiendi ſalis tranſlato) *ademtum privatis* (qui eum ſumtum antea tolerabant) *vendendi* ejus *arbitrium*. Vix eſt ut vocula aliqua non exciderit.

X. ϛ *Tranſitum pontem.*] Hoc eſt, ut rectè *J. Fr. Gronovius*, niſi rumperent eum pontem, quem tranſierant. Alioquì ſi abeſſet *Τὸ pontem*, nihil deeſſet, & fortè margini additum, ut vocem *tranſitum* explicaret, in contextum irrupit.

X. ζ *Ingenti pontem obtineret gradu.*] *Ingens gradus* meritò eſt vitis doctis ſuſpectus. Si legeremus *immoto*, aut immobili gradu, res clara eſſet. Hoſtes enim eum *gradu movere* ut loquitur *Livius* l. 6. c. 32. & 7. c. 8. non potuerunt. *Dionyſius* l. 5. c. 23. in hac eadem re, de *Horatio* duobuſque ejus ſociis: διεμειναν ἐπὶ τῆς αὐτῆς βάσεως, *manſerunt in eodem gradu*.

XII. η *Adprobant Patres.*] Percuſſorem immiſſum in Romanum Conſulem, pro ſociis bellum gerentem, Romani Hiſtorici probris omnibus laceraſſent; ſed in Regem iturum, liberandæ Romæ causâ, laudarunt. Vituperamus nempe in aliis, quod laudamus in noſtris.

XII. θ *Circumdari ignes &c.*] Hæc omnia de igne admoto, deque conſtantia Mucii brachium torrentis, velut alienato ab ſenſu animo, omiſit *Dionyſius* l. 5. c. 29. quòd fabulam eſſe putaret, ut eſt, & quod rem aliter ab aliis narrari videret; inducit enim Porſennam fidem Mucio dantem, tormenta remiſſum iri, ſi rem quamdam magnam, quam ſcire ſe Mucius aiebat revelaret. Sed *Livius* libenter mirabiliora ſequitur, eloquentiæ commodam materiem præbentia.

XIII. ι *Inter tela hoſtium.*] Mirabiliorem hoc reddit hiſtoriam, quaſi in puellas natantes tela, ab Etruſcis conjecta fuiſſent. Sed ſat mirum erat puellas potuiſſe tranare fluvium, nemine impediente, & ſunt qui vix credant. *Dionyſius* narrat cuſtodes, puellis orantibus, ne nudas viderent, receſſiſſe; eaſque occaſione uſas Tiberim tranaſſe.

XV. κ *P. Lucretius inde.*] *P. Valerio Publicola* III. Conſuli Collegam dat Dionyſius l. 5. c. 21. *M. Horatium* ite-

rum Conſulem. Sic & *Caſſiodorus* in Conſulum Catalogo, ut & *Marianus Scotus*, aliique, ut obſervavit *Stephanus Pighius*, in Annal. Romanorum; ubi *Livio hîc*, quaſi mutilo, fidem habendam negat. Ac ſanè *J. F. Gronovius* ex Codicibus mendoſis neſcio quæ veſtigia paris ſequentis Conſulum profert. Sed, ut verum dicam, non Librariorum ſed Livii ipſius hîc aliquam ſuſpicor eſſe negligentiam; quòd ſi Dionyſio credimus, ad alium annum retulerit geſta ejus anni, cuius Conſules omiſit. Nam anno, qui tertium Conſulatum M. Valerii ſequutus eſt, Aruns, Porſennæ filius, Ariciam ab antecedente anno obſidens, à Cumanis victus & occiſus eſt, ut habet *Dionyſius* l. 5. c. 36. Itaque nullam lacunam hîc eſſe putarim. Interea ne turbetur Chronologia ſupplendi, poſt *P. Valerium* & *M. Horatium*, Conſules *Sp. Lartius* & *T. Herminius*, qui magiſtratum geſſerunt anno æræ Caton. 248. ante Chriſtum 504.

XVI. μ *A turbatoribus belli.*] Suſpicarer pro BELLI legendum PLEBIS, quod propius ſcripturæ Codicum quàm Gronovianum *vulgi*, quamvis ita *Livius* l. 4. c. 48.

XIII. ν *Dictatoris.*] Magiſtratûs cui *dicto audientes* omnes eſſe oportebat, & quo *dicente* quidpiam nulla erat ampliùs tergiverſatio. *Eò* alludere videtur *Livius* paulò infra. De eo vide ad hunc annum *St. Phighium* in Ann. Roman.

XVIII. ξ *Man. Valerium.*] Hunc tamen primum Dictatorem facit *Feſtus* in *Optima lex* Qua de re vide *St. Pighium* in Annal. Rom. ad hunc annum *Dionyſius*, differt primam Dictaturam in tertium ab hoc annum, V. nempe C. 256.

XIX. ο *A. Poſtumius Dictator.*] Referenda hæc ad annum u. c. 258. ex ſententia *Dionyſii* l. 6. c. 2. & ſeqq. quam ſententiam probat etiam *St. Phighius.*

XIX. π *Tarquinius Superbus.*] Sic etiam cenſuerant *Licinius* & *Gellius*, ut docet *Dionyſius* l. 6. c. 2. qui eos confutat, quòd Tarquinius ſuperbus nonagenario tunc proximus eſſet. Itaque ei Titum & ſex. Tarquinios ſubſtituit, & hunc in prælio cecidiſſe narrat, cùm *Livius* diu antea Gabiis obtruncatum velit.

XX. ρ *Feſſo jam pedite &c.*] Si Latini nullum æquitatum habuiſſent, facilè intelligeremus, Equitatum Romanum potuiſſe ſine periculo deſcendere ex equis; ſed cùm habuerint & quidem majorem Romano, ſi *Dionyſio* credimus, mirum eſt eum equitatum non invaſiſſe à lateribus Romanam aciem equitatu nudatam. Sæpe *Livius* ita loquitur, quaſi hoſtibus Romanorum nullus equitatus fuiſſet. Sed rem aliter narrat Dionyſius, cui potius crediderim.

XXVII. σ *Primipili Centurioni.*] Vetuſtiſſima hæc eſt hujus ordinis mentio, ut obſervat. *J. Lipſius* de mil. Rom. l. 2. c. 8. *Primus Centurio* tunc dicebatur, & teſtis eſt *Livius* l. 7. c. 41. Fuit caput omnium Centurionum & ductor, qui honoris causâ primi pili centurio dicebatur. Vide virum doctiſſimum, loco laudato.

XXVII. τ *Periculum libertatis.*] Si retinenda vox *libertatis*, quæ à membranis Florentinis abeſt, hoc voluerit *Livius*: tantùm abfuiſſe ut qui nexi antea ſervierant apud creditores, iterum amittendæ libertatis periculum ſubirent; ut contra creditores jam ſibi timerent, ne captivi ipſi à debitoribus abducerentur, quorum paupertati antea illuſerant.

XXIX. υ *Non vulgabat.*] Communem vulgo eſſe nolebat, ut ex ſequentibus liquet. Vide c. 41.

XXX. φ *Defendi inermes Latinos.*] Quod non ita intelligendum, quaſi auxiliares copias nullas ſuppeditarint Latini; ſed *inermes* dicantur fuiſſe, quod non ſuis, ſed alienis auſpiciis militarent. Vide c. 53.

XXX. χ *Defixis pilis ſtare ſuos juſſit.*] Hoc ipſum malè ceſſit Pompejo in pugna Pharſalica, ut docet Cæſar l. 3. c. 92.

XXXI. ψ *Equitatu immiſſo.*] Mirum eſt Sabinos etiam Equitatum in Romanorum cornua non immiſiſſe.

Sæpe

Sæpe loquitur *Livius*, quaſi Romanorum hoſtes aut Equitatu caruiſſent, aut uti neſciviſſent. Vide ad c. 20.

XXXIII. ω *C. Licinius &c.*] Duos hoſce primos Tribunos vocat *Aſcon. Pedianus* in Cornelianam *L. Sicinium L. F. Bellutum*, & *L. Junium C. F. Paterculum*. Pluribus hac de re agentem conſule *Steph. Pighium* in Annalibus Romanorum ad hunc annum, ubi & de Tribunicia Poteſtate.

XXXIII. αα *Sextantibus*.] Sextis aſſis partibus, ſeu duabus unciis æris.

XXXIV. ββ *Urantur annona, quam furore ſuo fecere.*] Delevi *fruantur*, cùm ab omnibus MSS. & antiquioribus Rhenanea editionibus abeſſet, ut teſtatur *Gr novius*. *Facere annonam*, eſt hic ſibi annonam comparare, ut *facere corpus* eſt pinguiorem fieri.

XXXVI. γγ *Viſus Jupiter dicere &c.*] Fac hiſtoriam ſomnii eſſe veram, facile potuit fieri ut hominis phantaſia turbaretur, quòd ſomnium non eſſet exſequutus, atque in morbum incideret qui levatus eſt, cùm æger dixiſſet, quod ſomnia verat dicendum. Dein hiſtoria, ut fit, pauſlò ornatior prodiit, atque hinc factum miraculum; quòd dignum Romana Republica videretur præſentem ei intereſſe Jovem.

XXXVIII. δδ *Ut omnia.*] Si oratio Tulli incipit à voce *veteres* legendum eſt, *ut omnes*, inquit, *obliviſcamini alias*. Sed vide *J. Fr. Gronovium*.

XXXIX. εε *Sp. Nautius &c.*] Omiſit Livius ante hos Conſules duplex par Conſulum, *Q. Sulpicium Camerinum* & *Sp. Lartium Flavum*, qui Coſſ. fuerunt anno u. c. 264. a. C. 488. item *C. Julium Julum* & *P. Pinarium Rufum*, qui ſuperiores proximè ſequuti ſunt. Putabat *St. Pighius* culpâ librariorum potuiſſe hæc nomina excidere, oſtendirque quibus locis inſeri poſſent. Vide ſimilem omiſſionem ad c. 15.

XLI. ζζ *Eum cognitâ domi causâ.*] Notiſſimum eſt apud Romanos patri jus fuiſſe vitæ & necis in liberos. Vide exemplum in Senecæ lib. de Clement. c. 15.

XLII. ηη *Nunc extis, nunc per aves.*] eſt ἀνυπολογίᾳ; nam vates ipſi Deos per exta & aves conſulebant, ut quid vellent reſcirent.

L. θθ *Unum propè puberem.*] Rectè *Dionyſius* l. 9. c. 22. hæc pro fabula habet, quia fieri non potuit, ut omnes Fabii, qui in caſtellum ad Cremeram iverant, eſſent cœlibes & ſine liberis: contra morem Romanorum, qui & juvenes ducebant uxorem, & filios omnes educabant. Nec fieri etiam potuit, ut tot puberibus nulli eſſent fratres impuberes. Cetera apud ipſum vide, qui perſuadebit hæc eſſe theatrorum figmentis, ſimilia, πλάσμασιν ἐοικότα θεατρικοῖς. Mirum eſt hoc *Livio* non ſuboluiſſe; ſed ſæpe verisimilibus prætulit incredibilia.

LII. ιι *Duo millia aris.*] *Dionyſius* in hac hiſtoria mulctam hanc ridiculam ait ſæculi ſui moribus collatam, ſed paupert viro, tunc temporis, gravem fuiſſe. *Duo aſſium*, inquit, *millia. As autem nummus erat aneus libralis*. Erat ergo mulcta 2000. librarum Romanarum æris, quarum ſingulæ ſunt 12 unciarum. Ea tamen *in caput vertit*, quia Menenius mori, maluit domi, quàm eam pati ſolvi ab amicis. Vide *Dionyſium* l. 9. c. 27.

LVI. κκ *Tributis Comitiis.*] Nimirum, curiatis antea comitiis creabantur, quæ à Patriciis pendebant. Curiata enim Comitia, ut docet *Dionyſius* l. 9. c. 41. oportebat fieri auctore Senatu, & addicentibus avibus, quæ auſpicia ad ſolos Patricios pertinebant. Tributa verò comitia ſine auctoritate Senatus, auſpiciiſve fiebant, ideoque poteſtati Patriciorum erant exempta. Itaque Patricii his adverſabantur.

LVIII. λλ *Motam induſtriam.*] Rectius, niſi fallor, eſſet *notam induſtriam*; nam cùm Ap. Claudius *adhortator operis* aderat, *ſponte ſuâ* non erat *mota induſtria* militum. Nec ſcio an *moveri induſtria*, eo modo dici queat.

LIX. μμ *Centuriones, duplicarioſque.*] *Polybius* quidem Centuriones oſtendit duplum ſtipendium accepiſſe, ſeu quatuor obolos in diem, ut ob-

ſervat *Lipſius* de mil. Rom. l. 5. c. 16. Potuere & alii propter egregia facta duplex ſtipendium accepiſſe. Sed hoc tempore Romæ nondum ſtipendium erat inſtitutum. Itaque vir ſummus intelligit de duplici frumenti menſura, quod jam olim publicè militibus datum. Sanè Varroni 4 de L. L. *Duplicarii* ſunt milites, *quibus ob virtutem, duplicia cibaria, ut darentur inſtitutum*. Vide *Lipſium* loco laudato.

IN LIBRUM TERTIUM.

CAP. I. « *Una extincta &c.*] Factam hanc totius Fabiæ gentis exſtinctionem oſtendimus ex *Dionyſio* ad cap. 50. ſuperioris libri.

VI. β *Ut tunc principium anni.*] Anni, nempe, Conſularis; non civilis, cujus initium ſemper à Januario. Incidebant Calendæ Sextiles eo anno in 28. Auguſti Juliani proleptici. Vide *Dodvvellum*.

VII. γ *Dii præſides &c.*] Multò probabiliora ſunt quæ habet *Dionyſius* l. 9. c. 68. ubi oſtendit tantam non fuiſſe peſtilentiam ut Romani ſua mœnia tueri non poſſent, docetque quænam eſſent urbis munitiones. Sed *Livius* ad prodigia & Deos libenter confugiebat. Tanta non erat peſtis in agro Romano, quin hoſtes in eo vagari non auderent, ac proinde non deerant defenſores muris.

VIII. δ *Ante diem tertium Idus Sextiles.*] Ipſis Idibus iniiſſe Magiſtratum Coſſ. putat *Dodvvellus*, & revera per aliquot annos ſequentes, is dies fuit ineundi magiſtratûs.

IX. ε *Infinita poteſtate.*] Reverâ regia erat, durante magiſtratu; quo exacto, poterat Conſuli dies dici. Hinc intelligere eſt quanta eſſet Patriciorum ſuperbia, & ambitio; quod non obſervant, qui priſcos Romanos æquitates amantis fingunt, ut *Salluſtius*, initio Belli Catilinarii.

X. ζ *Cælum ardere viſum &c.*] Si eo tempore, quo hæc contigiſſe dicuntur, fidem detrahebant hiſce prodigiis, ut liquet ex proximè ſequentibus, multò minùs ſeriores ætates talia credere decet.

XIII. η *Tribus millibus aris.*] Hoc eſt, quadraginta quinque florenis Hollandicis, aut circiter.

XVIII. θ *Quadrantes.*] Quartas partes aſſis, ſeu tres uncias æris, his temporibus quibus *As* erat *libralis*.

XX. ι *Negligentia Deûm.*] Cùm proceres Romani Philoſophiâ Græcorum imbuti eſſent, intelligerentque Religionem Majorum ſuorum meras nugas eſſe, meritò quidem eam irriſerunt; ſed cùm Epicureorum, Academicorumve dogmatibus irretiti, melius nihil invenire poſſent, in Atheiſmum delapſi ſunt, & jurisjurandi religionem ſpernere cœperunt. Vide *Juvenalem* Sat. 17. 35. & ſeqq.

XX. κ *Proferendo.*] Si hæc vox ſana ſit, perinde eſt ac *differendo*, hoc eſt, impediendo ne exercitus urbe educi poſſet. Sic apud *Ciceronem* ad Atticum l. 13. Ep. 12. *proferre auctionem* & Ep. 14. *proferre diem*.

XXII. λ *Luſtrum condi religioſum fuit.*] Vide ad lib. 1. c. 44.

XXII. μ *Principio anni.*] Nempè, magiſtratûs, nam Conſulatum ineunt Idibus ſextilibus, ſeu anni Juliani proleptici Septembris 2. Vide *Dodvvellum*.

XXXI. ν X *Millibus aris.*] Ἀσσαρίων μυριάδα, ut habet *Dionyſius*, hoc eſt, decem millia librarum Romanarum æris. Sequens mulcta fuit quindecim millium librarum.

XXXII. ξ *P. Curatio.*] *Dionyſius* hunc vocat *Horatium*; quod præfert *St. Pighius*, ad hunc annum.

XXXIII. ο *Anno trecenteſimo altero.*] De hoc loco vide *Henr. Dodvvellum* Diſſ. 10. de Cyclis ſect. 96. & ſeqq.

XXXVIII. π *Privati &c.*] *Privati*

erant, quia in annum tantùm creati fuerant. Imperium inhiberi eſt exerceri, ut liquet ex poſterioribus. Poſt *honoris inſignibus* repetendum *imminutis*: habebant enim totidem lictores, ac antea.

XL. ρ *Cenſendo enim &c.*] Clarus erit locus, ſi ordinem ejus ſic conſtituas. *Cenſendo* (hoc eſt ſententias in ſenatu dicendo, quæ eſt nota verbi ſignificatio) *judicabat quoſcumque qui Senatum haberent, magiſtratus eſſe; quos privatos fecerat &c.*

L. σ *Inſecutique.*] Sic edimus ſequuti certam emendationem *J. F. Gronovii*; cum lectio vulgaris, *inſecutoſque* carear ſenſu.

LIV. τ *Convellunt.*] Cùm ſic haberent antiquæ Editiones, & Libb. MSS. nulla fuit ratio relinquendæ correctionis *B. Rhenani*, ex qua legebatur *convertunt*. Vid *J. F. Gronovium*.

LV. υ *Caput Jovi ſacrum eſſet.*] Poſſet impunè occidi. Vide ad l. 2. c. 8.

LXI. φ *Concitant equos.*] Sed ubi erat Volſcorum, Æquorumque equitatus? Fortè prædatum iverat. Sed alibi ſæpe *Livius* perinde quaſi hoſtes Romanorum equitatu fuiſſent deſtituti, loquitur.

LXI. χ *Excurſionibus ſufficiendo.*] Si hic locus ſit ſanus, ſenſus eſt, ſuppeditando milites iis qui excurſiones in hoſtile ſolum facere vellent: quâ ratione exercitabantur milites.

LXII. ψ *Equites duarum legionum ſexcenti.*] Unicuique legioni erant decem tricenariæ turmæ, ut pluribus oſtendit *J. Lipſius* de Militia Rom. l. 2. Dial. 6.

LXIII. ω *Jam tum Apollinarem.*] Legebatur *circum jam tum*, ſed cum oſtenderit *Gronovius* additam fuiſſe ab *Aldo* vocem *circum*, cùmque à Codicibus & Editionibus antiquioribus abſit, delevimus. Nihil opus eſt contextum mendoſum edere, ut lector hærens cogatur ad notas confugere, quas legere interdum operæ pretium non eſt.

LXX. αα *Ni ſuo proprio &c.*] Mirum eſt equitatum Volſcorum & Æquorum Equitatui Romano ſe in legiones Volſcas & Æquas inferenti, ſe non objeciſſe; nam erat equitatûs equitatum hoſtilem ſi non invadere, at certè obſervare. Similia in *Livio* ſæpiùs animadvertimus. Vide ad lib. 2. c. 31.

IN LIBRUM QUARTUM.

CAP. I. α *Curtius.*] Hoc eſt verum nomen Conſulis, ut oſtendit Sr. *Pighius* ad hunc annum.

II. β *Ut* [*quemadmodum plebs &c.*] Lectionem Gronovianam primis Editionibus & MSS. propiorem admiſimus.

II. γ *Perturbationem auſpiciorum.*] Contendebant, nempe, Patricii *neminem Plebejum auſpicia*, ſeu jus capiendorum auſpiciorum, *habere*, *ideoque decemviros connubium diremiſſe*, *ne incerta prole*, *auſpicia turbarentur.*

II. δ *Iterum conceſſum eſſe.*] De Decemviris creandis.

II. ε *Finem non fieri.*] Lege, *finem non fieri*; nempe, nova à Senatu petendi in gratiam Plebis; *non poſſe in eadem &c.* ut rectè *J. Fr. Gronovius.*

VII. ζ *Anno trecenteſimo decimo.*] Deſignati nempe ſunt Tribuni hoc anno, ſed magiſtratum geſſerunt ſequente. Vide *Henr. Dodvvellum* diſſ. x. de Cyclis & Chron. Dionyſiana. Quia tamen tertio menſe abierunt magiſtratu, annus ſignatur nomine Conſulum poſtea creatorum.

VII. η *Tabernaculum cepiſſet.*] Similis loquutio apud *Ciceronem* de Nat. Deor. l. 2. c. 4. & *Val. Maximum* l. 1. c. 1.

VII. θ *Linteis libris*] Vide hac de re *Henr. Dodvvellum* in explicatione antiqui Diarii, ſubjecti prælectionibus Camdenianis. Meminit horum librorum *Livius* & infra c. 13.

XV. ι *Bilibris farris*] Hoc eſt, ut rectè *Gronovius*; duabus libris farris; aut tritici, viritim, aut per familias diviſis. *Gloſſæ* antiquæ: Bilibre, χοῖνιξ. Chœnix tamen quatuor libras Romanas & aliquantò plus tritici continuiſſe cenſetur. Vide *Ed. Bernardum* de Pond. & mens.

XVI. κ *Bove aurato.*] *Statuam* vocat *Plinius* l. 18. c. 3. An fuit ſimulacrum bovis deauratum? judicent doctiores.

XX. λ *In thorace linteo.*] Tolumnio detracto. Ejuſmodi enim thoracibus utebantur, etiam contra tela. Vide *Lav. Torrentium*, & *Iſ. Caſaubonum* ad Galbam *Suetonii* c. 19.

XXII. μ *Villam publicam.*] Quâ excipiebantur legati, aliaque fiebant, de quibus vide *Varronem* de R. R. l. 3. c. 2. *Probaſſe* eam dicuntur, quod architectis ædificandam locatam & perfectam inſpexiſſent, eamque talem eſſe dixiſſent, qualem optaverant. Vide L. 1. in *Verrem* c. 54. & 55.

XXIV. ν *Octuplicato cenſu ærarium.*] Tribu motum inter ærarios retulit, eique octies gravius tributum impoſuit. Vide *J. Fred. Gronovium* de pec. vet. l. 4. c. 1.

XXV. ξ *Album in veſtimentum addere.*] Cretâ veſtem dealbare, ut rectè *J. F. Gronovius*, quem vide, ut & *Oct. Ferrarium* de R. V. l. 1. c. 21.

XXIX. ο *Nec libet credere: & licet in variis opinionibus.*] Licet, nempe, *non credere* propter auctorum diſſenſum; quibus conſentientibus fidem derogare vix liceret.

XXXII. π *Tribunus militum.*] Mirum eſt à *Livio* ita loquentem induci Mamercum Æmilium, cum antea c. 20. dubium, aut etiam falſum eſſe oſtendat ab A. Cornelio Coſſo Tribuno Mil. ſpolia opima eſſe relata.

XXXIII. ρ *Frenos ut detrahant Equis.*] Mirum profecto ſtratagema, idque pluribus de rationibus; nam 1. Equus ſine freno in nullam certam partem ab Equite dirigi poteſt, nec rectà fertur in confertos hoſtes, qui vel fuſte, aut clamore ſolo eum abigere poſſent. 2. Equitum turmæ ſic planè diſſipantur, ut agnoſcit poſtea *Livius*. Itaque fractus fuiſſet, eo ſtratagemate, impetus turmarum, Equitibus hic illic palantibus, nec equos regere valentibus. 3. Circumagi non potuiſſent equi; nec reduci in aciem,

ſex ea exiſſent, & Equites in avia territi facile rapuiſſent. 4. Facillimè ejuſmodi equitatus à frenato diſiectus fuiſſet, mitumque eſt equites hoſtium hoc non tentaſſe. Non minùs mira ſunt, quæ poſtea habet eloquentiſſimus ſcriptor, ſpecie, quâ territi fuerant milites, territos non fuiſſe equos, cùm nullum ferè animal faciliùs terreatur, & præſertim flammâ. Nec magis placet Equitem, quem liberi frenis diſpuliſſent Equi, tertori fuiſſe fugientibus hoſtibus; neque enim ejuſmodi eques facile ſequi fugientes poterat. Scio Numidas habuiſſe equos effrenos; ſed hìc ſermo eſt de equis freno adſuetis, nec Numidarum equitatus, ſine frenis, frenato fuit æquiparandus. Expendant hæc Lectores, videantque an non fortè *Livius* ſecuriùs æquo ſit ſuperiores ſequutus.

XXXIV. σ *Claſſibus ad Fidenas pugnatum.*] Exſtat elegantiſſima *Tan. Fabri* Epiſtola, quæ eſt 47. l. 1. ubi oſtendit *Livium* in antiquioribus, quibus utebatur, ſcriptoribus, non intellexiſſe vocem *Claſſes*; quæ apud priſcos Romanos tam terreſtrem, quàm navalem exercitum, ſignificabat. Qua de re vide etiam quæ collegit *Joan Ger. Voſſius*, in Etymologico.

XXXV. τ *Neminem ſe plebejum contempturum.*] Hoc eſt, neminem plebejum eam abjectè de ſe ipſo ſenſurum, ut non auderet ſummos honores petere, ſi modò ſe contemptum non iri à plebe ſciret.

XXXVIII. υ *Ex Equis deſilirent.*] Quid interea agebant equites Volſci? Nulline erant? Vix credibile eſt. Si erant, cur non impetum faciebant in hoſce equites pedites factos? Vix etiam capio, quî equites levjùs armati cum gravi armatura potuerint confligere, quam ne legiones quidem loco movere potuerant.

XLI. φ *Decem millibus æris gravis.*] Decem millibus aſſium libralium æris, ſeu decem millibus librarum Romanarum æris. Æſtimant trecentis florenis pecuniæ Hollandicæ.

XLIV. χ *Quindecim millibus æris.*] Hoc eſt, totidem libris Romanis æris, quas æſtimant quadringentis quinquaginta florenis Hollandicis.

L. ψ *Necari ſub crate.*] Genus ſupplicii, de quo vide l. 1. 51. *Plautus* in Pœnulo ſic deſcribit Act. v. S. 2. 65.

Sub cratim uti jubeas ſeſe ſupponi atque eo
Lapides imponi multos ut ſeſe neces.

Vide illic *Frid. Taubmannum*.

LIII. ω *Collum torſiſſet.*] Collo tunicæ arreptum invitum, quaſi ſtrangulaturus, traxiſſet.

LVIII. αα *Qui, quia ſumma &c.*] *J. F. Gronovius* delet *qui*, & ſic diſtinguit: *in tribunis. Quia ſumma vi reſtare nuntiabantur* (milites) *parum cogitaverunt* (Patres) *nulla* &c. Forte *cogitaverunt*, in *cogitavit* mutandum. Pro NULLA VIRTUTE, in ſequentibus libenter legerem MULTITUDINE.

LIX. ββ *Immitis.*] Sic ex Codd. legendum monuit *J. F. Gronovius*.

IN LIBRUM QUINTUM.

CAP. I. α *Artifices.*] Tibicines, aut histriones. Vide indicem Philologicum ad Philosophiam Orientalem Stanleianam, in voce *Artifices*.

XXI. β *In partem præda sua vocatos Deos.*] Dii non sunt qui prædæ cupiditate capiuntur, urbemque in qua culti fuerant propterea deserunt. Infra simili religione *invidia* Dus tribuitur. Sed Romani voce *Deus* potentiorem quidem naturam humanâ, sed haud multò meliorem intelligebant. Quod cùm ita sit, non mirum est proceribus Romanis, tempore *Livii*, Majorum superstitiones displicuisse. Vide l. 3. c. 20.

XXII. γ *Visne Romam ire Junó?*] Hunc *Livii* locum non satis intellexerat *Plutarchus*, nisi eum memoria fefellerit; nam *Livium* inducit dicentem quæ non dixit, in vita *Camilli* p. 132. Tom. 1. Ed. Par.

XXIII. δ *Jovis, soliſque Equis Æquiparari Dictatorem.*] Malim, *Jovi, solique equis æquiparari*; nam hoc vult *Livius*, Equis Dictatorem Jovi, solique æquatum, quia currus ejus trahebatur Equis albis, non aliter ac illorum deorum thensæ. Non potuit dicere æquiparatum equis deorum, nisi κακοζήλως.

XXV. ε *Furere civitatem, qua damnata.*] Furore, nempe, divinitus immisso, ut pœna neglectæ Religionis daret. Qua de re vide *Ciceronem* de Haruspicum responsis n. 39.

XXV. ζ *Ut pilento, ad sacra ludosque, carpentis &c.*] Hinc liquet *pilentum* fuisse elegantius quoddam genus vehiculi, carpentum verò minùs elegans, & magis vulgare. De utroque multis egit *Jor. Scheffer.* de re vehiculari l. 2. capp. 17. & 25. quem vide.

XXVI. η *Fortuna Imperatori Romano &c.*] Hoc est, *nisi fortuna Imperatori Romano dedisset* occasionem ostendendi *speciminis virtutis rebus bellicis* jam *cognitæ*, sed in aliis, quæ ad magnanimitatem pertinent, nondum satis hostibus perspectæ. Brevitas Livium hic, ut alibi obscurum reddidit.

XXXVI. θ *Signum datum.*] Vocale, nempe, quod per omnes ordines, dum alii alios excipiunt, brevi spatium est. *Signum* autem dicitur, quod signi instar, quod ante pugnam dabatur, per aciem sit nunciatum.

XL. ι *Trecentos sexaginta annos.*] Erat annus 365. sed numero rotundo utuntur, ut solet fieri in locis, ubi non opus est accurato calculo. Vide cap. 54.

XLI. κ *Thensas ducentibus.*] Curribus, quibus signa Deorum vehebantur, præeuntibus. Solebant enim in ejusmodi pompa pretiosissimis vestibus, in honorem Deorum uti. Vide *Festum* ad vocem *Thensa*.

XLII. λ *Non omnis.*] Sic *Gronovius*, pro *omnibus*.

XLII. μ *Mentibus conspere.*] Hoc est, mentis compotes esse, quod hic quidem de animo rebus adversis expavefacto; apud *Catonem* verò, de animo rebus prosperis elato occurrebat, sed eodem sensu. Vid. *Aul. Gellium* l. 3. c. 7. Sic *resipiscere* est ad priorem statum animi & corporis redire.

LXVI. ν *Cinctu Gabini.*] Gabinus cinctus est, ut docet *Servius* ad Æneid. 7. 612. toga sic in tergum rejecta, ut una ejus lacinia revocata hominem cingant. Vide init. ad eum *Virgilii* locum.

L. ξ *Sub Jovis cella.*] Sic scribendum, non *sella*, ut erat in editionibus Gronovianis in 8, & in 12 annorum 1678. & 1679. Intelligitur sacellum Jovis. De *cellis* vide quæ congessit *Henr. Dodwellus* ad Diarium rerum urbanarum.

LII. *Comitia curiata &c.*] De usu horum comitiorum consulenda *Caroli Sigonii*, & *Nic. Gruchii* contraria scripta, quæ inserta Tom. 1. Ant. Romanarum.

LIV. *Qua ratio est expertis aliis alia experiri &c.*] Suppleverim *hac*; ita ut velit Camillus, nullam esse rationem cur Romanum solum expertis, in quo tot erant commoditates, alia experiri, aut tentare placeret.

FINIS.

592891

Digitized by Google